Francesco Cipari

Francesco Cipari

Tintori Tintori


HIST* GNLIS*
PLANT* TOM* II







HISTORIAE GENERALIS PLANTARVM,

PARS ALTERA,

Continens reliquos nouem libros.

Eodem in hac parte studio, quo in superiore amplæ Plantarum descriptiones digestæ.



LVGDVNI,
APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,
SVB SCVTO VENETO.
M. D. LXXXVI.
Cum Priuilegio Pont. Max. Cæsareæ Maiest. & Christian. Galliarum Regis.

HISTORIAE
OMNIVM PLANTARVM
LIBER DECIMVS,

In quo deſcribuntur & ad viuum depinguntur plantæ omnes, quæ in aſperis, ſaxoſis, ſabuloſis & apricis naſcuntur.

BVRSA PASTORIS, CAP. I.

CONTRARIAM nunc viam ingredimur. In vndis enim & aquaticis locis ſtirpes, quanta potuimus diligentia, veſtigauimus: nunc in aridis & ſitientibus indagamus, & inter ſaxa rimamur, hîc natura non minùs quàm illic vires & diuitias ſuas oſtẽtante, in quibus explicandis à vulgatioribus & notioribus ad rariores & minùs notas progrediemur. Et cui non notiſſima recentiorum & planta & nomenclatura Burſa paſtoria, ſiue pera & Burſa paſtoris, Gallicè *Tabouret, & bourſe de berger*, Germanicè *Deſchelkraut*, ſic dicta à theculis ſiue folliculis ſemen cõcludentibus, marſupioli ſiue crumenę aut cordis effigiem referentibus? nullum enim aliud ei nomen Græcum Latinúmve à veteribus poſitum fuiſſe ſciunt herbarij. *Nomina*

BVRSA, Paſtoris.



Caules habet rotundos, lentos, pedales aut maiores, folia longa, altiùs inciſa, irionis, aut erucæ: flores albicantes thlaſpi non diſſimiles, cui etiam congener eſt, & folliculos ſiue marſupiola latiuſcula, in quibus ſemen cõcluditur exiguum, nigrum: radicem longam ſingularem, & cãdidam. *Forma.* Vbiuis copioſiſſima eſt, ſecus vias, vrbium areas, locis incultis, aſperis & ſaxoſis. *Locus.* Iunio & Iulio menſibus floret. *Tempus.* Calida eſt & ſicca tertio ordine. Sanguinem efficaciſſimè ſiſtit: Nec ideò refrigerare putandum, vt recentiorum quidam non rectè tradiderunt. *Dod. lib. 4. cap. 54.* Nam flores guſtanti acrimoniæ nonnihil inurunt. *Temper. & Vires.* Quare non refrigerãdo, ſed ſiccãdo cogendoq; ſanguinis fluxiones cohibet. Huius herbæ decoctum potum alui fluores, dyſenterias, ſanguinis excreationes reprimit, & eiuſdem ſanguinis ex vtero, renibus, deniq; quauis ex parte profluuia inhibet, quouis modo ſumpta, ita vt ſcripſerint quidam manu

ſolùm, aut quauis alia corporis parte delatam poſſe ſanguinem ſiſtere. Prodeſt, inquit Matthiolus, attrita & emplaſtri modo impoſita, inflammationibus, & ſacris ignibus. Decoquitur pluuiali aqua cum plantagine, & armenia gleba, bibitúrque eius decoctum ad inteſtinorum difficultatem, & cruentas excreationes. Herbæ ſuccus recentiora vulnera glutinat, & auribus purulentis medetur. Siſtit menſium abundantiam, ſi eius & perſicariæ decocto inſideant mulieres, eſtúrque ad idem. Denique contra omnes ſanguinis fluxiones efficax eſt, tenui pulticula circumlita, & in oleo frixa. Additur emplaſtris quæ ad capitis vulnera componuntur, & vnguentis multis.

In cap. 150. lib. 2.

PILOSELLA, CAP. II.

Nomina NEc etiam huius notiſſimæ herbæ meminiſſe, nec nomen vllum ei indidiſſe veteres, aiunt herbarij, quam recentiores Piloſellam appellant à copioſis pilis, quibus tum cauliculi, tum folia veſtiuntur, Galli *Piloſelle*. *Genera* Eius genera duo reperiuntur. Eſt enim Piloſella maior, Germanis propriè *Nagelkraut* nominata, & Piloſella minor, Germanis *Menſzorlin*, vel *Haſenpfatin* peculiariter dicta. *Forma.* Piloſella maior foliis eſt per terram graminis modo

à copiosis quibus vestit. pilis nomen adepta est.

PILOSELLA Maior, Matthioli.



PILOSELLA Minor, Fuchſij.



ſparſis candicantibus, hirſutis, oblongis, aliquantum ſupernè concauis, & aurem murinam referentibus: cauliculis villoſis, gracilibus, palmaribus, & ſeſquipalmaribus: floribus luteis, aut pallidiuſculis, duplici foliorum ordine: radice digitum longa, multum fibrata. Huic Piloſella altera ſimilis eſt, niſi multò minor eſſet foliis paruis, hirſutis, altera parte candidis. In ſummis cauliculis flores congeſti modò lutei ſunt, modò rubri, modò fuſci, modò varij: radix parua, fibrata. Hanc pro gnaphalio montano deſcribunt alij & depingunt. Etſi quidam Piloſellam dixerint eſſe Myoſotidem, id eſt, muris auriculam, tamen longè alia eſt à Myoſotide Dioſcoridis: nam, vt reliquas diſſimiles notas taceam, neq; maior Piloſella, neque minor

 florem

florem cæruleum velut anagallis obtinet. Pilosellam aliam maximam spectandam nobis dedit Lobellius, quam habuit Syria missam, foliis maioribus, carnosis, densè ab imo stipatis, candore & lanugine sericeóve vellere, Holocerici attrectatu, hilari & specioso aspectu, incanis. Caules ternos quaternósve, quadrangulos, geniculatos, pedales emittit: radicē duriorem, lignosam, fibratam, flores videre non contigit. Hæc Lobellius.

PILOSELLA Maxima, Syriaca, Lobellij.



Locus. Pilosella maior montosis locis, & collibus terrenis nascitur, & agrorum herbidis limitibus: minor in aridis montibus, & locis aliis asperis, & incultis. Maio & Iunio mensibus potissimùm florēt.

Tempus. *Temper.* Calidas & siccas esse Pilosellas gustus demonstrat.

& Vires Fuch.c.230. Habēt enim adstrictionē cum exigua quadam acrimonia coniunctam, vt hoc nomine ad purificanda & glutinanda vulnera mirè sint vtiles. Ferunt enim foliorū farinam id strenuè efficere. Herbæ recentis succū exprimunt ad cohibendos quartanæ febris horrores. Eodē tingunt gladiorum aciem, vt omne ferrum aliud domet, secétque. Ferrum enim quod eius succo commaduit, tantam contrahit duritiam, vt chalybis aciē respuat. Sunt qui huius herbæ radicē Maio mense effossam, siccatam, & in puluerem redactam ac potam, aut in cibo datam, efficacissimum esse aduersus ramicem remedium tradunt. Pilosellæ vis est præsentissima ad calcalum. Huic plantas duas & forma & facultate affines misit Myconus ex Hispania. Prior & minor passim in pra-

TVBERARIA Maior, Myconi.



TVBERARIA Minor, Myconi.



Tuberaria dicit. quoia ubi illa crescit tubera frequentissime reperiunt

tis reperitur, & terrenis locis pinguibusq́; , folia habet plantagini similia, sed multò minora, humi repentia, villosa: caules dodrantales, rotundos, inanes, hirsutos, in quibus per interualla folia sunt bina, exigua, caulem ambientia, minora iis quæ circa radices humi iacent: in caulium vertice flores luteos, in quorum medio purpureum quiddam est in nigrũ vergens: semen in exiguo folliculo dilapso flore statim conspicitur, radix admodùm parua est, tenuis, nonnihil fibrata. Tota herba hirsuta est: totius etiam sapor adstringit cum siccitate. Castellani eam *Yerua Turmera* vocant, id est, Herbam Tuberariam: quoniam vbi illa crescit, tubera frequentissimè reperiuntur. Quæ si veteribus cognita fuerit, eam esse suspicatur Myconus, quam apud Athenæum Pamphilus hyduophyllum vocat, quia sæpissimè tubera demonstret: vnde nomen Tuberariæ ei, quæ hic picta est, à Castellanis inditum. Altera à Mycono Tuberaria maior dicta, quòd foliorum & florum figura, hirsutie, & facultate superiori sit similis, magnitudine tantùm distans, in locis siccis nascitur, foliis multis, plantagini similibus, minoribus tamen, hirsutis, humi iacentibus, & vix à terra sese attollentibus: caules multos fundit, subhirsutos, rotundos, in quibus folia sunt per interualla, caulem amplectentia, minora iis quæ humi repunt. In caulium summitate flores visuntur lutei: deinde semen folliculo inclusum. Radix lignosa per summa cespitum spargitur. Tota herba aliquantum pilosa est, eiúsque sapor adstringens, maioris quàm superior efficaciæ.

ANCHVSA, *CAP. III.*

Nomina — ΑΓΧΟΥΣΑ similiter Latinis Anchusa dicitur, Officinis Alcannæ radices, Gallis *Orcanette*, Hispanis *Soagem*, Germanis *Kooloschenzung*. Hippocrates χεδιάσλα τὴν μικρὴν, & χιδλιάδα τὴν μεγάλην nominat. (De morb. mulieb.) Galenus in glossis τὴν ἄγχουσαν interpretatur, atq; sic etiam appellari scribit. (Lib.3.c.42.) Paulus anchusam quæ spinosum, & latum, & nigrum folium habet χοιροσπέλεθρον appellari dicit, (Lib.7.c.17.) & alibi anchusam chœrospelethron, onocleã esse ipse exponit, significat autem hæc vox iugerum porcinum. Verbum Græcum ἀγχουσίζειν, quod est fucare & colorare formam, huic herbæ nomen fecit, ob radicis sanguineum floridúmve colorem, insignem nimirum eius rarámq; hanc in aliis plantis coloris notam, cuíque anchusarum cognitionẽ acceptam referre debemus: vix enim innotuissent tum propter magnam cum echiis, lycopside, buglossis similitudinem, tum propter incertam, & minùs perspicuam foliorum in Dioscoride delineationem, vt dicemus.

ANCHVSA Prima, Matthioli.



Genera. (Lib.4.c.23.) Is tria anchusæ genera facit. Vnam quæ alio nomine Calix, & Onoclea appellatur, alteram quæ Alcibiadion, & Onochiles, tertiam huic haud dissimilem. (Lib.6. sim. Li.22.c.20. Lib.4.c.23.) Galenus his quartum genus addidit, lycopsim. Plinius Pseudanchusam.

Forma. Anchusa prima, vt describit Dioscorides, folia habet lactucæ, in acumẽ fastigiata (sic vertit Ruellius, cùm tamen Græci codices, & Oribasius habeant, τὰ μὲν φύλλα ἔχει θριδακι τῇ ὀξυφύλλῳ παραπλήσια, id est, folia habet lactucæ, cui acuta sunt folia, similia: quod nonnullis accipiendum videtur de lactuca agresti, quæ hirsutior est, & horridior. (Pet. Pen. in Adu.) Etiam Nicander lactucæ foliis Anchusæ folia comparat hoc versu. (In Theria.)

Δὴ

Δὴ γάρ ὅτ' ἀγχούσης θριδακινίδα λάζεο χαίτην.

Id est, sumito Anchusæ similem lactucæ comã) hirsuta, aspera, nigra, multa (additur in veteri codice μεγάλα, id est, magna, & ita Oribasius habet) quoquouersum à radice per terrã sparsa (προσπεπλασμένα τῇ γῇ dixit Dioscorides folia anchusæ, quam similiter Theophrastus in iis numerat, quæ ἐπιγειόφυλλα vocat, id est, folia per terram spargentia, Gaza ab radice foliata conuertit) spinosa. Radix est digiti crassitudine, quæ æstate prouenit, ac manus inficit sanguineo colore (Ruellius sic interpretatus est Greca, vt leguntur in vulgatis codicibus, τὴν χρόαν ὕφαιμος ἐν τῷ θέρει γεννωμένη, καὶ βάπτουσα τὰς χεῖρας. legendum, ἐν τῷ θέρει γενομένη: Plinius legisse videtur siue apud Crateuam, siue apud Dioscoridem: ἡ ῥίζα δακτύλου τὸ πάχος τὴν χρόαν ὕφαιμος, ὡς πάπυρος σχιζομένη, καὶ βάπτουσα τὰς χεῖρας. quæ in veteri codice And. Lacu. sic legi affirmat, τὴν χρόαν ὕφαιμος ἐν τῷ θέρει γευομένη, καὶ βάπτουσα τὰς χεῖρας. Quod est, quæ per æstatem gustata colore sanguineo suffunditur manúsque tingit, &c. Quæ lectio, inquit, ille, alteri præstat. Nam dicere Anchusæ radicem prouenire tantùm æstate, videtur ineptum, cùm omnes omnium plantarum radices proueniant quauis tempestate. Marcellus ex antiquissimi codicis fide, pro γεννωμένη instaurauit γινωσκομένη, vt intelligat Dioscorides non toto anno, sed æstate tantùm hanc radicem eo colore esse, túncque dignosci & deprehendi certò posse. Sed & vulgata lectio Latinè sic reddi potest, sanguinei coloris ęstate fit, & manus inficit.) Nascitur in pinguibus locis. Eam ex Matthiolo sic expressimus. Anchusa altera quam aliqui Alcibiadion, vel Onochiles vocarunt, à priore distat, quod minora folia habeat, sed aspera similiter: ramulos tenues, in quibus flos purpureus in puniceum vergens (sic interpretatur Ruellius ἄνθος πορφυροειδὲς ὑποφοινικίζον, idest, flos purpureus subpuniceus. Oribasius legit, ἢ φοινικοῦν, idest, aut puniceus) radices rubras, benè lõgas, quæ circa messes sanguineum succum habent. Gignitur in arenosis locis. Est etiam ex Matthiolo hîc appicta. Item tertia quæ secundæ similis est, nisi q florem minùs puniceum habeat. Plinius de tribus Anchusæ generibus diuersis in locis scribit. De prima hæc. Et Anchusæ radix in vsu est, digitali crassitudine. Finditur papyri modo, manusq; inficit sanguineo colore. De altera verò sic tradit. Est & alia herba proprio nomine Onochiles, quam aliqui Anchusam vocant, alij Architelion, alij Onocleam, aliqui rhexiam, multi Anchusam, paruo frutice, flore purpureo, asperis foliis & ramis, radice messibus sanguinea, cæterò nigra, in sabulosis nascens. Et mox addit etiam de tertia. Est & alia huic similis, flore rubro, minor, & ipsa ad eosdem vsus. Pseudanchusam verò primæ Anchusæ subiunxit. Est & alia similis, Pseudanchusa ob id appellata, à quibusdam verò Enchusa, aut Doris, &c. Cùm Anchusæ primæ florem cæruleum in puniceum vergentem tribuant herbarij, secundæ & tertiæ huic simili florem purpureum, aut subpuniceum, lycopsidi, quæ etiam Anchusæ generibus adnumeratur, purpurascentem, id quod hîc ex Dalechampio proponimus, ab omnibus his generibus floris luteo colore diuersum statuendum est. Nascitur in sabulosis propè Lugdunum, & qua Lugduno itur Va-

ANCHVSA II. Matth.



Lib. 7. hist. cap. 9.

Li. 22. c. 20.

Ibid. ca. 21.

Ibidem.

Li. 22. c. 20.

ANCHVSA III. Matth.



Locus. lentiam Allobrogum, in aridis campis circa D. Ramberti pagum, radice longa, crassa, sanguineo succo manus tingente, foliis Onocleæ, hirsutis, circa radicem multis, caule pede altiore, lanuginoso: flore oblongo, cauo, luteo, digitalis simili.

Forma. Describitur etiam à Pena Anchusa lignosior, angustifolia, omnium minima, & vix Anchusa habenda, inquit, vt cuius radix nihil aut parùm sit purpurea, fundens cauliculos sesquipalmares, lignosos, satureiæ: foliola oblonga, Alcibiadij Anchusæ minora, minusq; hirsuta: flores non multùm absimiles, pusillos, cæruleos. Hæc radix lignea est, ex fusco rufescens parùm aut nihil inficiens. Marginibus agri Frontignani, & Valenæ siluæ hæc interdum occurrit.

Vires & Temper. Lib. 4. c. 23. Non omnes Anchusæ iisdem facultatibus viribúsve præditæ sunt. Primæ radix adstringendi vim habet, inquit Dioscorides, faciens ad ambusta & vetera vlcera cum oleo & cera cocta: erysipelata cum polenta imposita sanat, & vitiligines & lepras cum aceto admota Eadem apposita fœtus detrahit.

ANCHVSA Lutea, Dalechamp.



ANCHVSA Lignosior, Pena.



Li. 22. c. 20. Ad decoctum ipsius datur ictericis nephriticis, splenicis, febrientibus quidem cum aqua mulsa. Folia aluum sistunt cum vino pota. Vtuntur vnguentarij radice ad spissanda vnguenta. De eadem hæc Plinius. Sanat vlcera in cerato, præcipuè

cipuè senum, item adusta. Liquari non potest in aqua, oleo dissoluitur, idq; sinceræ experimentum est. Datur & ad renum dolores drachma eius potui in vino: aut si febris sit, in decocto balani. Item iocinorum vitiis & lienis, & bile suffusis. Lepris & lentigini illinitur ex aceto. Folia trita cum melle & farina luxatis imponuntur, & pota drachmis duabus in mulso aluum sistunt. Pulices necare radix in aqua decocta traditur. In quibus Plinius vlcera senũ dixit, quæ Dioscorides παλαιὰ ἕλκη, idest, vlcera antiqua: deinde balani decoctum pro aqua mulsa: mox lentigini vox supposita est pro vitiligini. Dioscorides enim habet ἀλφοὺς ἢ λέπρας, idest, vitiligines & lepras: postremò cum mulso dixit, pro vino. Cæterùm quod Dioscorides dixit vnguentarios radice Anchusæ vti ad spissanda vnguenta, Plinius de vnguentis tractans ad colorem retulit his verbis. Tertius inter hæc est colos à multis neglectus: huius causa adduntur cinnabari & Anchusa, &c. Secundæ Anchusæ vis foliorumq; ipsius est, eodem Dioscoride auctore, vt demorsis à serpentibus, & maximè à viperis auxilietur, siue edantur, siue bibantur, siue adalligentur: & si quis manducata in os serpentis inspuat, ipsum occidet. Eadem Plinius, atque alia quæ Dioscorides non habet, tradidit. Efficax, inquit, contra serpentes, maximéq; viperas, & radice, & foliis, æquè cibo ac potu. Vires habet messibus. Folia trita odorem cucumeris reddunt. Datur in cyathis tribus vulua procedente. Pellit & tineas cum hyssopo: & in dolore renum aut iocinoris ex aqua mulsa, si febris sit: sin aliter, ex vino bibitur. Lentigini ac lepris radix illinitur: habentes eam à serpentibus feriri negantur. Tertiæ Anchusæ semen manducatum, vt Dioscorides tradit, si quis in os serpentis expuerit, ipsum necabit: radix acetabuli mensura cum hyssopo & nasturtio pota latos lumbricos expellit. Plinius, est alia, inquit, huic (secundæ Anchusæ sub.) similis, flore rubro, minor, & ipsa ad eosdem vsus: tradúntque commanducata ea, si inspuatur, mori serpentem. Galenus verò enucleatiùs & magis distinctè, vt solet, vires omnium sic declarat. Onoclea radicem habet simul adstringentem & subamaram, corporibus condensandis, & modicè extenuandis idoneam, tum abstergẽdis quoq; & abluendis biliosis & salsis succis. Dictum est enim suprà, quod qualitas acerba mixta amaritudini ea præstare queat. Sic sanè aurigini, & lienosis, & renum affectibus est vtilis. Sed & refrigerare idonea est. Et sanè cum polenta illita iuuat erysipelata, & abstergit non modò epota, sed & foris imposita. Proinde vitiligines & lepras sanat cum aceto. Ac radicis quidem hæc opera sunt, & operum facultates, quas diximus. At folia ipsius herbæ radice quidem sunt imbecilliora, non tamen aliena sunt à resiccatione, & adstrictione: itaque etiam profluuium sanant pota cum vino. At Onochili & Alcibiadij cognominatæ vis magis est medicata. Nam & gustu protinus maiorem habet acrimoniam, & eos qui à viperis morsi sunt, admodùm iuuat, tum illita, tum suspensa, tum esa. Reliqua verò quæ parua est, & ferè nomine caret, ferè ex illis sola Alcibiadio quidem persimilis est, verùm & amarior, & magis medicamentosa, ac proinde ad latos lumbricos idonea, oxybaphi mensura, cum hyssopo, & nasturtio pota.

Cornar. Embl. 21. lib. 4.

Lib. 13. ca. 1.

Ibidem.

Li. 22. c. 20.

Ibidem.

Li. 22. c. 20.

Li. 6. simpl.

LYCOPSIS, CAP. IIII.

Nomina Li.6.simpl. Li.4.ca.24. EST Lycopſis Galeno anchuſæ quarta ſpecies. Hanc etiam anchuſam vocari teſtatur Dioſcorides. Dicta autem eſt Lycopſis ob radicis fuſcum ex purpureo colorem, quaſi fuſcedo, ſeu obſcuritas quædam, qualis eſt ſummi diluculi, & primæ lucis, quæ ortum ſolis præcedit, vel veſpertini crepuſculi, vulgo noſtro, ***Entre chien & loup***, nominata: Græcis λυκόφως à lupo, cuius color cinereus eſt, nigrorem præferens, ſed non intenſiorem: niſi ſi quis ab hiſpida caulis, foliorum, & florum, impexaq́; hirſutie, pedem lupinum re-

Lib.3.c.89. ferente, herbam Lycopſin nuncupatam fuiſſe malit. Multi, inquit Ruellius, Lycopſin hanc eſſe putant, nec abs re, quam vulgus herbariorum appellat Linguam ca-

Ca.24.li.4. Li.4.ca.24. nis, Horum ſententiam refellit Matthiolus, quòd Lycopſis, vt deſcribit Dioſcorides, folia habeat lactucæ ſimilia, longiora, aſperiora, craſſa & latiora, circa radicis

Forma. caput prolapſa, caulem longum, rectum, aſperum, propagines multas emittentem, cubitales, aſperas, & in iis flores paruos, purpuraſcentes, radicem rubram, Linguæ canis autem radix candida ſit, non rubra: folia læuia, non aſpera, ſurſum ſpectantia, non ad terram recidentia, caule molli, non ſcabro. Sed aliam genuinã, videlicet Dioſcoridis Lycopſin ipſe, nec depinxit, nec deſcripſit, ait duntaxat ſe credere Lycopſin herbam eſſe anchuſæ non abſimilem, quam ideò non temerè Galenus & Aetius eum ſecutus in anchuſarum genera retulerunt, ſeq́; Lycopſin legitimam vidiſſe ſæpiùs in campeſtribus, ſitientibus, aridiſq́; locis enatam, anchuſæ adeò ſimilem, vt vix ab ea diſcerni poſsit. Lonicerus Lycopſin aliam hîc depictam ſilueſtris videlicet buglosſi ſpeciem deſcripſit. Naſcitur, inquit, in campeſtribus: caulibus longis, hirſutis: floribus purpureis: foliis lactucæ, longioribus, aſperioribuſq́;, circa radicem recidentibus, adnatis in ſummo multis. Denique echio ſimilis eſt, niſi quòd omnia minora habet. Periti herbarij longè aliam Lycopſin oſtendunt, eam ſcilicet herbam, quam

LYCOPSIS Loniceri.



Pet.Pen.in Ad. Matthiolus verum Cynogloſſum eſſe cenſet, vt fuſiùs alio in loco diximus. Radix Lycopſi-

Lib.de pl. quę in vmbroſ. &c. cap.27. dis adſtringit, inquit Dioſcorides, cum oleo impoſita vulnera ſanat: cum polenta verò eryſipelata. At ſi cum oleo trita illinatur,

Li.27.ca.11. ſudores mouet. Plinius, Lycopſis, inquit, longioribus quàm lactuca eſt foliis, craſſioribuſq́;, caule longo, hirſuto, adnatis multis, cubitalibus: flore paruo, purpureo. Naſcitur in campeſtribus. Illinitur cum farina hordeacea igni ſacro: ſudorem in fe-

Li.6.ſimpl. bribus mouet, ſucco aquæ calidæ admixto. Hæc Plinius ferè ex Dioſcoridis ſententia. Galenus verò, Lycopſis, inquit, refrigerat & deſiccat, magíſque quàm onoclea adſtringit.

ECHIVM, CAP. V.

Nomina EXION, ἀλκιβιάδιον, & ἀλκίβιον Græcis, Apuleio θηλεόρριζον, & ἐχίδνιον, Latinis Echium, Alcibiadium, & Alcibion, Serpentaria, & Viperina. Vulgus herbariorũ ſilueſtre Bugloſſum vocat, quod ſequentes Germani *Vuildochſenzungen* appellant, Galli ***Borrache ſauuage***, *l'herbe aux viperes*,

viperes, l'herbe aux serpens. Dictum est Echium teste Dioscoride, quòd semina habeat
viperino capiti similia, quo indicio sagacissima natura homines commonefacere
ret herbam hanc aduersus viperarum & cæterarum venenatarum bestiarum mor
sus salutarem esse. Alcibiadion autem siue Alcibium ab inuentore Alcibio, vt scri- In Theria.
bit Nicander. Is enim cùm dormiens in extremo inguine à vipera ictus esset, ex-
citatus à somno succum huius herbæ commanducando, palato & dentibus expres-
sit, hausitque in corpus, mansæ verò herbæ reliquum vulneri imposuit contra
dolorem: quo medicamento sanus euasit. Sed quum Dioscorides Echium vocari
Alcibiadion scripserit, Nicander etiam Alcibium, mirum est Plinium dixisse Al- Lib.17.c.5.
cibiadium, qualis esset herba apud auctores non reperi. Sed radicem eius & folia
trita ad serpentis morsus imponi & bibi iubent, &c. Echij vnius duntaxat memi-
nit Dioscorides, Plinius duorum eius generum his verbis. Echios vtriusque gene- Lib.4.c.25.
ris Pulegio similis, foliis coronata, drachmis duabus ex vini cyathis quatuor datur. Li. 25. c.9.
Item altera, quæ lanugine distinguitur spinosa, cui & capitula viperæ similia sunt: *Genera.*
hæc ex vino & aceto. Hæc Plinius Nicandrum fortasse imitatus, qui Echium
vnum facit spinoso folio, simili Anchusæ, parua & modicè in terram descen- In Theria.
dente radice. Alterum foliis & semine viride, & alterum, modico circum flosculo,
lo, purpurea specie: cui semen est viperæ forma, durúmque supernè caput. Quo
loco Nicandri Scholiastes Numenium citat, qui in Theriaco duo etiam Echij
genera fecerit: vnum minus, Ocimoides nomine, quòd folia ei sint Ocimo simi-
lia. Sunt etiam herbarij qui Echij plura statuũt
genera, vt dicemus. Echium Dioscoridis folia Li.4.c.25.
habet oblonga, aspera, aliquantum tenuia, *Forma.*
Anchusæ proxima, minora tamen, subrubra &
pinguia, spinulas tenues incumbentes, quæ
etiam folia exasperant: cauliculos tenues, multos,
& ab his vtrinque foliola minuta, expassa,
nigra, in summo caule proportione minora:
flores iuxta folia purpureos, in quibus semina
capiti viperarum similia insunt. Radix digito
tenuior est, & subnigra. Hæc herba Plinij Pseu- Li.22.c.20
danchusa videtur esse. Sic enim is de ea scribit.
Est & alia similis (Anchusæ) Pseudanchusa ob
id appellata, à quibusdam verò Anchusa, aut
Doris, & multis aliis nominibus, lanuginosior,
& minùs pinguis, tenuioribus foliis & langui-
dioribus, &c. Echium hîc ex Matthiolo depi-
ctum vbique ferè prouenit, in aridis præsertim *Locus.*
& asperis locis, secundæ Dioscoridis Anchusæ
non absimile. Flores profert in rubrum purpu-
rascentes inter minuta folia, ab medio caule ad
summum, è quibus semen prodit nigrum, hir-
sutis, spinosisque inuolucris inclusum, vipera-
rum capitibus simile. Lonicerus vulgare Bu-

ECHIVM Matthioli.



glossum, quo officinæ vtuntur, Echium Dioscoridis esse putat, describitque his Tomus 2.
verbis. Folia circa terram enascuntur, oblonga, tenuia, asperáque, cuiusmodi cap.73.
etiam in Anchusa conspiciuntur, aliquanto tamen minora, & crassa: caules vtrin-
que à terra foliis tenuibus, pennatis, linguæ similitudine in acutum exeuntibus,
versus caulis summitatem minoribus sunt vestiti. Flores habet purpureos, stella-
tos, qui in cæruleos tandem mutantur. Semen flore decidente inuenitur rugosum
& longius

ECHIVM Leonic.



ECHIVM Fuchſij.



ECHIVM montanum Dalechampij.



Cap.102.

Locus.

& longiuſculum, cuiuſmodi in ſymphyto, ſed maius forma caput ſerpentis referens, guſtu dulce. Porrò alias duas Echij ſpecies idem addit, quibus forma ferè ſimilis eſt, ac folia Echij ſuperioris ſimilitudinem referunt, in altero tamen minus hirſuta: flore cæruleo, quas Echij ſilueſtris nomine appellat. Id cuius folia ſunt magis hirſuta, Echium eſt à Fuchſio deſcriptum, & depictum. Hîc quoque depictam plantam herbarij Echium montanũ vocant, alij Alopecurum montanum. In montium vdis receſsibus gignitur, radice craſſa, ſenſim graciléſcente, nonnihil ſurculoſa: caule ſingulari, terete, rubro, tenero, pedali: foliis Echij, ſed non ita aſperis, hinc inde è caule prodeuntibus, & eum circumueſtientibus, in vertice denſius confertis ac ſtipatis caudæ inſtar: flore pallido, oblongo, vaſculi inſtar, in caulis cacumine è mediis foliis ſeſe proferente, tenuibus filis geminis præpilato. Rara quidem certè & aſpectu pulcherrima hæc eſt planta.

Vires. Lib.4.c.25. Echij radix, auctore Dioſcoride, non modò morſis à ſerpentibus cum vino pota auxiliatur, ſed etiam eos qui præbiberunt conſeruat ne feriantur. Idem præſtant folia & ſemen. Sedat dolores lumborum, & cum vino aut ſorbitione ſumpta lac attrahit. Hæc Dioſcorides. Ex quibus colligere licet Echium calidum eſſe, citra tamen inſignem ſiccitatem, quod lactis procreatricem facultatem habeat. Lib.5.ſim. cap.20. Medicamenta enim Galeno auctore, quia pituitoſos humores calfacientia in ſangui

in ſanguinem vertunt, lac gignere ſolent. Galenus in libris ſimpl. medicamentorũ Echij nõ meminit, ſed Paulus ex Dioſcoride his verbis. Echium ſpinoſa herba eſt, quæ non modò à ſerpente demorſis cum vino pota auxiliatur, ſed præſumentes quoque percuti non patitur. Plinius Pſeudanchuſæ, quam Echium Dioſcoridis videri diximus, eaſdem ferè vires tribuit. Radix, inquit, oleum nõ fundit, ſed rubentem ſuccum, (Cornarius ex vetere codice emendat, Radix in oleum non fundit rubentem ſuccum: cuius contrarium paulò antè de vera anchuſa dixit, ſanguineum ſcilicet fundere ſuccum, & oleo diſſolui, aqua verò non poſſe liquari. Quidam legunt: Radix illius non fundit rubẽtem ſuccum, &c.) Et hoc ab anchuſa diſcernitur. Contra ſerpẽtes efficaciſsima, potu foliorum, vel ſeminis. Folia ictibus imponuntur: virus ſerpentium fugat. Bibitur & propter ſpinam. Cornarius ex veteri codice legit, Virus ſerpentes fugat: quòd de odore eius dum ſuffitur, intelligit. Quod verò dicit, Bibitur & propter ſpinam, videtur id eſſe quod Dioſcorides ait, Παύει καὶ ὀσφύος ἄλγημα. Sedat & lumborum dolorem.

Lib.7. Embl.23. lib.4. Ibidem.

ONOSMA, CAP. VI.

ONOSMA Græcis Latiniſq; dicitur, & Galeno teſte Oſmas, vel Phlomitis, vel Ononis. Folia habet, inquit Dioſcorides, ſimilia anchuſæ foliis, longitudine quatuor digitorum, latitudine vnius, per terram inſtrata, ſimillimo anchuſæ modo. Eſt autem ſine caule, ſine flore, ſine ſemine. Radix ſubeſt oblonga, infirma, tenuis, modicè rubra. Naſcitur in aſperis locis. Eadem ferè Plinius habet. Onoſma longa folia habet ferè ad tres digitos, in terra iacentia, tria, ad ſimilitudinẽ anchuſæ inciſa, ſine caule, ſine ſemine, ſine flore. Ex qua delineatione nullus eſt rei herbariæ peritus qui nõ coniiciat Onoſma in anchuſis habẽdum eſſe, & Lycopſidi, cognatum, quemadmodum & pictura ipſa demonſtrat. Folia eius, inquit Dioſcorides, in vino pota fœtus extrahunt: prægnans ſi ſupergrediatur abortum illi facere dicitur. Eadẽ Plinius tradit. Prægnans ſi edat eam aut ſupergrediatur, abortum facere dicitur. Conſtat enim, vt ſcribit Galenus, ex acri & amara ſubſtantia: quare creditur fœtus necare, & eiicere, foliis eius in vino potis.

ONOSMA, Matthioli.



Nomina. Li.8. ſimpl. Lib.3.c.130. *Forma.* *Locus.* Li.27.ca.12. onosma d[icitu]r forte a verbo greco ονισκω immo quia tota planta fit multi iuvamenti *Vires.* Ibidem. Li.26.ca.12. Li.8. ſimpl.

SCABIOSA MONTANA, CAP. VII.

NOMEN Scabioſæ de multis plantis dici ſciunt herbarij, vt & de iis quæ hîc depinguntur, vt de ea quam montanam & capitatam cognominant. In terrenis collibus alpinis prouenit, radice craſſa, nigra, valde fibrata, ſic ſe craſsiori aduoluentibus radiculis aliis, vt in mali figuram quandoque rotundentur: foliis centaurij minoris aut erucæ, craſsis, aſperis, laciniatis, caule cubitali, interdum proceriore: capitulis cyano aut centaurio magno ſimilibus, ſquamoſis: flore puniceo purpuraſcente: ſemine oblongo, papporum molli lanugine obuoluto. Scabioſam aliam maiorem vulgarem pinxit Lobellius, Pena deſcripſit verbenæ Dioſcoridis ſimilem, ſed latioribus foliis, pullis, hirſutis, in terram procumbentibus, & altioribus inciſuris, nec tam Verbenam quã maiorẽ Valerianam exprimentibus. Radix ſimplex, longior caulem ſæpiùs ſingularem,

Nomen. *Locus.* *Forma.*

SCABIOSA Montana, Dalechampij.



cubitum & ſeſquicubitum altum fundit, & florum comam villoſam Cyani purpurã imitantem. In ſegetibus, planis & decliuibus lætior degit. Item aliam oſtendit Lobellius Montanam calidarum regionum, quam Pena tradit, folio eſſe anguſtiore, albidiore, parùm hirſuto, leuiúſque lacinato, ad imum caulem Verbenacæ aut vulgaris Scabioſæ: ſuperioribus verò foliis in ramulis multis, gracilioribus, & altiùs diuiſis: floribus per Iunium & Iulium albis, Scabioſæ paruæ, aut Iaceæ, è capitulis ſquamatim compactis, vbi ſemen Trifolij Aſphaltitidis, pullum, copioſum, inuolucris membraneis arguta concinnitate effictis, anguſtiis plicarum fornicum puſillorũ cohibentibus. Colles amat plagæ temperatioris, vt Pedemontis propè Riuolium, & Narbonæ, vbi Montanam vocant Herbarij. Prætereà Lobellius Scabioſam mediã depictam dedit, quæ, Pena auctore, in marginibus agrorum Septentrionalium lætior multò & maior adoleſcit, quàm in calidis. Caulis è radice exiliore, ſimpliciore, cubitalis, in alas diuiſus: folia Iberidis aut Criſtæ galli, anguſta, aliquantum ſerrata: flores Globulariæ aut Scabioſæ. Non omittẽda hîc pictura à Lobellio poſita Scabioſæ raræ & peregrinæ elegantiæ, quæ hactenus incognita non niſi in hortis quibuſdam Belgicis ſpectatur, facie & virgultis Valerianæ rubræ, ſed floribus & ſemine Scabioſæ Hiſpanicæ. His adiecit Pena Scabioſam omnium mi-

Scabioſa peregrina, Lobellij.

Pena in Aduerſ.

Scabiosa quibusd. d.r a scabio herba habita lijs. quod scabiei medeat.

SCABIOSA Peregrina, Lobellij.



SCABIOSA Maior vulgaris, Penæ, & Lobellij.



nimam

SCABIOSA Montana, omnium minima, Penæ.



nimam, quæ in montibus cretaceis & incultis prouenit, cauliculos habens paucos, sesquipalmum pedémve altos, foliis in imo sæpiùs donatos, angustioribus, floribus dilutæ purpuræ è squamosis capitulis. Alias plantas hîc adscribemus, quas Clusius ad Scabiosas seu Iaceas referendas putat: quarum primam & secundam Salmanticensis Stœbes nomine donarunt. Prima Iaceæ nigræ similis folia per terram expansa habet, Scabiosæ, Iaceæq; folii latiora, ad cichorij folia accedentia, mollia, lanuginosa, & interdum candicantia: aliquot ex eadem radice caules, cubitales aut ampliores, multis alis brachiatos, quibus inhærent minora minusq; dissecta, & mucrone quodammodo spinoso, spinosa folia: flores in summis ramis villosos, purpureos, è calicibus squammosis, semen subrufum, cẽtaurij maioris æmulũ, sed minus. Radix est longa, candida, digiti interdũ crassitudine. Huius generis aliam inueniri tradit omnibus foliis mollibus & lanuginosis, & erucæ modo laciniatis, caule infirmo, ramoso, & in terram procumbente, cuius flores superioribus maiores, barbulis exterioribus cyani æmulis, sed purpureis, villi quibusdã luteis intermixtis, medium florem occupantibus: semen superiori simile, vel cyano: radix digitalis, candida. Secunda numerosa promit folia, secundùm radicem, humi sparsa, incana, oblonga, magnis & profundis incisuris, vt in nõnullis Scabiosarũ generibus

Lib. 2. stirp. Hisp. ca. 38.

SCABIOSA, Seu Stœbe Salmantica prior, Clus.



STOEBE Salmantica altera, Clusij.



ΣΤΕΙΒω apud Græcos est calco, et condenso. ΣΤΕΙΒος, ad stratu[m] vametus, è frondibus et alijs herbis quas alcam et stipatu[m]. hinc ΣΤΟΙΒ herba qua in stibadijs extruendis utebant[ur].

SCABIOSA Hiſpanica, Cluſij maior.



aut erucæ: caules plerumq; cubitales, locis autẽ frigidioribus & humidioribus bicubitales, aut maiores, in frequentes ramos diuiſos, folia per ramos ſparſa, altè quidem inciſa, vti ea quæ ad radicem naſcuntur, ſed minora multò & breuiora, & in molles quoſdam aculeos deſinentia: ramorũ faſtigio inſident caliculi argenteis veluti ſquamis cõpacti, vnde flos exilit cyani forma, ſed purpuræ dilutioris, & medio villoſus: ſemen lanugine quadam includitur vt in Iacearũ generibus, exiguum, nigricans, ſummo capite villoſum: radix ſingularis, craſſa, & nonnũquam fibrata. Alia autem in hortis Belgicis alitur ſemine è Gallia miſſo, huic adeò ſimilis, vt ab ea, niſi à peritioribus vix dignoſci poſsit: etenim ſolis caliculis, qui tam eleganti argenteo colore non ſplendent, ſecernitur. Naſcuntur omnes præter poſtremam, Salmanticẽſi agro frequentes in aruorũ & vinetorũ marginibus. Poſtrema tum in Gallia, tum in Viennenſi agro copioſè. Florent omnes Iunio, Iulio, Auguſto: deinde ſemen proferunt. Salmanticenſes, vt diximus, priorem & alteram Stœbes nomine appellabãt, ꝙ extrema folia vtcumq; acuminata ſint: ſed & alterã prioris generis ad cyanos referebãt, altera etiã pro Scabioſa vtebãtur. His addit Cluſius Scabioſam Hiſpanicã, quæ vulgaris Scabioſæ folia ſimilia habet, laciniata, & altè inciſa, mollia, lanuginoſaq;: caules rotundos, nodoſos interdum cubitales, è quorum geniculis folia bina

SCABIOSA Montana calidarum regionum, Lobell. & Pen.



SCABIOSA Media, Lobellij.



inter

inter se opposita: summis ramis capitula insidēt ex multis caliculis membraneis & paleaceis cōposita, qui singulos flores continēt candicātes, quibus deciduis, in medio quasi singulorū caliculorū vmbilico, exigua quædā stella subnigra cōspicitur, quatuor, quinq;, aut sex radiolis constans: paulatim verò hi caliculi excrescentes expāduntur, donec semen hirsutū & crassum (quo caliculi sustinētur) maturescere incipiat: radix cādida, crassa, vulgari similis. Alia inuenitur, inquit Clusius, huic persimilis, & sola magnitudine distās: est enim per omnia minor, foliisq; tenuiùs incisis: caliculi & flores minores, & ex cæruleo colore purpurascentes. Crescit vtraq; iuxta vinearū margines & semitas, locisq; incultis agro Salmanticensi & per reliquā Hispaniam. Florent mense Iunio. Amaræ sunt, ideoq; caloris & siccitatis participes.

SAXIFRAGA, CAP. VIII.

MVltis plantis Herbarij Saxifragæ, Officinis Saxifragiæ dictæ, nomen imposuerunt, à mirifica in comminuendis frangendisq; calculis vi & efficacia. In quibus quædam sunt veteribus Græcis, Latinisq; fortassis incognitæ. Sed de Dioscoridis Saxifraga primùm tractabimus. Saxiphagō, inquit, aliqui Sarxiphagō, vel, vt in vulgatis Græcis legitur, Sarxiphragon, aliqui Sarxiphrangon, alij Empetrum, Romani Saxifragam vocant, frutex est surculosus, in petris & asperis locis nascens, epithymo similis. Coctus in vino mox potus febricitantibus opitulatur: stranguriæ prodest, singultum sedat, calculos vesicæ frangit, & vrinam ciet. Huic tum facie, tum viribus tam aptè cōuenit, quæ hîc ex Matthiolo appicta est, vt genuinā esse nemo nunc dubitet. Nam in aridis, montosis, saxosis, sterilibus & sabulosis Italiæ, Delphinatus, Galliæ, Angliç locis, vbi Polium montanū & Thymum, prouenit: ramulis in summo sparsis, pedē altis, multis, crebris, exilibus, serpilli, in imo cōtortis vnà & implicatis, geniculatis, in quibus foliola bina ex geniculis, in summo lōgiora & angustiora, Tunicæ: in singulis singuli flosculi, oblongi, quadātenus Tunicæ, summa ora fimbriati, vel apiculis tenuibus crenati, vbi semen subrubrum, rotundū, exiguum. Radix est parua, non multis fibris huc illuc sparsis capillata, albicans. Huic magna est cum epithymo similitudo: Matthiolus tamen non τῷ ἐπιθυμῷ, sed τῷ θυμῷ in quibusdam codicibus legi ait: quam lectionem magis probat, & Saxifragam thymo adeò similem esse scribit, vt nisi gustata ab eo discerni possit. In quibusdam codicibus neutrū legitur. Sed nec totum caput Dioscoridis esse multi putant, idq; inter notha reiecerunt. Aliis non videtur esse adscititium, cùm in omnibus ferè exemplaribus Græcis habeatur. Eandem Saxifragam copiosam nasci, ait Pena, Iulio & Augusto, in accliui, cretaceo, & arido monte inter Chipnam & Malburgū Angliæ, Bristoliensi à Londino via, sed variare floribus, qui longè sunt minores, albidi, non secus ac tota planta. Aliud Saxifragæ genus tradit Matthiolus, quod folia in caulibus per interualla habet, parua, longiuscula, vtrinque singula, comitātibus aliis longè minoribus, multis simul ex eadem origine prodeuntibus, quæ in cacumine numerosiora sunt, & breuioribus interuallis distincta. Flores promit in summis caulibus purpureos, odoris nō iniucūdi. Pręter has duas Saxifragas, alia tria ge-

SAXIFRAGA Vera, Diosc.



Nomina

Forma

Pet. Pen. in Ad.

SAXIFRAGA *Anglica, Pen.*



nera Matth pinxit, quæ ad frangẽdos educendosq; renũ calculos plurimũ valet. Primũ illud est quod in prima Latinorũ Commẽtariorum editione Dioscoridis Saxifragã esse suspicabatur. Nascitur inter magnos ac durissimos lapides, aut sicco & admodùm extenuato solo, foliis capillaceis fœniculi modo, sed longioribus, tenuioribus, rarioribus: caule similiter fœniculaceo, tenui, vmbella in summitate: semine vulgaris petroselini, sed longiusculo, odorato: radice albicante, pastinacæ sapore. Tota planta, subacris & subdulcis. Secundum genus est Saxifraga alba seu maior, de qua paulò pòst ex Fuchsio & Dodonæo dicemus. Tertium genus, tum à forma, tum ab affectu Saxifragam maiorem appellat à Colzolario pharmacopœo missam. In monte Baldo nascitur, ex viuo ac durissimo lapide exiliens. Frutex est surculosus caule lignoso, contorto, digiti crassitudine, duris, densis, ac rimosis surculis stipato, subalbicante exteriore libro. Folia habet parua, oblonga, in acutũ desinentia: flosculos albos, & caliculos pallidos, ocimoidis modo, crenatis oris, in coronæ modum, admodũ pusillos, in quibus semen rubrum, papauere minus. Radix altiùs petris inhæret, vt auelli nequeat. Miris laudibus plantã hanc cõmendabat Calzolarius ad calculos è renibus educendos. Saxifragia verò maior seu alba, cuius paulò antè meminimus, à floribus albis, quibusdã Chelidonioides dicta, Gallicè *Romptpierre*, vel *Saxifrage blanche*, Germanicè *Habenstein brech*. Folia fert è petiolis pilosis, rotunda, plurima, humi iacentia, in extremitatibus

SAXIFRAGIA *Altera, Matth.*




SAXIFRAGIA *III. Matth.*



incisa,

SAXIFRAGIA Magna, Matthioli.



SAXIFRAGA Alba, Fuch. seu Saxifragia quarta, Matth.



incisa,ac veluti cristata,mollia,asarinæ aut hederę terrestris,minora tamẽ, & magis
ex luteo virentia : caules rotundos,villosos,pedales, & sesquipedales in summitate Formæ.
flores albicantes, nasturtij colore & effigie, aut erucæ : radicem nigricantem, fi- Fuch.c.285. Pena in Adu.

SAXIFRAGA Aurea, Dodonæi.



bris multis stipatã,ex quibus pendent quasi granu la quædam qualia chelidonij minoris, aut semini coriandri paria,vel paulò maiora, fusca & obscura purpurea,acria, amara, à vulgo semina huius herbæ falsò credita,quorũ in medicina vsus est. Montibus aridis, saxosisq; locis & arenosis prouenit. *Locus.* Maio mense floret, deinde statim euanescit. *Tempus.* Huc inserenda est Saxifraga Alpina, sic dicta quòd foliis Saxifragiam albam imitetur, & in Alpium excelsis,niuosis,opacis mõtibus,sub fagis, abietibus, piceis in putri & vliginoso solo nascatur, nec vsquàm alibi. *Temper.* Crescit ad palmi altitudinem,radice breui, in tenuissimas fibras diuisa, subnigra:foliis circa radicem tribus aut quatuor,rotũdis per ambitũ incisis,venosis,longo pediculo subuectis, gustus amari : caule tereti, in ramulos aliquot diuiso, & aliquot folia proferente:flore paruulo,quinque foliolis constante,colore è luteo pallescẽte,& propemodũ herbaceo : semine paruo, rotundo,duro. Temporaria est herbaad primũ veris tepore:Aprili mense exoritur, statímque interit. Albæ Saxifragię flores,folia, & præsertim radix,cùm gustanti amara sint, calidã & siccam esse ordine tertio verisimile est. Radicis cum granulis decoctum ex vino,potu vrinam mouet, calculos frangit,& conterit. Stranguriæ itaq; confert: abstergit enim expurgatq;, & quæ in venis est crassitiẽ,sicut omnia alia quæ amara sunt, incidit, mẽses quoq; cit, crassaq; *Vires.*

Dod.lib.2. cap.89. Pena in Adu.

SAXIFRAGA, Alpina.



ac glutinosa ex thorace educit. Huius videtur species saxifraga aurea à floribus aureis, Gallicè *Romptpierre Dorée*, Germanicè *Golden Steinbrech*, herbula palmaris, & sesquipalmaris, perquã similis foliis: sunt enim similiter rotunda, crassiuscula, nigriora: radix tenella, humi repens, multùm fibrata, hinc inde multos cauliculos emittẽs, in quorum summitate, bina ternáve sunt foliola cõiuncta, è quorum medio flosculi emicant aurei, deinde capitula sponte hiantia: cùm matura sunt, semina exigua, rubentia, rotunda, sapore herbaceo, insipido, frigido, & eiusdẽ prorsus tum figurę tum naturæ cum hepatica aquatica, cum qua, aut cũ lichene locis saxeis & parietinis humentibus prouenit, vnde eius vsum non alium putarũt periti herbarij, quàm hepaticæ aut lichenis. Eandẽ Saxifragiam Lichenis facie & natalibus Lobellius pinxit, Erysimi speciem Aldrouandi. Illi cõiungenda ob virium affinitatẽ quę Saxifragia Romanorũ, vulgò Herba contra grauellam, Gallis *L'herbe cõtre la grauelle* nuncupatur, meritò Lithontribos dicenda ab insigni calculi frangendi potestate. Nascitur Romæ ac vicinis in lo-

Locus. cis ferè in maceriis, ac veterũ ædificiorũ ruinis, altitudine cubitali, radice lõgiuscu-

Vires. la, digiti crassitudine, fibrata: foliis multis, circa radicẽ humi iacẽtibus, figura sonchi, sapore acri, caulibus multis, in quibus folia supradictis minora, atriplici marinę similia, subobscurè virẽtia: flores pusilli, copiosi, è ramulorũ pediculis prodeuntes, ex albo herbacei: semen rufum, minutissimum in siliquis gracilibus & longis, feruidi gustus, quod drachmæ pondere sumptum ex decocto radicis graminis, calculum efficacissimè exterit ac expellit.

SAXIFRAGA Romanorũ, Lob.



SAXIFRAGA Aurea, Lob.



GNAPHALIVM, CAP. IX.

MVLTAS plantas gnaphalia herbarij nuncuparunt, quòd molli lanugine seu lana vel tomento essent obuolutæ. Est enim Græcis γνάφειν vellere, carperéve lanas, aut pannum, seu vellicando & deradendo expolire, vnde γνάφαλον, tomentum quod culcitris infarcitur, & quorũ natura mollis, candida, & omninò lanea est, γναφαλώδη appellãtur, cuiusmodi sunt dictãni folia, quæ Dioscorides γναφαλώδη vocat, id est, tomentosa seu tomentitia, tomento quodam pubescentia, siue mollia tomenti modo. Gnaphalium igitur herba dicta, quòd foliis eius mollibus & candidis pro tomento vterentur, auctoribus Dioscoride & Galeno, à Latinis Centunculus & Centũcularis herba, quòd centonibus cum tomento maxima sit cognatio, & Tomentaria seu Tomentitia. Aliquot gnaphalia iam exposuimus in maritimis plantis, de aliis hîc dicemus, ac primùm de vulgari, quod filago nominatur, Gallis *Herbe à cotton*, Germanis *Rhurkraut*, ab eius facultate aduersus dysenteriã.

Nomina. — Lib. 3. c. 31. — Lib. 3. c. 115. — Lib. 6. sim.

GNAPHALIVM vulgare, Fuch.



Filago multos profert cauliculos ex vna radice, rotundos, graciles, cinericios, lanugine seu molli lana tectos, rectos, sæpiùs sine surculis, in quibus folia crebra, longiuscula, angusta, mollia, villosa, stœchadis citrinæ foliis similia, nisi quòd longiora sunt, latiora, & paulò viridiora. Flores glomeratim oriuntur in summis surculis, cauliculísve, non tam lutei quàm stœchadis citrinæ, sed sublutei & pallentes. Duûm videtur esse generum, inquit Fuchsius. Vnum enim paulò latioribus ac candidioribus foliis constat, alterum tenuioribus, & minùs candidis. Illud flores fert partim mediis surculorum diuaricationibus, partim extremis surculis: hoc in cacumine tantùm. Dodonæus tria eiusdem genera facit, primum genus Impiam herbam esse Plinij censet, sic dictam quoniam liberi super parẽtes excellant, id est, postremò geniti flores priùs genitos superant. In eadem sententia est Matthiolus. Tragus amaranthi lutei, seu Tineatiæ, seu Eliochrysi Theophrasti syluestre genus facit. Alij filaginem ad stœchadem citrinam potiùs referendam censent. Aridis & sterilibus locis potissimùm prouenit. Iunio & Iulio mensibus floret. Adstringit & exsiccat Gnaphalium. Bibuntur, auctore Dioscoride, efficaciter eius folia in vino austero ad dysenteriam. Et Galenus, Gnaphalij folia, inquit, modicè adstringunt, ac proinde quidam exhibent ex austerorum vinorum quopiam ad dysenterias. Item Plinius. Datur in vino austero ad dysenteriam

Dodo. lib. 1 cap. 60. Pena in Ad. — Cap. 81. *Genera.* — Ibid. Lib. 24. c. 19 — In cap. 115. lib. 3. Lib. 1. c. 109 — Pena in Adu. — *Locus.* *Tempus.* *Temper.* — *Vires.* — Lib. 6. sim. — Lib. 27. c. 10

GNAPHALIVM, Matth.



ventris

GNAPHALIVM
Montanum, Dalech.



Locus.

Forma.

ventris solutiones, mensésque mulierum sistit. Infunditur autem tenesmo. Illinitur & putrescentibus vlcerum. Similiter Filago dysentericis, & profluuiis immoderatis non parùm vtilis est. His Gnaphalij generibus cognatum est, quod Montanum vocant docti herbarij, quia in excelsorum & frigidorum montium summis verticibus prouenit, radice subnigra, breui, fibrata, multísq; villis tenuibus & prolixis capillata, foliis propè radicem densiùs congestis, in caule paucis, oblongis, albis, tomento lanuginosis: caule dodrantali, rotundo: flore in summo eius vertice nunc luteo, nunc ex albo rubescente, in orbem vmbellæ instar conformato. Quidam pilosellæ genus esse volunt. A' superioribus Gnaphaliis hæc discrepat floris colore, qualem diximus, in illis luteo: folio latiore, in illis angusto: & quod humilis sit, cauléque singulari, nec surculoso: illæ verò proceriores, fruticosæ, cauléque in surculos supernè diuiso. Tragus aliud Dioscoridis Gnaphalium esse censet, videlicet Linum pratense, & Lanam pratensem herbariis dictam, Germanis *Matthenfleichs*. Est autem iuncei graminis genus, de quo inter palustres diximus. Iuncum bombycinum alij vocant.

Lib. 2. c. 40.

Cap. 22. Pet. Pe. in Ad.

SONCHVS LANATVS, CAP. X.



Nomina

Locus.

Forma

TOMENTITIIS coniungi debet Sonchus lanatus, sic dictus à candore, & mollitie ad tactum manus suaui, in tota planta, præsertim in capitulis florem promētibus. Gignitur in saxosis & apricis, radice dimidio pede longiore, candida, fibrata, foliis sonchi, rugosis, laciniatis, sed magnis ex interuallis, multis, costa candida supernè diuisis, per totum caulem nascentibus, lanugine pubescentibus, ad quorum radices cauliculi exoriuntur, caule est cubitali, anguloso, in ramulos supernè diuaricato, in quorum verticibus capitula eminent, suaui tomento villosa, Soncho similia, quæ in aureum florem explicantur. Tota planta lacteo succo turget cichoriωdum more, gustúque amaro prædita est, sed minùs quàm reliqua cichoriωde, quorum & facultatem obtinet, licet imbecilliorem. Quidam hanc Mollugінem ob causam supradictam appellant, quamuis à Plinij Mollugine diuersa sit. Floret Iunio mense.

SIDE

SIDERITIS, CAP. XI.

ΣΙΔΗΡΙ΄ΤΙΣ Græcis, Latinis quoque Sideritis, sic dicitur à ferro, quasi ferruminatrix, quòd vulneribus ferro factis perutilis sit, vel quoniam glutinandis vulneribus apta, præcipuum in bello habeat vsum, quod sæpe ab eo metallo in Græcis scriptoribus indicatur. Sed cùm permultæ sint plantæ, diuersi etiam generis, eæq; insignes, quæ ferro sauciatis partibus, vel vulneribus in bello acceptis opem polliceantur, ac ob id Sideritides, & Stratiotides, id est, militares, meritò nuncupandæ, de omnibus hîc minimè dicendum. Satis enim benè studiosis consultum fore putamus, si eæ, quæ à Dioscoride descriptæ sunt, & paucæ quædam aliæ illis possint innotescere. Is tria facit sideritidis genera. Prima est Sideritis heraclea, siue ferruminatrix herculea, fortassè à viribus efficacissimis, & planè herculeis, quæ folia marrubio similia habet, inquit, sed oblongiora, ad saluiæ aut quercus folia accedentia, minora tamen & aspera: caules edit quadrangulos, palmares, aut etiam maiores, gustu non insuaues, & quodammodo subabstringentes, in quibus per interualla verticilli rotundi velut in marrubio, & in ipsis semen nigrum. Nascitur in petrosis locis. Altera Sideritis ramos habet bicubitales, tenues, folia in pediculis longis similia foliis filicis, multa, vtrinq; in summo fissa, ex superioribus alis propagines longas, tenues, in summo globi speciem referentes, capitulum habentes asperum, in quibus semen betæ semini simile, sed rotundius & durius. Sideritis tertia, quam Crateuas etiam heracleam vocat, nascentem in parietinis & vinetis, folia habet multa ab vna radice, coriandro similia, circum cauliculos palmares, læues, teneros, subcandidos: flores puniceos, paruos, gustanti amaros, lentos. Plinius de achillea, quę etiam sideritis nominatur, agens, mox ob cognationem de Sideritidis generibus subiungit hæc verba. Aliqui & hanc (Achilleā subaud.) Panacen heracleam, alij Sideritim, & apud nos Millefolium vocant, cubitali scapo, ramosam, minutioribus quàm fœniculi foliis vestitam ab imo. Alij fatentur quidem illam vulneribus vtilem, sed veram achilleam esse scapo cæruleo, pedali, sine ramis, ex omni parte singulis foliis rotundis elegāter vestitam. Alij quadrato caule, capitibus marrubij, folio quercus. Hanc etiam præcisos neruos glutinare ferunt. Alij Sideritim in maceriis nascentem cùm teritur, fœdi odoris: Etiamnum aliam similem huic, sed cādidioribus foliis, & pinguioribus, tenerioribus cauliculis, in vineis nascentem. Aliam verò binûm cubitorū, ramulis exilibus, triangulis, folio filicis, pediculo longo, betæ semine, omnes vulneribus præcipuas. Nostri eam, quæ est latissimo folio, scopas regias vocant. Medetur anginis suum. Hæc Plinius satis indistinctè, vt tamen agnosci & intelligi possit, primam Achileon eius, Dioscoridis Achilleam esse: secundam, Achilleon veram, scâpo cœruleo, &c. esse Myriophyllon Dioscoridis. Tertiā quadrato caule, &c. esse Sideritin Heracleam primam Dioscoridis. Quartam in maceriis nascentem, &c. esse Heracleam Crateuę, apud Dioscoridem. Quintam superiori similem, sed foliis candidioribus, &c. esse tertiam Sideritin Dioscoridis.

Nomina — σίδηρος ν. σιδήριος ... ferrū

Genera.

Forma. Lib. 4. c. 29.

Locus.

Lib. 25. c. 5.

SIDERITIS Prima, Matthioli.



Lib.8.sim. ſcoridis. Sextam, Dioſcoridis Sideritin ſecundam. Galenus vnius duntaxat Sideri-
In cap.29. tidis meminit. Matthiolo prima Sideritis videtur eſſe ea quæ hîc primo loco ex-
lib.4. preſſa eſt, quod notis omnibus, vt ait, eam referat: nec aliud obſtare putat, quàm quòd ea frequentiùs naſcatur humidis quàm ſiccis locis: quamquam ſępè eandem virentem in locis quoq; ſiccis ſe inueniſſe affirmet. Huic tandem ſententiæ, veri


SIDERITIS Secunda, Matthioli.



SIDERITIS Tertia, Matthioli.



SIDERITIS Quarta, Matthioli.



incertus aliam ſubſtituit, his verbis: Id itaq; tantùm in cauſa eſt, vt hanc non auſim omnino legitimam facere Sideritim, præſertim cùm aliam nunc repererim plantam in Vienneñſi agro, ac aliis Auſtriæ locis, arido in ſolo, quæ ſideritim primam perbellè refert. Exit enim quadrato caule, ipſoq; dodrantali, aut maiore, ramoſoque, foliis marrubio longioribus, & ad ſaluiæ faciem accedentibus, criſpis & albicantibus, per ambitum laciniatis, ſapore haud ingrato: floribus verticillatim in caule prodeuntibus marrubij modo, vt ex appicta imagine perſpicere licet. Deinde Ruellium & Fuchſium viros de re herbaria
Lib.3.c.92. benemeritos erroris inſimulat, quòd primam
Cap.294. ſideritidem dixerint herbam eſſe, quæ hodie noſtris herbariis & Officinis barbaro nomine Tetrahit, aliis Herba Iudaica nominatur. Poſtremò duas alias ſideritides depinxit tantùm, nulla prorſus aut figuræ, aut virium facta mentione, quas hîc quoq; expreſſimus. At periti & excercitati herbarij, tum Ruellio Fuchſioq; ætate ſuperiores, tum inferiores multis rationibus inducti Tetrahit ſiue Iudaicam herbam, primam, ſiue heracleam

TETRAHIT, Herba Iudaica Sideritis prima, Fuch.



TETRAHIT, Sideritis Heraclea Dioscoridis.



cleam Sideritidem esse censuerũt. Primùm omnes delineationis Dioscoridis notę respondent. Nam folia habet marrubij cretici, sed longiora, & angustiora, incana, scabra & crispa, ambitu laciniato, vt chamædrys, aliquando laciniosa diuisura obscuriùs apparente in quibusdam foliis, quæ fortassè causa fuit cur Dioscorides illa modò cum quercus, modò cum saliuæ aut marrubij foliis contulerit. Caules fundit modò depressos, modò surrectos, palmum sæpius excedentes, & pedales, quadratos, duriusculos, ternos aut quaternos, asperos & pungentes, non iniucundi gustus, aliquantum adstringentes, quos verticilla per interualla coronant, vt in marrubio Cretico videre licet: flores sunt albicantes ex diluta purpura, vel lutei: semen nigrũ, radix lignosa, marrubij. Ad hæc arida, petrosa, sabulosa, & inculta loca perpetuò amat. Iunio & Iulio mensibus floret, nec desinit nisi autumni fine. Præterea vehementer exsiccat & adstringit, ad vulnera curanda planè nata, magnóque multorum cõmodo cognita practicis quibusdã Iudæis, qui hac enterocelas, & alba menstrua curant, inde Iudaicę nomen adepta, quæ cum Dioscoride cõgruunt, scribente folia imposita vim habere glutinandi vulnera, & arcendi inflammationes. His Galenus adstipulatus, Sideritis, inquit, phlegmonen sedat, & glutinat. Item Plinius, Sideritis tantam vim habet, vt quamuis recenti gladiatoris vulneri alligata sanguinẽ claudat. Quare hæc prima Sideritis Dioscoridis fuerit, non herba illa Iudaica, cuius meminit Auicenna, quæ nihil aliud est quam eruum. Matthioli verò Sideritis prima, minimè Sideritis dicenda, quòd notæ eius multæ ei planè refragentur, sed Penę sententia marrubij potiùs aut verbenæ species, quam ob id herbarij marrubium palustre, siue aquaticum vocant, de quo in palustribus diximus. Altera autem quam illi substituit, cannabis siluestris est herbariorum, neutra ad vulnerum curationem commendata. Dodonæus sideritidem primam herbam eam esse putat, quæ Cardiaca ab herbariis nominatur. Sideritis secunda Dioscoridis multorum doctorum iudicio nostra est Pimpinella, cuius partes omnes, qui cum Dioscoridis descriptione conferre voluerit, has ei prorsus cõuenire perspiciet, vt ex Sideritidis delineatiõe superiore, & iis quæ de Pimpinella alio in libro diximus, intelligere licet, etiã suffragante in Chio insula eius vernacula appellatione, in qua etiam hodie Sideritis appellatur. Iam verò curandis vulneribus perutilis est, vnde ei sanguisorbæ nomẽ. Sic secundæ

Locus. *Tempus.* *Temper. & Vires*

Lib. 8. sim. Lib. 26. c. 13

Lib. 2. c. 329

Cap. 47.


Lib. 1. c. 187.

Pena in Aduer.

De palu. cap. 73.

Lib.4.c.30. Sideritidis ſeminis foliorūq; vis,inquit Dioſcorides,ad vulnera præcipua eſt. Qui
In cap.31. Lib.4. verò ſint illi neſcio quos Matthiolus reprehendit,quòd hanc tertiam Sideritidem faciant,cùm ei folia coriandri non ſint,nec eadem circa caules oriantur,ſed pinnata ex longo vtrinq; pediculo exeant: prætereà quòd caules prædurοs habeat, non teneros,ac etiam quòd flores capitulaq; non amaro,nec lento guſtu ſint,ſed aſtringenti,& auſtero.
Pen.in Ad. Nullus enim eſt tam ignarus,qui nō perſpicuè videat Pimpinellā cum ſecunda, non cum tertia Sideritide prorſus conuenire. Quæ tertia Sideritis,
Lib. de iis quæ in vmbro.cap.33. Crateuæ herculea,in maceriis & vineis naſcitur eorumdem periti ſſimorum herbariorum ſententia,noſtras eſt herba Roberti notiſſima, foliis coriādri, inter gerania à nobis deſcripta, non ſolùm vulneribus & ſanguinis eruptionibus, verùm etiam vulneribus,& potionibus vulnerariis vtiliſſima, quod & de Crateuæ herculea tradidit Dioſcorides,eam nimirum huius eſſe vim,vt quamuis recenti vulneri impoſita ſanguinem ſupprimat,interprete Ruellio,cùm Grçcè legatur, καὶ ταύτης ἡ δυνάμις ἐπιτιθεμένις κολλητικὴ ἐναίμων, καὶ νεοτρώτων. Id eſt, Hæc etiam impoſita vim habet glutinandi cruenta, & recentia vulnera. In veteri tamen codice legitur, ἐναίμων καὶ
And.Lac. νευροτώτων, id eſt,cruenta,& vulneratos neruos, ſed prior lectio melior. Sideritides alias viri in re herbaria exercitati approbarūt, quas hìc appoſuimus.Primùm eam
Locus. quam Monſpelienſium Schola præter herbam iudaicam nouit, in agro Monſpe-

SIDERITIS, Monſpelienſium.




HERBA Venti, Parietaria Cordi, Sideritis genus.



Forma. lienſi frequentē,locis nimirum pinguibus,& triticeę meſſis fertilibus,radice craſſa, valde fibrata, caulibus multis, cubitalibus,anguloſis,tactu aſperis, ſurculoſis: foliis ſaluiæ longioribus, latioribus, per oras diuiſis, ſcabris, geminis ſemper, caulem & ſurculos per interualla amplectentibus,ex quorum veluti ſinu flos emicat,verticillato ambitu, denſus, puniceus: ſemen in hirſutis vaſculis, vt in marrubio. Hanc Pharmacopœi Monſpelienſes Herbam venti vocant,quòd eius folia tota pertuſa
ratio Ethymologiæ & vento peruia cernantur, vt mox dicetur. Itali Verbaſci ſiluestris ſpeciem, periti quidam Othonnam Dioſcoridis, quòd areſcenti herbæ folia non defluant,ſed per hyemē in planta ipſa remanentia,ſiue à tineis, ſiue ab aëris frigidi occurſu ſic ero-

duntur,

SIDERITIS, Querno folio, Dalechampij.



duntur, vt absumpto reliquo eorum corpore durantibus, venosis, neruosisq; fibris, eo textu quo à natura reticulatim sunt implexæ, cribri modo pertusa appareant, & quasi à blattis exesa, quod apud Dioscoridẽ othonnę poscit historia. Alia herbariorum vulgò sideritis pratensis rubra nominatur, ob exiguã quendam cum Tetrahit officinarum foliis similitudinẽ, quam sideritidem appellari diximus. In pratis & humidis locis prouenit. Radicem mittit lignosam, breuem, nigrã, in multas radiculas diuisam: caules multos, quadratos surculosos: folia multa, parua, in ambitu nonnihil diuisa, gustu perquàm amara: florem copiosum, obscurè purpurascentem, luteis apicibus è medio prodeuntibus: semen minutulum in latis caliculis alsines modo. Est & iisdem sideritis pratensis lutea dicta, quæ in siccaneis pratis nascitur, flore, surculis, fructu, gustu, superiori similis, nisi quòd flos omnino luteus est: foliis autem distat, quæ longè minora sunt & angustiora, nec per margines incisa. Item aliud hîc etiam pictum Sideritidis genus statuunt herbarij, quòd recentia vulnera ferro illata solidet: quòd folia quernis affinia sint, minora tamen, in ambitu dissecta, subaspera: quòd caules per interstitia rotundæ vertebræ, vt in prassio coronent, quæ omnia in Sideritide prima Dioscor. requirit. Aliam hîc quoq; appositam Sideritidis generibus adnumerant, quæ in vmbrosis reperitur, inter saxa, & muscosos lapides, radice breui, nigra, fibra-

SIDERITIS, Pratensis rubra.



SIDERITIS, Pratensis lutea.



ALIA, Sideritis.



ta: caulibus multis, nunc ſurrectis, nunc per vicina repentibus: folio marrubij, longiore, in ambitu valde inciſo: flore luteo, aut pallido, verticillatim caulis ſuperiora ad foliorum exortum circundante, marrubio ſimili. Sideritidem Monſpelienſem Pena depinxit & deſcripſit palmum & ſeſquipalmum altam, viticulis anguloſis, rectis, multis, aridis, ligno-ſis, coma & verticillis hyſſopi, foliis, facie, colore ſcordij Dioſcoridis, ſed minoribus, magis rugoſis, rigidis, criſpis, piloſis quàm tetrahit Iudaicum, nec minùs laciniosis, ſed hirſutioribus, floſculis ſatureiæ vulgaris ad foliorum articulos, guſtu amaricante & exſiccante, nonnihil aromatici ſuauíſque ſpirantibus, quod Chamædryn aut betonicam referat. Aliam ex Sabaudiæ Alpinis pictam exhibuit, quam Sideritidum vnam eſſe opinatur, & ſatis quadrare heracleę ſideritidi, ni folia anguſtiora multò eſſent, víque efficaciore carerent: alioqui verticillatos cirros habet, aſperiuſculos, pallidos, marrubij aut tetrahit, viticulas multas, tenues, lignoſas, nec quadratas, binûm palmorum: radicem flexuoſam, prolixam, lignoſam, pullam, amaricantem guſtu, præſiccam, nec ingratam, vſu nullo exploratam.

SIDERITIS Monſpelienſis, Penæ.



SIDERITIS Montana, Penæ.



POLYGONVM MAS. *CAP. XII.*

ΠΟΛΥΓΟΝΟΝ ἄῤῥεν Græcè, Latinè etiam Polygonum mas, Seminalis, Sanguinalis, & Sanguinaria, Proſerpinaca, Arabibus *Baſiatrahagi*, Officinis Corrigiola, & Centinodia, Gallis *Renouee maſle*, *& Corrigiole*, Italis *Poligono maſchio*, *& Corrigiola*, Germanis *Vuegraſz*. Polygonum à geniculorum frequentia & multitudine dicitur, ſeminalis à ſeminis multitudine, ſanguinalis à cohibendo ſanguine, proſerpinaca à ſerpendo. Polygoni duo genera facit Dioſcorides, marem & fœminam. De hoc in paluſtribus, de illo nunc dicemus, & de aliis generibus quæ recentiores herbarij adinuenerunt, de marino agemus in maritimis. Polygonum mas, vt deſcribit Dioſcorides, herba eſt ramos habens tenues, teneros, multos, geniculis cinctos, repentes per terram velut gramen, folia rutæ ſimilia, ſed longiora & molliora (impreſſi codices habent ἐπιεικέστερα, cùm legendum ſit ἐπιμηκέστερα, id eſt, longiora, adde etiam μαλακώτερα, id eſt, molliora: ſic enim Oribaſius legit, quem ſecuti ſunt interpretes:) fructũ iuxta ſingula folia fert, vnde mas vocatur: florem candidum, aut puniceum. Breuiùs ſic Plinius, Polygonum Græci vocant, quam nos ſanguinariam. Non attollitur à terra, foliis rutæ, ſemine graminis. Naſcitur paſsim, quotidieq; pedibus conculcatur in aggeribus & ſemitis, item ſecus arces, & compita. Aeſtate floret. Vis epoti ſucci eſt ſpiſſare, ac refrigerare. Prodeſt cruentæ excreationi. Sic Ruellius Græca exemplaria ſecutus, quæ ſic habent. δύναμιν δὲ ἔχει στυπτικὴν, ψυκτικὴν ὁ χυλὸς πινόμενος, ἁρμόζει δὲ, &c. In aliis verò legitur, δύναμιν δὲ ἔχει στυπτικὴν καὶ ψυκτικὴν, ὁ δὲ χυλὸς πινόμενος ἁρμόζει, &c. id eſt, Vim adſtringentem habet & refrigerantem: ſuccus verò potus prodeſt ſanguinẽ ſpuentibus, alui fluxionibus, cholericis & vrinę ſtillicidio, vrinam enimẽ euidter ducit. Cum vino potus venenatorum morſibus auxiliatur. Valet etiam ad febrium circuitus hora vna antè acceſsionem ſumptus, muliebre profluuium appoſitus ſiſtit. Aurium doloribus, & purulentis auribus inſtillatus confert. Cum vino decoctus, melle adiecto, eximiè ad genitalium vlcera facit, folia contra ſtomachi ardorem, ſanguinis reiectionem, herpetas, eryſipelata, inflammationes, œdemata, & vulnera recentia illinuntur. Eadem ferè Plinius habet. Succus eius infuſus naribus ſupprimit ſanguinem, & potus cum vino cuiuſlibet partis profluuium, excreationéſque purulentas inhibet. Vis eius eſt ſpiſſare, ac refrigerare. Semen aluum largiùs ſumptum ſoluit, vrinam ciet, rheumatiſmos cohibet, qui ſi non fuêre, non prodeſt. Stomachi feruori folia imponuntur, veſicæ dolori illinuntur, & ignibus ſacris. Succus & auribus purulentis inſtillatur, & oculorum dolori per ſe. Dabatur & in febribus ante acceſsiones, duobus cyathis in tertianis, quartanîſve præcipuè: item cholericis, dyſentericis, & in ſolutione ſtomachi. Polygonum, inquit Galenus, vt adſtrictionem quandam obtinet, ita ſanè vincit in eo aqueum frigidum, vt videlicet ſecundi ſit ordinis medicamentorum refrigerantium, aut etiam quodammodo in initio tertij. Eſt etiam exſiccatorium. Quare quibus ſtomachus æſtu feruet, extrinſecus illitum auxiliatur, veluti etiam eryſipelata, & calidas phlegmonas iuuat. Porro tale cum ſit, & fluxiones re-

POLYGONVM Mas.



Nomina

Lib. 4. c. 4.

Genera

Cap. 53.

Ibidem.

Forma

Lib. 27. c. 12

Locus.

Tempus.

Lib. 27. c. 12

Lib. 8. m.

primit,& hac ratione videtur exsiccatorium esse. Quare cùm herpetum tum vlcerum,aliorumq; bonum est remedium:efficacissimum autem inflammatione & fluxione laborantium partium. Est & cruentorum vulnerum glutinatorium. Sed & aurium vlceribus prodest:etsi vel satis puris insit,hoc tamen etiam desiccat. Easdē ob facultates, & muliebre profluuiū & dysenteriam, & sanguinis eiectiones,& vndecumque aliundè immoderatiores impetus sistit. Refert Dioscorides quod & vrinam prouocet exhibitum stillicidio affectis, non tamen affectum accuratè distinguit,quo dari ipsum expediat:quamuis probabile sit vrinę substillo cōuenire, quod accidit renibus impacto lapillo, arenosáve, aut crassá quadam materia,quoniā vim habet calculum frangendi,vt & Herniaria, proculdubio eius species. Pena alia Po-

POLYGONVM Montanum niueum, Penæ.



POLYGONVM Alterum Serpylli folio, Penæ.



POLYGONVM Herniariæ foliis.



Lib.2.stir. Hispa.c.92 92.

lygoni genera pingenda curauit. Primùm mōtanum minimum,niueum & sericeum,herbula est vix vnciam & semūciam æquans, densis confertisq; ramusculis, sarmentosis, duriusculis, densissimis geniculis,& foliorum quasi denticellis,herniariæ aut thymi tenuifolij foliolis minoribus, per parua interstitia visu vix discernēda. Eximio vellere sericeo, & niueo candore lucentibus glomerulis foliaceis , delicatissimis , tenuissimisque membranulis contexti flores vniuersam supernè plantam ornant & occulunt:exilis radix, lignea, & quàm cauliculi longior:semina paruula,acerosa,erythrodani marini vix visu capi queunt præ exilitate. Alterum rarum & hactenus indictum, ramulis & cauliculis est surculosis, prolixis , gracilibus,Serpylli,humi sparsis. E` geniculis foliola prodeunt pusilla, teretia, succulenta,thymo paruo nostrati æqualia & similia, radix prælonga lignosa,sapore amaricante,calidiusculo. In collibus maritimis Galloprouinciæ non secus ac herniaria luxuriat.Tertium non minùs rarum quàm

superius

POLYGONI Hispanici genus Clusij.



superius. Est perpusilla herbula & humi accumbens, cespite semiobruta, ramulis creberrimè geniculatis: foliolis & seminibus paruis, albidis, prorsum herniariæ: tota incana, flore muscoso, valde exiguo: radice ampliore quàm pro plãtæ modo, dura, surculosa, implexa, & in se reticulatim conuoluta, auulsu difficili, gustu præsicco, calidiuscula. In amplissima Cretæ Salonensis Galloprouinciæ planitie, media via inter Arelatem & Salonam prouenit ad diuersorium D. Martini. Eandem plantã Clusius Polygoni maris genus esse arbitratur, eámque graphicè depinxit his ferè verbis. Multis viticulis per terram sternitur, dodrantalibus magna ex parte, sed interdum etiam pedalibus, aut longioribus, geniculatis, foliis Polygoni maris, minoribus, & in nouella planta virentibus, deinde temporis spatio confertissima & numerosa admodùm adnascuntur foliola acerosa & membranea, omninò alba, sic vt tota argenteis squamis constare videatur gratissimo spectaculo: flos candidus Polygoni, sed adeò paruus & inter membranulas istas latens, vt vix conspiciatur: semen Polygoni: radix candicans, oblõga & tenuis. Nusquã abundantiùs prouenire ait, quàm in collibus petrosis & siccis Salmanticæ vicinis, trans flumen Thormũ: item circa Valentiã & Murciã: se etiã vidisse in eodẽ quo Pena loco, nẽpe lapidoso illo campo supra Arelatẽ, nõ procul à D. Martini diuersorio, qua Massiliã iter est, sed multò minorẽ, & vnciã vix excedentem. Floret Maio & Iunio, deinde semen profert. Murciani vulgò Asprilla vocant, à foliorum exsuccorum fortassè asperitate. Salmanticenses & Valentini Paronychiam vocãt, cùm tamen etiam Clusij iudicio nihil aliud sit quàm Polygoni maris genus peculiare, vt diximus. Etenim cùm primùm è semine prodit, à sanguinaria vulgari nihil differt, & commanducata eodem gustu deprehenditur.

Lib. 2. stirp. Hisp. ca. 91.

CHRYSOCOME Lanuginosa, Dalech.



CHRYSOCOME LANVGINOSA, CAP. XIII.

Χρυσος apud Græcos aureus sive herba quasi coma aurea

HÆC à florum colore & foliorum lanugine, Chrysocome lanuginosa herbariis dicta, in aridis collibus Alpium, & sabulosis cliuis gignitur: radice nigra, crassiuscula, plurimis exilibus fibris capillata, Ellebori nigri modo: caulibus multis, palmum altis, foliis hyssopi vulgaris longioribus, canis, villosis: flore aureo, ad foliorum exortũ, quæ superiora caulis parte prodeunt, in pappos abeunte. Quidam impiæ à Plinio memoratæ genus esse putant, quod doctis herbariis iudicandum relinquimus.

Nomen. *Locus.* *Forma.*

HERNIARIA, CAP. XIIII.

Nomina. *siue Herba Turca.*



VERBASCVLVS Alpinus.



Lib. 1. c. 181.

QVIDAM plantam istam Lithontribon ab effectu, vt & Herniosam, siue Herniariam vocant, nonnulli Herbam Turcam, Cordus Millegranam, Itali *Centograna*. Tragus Empetrum, Anguillara Epipactida, alij Elleborinē Dioscoridis esse censent. Sunt qui nec sine ratione Polygoni speciem faciunt. Matthiolus Polygoni minoris nomine, depinxit. Crescit in sabulosis, aridis & perflatis, in aruis & oliuetis Narbonensis Galliæ, vt circa Monspelium, radice quatuor, aut quinque digitos longa, sensim gracilescēte, modicè fibrata: ramos edit teneros, numerosos, densos, surculosos, exiles, per terram repentes, folia lentis, valde parua, alsines minimæ minora, crebra, semina numerosissima, inter foliola & sub singulis cōgesta, atriplicis & Polygoni minora, flosculi luteoli, multi, tribuli terrestris multò minores, nec dissimiles. Tota ex herbaceo flauet. Experimentis multis certísque constat herbæ huius succum vino albo expressum, & potum, efficacissimè renum calculos comminuere, & extere: item eximiè valere ad ramices & hernias, vel si trita, imponatur extrinsecus: vel si bibatur succus: vel si aridæ & tusæ cochlear detur. Prodesse etiam dysentericis aiunt, & sanguinis eruptionibus, & aduersus viperarum & cæterarum venenatarum animantium venena, tum sumptam, tum foris impositam. Stillatitia eius aqua octo dierum spatio hausta, hepatis obstructiones, & icterum persanare proditur.

Locus. Forma. Vires.

VERBASCVLVS ALPINVS, CAP. XV.

Nomen. Locus. Forma.

AB herbariis verbasculus Alpinus, siue Cæruleus dicitur, proueniens in asperis & opacis Alpium tractibus, radice breui, fibrata, candicante, foliis circa ipsam densis, humi procumbentibus, oblongis, læuibus, tribus aut quatuor cauliculis, pedalibus, minimè foliosis: flore cæruleo in caulium cacumine, ferè instar vmbellæ coaceruato, speciosissimo, ac pulcherrimo.

uid. Pon.

VALE

VALERIANA Montana,



CAP. XVI.

PHV Montanum siue Valerianam Montanam herbarij plantam istã vocant, quòd odore, sapore, flore Phu vulgare æmuletur. Gignitur in opacis & vdis montium saxis, radice è nigro subrufa, dura, lignosa, parùm fibrata: foliis propè radicem multis, longiusculo pediculo nixis, alsine aut perdicio ferè similibus, in caulibus paucis, & iis semper geminis, caulem ima sui parte amplectentibus: flore Phu simili, purpurascente, odoris perquàm iucundi. Pena Valerianam aliam minimam pinxit, flore & vmbella ex candido purpurascente, thlaspi, & foliorum diuisura Valerianæ siluestri minori similem, sed illa adeò sunt exigua, vt minoris Aiugæ folia æquent. Radix candida, exilis, & nardi penè infinitis fibris similis, odore Valerianæ siluestris minoris. Interdum montosis locis è saxorum rimis erumpit, interdum in segetibus, vt propè Monspelium. Lobellius Phu minimum alterum exhibuit, Gallobelgis *Sallade de chanoine*, Belgis *Beltroppen*, quasi dicas lactucam campestrem, quia folia primo pullulatu habet lactucis aut seridis adhuc tenellis similia, & in Quadragesima cibo & acetariis expetatur lactucarum modo. Frequentissima in agro Antuerpiano. Flos & radix Monspeliacam æmulatur, folia minùs laciniata.

Nomina. Locus. Forma.

PHV Minimum.



PHV Minimum alterum, Lobel.



AIZO

AIZOON. *CAP. XVII.*

Nomina AEΙ'ΖΩΟΝ Græci, Semperuiuum & Sedum Latini vocãt, Apuleius Vitalẽ, Arabes *Beiahalalen*, seu *Haialhalez*, Officinæ Semperuiuũ, vulgus Iouis barbam, Galli *Ioubarbe*, Itali *Semperuiuo*, Germani *Hanszuurtz* & *Donderbar*, quod nonnullis locis plebis animos iampridem inuaserit opinio, non feriri fulmine domum, in cuius tegulis vireat Sedum. Aizoon autem & Semperuiuum appellant, quòd perpetuò tam æstate quàm hyeme vireat, nec
Lib.4.c.84. vllis frigoribus, aut cæli iniuria quãtumuis frigida emoriatur. Eius tria statuit ge-
Genera. nera Dioscorides, ἀείζωον μέγα, Aizoon, Sedum & Semperuiuum maius, Apuleius στέργηθρον, & ζωόφθαλμον vocat, Galli *Grande Ioubarbe*, Itali *Semperuiuo maggiore*: ἀείζωον μικρὸν, Aizoon, sedum & Semperuiuum minus, seu Semperuiuũ medium, quibusdã τριθαλὲς, quod ter anno floreat dicitur, Apuleio Erithales, Plinio Erisithales, Gallis *Triquemadame*, & *Petite Ioubarbe*, Ger manis *Kleinhauszuurtz*, & *Kleindonderbart*, Italis *Semperuiuo minore*, & *Pignola*, à folio tereti pineo. Tertium genus ἀείζωον τρίτον, Aizoon sedum & Semperuiuũ tertium: quidam ἀνδράχνην ἀγρίαν, idest, portulacam siluestrem, & telephium nominauerunt. Romani, auctore Dioscoride, Illecebrã, Arabes *Andrachahara*, *Alscebran*, *Tilafon*. Herbarij plura asignarunt genera, & aliter distinxerunt. Fuchsius tria descripsit & depinxit. Primum maius Aizoon, deinde minus, sed id duplex: alterum marem, quod floribus luteis spectatur: alterum fœminam, quod floribus candidis seu pallidis conspicitur: postremò Aizoon minimum, de quo mox, quod tertium Dioscoridis esse putat. Dodonæus quatuor, sem-
Lib.1. c.75. peruiuum maius, semperuiuum minus, crassulam minorem siue vermicularem Officinarum, à similitudine foliorum vermiculos referentium, quod tertium genus statuit: his quartum addit minimum, quod portulaca agrestis, & Romanis Ille-
Ca.84.li.4. cebra dicitur. Matthiolus ex Sedi generibus à Dioscoride descriptis, duo nota esse ait, nimirum maius & minus: minoris duo esse genera: vnum, de quo Dioscor. tractat, quod fœminam recentiores appellant, alterum marem: tertium diu incognitũ tandem Ghini opera & industria veluti in lucem prodiisse. Pro minori, Crassulam Officinarum seu vermicularem, siue Sedum minus fœminam Fuchsij depinxit: tertium Aizoon minimum, repens, Illecebram minorem, Gallis *Pain d'oiseau*, Germanis *Rotzentreuble*, siue *Maurpfeffer*, idest, murinum piper, propter acrem exulcerantemq; facultatem. Gramen tertium Plinianum Anguillara, Itali *Granellosa* & *Grasella*. His addit Aizoon arborescens, idq; varium. Sed hæc ex descriptionibus
Lib.25.c.13. dilucidiora fient. Plinius, Aizoi, inquit, duo genera sunt: maius in fictilibus vasculis seritur, quod aliqui Buphthalmum vocant, alij Zoophthalmũ, alij Stergethrũ, quòd amatoriis conueniat, alij Hypogeson, quoniam in subgrundiis ferè nascitur. Sunt qui Ambrosiam potiùs vocant, & qui amerimnon. Itali Sedum magnũ, aut oculum, aut digitellum. Alterũ minusculum, quod Aithales, alij Trithales, quia ter floreat, alij Chrysothales, alioqui Isoetes, Itali Sedum, alij Aizoon vtrumq;, quoniã vireat semper, aliqui etiam semperuiuum. Aliquantò pòst tertium Aizoi genus nõ facit, sed ait. Huic (minori subau.) similis est, quam Græci Andrachnen agrian vocant, &c. Galenus quoque duo duntaxat Aizoi genera esse dixit. Ac sanè Dioscori-
Li.6.simpl. des, & eum secutus Oribasius, illecebram non esse, sed videri tantùm Aizoi speciẽ esse scripserunt, vt eam Aizois similitudinis & affinitatis gratia duntaxat subdidisse videantur. Aizoon maius, vt describit Dioscorides, caules emittit cubitales, aut
Li.4.ca.84. **Forma.** etiam maiores, digiti magni crasitudine, pingues, benè virentes, incisuras characiæ tithymali modo habentes, folia pinguia, pollicis magnitudine, in summo linguæ speciem habentia, atque ex ipsis ea quidem quæ proximior à radici sunt, in terram resupinata sint, quę verò in capite, inter sese cohærentia & circulum oculo similem

AIZOON Maius, siue Semperuiuum minus, Dodon



similem circunscribentia. Aizoon minus cauliculos habet ab vna radice multos, plenos: foliolis rotundis, pinguibus, paruis, in summo acutis. Emittit & è medio caulem, vmbellam & flores pallidos seu luteos sustinentem. Sic enim interpretari χλωρὰ oportet, non herbidos, vt Ruellius vertit. χλωρὰ enim hoc loco, vt aliâs sæpè, pro ὠχρὰ accipitur, id quod etiam ex Serapione constare potest, qui locum hunc Dioscoridis sic traduxit. Et habet virgam in medio longam, circa lõgitudinem palmi, super quam est capitellum, in quo est flos citrinus, subtilis. Cap.350. Videtur, inquit Dioscorides, tertium Semperuiui genus esse, quod foliola habet crassiora, ad portulacæ folia accedẽtia, densa. In qua Diosc. descriptione nihil ambiguum, nihil obscurum dici potest, nisi in dictione δασύ, quæ hîc, vt plurimis aliis in locis, non pilosum neque hirsutum, sed densum, rigidũ & cõpactum significat. Ex aliis verò descriptionibus perspicuum vera hîc Dioscoridis Aizoa depicta esse. Ac primum quidem, omnes Aizoon maius fatentur esse. Secundum, siue minus, id esse, quod Dodonæus Semperuiuum minus, Fuchsius Sedum minus marẽ vocat, clare demonstrant ramuli à radice tenui graciles, edentes foliola angustiora, rotundiora, minora, carnosa, acuta, salicorniæ colore & modo: flosculis aureis, stellatis. Præterea iidẽ Cap.10.

ζαω apud Graecos est viuo ζωος est uiuus ἀεὶ est aduerbium semper perpetuo, hinc ἀείζωος qui est uitæ sempiternus

AIZOON Minus, siue Semperuiuum, Dodonæi.



AIZOON Minus, Matth. idem cum proximo.



sunt

AIZOON Minus fœmina, Fuchſ. Craſſula minor ſeu vermicularis.



ſunt natales, eædem vires, vt dicemus. Alterum item minus, quod idem Fuchſius Aizoon minus fœminam appellat, pro ſecũdo ſiue minore ſedo depinxit Matthiolus. Sæpiſsimè colligentes id fallit propter natales eoſdẽ, faciemq; adeò minoris ſedi ſimilem, vt mirum magis ſit contraria pollere facultate. Diſcernitur tamen foliolis rotundis, teretibus, oblongis, magis carnoſis, ſupernè retuſis, mucronatis inſtar vermium, è totis ramis pendulis, floſculiſq; pallidis, vel albidis. Eius ſpecies eſt minimum repens, hîc quoq; appictũ tertium Sedi genus Fuchſij, Illecebra Latinis, Gallis *Pain d'oiſeau*, Germanis *Rotzentreuble*, puſillis ramulis parietes, ſaxoſaſq; moles & colles aridos amplexantibus, gracilibus, repentibus, foliolis valde paruis & breuibus, carnoſis, confertis: floribus aureis, ſtellatis. Semperuiuum maius naſcitur in montoſis & tectaceis, ſupra domicilia etiam reperitur. Minus in petris, parietinis, & maceriis, nec non ſcrobibus opacis. Tertium naſcitur in ſaxis, ſicut & minimum repens. Aizoon Maius Iulio & Auguſto menſibus floret, reliqua genera Maio & Iunio. Aizoon maius, auctore Dioſcor. vim habet refrigerantem & adſtringentem. Folia per ſe & cum polenta illita conferunt ad eryſipelata, herpetas, nomas, oculorum inflammationes, ambuſta, podagras. Succus verò cum polenta & roſaceo capiti in doloribus infunditur. Datur à phalangio morſis in potu, diarrhœa laborantibus dyſentericíſque: teretes lumbricos cum vino potus excutit. Subditus in peſſo muliebres fluxiones ſiſtit. Succus etiam in lippitudine oculorũ ex ſanguine orta vtiliter inungitur. Minoris folia eandem cum antedicto vim habent. Quod tertiũ videtur Aizoi genus eſſe, vim habet calfacientem, acrem, exulcerantem, diſcutientẽ ſtrumas, ſi cum axungia fuerit illitum. Eadem vi prædita eſt eius ſpecies repens, ſiue illecebra minor, guſtu quaſi ari aut flammulæ. Plinius cũ de Aizois, quæ ſuprà citauimus, ſcripſiſſet, ſubiungit. Omnium harum vis eadem perfrigerare & adſtringere. Medentur epiphoris folia impoſita vel ſuccus inunctus: purgant enim vlcera oculorum, explentq; & ad cicatricem perducunt, palpebras deglutinant. Eadem capitis doloribus medentur, ſucco vel folio temporibus illitis. Aduerſantur phalangiorum ictibus: aconito verò maius Aizoon præcipuè. A ſcorpionibus quoque, habentem id, feriri negant: Medetur & aurium dolori. Quæ magna ex parte cum Dioſcoride conſentiunt,

Pen. in Ad.

Locus.

Tempus.

Temper. & Vires.

Lib. 4. c. 84.

Lib. 25. c. 13.

AIZOON Minimum repens, tertium Dioſcoridis.



consentiunt, nisi cùm omniũ vim refrigerantem & adstringentẽ faciat, eandẽ etiã tertio generi tribuat, quod cõtraria præditũ esse facultate Dioscorides scripsit. Galenus maioris & minoris duntaxat Aizoi meminit, vt diximus, & vtrũque scribit desiccare quidem leuiter, quandoquidẽ & mediocriter adstringit, omnis alterius vehementis qualitatis expers. Quare in eo plus cæteris abundat essentia aquea: cæterùm non mediocriter refrigerat: est enim ex tertio ordine refrigerantium. Hinc etiam ad erysipelata, & herpetas, & phlegmonas à fluxione natas accõmodatur. Herbarij quidam aliud Aizoon Telephium hîc quoque depictum nuncupant, quod in saxosis & lapidosis gignitur, radice parua, candida, modicè fibrata, foliis humi circa radicem iacentibus, & eam in orbem circũdantibus, vt in Semperuiuo maiore, oblongis, nonnihil incisis, crassis, hirtis, portulacæ similibus, in caule paucis. caule nunc singulari, nũc multiplici, dodrantali, flore violæ, candido, semine in siliquis exilibus, sinapi modo. Plantæ sapor initio fatuus, deinde acris vt in Nasturtio. Item aliud, quod montanum cognominant, in editissimis Alpibus proueniens, foliis multis, exiguis, circa radicem humi stratis, paucis, in caule alternatim dispositis, caule tres digitos alto, flore odorato, in medio luteo, rubris & radiatis foliolis stellato, quorũ infima pars capitulo luteo vicina, alba linea notatur. Matthiolus

Li.6. simpl.

a telepho [illegible] in [illegible]

AIZOON Telephium, Dalech.



AIZOON Montanum.



AIZOON Arborescens, Matth.



duas arborescentis Aizoi species exhibuit, alteram ex Constantinopoli, alteram ex Corcyra. Pena multas eiusdem plantas se vidisse asserit Veronæ, Patauij, Venetiis, & in Hetruriæ hortis. Postea pasim in maritimis Sclauoniæ seu Illyrij circa Dyrrachium nasci ex amico intellexit. Demum se in sinus Bristoiensis Anglici Oceani

SEMPERVIVVM Arborescens alterum, Matth.



VERMICVLATVS Frutex maior, Lobellij.



Vermicularis d[icitu]r quia folia aemulant[ur] uermes
Illecebra uero dicit[ur] quia nos illiciat et decipiat sua ui calida cu[m] tn. Semperuiui natura sit semper esse frigida

SEDVM Minimum arborescens. Lobellij.



Vermicularis, Siue Illecebra maior, Lob. siue Semperuiuũ minus alterũ, Dod.



insulis

insulis vocatis Homs se copiosum auulsisse ait, sed in saxosis, nec perinde carnosum aut ramosum, tamen stipite ramisq; fruticans lignosis, duris, multis, lentis: foliis paribus & similibus, vulgare maius Sedum situ & ortu æmulātibus, minùs crassis, inter vulgare Sedum maius, laureolam & tithymalum ambigentibus. Græcum verò, quod & Illyricum, maius multò & speciosius, ramis & cortice, foliorum circinato per summa positu magis laureolam imitantibus, crassioribus, tenerioribus, breuioribus, succulentis, cubitum longis in scapo pedali, & cubitali, laureolæ crassiore. Adiungam hîc ex Dalechampio Aizoum Dasyphyllum, idest, Densifolium, quod in parietibus & muris Viennæ Allobrogum nasci obseruauit, radice breui, capillata, pallida, gracili, in exigua terra & parietum cæmento hærescente: ramulis plurimis, quatuor digitos altis, perquàm spissè congestis, foliis numerosissimis, crassis,

SEDVM Minimum tertium, Lobellij.



AIZOON Dasyphyllum, Dalechampij.



teretibus, albicantibus, confertissimè stipatis, gustu fatuis cum leui quadam adstrictione: flore in virgulis tenuibus, candido, copioso, semperuiuo medio simili. In Gallia nusquam alibi quàm in eo tractu à se visam & repertam meminit. Aliud Sedum minimum tertium depinxit Lobellius, & huic, inquit, omniū logè minimo ex Syria asportato, folia quàm Sedi minoris minora: cauliculi sesquiunciam æquāt, in quibus luteoli flores maiores pro plantæ exilitate, saxifragiæ albæ: radix implicata, fibrata. Idem Semperuiuum paruum graphicè depinxit, Crassulam minorem Dodon. Sedum fœminam Fuchsij: tum Semperuiuum minus æstiuū, Semperuiuū minus Dodon. Sedum minus marem Fuchsij: prætereà Vermicularem, siue Illecebram maiorem, qualem hîc expresimus, & semperuiuum minimum seu Illecebrā. Adhæc Sedum arborescens maius, candidis flosculis, & Sedum minimum arborescens vermiculatum, plantulam quam iisdem Syriæ natalibus habuit, fruticosam & densè geniculatam, cōfertisq; foliis & ramulis: flores luteoli, vermicularis acris, vti tota facies. Postremò Vermiculatum fruticem maiorē, fortassè Chamæpitym alteram Dioscoridis: cuius est aliqua varietas. Vtrique densi consortiq; ramuli: sed

Eruca d[icitur] quod uellicando linguam quasi erodat

ERVCA Muralis.



quæ maior, foliis est albis densissimè conferta, denticulatis vermicularis acris, maioribus. Exilior totaq; minor altera, minus crebris foliis, teretibus, oblongis, & flosculis herbaceis Polygoni.

ERVCA MVRALIS, CAP. XVIII.

Nomen. *Locus.* *Forma.*

QVAE Eruca muralis ab herbariis nominata est, in parietinis, murorumq; rimis & inter saxa nascitur, radice parua, breui, candida, foliis propè radicem multis, circa eam sparsis, & vndique ambientibus, oblongis, ambitu laciniato, in caule paucis, caule pedali, tereti: flore in surculis gracilibus & breuibus, albo, violæ simili: semine minuto in tenuibus & longis siliquis, sapore principiò fatuo, tamdem subacri & mordaci.

ASARVM MVRI, CAP. XIX.

Nomen. *Locus.* *Forma.*



ASARVM muri hanc plantam herbarij vocant, quòd Asarum foliis imitetur, & quòd nusquam alibi quàm in muris gignatur. Ex parietum fissuris prosilit, radice crassiuscula, nodosa, è ruso nigrescente, polypodij ferè colore, in plurimos fibrarum tenuissimos villos diuisa: foliis paucis, Asaro similibus, venosis, longo pediculo subnixis: nec semen, nec florem vidi.

ASTER MONTANVS, CAP. XX.

Locus.

ASSTER montanus luteus in excelsis montibus gignitur, radicibus multis, è candido flauescentibus, odoratis: caulibus multis, cubitalibus, villosis: foliis circa radicem densis, in caulibus paucis, longis, venosis, in ambitu laciniatis, hirsutis: flore in summis caulibus luteo, anthemidis capitulo simili: foliolis stellatim radiato, in pappos abeunte. Est & Asteris lutei genus, herba hîc depicta, Oculus Christi minor herbariis dicta, in sabulosis tumulis & aridis nascens, quà Lugduno itur Viennam, radice crassiuscula, nigra fibrata, dimidium

ASTER Montanus Luteus.



ASTER Luteus, ſiue oculus Chriſti minor.



ASTER Luteus, alter oculus Chriſti minor.



ASTER Montanus Hirſutus Penæ.



dimidium pedem longa: foliis propè radicem multis, per terram ſparſis, canis, lanuginoſis, ſaluiæ ſimilimis, guſtu valde amaris, caulibus tribus aut quatuor, villoſis, vix pedem altis, in quibus folia pauca ſupradictis minora, capitulo

Chamæmeli chryſanthemi; ſed paulò ampliore. Pena etiam Aſterem hirſutum pinxit, caule & foliis hirſutis, longioribus, Cynogloſsi parui noſtri paribus & ſimilibus, radice minùs fibrata.

MYAGRVM, CAP. XXI.

Nomina Lib. 7.

MYAΓPON Græcis, & μελάμπυρον, velut & Latinis Myagrum & Melampyrum nominatur. In Paulo duæ plantæ habentur, nomine & oleoſo ſucco affines, Myaron, ſcilicet, & Myagron: μιαρὸν quidem impurum ſignificat, & ſordidùm, cuiuſmodi eſt Melampyrum. Μύαγρον autem muſcipulam potiùs, ſiue muſcariam, quæ inſidentes, ſiue præteruolantes muſcas glutine ſuo implicat. At Cornarius hoc Pauli loco Myagron vbique legendum cenſet, & non Miaron, quòd alia non ſit herba à Myagro, ordinemq; lectionis hîc perturbatum eſſe, vt primùm habeatur Myagri ſemen, deinde interpoſitis mitulis ſequatur Miaros, &c. quæ eadem ſit cum Myagro: quare ſic reſtituendum eſſe ordinem. Myagros, quam alij vocant Melampyrum, herba eſt ſarmentitia ac pinguis: pinguedo ipſius corporis aſperitates explanare videtur. Semen Myagri pingue eſt, & quod in ipſo eſt oleoſum, meatus obducẽdi facultatẽ habet. Præterea hoc loco, Myagros quã alij Melampycnum, falsò legi in Græcis codicibus μελαμπυκνον pro μελάμπυρον putat, vt ex Dioſcoride liquet. Eſt & hîc obſeruandum, Melampyrum iſtud ab eo diuerſum eſſe de quo alibi diximus. Id autem triticum vaccinum, ſiue bouinum vulgò dicitur, quod fortaſsè μελάμπυρον Theophraſti & Galeni eſſe diximus. Eſt autem Myagrum ſiue Melampyrum,

Li. 4. c. 112. auctore Dioſcoride, herba ſurculacea, bicubitalis, folia habens rubiæ ſimilia,

Forma.

MYAGRVM, Dodon.



pallida, ſemen fœnogræco ſimile, pingue, quo vtuntur ad lucernas, torrefactum ipſum tundentes, & virgis oblinentes. Non eadem omninò Plinius tradit. Myagros herba ferulacea eſt, foliis ſimilis rubiæ, tripedanea, ſemen oleoſum, quod & fit ex eo. Dioſcorides herbam eſſe φρυγανώδη dixit, ideſt, ſurculaceam, Plinius ναρθηκώδη, ideſt, ferulaceã. Id Dioſcoridis Myagrum Ruellius, & eum ſecuti Dodonæus, atque alij docti herbarij, eam herbam eſſe putant, quæ Gallis *Cameline* & *Camemine* dicitur, Germanis *Flachdotter*, & *Leindotter*, nec eam Matthiolus ſine ratione intruſit. Cauliculos emittit illa rectos, rotundos, ſeſquicubitales aut maiores, in multos ſurculos fiſſos, folia longa, anguſta ferè rubiæ, denticulis in ambitu eminentibus. In ſurculorum ſummitatibus floſculi ſunt lutei, deinde caliculi lini, ſed magis compreſsi, in quibus ſemen fuluum ſeſamo aut fœnogræco ſimile, ſed duplò minus & oblongum. Legitur tamen in vulgatis Dioſcoridis exemplaribus ſemen τραχήλῳ ἐοικὸς, ideſt, collo ſimile, quod Ruellius emendauit, legitq; τήλει ἐοικὸς, ideſt, fœnogræco ſimile, quod & de toto caliculo accipi poteſt. Hanc plantam ruſtici in Angliæ, Batauiæ, Zelandiæ, Lotharingiæ, Leodij aruis ſerunt, quamuis & ſuæ ſpontis inter ſegetes inueniatur, melampyrum Græcis, ideſt,

Li. 27. ca. 12.

Li. 3. ca. 127.
Li. 4. ca. 35.

triticum

MYAGRVM Alterum minus, Dalecham.



PSEVDOMYAGRVM, Matthioli.



MYAGRVM Aliud Thlaspi effigie, Lobellij.



triticum nigrum ideò dicta. Semen in areis pauitis rura flagris decutiunt, & vannis in auram vento silentem iactant, dum siliquarum recrementa vanescant: tum trusatilibus molis subiiciunt, versandóque subinde oleum exprimunt, quo non ad lumina tantùm lucernarum, sed & ciborum quoque condimenta pauperes vtuntur, magno huius olei prouentu. Hanc ob causam quidam minus sesanum putarut. Hoc oleo, inquit Dioscorides, corporis scabritias læuigari, atque expoliri constat. Galenus scribit myagri semen pingue esse: nam, si tundatur, oleosum quid effundere, quod emplasticam vim habet. Diuersam ab his facultatem tribuit Plinius huic oleo, nempe quòd medeatur oris vlceribus eo perunctis. Sunt qui plantam quam ex Matthiolo hic ostedimus, legitimum Myagrum esse contendant, sed cum folia rubiæ non habeat, sed glasti potius, & semen ei sit nasturtij, non fœnogræci, ab eis dissentit Matthiolus, & non Myagrum sed Pseudomyagrum appellat. Nascitur passim inter linum & segetes, & eius semen auidissime ab auiculis expetitur: est enim dulce & gustui gratum. Myagrum alterum & minus hic depictum exhibent herbarij quidam, quod in agris, & nonnunquam in hortis gignitur, radiculis multis, candidis, tenuibus, foliis erythrodani, minoribus, pallentibus: cauliculis multis, pede altioribus, flore in summo cauliculorum vertice copioso, pusillo, purpura- Lib.27.c.12

ſcente, ſemine minutulo, pingui & oleoſo. Aliud Myagrum ex Lobellio hîc pingendum curauimus, quod iiſdem quibus Camelina oritur locis, Anglis & Belgis hortenſe, folio paruo, Narbonenſis Thlaſpi parui vel leucoij marini minimi. Floſculi confertim ſtipati vmbellam exprimunt, ſtellati, lutei, eryſimi vel thlaſpeos.

FILIPENDVLA ALPINA,
CAP. XXII.

Nomen. FILIPENDVLAM Alpinam vocant herbarij, quam gignunt ſumma Alpium iuga paſcuis, pratis, & vberrimo fœni prouentu greges innumeros atque armenta ſaginantia, atque inde ruſticos ditantia. *Locus.* Hæret illa radice craſſa, nigra, multifida. *Forma.* Folia ex radice profert longo pediculo nixa, quæ foliolis multis conſtant, toto ambitu minutiſſimè inciſis, ex aduerſo ſitis vt in Filipendula, quæ cauſa nominis fuit. Caulis pede altior, flores

nomen habet à numerosis illis et rotundis in radice capitib. quæ quasi ex filo quodam pendere uident.

Pediculoris dr. quod enecat pediculos

FILIPENDVLA Alpina.




PEDICVLARIS Maior, Alpina.



luteos ſpicatim ferè congeſtos in vertice ſuſtinet, quibus dilapſis vaſcula ſuccedunt oblonga, antirrhini loculis ſimilia, minuto ſemine plena. Huic affinis eſt quæ à quibuſdam Pedicularis maior vocatur, & in vertice Montis aurei, Gergobiæ Aruernorum propinqui gignitur, radice foris nigra, napi modo gracileſcente, rugoſa, nonnihil ſurculoſa: caule fermè cubitali, virgato, vnico: foliis filicis, in longo pediculo ordine collocatis, per ambitum crenatis, exeunte per caulem alternatim vnoquoque foliorum pediculo: flore pallido, ſpicatim in ſummo caule congeſto: ſemine copioſo, in latis corticoſis vaſculis concluſo, alyſſi modo.

GALE

GALEGA MONTANA, CAP. XXIII.



A Foliorum Galegæ similitudine, herbã hanc Galegam herbarij vocarunt, montanam autem vt à Galega vulgari discernerent natalium differentia. Nascitur hæc in asperis montibus, non in eorum quidem salebris aut præcipitiis, sed in ipsis culminibus, si qua vda planites illic occurrat. Radice nititur crassa, nigra, fibris longissimis & tenuissimis capillata, per summa terræ huc illuc oblique vagis. Caules multos edit pedales, teretes, folia galegæ, latiora, eminente costa per medium diuisa, minimè in ambitu dissecta, densiùs congesta: florem in summis caulibus pisi vel genistæ, luteum: siliquas nigras seminibus plenas, lenticulæ similibus. Efficacem esse aiunt contra venena, lumbricos, morbum caducum & pestem, non minùs quàm Galegam alteram.

Nomina / *Locus.* / *Forma.* / *Vires.*

DENTELLARIA, CAP. XXIIII.

QVIDAM Dentellariam hanc vocant, quæ in agri Monspeliaci locis aridis gignitur, radice nigra, supernè crassa, paulatim gracilescente, ima parte fibrata, caulibus multis, pedalibus, foliis longis, propè caulem angustis, in summitate latioribus, media costa diuisis, calendulæ ferè similibus, acerrimi gustus & caustici, in singulis caulibus septenis ferè, aut no-

Nomen. / *Locus.* / *Forma.*

DENTELLARIA.



DENTELLARIA Altera, Dod.



Dentellaria, et dentaria nominat. à forma radicis quæ ex pluribus squammis quasi dentibus componitur.

uenis,

uenis, quamobrem Enneaphyllum Plinij quidam esse putarunt: flore pusillo, copioso, valerianæ penè modo, purpureo, in summis ramis. Dentium doloribus medentur folia trita & carpis admota, pustulis enim inde excitatis, veluti in ambustis, humor dolorem efficiens reuellitur, vnde Dentellariæ nomen ei positum fuit. Eodem modo febris quartanæ paroxysmis incipientibus tusam ægrorum carpis admouent, vt rigores citiùs desinant, & natura sensu doloris irritata humorem noxium aut vomitionibus, aut sudoribus valentiùs expellat. Vlceratis quoq; eius impositu corporis aliquot partibus, forásque euocato pustulis ruptis seroso humore, pestis contagium vitari posse quidam affirmant: nempe venenatis succis pestilenti lue corpora nostra afficientibus, ab internis & principibus partibus, corde potissimum, ad exteriora & ignobiliora reuocatis. Huic iungemus Dentariā alteram Dodonæi & Herbariorum, siue Alabastritem alteram (prima Alabastrites explicata est in Libro, De iis quæ flore placent. Cap. De Anemone, trifoliæ Anemones Dodonæi nomine) Coralloidem alteram Cordi, quæ folia habet non Pentaphylli, quemadmodum Dentaria minor Matthioli, in lib. de Vmbrosis explicata, sed fraxim modo digesta, mediæ costæ annexa, oblonga, lata per margines crenata, crebrò ad vnam costam septena: flores candidos, & siliquas Dentariæ minoris Matthioli similes: radices asperas & squamosas.

POLYRRHISOS, CAP. XXV.

Nomina. A RADICVM multitudine herbæ huic nomen datum. Polyrrhizon inquit Plinius, folia habere myrti & radices multas, cui hanc congruere *Locus.* herbarij autumant, quæ asperis gaudet. Radice est multiplici, nigra, *Forma.* caulibus multis, angulosis, palmum altis: foliis myrti paulò obtusioribus, per interualla geminis: flore pallido, semine in oblongis vasculis. Radices tusæ, inquit Plin. dantur in vino contra serpentes: prosunt & quadrupedibus. *Polyrrh. latifolia.* Polyrrhizon aliam latifoliam vocant herbarij in Alpium obscuris riguísq; vallibus pro- *Locus.* *Forma.*

ῥίζα, ῥίζης radix
πολυ est multus

POLYRRHISOS Plin. Dalechampij.



POLYRRHISOS Latifolia, Dalechampij.



uenientem,

uenientem, radiculis multis, tenuibus, ab vno ceſpite confibratis, candidis, elleboro ſimilibus, circumquaque diffuſis, ob quam radicum multitudinem herbarij Polyrrhizi nomen indiderunt: caulibus multis ex vna radice prodeuntibus, ferè cubitalibus, foliis ſmyrnij, ſiue petroſelini Alexandrini Officinarum, in ambitu diſſectis, ad ſingulos ferè exortus quinis, venoſis, in acumen deſinentibus: flore candido, violæ ſimili, longiuſculis ſurculis fulto, quinque foliolis conſtante. Copioſa reperitur in montibus qui Muræ Allobrogũ oppidulo incumbunt, non procul à Gratianopoli. Valere aiunt ad vlcera maligna, & depaſcentia, pedúmque tumores.

ALYSSVM, *CAP. XXVI.*

ἌΛΥΣΣΟΝ Græcis, ſimiliter Alyſſum Latinis ſic dicitur, quòd morſos à cane rabido mirificè iuuet, auctoribus Galeno, Paulo, & Plinio. Varia autem eſt Alyſſi apud auctores hiſtoria. Plinius videtur rubiam minorem Alyſſum facere: cùm enim de erythrodano ſeu rubia maiore dixiſſet, ſubiungit. Diſtat ab eo qui Alyſſum vocatur, foliis tantùm, & ramis minoribus. Nomen accepit quod à cane commorſos rabiem ſentire non patitur potus ex aceto, adalligatúſque. Mirum eſt quod additur, ſaniem conſpecto omninò frutice eo ſiccari. Quæ poſtrema Cornarius ex veteri codice ſic emendauit. Mirum eſt quod additur, inſaniam cõſpecto omnino frutice eo ſanari. Alyſſum aliud deſcripſit Aetius his verbis. Alyſſum aiunt eſſe ſideritim heracleam appellatam, quæ iuxta vias naſcitur vbique, purpureum florem habens, & folia craſſiora. Nomẽ inuenit ex eo quòd commorſis à cane rabido mirificè ſuccurrit. Item Galenus de diuerſo ab his Alyſſo loquitur, conſcripta ab Aſclepiade medicamenta ad canis rabidi morſus commemorans. Alyſſum, inquit, herba eſt marrubio ſimilis, aſperior tamen, & magis aculeata: circa orbiculos florem ad cæruleum vergentem profert. Hanc ſub caniculæ æſtu colligere oportet, exſiccata cõtundi cribrari & ſeruari debet, ne diffletur. Hæc, opinor, Alyſſa omnia à Dioſcoridis alyſſo diſcepant, ſic enim is ſuum deſcripſit. Alyſſum paruus eſt frutex, ſubaſper, folia habẽs rotunda, fructum

Nomina. λύσσα, est rabies proprie significat furore canis in quem sub canicula maxime aguntur

Lib.24.c.11

hinc Alyssum quasi contra rabiem


Lib.1.

Lib.2.Ant.

Lib.3.c.89.

Forma.

ALYSSVM, Dodonæi.



ALYSSVM, Dalechampij.



duplicis

duplicis ſcuti figura, in quo ſemen quadantenus latum. Naſcitur in montibus, & aſperis locis.Huic Dioſcoridis Alyſſo nulla planta meliùs quadrare videtur, quàm quæ hîc ex Dodonæo pro alyſſo deſcripta & depicta eſt,à recentioribus quibuſdã Lunaria maior appellata. Eſt enim caule recto, rotundo, cubitum alto, supernè in tres quatuórve ſurculos ſeſe findente: foliis primùm rotundis, deinde longis, incanis, ac nonnihil tomentoſis,aſperiuſculis,radice exili. In ſurculorum faſtigiis floſculi multi lutei nitent, deinde folliculi aſperi, candicantes, compreſsi,in rotunditate oblongi, clypeolorum effigie, quos duplicatos facit membranula diuidens vtrinque ſeminum ſeriem duplicem, quæ ſunt compreſſa, leucoij ſimilia, ſed maiora. In hortis colitur ab herbariis.Iunio floret,Iulio ſemen maturum eſt. Luculentiore figura ſic expreſſimus.Plantam aliam Itali fecerũt Alyſſum, vel Alyſſi genus, quos ſecutus Matthiolus libro tertio omiſſam tãdem depinxit. At doctiorum omnium Monſpelienſium,apud quos frequens oritur,ſententia, thlaſpeos generibus adnumeranda eſt,non Alyſſi, cui multò aptiùs cõuenit, à Dodonæo depicta. Alyſſa alia herbarij depingunt,minus videlicet, quod in ſabuloſis creſcit, radice candida, parùm fibrata, ſatis longa, cauliculis multis, rotundis, lanuginoſis,ſupra terram parùm extantibus: foliis multis albicantibus,& tanquam cinere conſperſis, aizoo minori ſimilibus,ſi rotunda & non lata forent, guſtu fatuis cum paucula adſtrictione: flore in ſummis virgis copioſo, luteo, ſemine lini, minuto, ruſo, in loculis ſcuto ſimilibus, duplicibus,mẽbrana tenui & pellucida diſtinctis. Alyſſum aliud trigonum ob loculorum ſeminis triquetram figuram nominant,quod naſcitur in aſperis,lapidoſis,& ſolis diuturna mora æſtuoſis locis: radice breui, lignoſa, parùm fibrata, caulibus tribus aut quatuor palmum altis, foliis oblongis, anguſtis,in ambitu minimè diuiſis, per interualla prodeuntibus, flore Aprili emicante: ſemine rotũdo, minuto,papaueri ſimili in conceptaculis triãgularibus, ſcuto figura ſimilibus, vt & in Alyſſo. Aliud Alyſſum oſtendit Lobellius, Germanicũ Echioides, ſiue facie Molluginis,Aparine Plinij creditum.E radice geniculatis,bicubitalibus,cauliculis aſperis, Aparines ritu vicina quæuis arripit: folia bina & terna ex atro virentia,Echij modo hiſpida,Rubiæ paria, & aliquando maiora,floſculi purpurei violacei, Echij minores verticillatim Cruciatæ modo à medio caule ſumme tenus diſpoſiti. Semen inuolucris

Lib.1.c.70.

ALYSSVM, Matth.



Pet. Pe. in Ad.

Alyſſum minus.

Locus.

Forma.

ALYSSVM Minus, Dalechampij.



Alyſ.trigo.

Locus.

Forma.

Lib.3.c.89.

uolucris foliaceis ſinuoſis ſeſamo ſimile aut Thlaſpi, fuſcum, guſtanti dulcè clauditur. Vniuerſa planta guſtu Echium æmulatur. Eximias Alyſſi vires tradit Dioſcorides, his verbis. Alyſſi decoctum, inquit, ſingultus ſine febri potu diſcutit, idem efficit ſi quis teneat, aut odoretur. Cum melle tritum lentigines, & maculas

ALYSSVM Trigonum, Dalechampij.



ALYSSVM Germanicum Echioides, Lobel.



ſole contractas purgat. Putatur & rabiem canis ſanare contuſum in edulio, & exhibitum (ſunt enim hæc Dioſcoridis verba, δοκεῖ δὲ καὶ λύσσαν κυνὸς ἰᾶσϑαι συγκοπὲν ἐδέσμασι καὶ δοϑὲν, quibus ſignificare videtur, Alyſſum ipſius canis rabiem ſanare, niſi λύσσαν κυνὸς eam rabiem, quæ ex cane homini inducta ſit accipere velimus, vel legatur locus is vt in veteri codice, δοκεῖ δὲ καὶ λυσσοδήκτους ἰᾶσϑαι, &c. id eſt, contuſum in cibis exhibitúmque, iis, quos rabidus canis momordit, mederi videtur.) Sed & in domo ſuſpenſum ſalutare eſſe creditur, tum hominibus, tum aliis animalibus, ne à faſcino lædantur. Quin & puniceo panniculo alligatum, pecorum morbos abigit. Quod verò de ſingultu ille, idem Plutarchus ſcripſit, τὴν δὲ ἄλυσσον καλουμένην βοτάνην καὶ λαβόντες εἰς τὴν χεῖρα μόνον, οἱ δὲ καὶ προσβλέψαντες, ἀπαλλάττονται λυγμοῦ. Id eſt, Alyſſum herbam manu tenentes ſolùm, alij verò intuentes, ſingultu liberantur. Galenus dilucidiùs eius facultates declarat. Nuncupata eſt Alyſſum herba, quòd mirificè iuuet morſos à cane rabido: ſed & rabienti quoque data ſæpè in totum ſanauit, atque hoc ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine efficit, dictúmque priùs eſt talem facultatem ſola percipi experientia, & planè nulla conſtare methodo. Quod ſi quis ad multa experiatur, cognoſcet facultatem habere mediocriter ſiccantem & digerentem, cum hoc vt abſterſorium nonnihil etiam obtineat. Hac ratione & vitiliginem & ephelim purgat.

And.Lac.

Lib.3.Sym.

Lib.6.ſim.

ASCLEPIAS, *CAP. XXVII.*

Nomina ἈΣΚΛΗΠΙΆΣ Græcis, Aſclepias Latinis, quibuſdam κίσσιον, id eſt, hederula, & κισσόφυλλον, hederæfolium, Herbariis Hirundinaria, Officinis Vincetoxicum, Germanis *Schuualbenuurtz* appellatur. Aſclepias
Forma. autem ab Aeſculapio, qui Ἀσκληπιὸς Græcis dicitur, antiquo medicinæ auctore, nominata eſt: hirundinaria verò à ſiliquis quas producit, quæ dehiſcen-
ratio etymologiæ tes plumoſum ſemen oſtendunt, atq; adeò hirundinis effigiem referunt. Vincetoxicum, vel rectiùs νικητοξικόν, quòd illi inſignis aduerſus venena vis inſit. Aſclepias, vt deſcribit Dioſcorides, ramulos profert longos, in quibus folia longa, hederæ ſimilia, radices multas, tenues, odoratas, flores grauiter olentes, ſemen ſecuridacæ.
Lib.3.c.90. Naſcitur in montibus. Eadem prorſus Plinius habet. Aſclepias folia hederæ habet,
Lib.27.c.5. ramos longos, radices numeroſas, tenues, odoratas, floris virus graue, ſemen ſecuridacæ. Naſcitur in montibus. Ex qua deſcriptione perſpicuum eſt Fuchſium & Do-
Cap.45. Lib.3.c.4. donæum rectè Vincetoxicũ pro Aſclepiade depinxiſſe, illumq; à Matthiolo minùs
In cap.90. lib.3. rectè reprehenſum. Nam caules fert læues, rotundos, tenues, flexiles, fractu contu-

VINCETOXICVM ſiue Aſclepias, Fuch.



VINCETOXICVM, Matthioli.



maces, cubito altiores, in his folia quidem hederæ, rigida, ex atro virentia, ſed aliquantò longiora, & quaſi supernè mucronata: flores in petiolis exiguos, candicantes, odoris grauis, & ingrati, herba virente, quibus ſuccreſcunt ſiliquæ teretes, oblongæ, quæ dehiſcentes ſemen cohibent ſecuridacæ ſimile, id eſt, rufum & latum, lanugine obuolutum. Radices longæ ſunt, rotundæ, innumeris ferè capillamentis fibratæ, odoratæ. His accedit locus natalis, prouenit enim in montibus aſperis, altis & arenoſis, aut aridis collibus, præſertim Narbonæ, & apud Ligures Taurinos. Præ-
Lib.3.c.90. tereà vires conſentiunt. Radices cum vino potæ, inquit Dioſco. torminibus & venenatorum morſibus auxiliantur, folia impoſita ad mammarum & vteri maligna
Lib.27.c.5. vlcera faciunt. Sic Plinius. Radices torminibus medentur, & cõtra ſerpentium ictus non ſolùm potu, ſed etiam illitu. Galenus ait Dioſcoridem de Aſclepiade ſcripſiſſe

ſe verò

se verò nondum eius periculum fecisse. At Paulus scribit calidam siccamq; esse, & tenuis substantiæ: torminibus in vino potam competere, illitam verò venenatorũ morsibus, & malignis mammarum ac vteri vitiis succurrere. Sic vincetoxicũ amarum est, parùm glutinosa eius radix. Folia aliquam præseferunt adstrictionem. Recentiores eius radice vsi, primùm cùm aduersus venena, tum ad vlcera, magnũ sibi & plantæ nomen pepererũt, neq; posteri potuerunt posteà adduci, quin pro Asclepiade agnoscerent & vterentur. Adhæc eiusdem radice vtuntur magna efficacia ad mensium prouocationem, & ad rabidi canis morsum, eandem in vino maceratam & coctam hydropicis mirè auxiliari tradunt: flores prætereà foliáque siccata, mox trita vulneribus vtiliter inspergi aiunt, sordida etiam vlcera purgare, & ad cicatricem perducere, genitaliúmque vitiis & rupturis egregiè mederi docent. Ob superioris asclepiadis similitudinem, herbarij hîc appictam Asclepiada nigram vocant, à floris colore. Est enim antedictæ toto plantæ habitu similis, viribúsque iisdem prædita, solo floris atro colore discrepans. Eadem prorsus, opinor Lobellij est Asclepias altera flore nigro, siue aliud Vincetoxicum, in agri Mõspeliẽsis collibus. Frontignani vicinis, & Belgij hortis, quod à floris pullo colore, nonnihil purpurante, minimè albo, vt alterius, nigrum vocatur, cauliculis flexuosis ternûm & quaternûm cubitorum, proxima quæuis fulcra Periplocæ modo, quam etiam quia refert, Periplocam fecerunt, scandendo ambit: cætera priori similia, succo pallido turget.

Lib.7.

Fuch. Ibid. Pena in Ad.

ASCLEPIAS Nigra, Dalechampij.



CERINTHE PLINII. CAP. XXVIII.



PLINIVS Cerinthen scribit esse folio candido, incuruo, cubitalem, capite concauo, mellis succum habente, horum floris auidissimas esse apes. Quam herbam coniectarunt docti herbarij esse eam quæ hîc depingitur, in aridis & apricis prouenientem, radice longa & crassa, caulibus multis, rotundis, pedalibus, foliis longis in acutum desinentibus, supernè candidis, punctis quasi de industria notatis, infernè villosis, caulem ima sui parte sic ambientibus, vt per rimam in iis diuulsis caulis traiicere videatur. In surculos caules diuiduntur, qui florem oblongum dactilidi similem, sed minorem, luteum, in cacumine fundunt, quo delapso in vasculis minutum semen continetur, per ambitum crenatis, extante in medio apice tenuissimo. Pulmonariam & alias plurimas plantas videmus maculis insignes, sed quæ tam crebris & densis, atq; ita distinctis conspersa sit, nullam hactenus vidi. Parisienses in hortis alunt, ac nominis huius ignari telephium vocãt.

Lib. 21. c. 12

Locus.

Forma. ανθος est flos
κηρος, cera apud Graecos
κηρινθον, et κηρινθε dr.
quia proferat florem cerei coloris
vel quia sit papulum apud quod conficiunt ceram

ELLEBORINE PVNICEA, CAP. XXIX.

Nomina A Floris puniceo siue ferrugineo colore, & foliorum cum Elleboro albo ſimilitudine, hanc Elleborinem ferrugineam ſiue puniceam nominarũt herbarij, quam ab Elleborine Dioſcoridis plurimùm differre non ignorant. *Locus.* Eſt, inquiunt Pena & Lobellius, recentiorum calceolus Mariæ, Damaſonium nothum Dodonæi de florib. In aſperis, ſitientibus, & confragoſis montium iugis naſcitur, *Forma.* radice obliqua polygonati modo carnoſa, ſubrufa, in quamplurimas fibras, huc illuc vagantes diuaricata: foliis Ellebori albi, ſeptem aut octo, latis, venoſis, ima ſui parte caulem amplectentibus, nec ab eo ſeparatis: caule pedali, flore in caulis vertice vnico, in quatuor foliola, radiis ſimilia extrinſecus diuiſo, quorum duo latiora ſunt, duo anguſtiora, ferruginei coloris. Hæc cauum quidpiam galero aut calatho ſimile circundant luteum, intrinſecus lineis rubris virgatum. Ex radiorum medio velut ex aperto hiantéque rictu lingua duplex porrigitur, candicans, canaliculata, extrorſum altera, altera introrſum, exili breuíque fulta pediculo, eleganti & planè admiranda floris ſpecie. *Tempus.* Maio menſe floret. *Vires.* Amari guſtus eſt, & odoris nonnihil grauis. Vulnerariam herbam eſſe, plagáſque recenter illatas ſanare aiunt.

ELLEBORINE Ferruginea, Dalechampij.

calceolus a figura quã [pani calcei] flos representat.



THALIETRVM, Dodon. CAP. XXX.



Nomina QVod Græcis θάλικτρον & θαλίητρον nominatur, ſimiliter Latinis Thalictrum & Thalietrum. Id ſic dedeſcripſit Dioſcor. *Lib.4.c.93.* *Forma.* Thalietrum folia coriandro ſimilia habet, ſed pinguiora, caulem rutæ craſſitudine, in quo folia. Plinius iiſdẽ *Lib.27.c.13* ferè verbis depinxit. Thalietrũ folia coriandri habet, pinguiora paulò, caulem papaueris, naſcitur vbique præcipuè in campeſtribus. In quibus μήκωνος legiſſe videtur, id eſt, papaueris, pro πηγάνου, id eſt, rutæ. Dioſcoridem ſecutus eſt Galenus ſcribens. *Lib.6. ſim.* Thalietrum folia habet coriandro ſimilia, caulem craſſitudine rutæ. Sed tam ſuccincta delineatio facit, vt alij aliam herbam pro Thalictro exhibeãt. Doctiores tamen eam quæ hodie à Chirurgis Sophia dicitur, Germanis *Vuelſomen*, Thalietrum eſſe aſſerunt, tum propter figuram aptè congruentem, tum propter eximias ſanandi vlcera maligna vires. *Forma. Dodo. lib. 1.cap.77. Pena in Aduer.* Eſt enim foliis minutiſsimè inciſis, coriandri, ſed

tenuioribus,

tenuioribus, aut abſinthij Romani albicantibus, caulibus ſeſquicubitalibus, rotundis, rectis, lignoſis, rutaceis, pallidulos vel luteos flores in ſummo proferẽtibus erucæ, vel ſinapi ſilueſtris, nec diſsimiles ſiliquas, ſed exiliores, ſemen exile, rubellum cohibentes. *Locus.* Secus vias, incultis locis, maceriiſq; frequens eſt. *Tempus.* Iunio menſe floret in Septembrẽ vſq;. Talictrum, inquit Dioſcorides, vlcera antiqua ad cicatricem perducit. *Ibidem.* Scribit Galenus vim ei ineſſe exſiccatoriã citra morſum, quare vlcera inueterata cicatrice obducere. *Vires & Temper.* Plinius folia mederi vlceribus ait cum melle. *Lib. 6. ſim.* Sic Sophiam tradiderunt Chirurgi practici, qui ætate Guidonis, & Petri Argelatæ vixerunt vlcera antiquata & maligna ſanare & glutinare, ſemen eius cum vino aut aqua chalybeata potum dyſenteriam, alui & ſanguinis fluxiones cohibere. *Ibid.* Fuchſius, Tragus, Cordus, perperàm Seriphium Germanicum fecêre. *Cap. 31.*

ATHANASIA LEVCANTHEMOS, CAP. XXXI.



ATHANASIA leucãthemos in nemoribus & dumetis aridis prouenit, radice plurimis fibris capillata, caule cubitali, & nonnunquam altiore, ramis multis brachiato, foliis Athanaſiæ chryſanthemi, paulò magis diſſectis, coriandri ferè inciſuris, guſtu principiò ſubdulcibus, ſed cùm diu manſa fuerint, os & fauces incendentibus, pyrethri ferè modo, ſed imbecillius: flore in ramorum faſtigio radiato, per ambitum candido, intus melino. *Locus.* Hanc plantam Vchnam albam eſſe Auicennæ quidam volunt: vel, vt legit Bellunenſis, Achnam, citrinam verò Athanaſiam chryſanthemum, licet interpres Vchnam conuertat matricariam, quam vnius tantùm generis & non duplicem agnoſcimus, vt proptereà interpreti fides minùs habenda ſit. *Lib. 2. c. 73.* Cæterùm huic noſtræ plantæ conuenit quod Auicenna ſcripſit, Vchnam candidam lutea valentiorẽ eſſe. Hæc enim vt Athanaſiæ luteæ saporẽ perquàm amarum feruida acrimonia ſua longè vincit, ſic ab ea odoris gratia ſuperatur. Quare hæc videtur eſſe Tanacetum nõ odorum ſilueſtre Lobellij & Penæ, ſponte in Delphinatu propè Valentiam frequens, nullo odore præditum.

AMBROSIA, CAP. XXXII.

QVEMADMODVM Ἀμβρόσια veteribus Græcis τὸ τῶν θεῶν βρῶμα, id eſt, deorum cibus dicitur, quòd mortales eam non edant, vel quòd qui eam ederint immortales euadant, ita eximiæ fragrantiæ gratia etiam diuis expetita, ne dum coronamentis, plantæ Ambroſiæ nomen dedit, vel quòd eius in cibis vſus longæuos faciat homines. *Nomina* Hæc, vt ſcribit Dioſcorides, frutex exiguus eſt, tres palmos altus, ramoſus, folia habens circa caulis exortum parua, vt rutæ. *Lib. 3. c. 112.* *Forma* At cauliculi ſeminibus referti ſunt, ſimilibus racemulis, qui nunquã florent, odor eſt vinoſus, iucundus, radix tenuis, longitudinis duorum palmorum. Nectitur in Cappadocia in coronas. Plinius eadem tradit. *Lib. 27. c. 4.* Ambroſia vagi nominis eſt, & circa alias herbas fluctuantis, fruticem vnũ habet, denſum, ramoſum, tenuem, trium ferè palmorum, tertia parte radice breuiore, foliis rutæ. Circa imum caulem in ramulis ſemen eſt, vuis dependentibus, odore vinoſo, qua de cauſa Botrys à qui-

βροτὸς mortalis ἄμβροτος immortalis item ἀμβρόσιος adjicit. μ euphoniae gratia non debet dici ἄβροτος

In cap. 112. lib. 3. busdam vocatur, ab aliis Artemisia. Coronãtur ea Cappadoces. Matthiolus genuinam Ambrosiam quam hîc depinximus, esse credit, eadem quæ Ambrosia spontanea strigosior Lobellij: alteram tamen quam prima Latinorum commentariorum editione pro vera expresserat, etiam Ambrosiam facit, vt altera mas, altera fœmina dici posit, aut certè congeneres plantæ vt ambę censeantur. Verùm posterior non

Ambrosia tenuifolia.

AMBROSIA Prima, Matth.



AMBROSIA Altera, Matth.



AMBROSIA Hortensis procerior, Lobellij.



AMBROSIA, Montana.



Ambrosia, sed Artemisia tenuifolia multis videtur esse. Saxosis locis sponte nascebatur Ambrosia, nunc non nisi in hortis colitur, in quibus si procerior quàm quæ sponte oritur, fuit, non est quod quis ob id Ambrosiam esse neget, cùm planta aridis vel saxosis locis nata, si in hortis colatur, facilè incrementum capere, & habitior atque vegetior reddi posit, qualem pictura hæc ostendit, quæ est Ambrosiæ hortensis campestrem & spōte enatam foliorum magnitudine, longè superantis, odore, sapore, habitu non diuersis. Vires Ambrosiæ à veteribus asignatæ tam egregiæ appellationi haud respondent. Vim habet, inquit Dioscorides, sistendi ac reprimendi, & illitu adstringendi humores, qui in aliquam partem illabuntur. Plinius, vsus eius ad ea quæ discuti opus est. Verũ his verbis Plinius vim repellendi ἀποκρουστικὴν Dioscoridi dictam, in vim discutiendi διαφορητικὴν appellatam commutauit. Nam & Galenus scribit Ambrosiam illitam vim habere adstringentem & repellentem. His subiungemus plantam quam Ambrosiam montanam Herbarij vocant. Quæ ex obseruatione Dalechampij, in Allobrogum monte Gratianopoli vicino quem Diui Ænardi vocant, in alta & opaca silua gignitur, fruticosa, exili radice, prolixa admodùm, lignosa, nigricante: quatuor aut quinque cauliculis, dodrantalibus erectis: foliis Idææ viti aut pruno siluestri similibus, venosis, subrotundis, in ambitu nonnihil serratis, quatuor aut quinque ferè simul ex eodem in caulibus loco prodeuntibus: bullis multis absque flore, in caulium summis virgulis racemetim cohærentibus, angulosis, subrotundis, prominente è singulis apice, muscarum rostro siue proboscidi simili, saporis acerbi.

Locus. *Forma.* Ibidem. Li.6.simpl. *Locus.* *Forma.*

ANTHYLLIS, CAP. XXXIII.

ANTHYLLIDES aliquot explicauimus in libro de maritimis plantis, quasdam alasi hoc aptiore loco declarabimus. Primùm eam quam Anthyllidem secundam vocant herbarij, Monspelienses Iuam muscatã, in agro Monspeliensi vbique nascentem, radice crassiuscula, modicè fibrata, non admodùm longa, candicante, tribus aut quatuor cauliculis, dodrãtalibus, minimè surculosis, ex eadem radice surgentibus: foliis Chamæpithyos tertiæ circum caules densis, in vertice potissimùm, oblongis, in ambitu dissectis, sed non Chamæpiteos modo in triafoliola fisis: flore pu pureo ad foliorũ exortum ex interstitiis prodeunte, odorato: semine in vasculis exiguo. Eandẽ agnouit Pena, & Anthyllidem Chamæpityoidem vocat, quæ in oliuetis, inquit, & aridis aruorum marginibus Narbonæ ac Galloprouinciæ fruticat, nec alibi temerè nota. Moschata autem vulgò vocata fuit, quòd odora quidem sit, sed olfactu minimè grata, nec pinum redoleat, veræ & odoratæ chamæpityi cognata, sed rigidioribus surculis, sarmentosis, lignosis, breuioribus, foliis latioribus, longioribus, leuiter incisis, copiosis, lanugine obductis: floribus inter hæc maioribus, purpureis, semine hirsuto: radice lignea, gustu amaro, ingrata tota, & nonnihil styptica. Clusius Anthyllidis alterius nomine depinxit. Alia est Anthyllis montana, quæ in vmbrosis montibus nascitur, radice breui, contorta, alba, modicè fibrata, caulibus

ANTHYLLIS, II. Herbariorum.



ANTHYLLIS Montana.



ANTHYLLIS Altera Italorum, Lobellij.



multis,palmûm altis,rotundis,foliis denſis,per caules alternatim diſpoſitis,longis, linariæ modo,propè caulem trifidis , guſtu ſubſalſis , è quorum medio , flos exit, deinde ſemen minutulum in rotundis loculis lino ſimilibus , quibus herbaceus apex veluti præfixus inſidet. Lobellius pinxit Anthyllidem alteram Italorum Camphoratæ congenerem(de qua in fine libri huius dicemus) ſtirpem tenuifoliã, humilem pinum exprimentem , quam Dioſcoridis alterum Anthyllidem Aiugæ foliis & ramulis putabant Itali docti. Sed quum minùs olida ſit, Monſpelienſium Iuam Moſchatam pro ſecunda Anthyllide retinendam cenſet.Surculis,foliis, ortu & facie Camphoratam adumbrat:ſed exilior tota & ſummis virgultis,tomentoſis, muſcoſis floſculis,luteo pallentibus, guſtatu præſiccis.

LINARIÆ, CAP. XXXIIII.

MVLTAS Linariæ ſpecies herbarij obſeruarunt , quarum aliquot hîc depinximus.Prima eſt Linaria tenuifolia cognominata,quæ in aridis, macris,& perflatis naſcitur:radice valde capillata, nigra:caulibus mul- *Locus.* tis,dodrantalibus,rotundis:folio lini,tenuiſsimo & ſubtiliſsimo:ſapo- *Forma.* ris ſubauſter :flore copioſo:priuſquam hiet,rubente:cùm apertus eſt,ex rubro albicante:ſemine minutulo:in oblongis & corticoſis vaſculis. *Linar. cærulea.* Linaria cærulea radicẽ mittit duram,lignoſam,albam:folia proximè radicem multa, burſæ paſtoris ſimi- *Forma.* lia,laciniata,rariuſculè venoſa:caulem cubito proceriorem,foliis veſtitum, longis, Linariæ ſimilibus,anguſtioribus,nigrioribus,per ambitum minimè inciſis , quinis ſeníſve ex vno pediculo in caule extante ſimul prodeuntibus,capillacea tenuitate: ramulis multis , gracilibus : flore copioſo,ex cæruleo albicante,in thyrſi modum *Locus.* congeſto,quo decidente vaſcula ſubſequuntur infernè valde compreſſa , supernè *Tempus.* latiora,bifida, vt in Elatine. Gignitur in aridis,ſquallẽtibus & apricis.Floret Maio *Vires.* deſinente. Totius plantæ ſapor amarus eſt. Vlcera ſordida purgat, lumbricos interficit,

LINARIA Tenuifolia.



LINARIA Cærulea, Dalech.



LINARIA Odorata, Dod.



LINARIA Minor, Dalech.



interficit, obstructiones expedit. Linariam odoratam profert ager Lugduno vicinus foliis similem vulgari. Cæterùm huius flos ex cæruleo candicat, vulgaris subluteus est, & corniculata cauda terminatus, ille minimè: præterea suauissimè olet, quamobrem odoratam vocauerunt, cùm vulgaris flos grauem odorem spiret. Linariam odoratã etiam pinxerunt Dodonæus & Clusius, quæ singulari est caule, nonnunquam cubitali, in multos tenues ramulos supernè diuiso, quos oblonga folia,

folia, lino ſimilia ambiunt, quæ tamen iuxta radicem ſunt humi ſparſa, longè maiora latioráque, bellidis foliis ſimilia, ſed per ambitum ſerrata, nonnulla etiam per caulem ſparſa, altiùs inciſa: flos exiguus, copioſus virgulis ſeu ramulis ſpicatim inſidet, cæruleus, lauandulæ ferè æmulus extrema parte hamuli inſtar incuruus (quem pictor non ſatis accuratè expreſsit) aliquantulum odorus: ſemen exiguum, rufum, in valuulis, linariæ ſimilibus, ſed minoribus continetur. Radice eſt ſingulari, candicante, minimi interdum digiti craſsitudine. Sponte prouenit montoſis Caſtellæ locis, lapidoſo & arido ſolo, vbi Aprili floret, & Maio, Iunioq; ſemen profert. Linaria minor in ſaxoſis & aſperis Arbæ fluuij propè Geneuam ripis gignitur: radice breui, nigricante, capillata: cauliculis multis, dodrantalibus: folio lini, numeroſo: flore purpureo, corniculo ſimili, phœniceum verticem amplectente, & contegente: ſemine paruo, in rotundis vaſculis, lino ſimilibus, præfixo pilo tenuiſsimo inſignibus, capreolo ſimili. His addenda ex Lobellio Linoſyris recentiorum, quã ſic vocarunt propter ſimilitudinem cum Linariis & Scopariis. Eſt enim virgis rigidis & foliis Scopariæ aut Oſyridis vulgaris: ſed flores in ſummitatibus luteo fuluo languent, Aſteris montani anguſtifolij vel Crithmi Chryſanthemi ſitu & poſitu: parilitate & effigie conyzæ maioris aut minoris. Cauliculi pedem & cubi-

LINOSYRIS Recentiorum, Lobell.



LINARIA Aurea, Tragi.



PASSERINA, Linariæ folio, Lobellij.



tum

tum æquant. Hanc in collibus Narbonensis Galliæ non procul à mari erutam meminit Lobellius: qua ad Balnea propè Frontignanum itur. Est acris gustãti, glutinosa, amaricans, Senæ æmulo sapore, ad Thymelæam accedente. Tum Linaria aurea Tragi, Hyssopus vmbellifera Dioscor. Guillandino, Helichrysi genus. Prorsus genere eadem Linosyridi videtur: facie siquidem, iisdem foliis & cubitalibus summis alis multifidis cauliculis neutiquam diuersa: sed extrema florum bullata capitula copiosis aureis villis referta, fulgent: radix lignosa, fibrata, semen exiguũ. Prætereà Passerina Linariæ folio, Linariis ob similẽ effigiem reddẽda: folia etenim Linariæ similia, sed aceruatim in capitulis coriandrinis seminibus paribus, summis Chrysocomes similibus, pallidioribus, surculosis pediculis lini flosculi pallentes. Ex agro Monspeliensi oriunda. Hæc Lobellius.

HYPERICVM. CAP. XXXV.

QVAE planta Græcis ὑπερικὸν, ἀνδρόσαιμον & χαμαιπίτυς, Latinis similiter Hypericum, Androsæmum, & Chamæpitys nominatur, Mauritanis *Reiofricon*, & *Reiofaricon*, Italis *Hyperico*, & *Perforata*, Germanis *S. Iohanskraut*, Hispanis *Coraconcillo*, Gallis *Millepertuys*. Androsæmum ob florem, qui digitis confricatus sanguineum emittit liquorem, dixerunt: Chamæpityn verò ab odore seminis resinaceo: Perforatam, & *Millepertuys*, quòd folia soli obuersa innumeris foraminibus scatere, & omni ex parte punctis quibusdam pertusa esse videantur, quod neque à Dioscoride, neque à Plinio annotatum fuit. *Nomina*

Hypericum, vt descripsit Dioscorides, frutex est surculosus, palmi altitudine, folia habens rutæ similia, florem luteum, (in vulgatis Græcis exemplaribus Leucoij mentio nulla, in Oribasio tamen legitur, ἄνθος ἔχον μήλινον, λευκοΐῳ ὅμοιον, idest, florem habens luteum, Leucoio similem, quam lectionem Matthiolus approbat. Nam Hypericum floris colore violam luteam proximè refert, vtendumq; voce Græca Leucoij cẽset, ne ex albo aliqua suboriatur difficultas, quod fortasse Marcel. Florentino imposuit, qui florem Hyperici album interpretatus est,) qui inter digitos tritus sanguineum succum remittit, ramulos subhirsutos, in rotundo oblongos, magnitudine hordei (inemendati sunt hoc loco vulgati codices Græci, κλωνάρια ὑποδάσεα, προμήκη, ἐν τῷ περιφερεῖ, μέγεθος κριθῆς, ἐν ᾧ σπέρμα, &c. in quibus necessario deest vox, locũ quo semen cõtineatur significans. Quare hanc lectionem minimè secutus Ruellius legisse videtur, περικάρπια ὑποδάσεα, vertit enim subhirsuta siliqua, & in rotundo oblonga, hordei magnitudine, semine intus nigro, &c. Cornarius verò sic legit, κλωνάρια ὑποδάσεα, καρπὸν προμήκη, &c. Idest, ramulos subhirsutos, fructum in rotundo oblongum, hordei magnitudine, &c.) in quo semen nigrum, resinã olens. *Lib. 3. c. 153.* *Forma.*

HYPERICVM, Matth.



Nascitur in locis cultis, & asperis. Ex hac Græci codicis emendatione, & præcipuarum huius plantæ notarum declaratione, neminem latere potest, eam Hypericum Dioscoridis esse, quæ hodie à Medicis & Chirurgis maximè celebratur, & vsu quotidiano vsurpatur. Sunt autem notæ maximè duæ, quæ id certò demonstrant: *Locus.*

nempe

nempe cruentus florum contritorum ſuccus, qui odori ſunt, pingues, glutinoſo cõtactu hærentes, & ſeminis odor reſinaceus, in pericarpiis copioſi, amari & ingrati guſtanti. Plinius non omninò Diſcoridi conſentit, etiamſi de eadem herba agat, his verbis. Eadem præſtat Hypericum, quam alij Chamæpityn, alij Conon appellant, oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente, folio rutæ, odore acri, ſemine in ſiliqua nigro, matureſcente cum hordeo. Hæc Plinius. Hypericum æſtate floret, Iulio potiſsimùm & Auguſto menſibus. Vim habet ciendi vrinã, auctore Dioſcoride, & ducendi menſes appoſitum. A tertianis quartaníſque cum vino potum liberat. Semen quadraginta diebus potum iſchiadicis medetur. Folia cum ſemine illita ſanant ambuſta. Natura ſemini Hyperici ſpiſſandi, inquit Plinius, aluum ſiſtit, vrinam ciet. Ad calculos veſicæ cum vino bibitur. Galenus verò ſcribit calefacere & ſiccare, eſſentiæq; tenuis eſſe, adeò vt & menſes & vrinas prouocet. Sed ad hæc totum ſumendum eſſe fructum, non tantùm ſemen. Porrò cum foliis viridem illitam ad cicatricem ducere cũ alia, tum omnia ambuſta. Cæterùm ſi ſicca contuſa inſpergas, humida & putredinoſa vlcera ſanare. Sunt & qui iſchiadicis bibendũ exhibeãt. Hyperico, vt ſcribit Matthiolus, vis ineſt reſerãdi, reſoluẽdi, agglutinãdi, atque etiam cohibendi. Epotum ſemen ex vino calculos eiicit, & venenis aduerſatur, venenatorumq; morſibus reſiſtit, tum idem potum, tum herba ipſa deuorata hauſtáve, tum morſibus illita. Aqua ſtillatitia floreſcentis herbæ maximè prodeſſe dicitur comitialibus & reſolutis, ſi iis potanda detur. Datur ſeminis farina cõmodè cum Polygoni ſucco ad ſanguinis reiectiones. Ineſt floribus & ſemini mira facultas ad vulnera omnia ſananda, præter ea quæ in capite ſunt. Ideoq; oleum in quo diu flores & ſemine prægnantes ſiliquæ maceratæ fuerint, diuq; inſolatæ, mirificè recentia vulnera ſanant: ſed id efficaciùs præſtat, ſi cum lariceæ, aut abiegnæ lacrymæ oleo miſceatur. Idem per ſe ventri illitum dyſentericos iuuat, potum verò cochlearis mẽſura lũbricos necat. Cluſius Hyperici genus oſtendit, quod multis cõſtat ramulis per terram ſtratis, numeroſis, confertíſque foliis eos ambientibus, alteri Hyperico ſimilibus, ſed planè tomentoſis & incanis: flores ſunt ſecundũ ramulos lutei, aliquantulum tamen pallidiores & minores quã in vulgari, quibus ſuccedunt capitula vulgari ſimilia: radix lignoſa

Marginal notes: Li.26.ca.8. — Tempus. — Vires. — Lib 26.c.8. — Li.8.ſimpl. — Ca.153.li.3. — Li.2. Stirp. Hiſp. c.70.

HYPERICVM Humi ſtratum, Cluſij.



HYPERICVM Tomentoſum, Lobelij.



HYPERICVM Syriacum, Lobellij.



lignoſa & dura:rami etiam ipſi per terram ſtrati radices & fibras agunt. In conuallibus quibuſdam non procul à Salamantica creſcit, vbi Iulio florent plantæ latè ſeſe diffundentes:item in Valentini regni maritimis, vbi Martio florent. Proculdubiò hæc inter Hyperici genera referenda eſt, cùm plurimùm illi reſpondeat: imbecillior tamen,& vulgari magis odora. Lobellius adiecit aliud Hypericum tomentoſum, quod prouenit in locis agri Monſpelienſis natura vliginoſis, ſed feruidiore ſole exuſtis, palmo non maius,& humi ſtratum,foliis item minoribus,& per interualla rarioribus:flore & ſemine luteolis, pallidioribus. Tota planta cana eſt & hirſuta,minùs odorata, Hyperici ſapore, ſed imbecilliore. Præterea Hypericum Syriacum & Alexandrinum, cuius folia quadruplò minora ſunt quàm noſtri Europæi, quæ ſummis cubitalibus virgultis confertim tanquam in verticulis exeunt. Flores lutei noſtrati perſimiles.

ASCYRVM, CAP. XXXVI.

ἌΣΚΥΡΟΝ & ἀσκυροιδὲς, atque etiam Ἀνδρόσαιμον, Latinis ſimiliter Aſcyron & Aſcyroides.Hęc Hyperici ſpecies eſt,inquit Dioſcorides, magnitudine differens, maiores ramos habens, ſurculoſiores, puniceoſq;, folia tenuia,flores luteos, fructū Hyperico ſimilem,reſinacei odoris,qui cùm digitis teritur,ipſos ferè cruentat: qua de cauſa Androſæmum vocauêre. Plinius parùm à Dioſcoride diſcrepans, ſcribit, Aſcyrum & Aſcyroides ſimilia ſunt inter ſe & Hyperico, ſed maiores habet ramos quod Aſcyroides vocatur, ferulaceos, omninò rubentes,capitulis paruis,luteis: ſemen in caliculis, puſillum, nigrum,reſinoſum. Comæ tritæ velut cruentant,qua de cauſa quidam hanc Androſęmum vocauêre.Galenus Aſcyron Androſæmi genus facit,vt dicetur. Verùm id Aſcyrū eſt à Matthiolo cum Hyperico affabrè in commentariis expreſſum,quale & hîc depinximus, iam notiſsimum,amnium & riguorum,riuulorumq; pratenſium amans valde, quadratos & rectos viticulos è radice multùm fibris ſparſa exiles erigens, Hyperici foliis, paulò maioribus,venoſis,poros peruios habentibus, & floribus itidem luteis, coccineum cruorem affricanti illinentibus: ſeminis odore reſinaceo ſui indice,nares feriente, haud diſparis, ſed infrequentioris vſus. Facit huius fructus, inquit

Nomina

Li.3. ca.150.

Forma.

Lib.27. c.5.

Li.6.ſimpl.

Pena in Aduerſ.

ASCYRVM, Matth.




Lib.3.c.54. Dioſcorides,cum hydromelitis heminis duabus potus,ad iſchiadas:ducit enim re-
Vires. crementa multa. Sed aſsiduè dare oportet donec ſanitati reſtituantur. Idem impo-
Lib.27.c.5. ſitus ambuſtis prodeſt. Plinius, vſus ſeminis, inquit, ad iſchiadicos, poti duabus drachmis in hydromelitis ſextario. Aluũ ſoluit,bilẽ detrahit.Illinitur & ambuſtis.

ANDROSÆMVM, *CAP. XXXVII.*

Nomina ἈΝΔΡΌΣΑΙΜΟΝ quibuſdam Dionyſias & Aſcyrum, Latinis etiam Androſæmum nominatur, quaſi humanum ſanguinem dixeris,quòd ſanguineum ſuccum emittat. Ab hyperico aſcyroq́; differt,
Lib.3.c.155. ita tradente Dioſcoride,quòd fruticet ramulis ſurculoſis ac tenuibus,
Forma. virgis punicei coloris,folia habens triplo aut quadruplo maiora quàm rutæ, quæ trita vinoſum ſuccum remittũt:alas in cacumine pinnatas, circa quas floſculi parui,lutei : ſemen in calice ſimile ſemini papaueris nigri, velut lineis notatum. Co-
Li.26.ca.4. ma contrita reſinoſum odorem reddit. Plinius, Androſæmum,inquit, ſiue vt alij appellauêre, Aſcyrũ non abſimile eſt Hyperico,de quo diximus,cauliculis maioribus,denſioribuſq́; & magis rubentibus:folia alba,rutæ figura:ſemẽ papaueris nigri.
Locus. Comæ tritæ ſanguineo ſucco manant : odor reſinoſus. Gignitur in vineis medio
Ca.155. li.3. Autumno effoditur,ſuſpenditurq́;. Androſæmum ex Matthiolo hîc pictũ damus, quod etiam Lobellius & Pena approbant, in opacis & ſiluoſis proueniens, non modò floribus,ſed etiam foliis tritis & expreſsis muriceum ſuccũ reddẽs, quo vno

ANDROSÆMVM, Matthioli.



ANDROSÆMVM, Dod. II. Fuchſ.



præ cæteris Androſæmum hoc agnoſcendum,& diſcernendum. Procerius eſt maiuſq́; Hyperico, & altero tanto maiora folia habet, ſed pauciora,eidem etiam ſimilius flore, & ſemine procerioribus, cubitalibus,gracilibus,rotundis,rubentibus ramis. Androſæmum aliud oſtendunt Dodonæus & Fuchſius,quod Itali Clymenum putant,plerıq́; Sicilianã appellant,quòd in Sicilia tantũ reperiri falsò credũt, quidam Clymenũ Plinij,Galli *Touteſaine*,quaſi Panaces,ideſt, omniũ morborum remedium

ANDROSAEMVM
Aliud, Dodon.



ANDROSAEMVM
Album, Dalechampij.



remedium. Hæc plāta ſemper virēs virgas producit vimineas, vt deſcribit Pena, ſanguineas, nitentes, rectas, flexiles, nonnihil anguloſas, aut ſecundū longitudinē ſtriatas, Periclymeno ſimiles & eiuſdē coloris: folia bina ex interuallis, infernè cæſia, supernè ſaturatè virētia, etiā Periclymeno ſimilia, niſi ꝙ ex geniculis erūpunt, nec vti illa à virgis traiiciuntur, quæ non tam ſanguineum cruorem vel fundunt, vel affricta illinunt, vt diximus de Androſęmo vero: flores lutei ſunt: deinde baccæ paruæ, primùm rubræ, deinde nigræ, cruore purpureo, & ſeminibus fuſcis, minutis turgidæ. Radix foris fuſca, intus alba, lignoſa, fragilis, pedem & ſeſquipedē longa, guſtanti reſinoſa, lentoris expers: nec tota plantaq; ingrata, nonnihil gummi Elemni, aut trifolij odorati ſapit. Moderatè adſtringit digerendo, & deſiccat, parua admodùm, aut nulla calfactione. Vulnerariis remediis, balſamis, oleis, potionibus commodiſsima, & vſu multò laudatiſsima. Auctor eſt Pena in Angliæ ſiluis, lucis & nemoribus frequentem eſſe, Flandris hortenſem. Androſæmi ſemen, vt ſcribit Dioſcorides, tritum, duabus drachmis potum, bilioſa alui excrementa pellit. Iſchiadicos maximè ſanat, verùm poſt purgationem aquam exorbere oportet. Sed & herba ambuſta ſanat impoſita, & ſanguinem ſiſtit. Vulgati codices habent, καὶ αἷμα ἐπέχει, cùm in veteri legatur, καὶ νομὰς ἐπέχει, ideſt, vlcera carnem exedentia compeſcit. Qua de re fuſiùs hæc Plinius. Vſus ad purgandam aluum tuſæ cum ſemine, potæq; matutino, vel à cœna, duabus drachmis, in aqua mulſa, vel vino, vel aqua pura, totius potionis ſextario. Trahit bilem, prodeſt iſchiadicis maximè. Sed proxima die capparis radicem reſinæ permixtā deuorare oportet drachmæ pondere, iterúmque quatridui interuallo eadem facere. A purgatione autem ipſa robuſtiores vinum bibere, infirmiores aquam. Imponitur & podagris & ambuſtis, & vulneribus, cohibens ſanguinem. Androſæmum, inquit Galenus, planta fruticoſa, natura duplex. Vnum enim Aſcyrum & Aſcyroides nuncupatum eſt ſpecies hyperici: alterum verò à quibuſdam Dionyſias appellatur. Eſt autem ſemen eorum purgatorium, florum verò facultas modicè extergens, & deſiccans, vt & ambuſta curare credantur. Cæterùm in vino auſtero decocta, vinum ipſum vulnerum grandium glutinatorium efficiunt.

Vires.

Li.26.ca.4.

Li.6.ſimpl.

CORIS, CAP. XXXVIII.

Nomina HYPERICO & congeneribus plantis Corin subiunxit Discorides, tanquam similem, atque etiam congenerem, ideóq; ab aliquibus Hy-
Forma. pericum nominari scripsit, foliumq; habere Ericæ simile, minus tamen, pinguius ac rubrum. Est autem frutex palmi altitudine, ori gra-

Li.26.ca.8. tus, acris & odoratus. Plinius quoq; Corin hyperici genus facit, & similiter ferè describit, his verbis. Est aliud Hypericum, quod alij Corin appellãt, folio Tamaricis, & sub ea nascitur, sed pinguioribus foliis & minoribus ac rubẽtibus, odoratum, palmo altius, leniter suaue, aculeatũ. Hîc Tamaricis folio dixit, pro Ericæ folio. Matthiolus pro Cori plantam hîc pictam exhibuit, scripsitq; Corin non ita Hypericum referre, quemadmodum Ascyrõ & Androsæmum: iisq; nudam tantùm Dioscoridis historiam subdidit, eamq; plantam sæpiùs ad se ab herbariis allatam, nasciq; frequentissimam in Italia, nulla adscripta aut figuræ aut virium declaratione. Eam Lobellius descripsit. Matthioli Cori, inquit, flores stellati Ornithogali minores, ex rubore candicantes, quorum apiculi flauent. E' lignosa radice multos spithameos cauliculos & foliola kali aut spergulæ stellatim ex geniculis profert. Gaudet pratis in afflatu maritimo. Aliã Pena Corin pulchram & valde hilari aspectu depinxit, quam Monspeliacam cognominat, quia nusquam nisi Monspelij & Frontignani ad radices Cetij montis, & propè Magalonem reperit. Fruticat hæc ramulis multis, densis, duriusculis, surrectis, rotundis, palmum & sesquipalmum altis, lignosis, cuius foliola densè stipata Ericæ maiori similia sunt, & similiter disposita: flores in summis ramulis purpurei, aut ex purpura cærulei, elegantissimi spectantur: semen vtriculis, mollioribúsve alabastris paruis conclusum, rotundum, Tamarici par, glaucum vel pullum, tenuissimis glumis inuolutum, quasi oculi pupilla tutior inde foret. Radix multò sanè maior, longior & crassior, quàm pro plantæ modo, Anchusæ minoris par & concolor. Tota enim planta rubella visitur, & succo purpureo radicis pannos imbuendo commendatur: amaricat, gustu subacri, non inodora.

CORIS, *Matthioli.*



CORIS *Monspeliensis.*



Li.1.ca.156. *Vires.* Huius semen potum, inquit Dioscorides, vrinas & menses ducit, auxiliatur commorsis à phalangiis: ischiadicis item & opisthotonicis cum vino potum: ad rigores verò cum pipere. At in opisthotonicis etiam commodè cum oleo illinitur.

Li.26.ca.8. Plinius aliter de eius viribus scripsit. Vis semini excalfactoria, & ideo inflationem facit enterocelis, sed stomacho non inutile,

præcipuum

præcipuum ad ſtranguriam, ſi exulcerata non ſit veſica. Medetur & pleuriticis ex vino potum. In quibus cùm hæc ſenſum rectum non habeant. Et ideò inflationem facit, &c. ſic emendat Cornarius ex veteri codice. Et ideò ad inflationem facit, ſed ſtomacho inutile, &c. Eandem Monſpelienſem Corin depinxit & deſcripſit Cluſius, floreréq; ait menſe Maio, nonnunquam etiam Martio, ſiccis quibuſdam circa Salamanticam & Monſpelium locis, & maritimis Valentiæ & Galliæ Narbonenſis. Li.2. Stirp. Hiſp. c.94. Eandem dudum depingendam curauerat, & breuiter deſcripſerat Dalechampius. Radice multiplici, lignoſa, rubra, caulibus multis, dodrãtalibus, rubentibus, ſurculoſis: foliis multis, exiguis, Ericæ ſpecie, guſtu amaris. Flores in caulium faſtigiis veluti ſpicati congeſti ſunt, ex caliculis ſiue alabaſtris paruis exeuntes purpurei, venuſtiſsimi.

CHAMÆPITYS, CAP. XXXIX.

QVAE Græcis χαμαιπίτυς, Latinis quoque Chamæpitys, Aiuga, ſeu Abiga, Plinio auctore, nominatur: inuenitur & Ibiga vocari, quod nomẽ, Hermolao teſte, ferè ſeruãt hodie. **Nomina** Li.24. ca.6. Hinc abiectis duabus literis i, & g, Iba, & ab Aiuga abiectione duarũ literarũ, a, & g, Iua manauit in vulgi appellationem. In Coro. 176. lib.3. Officinæ Iuã muſcatã appellant, & Iuã artheticã, Arabes *Hameſiteos*, ſeu *Chamaſithius*, Itali *Chamepitio* & *Iua*, Hiſpani *Pinilho*, & *Iua arthetica*, Germani *Ye lenger, ye lieber*, Galli *Iue muſcate*, & *Artetique*. Cæterũ Chamæpitys dicta eſt, ideſt, humilis ſiue pumila picea, ꝙ eius folia piceã oleant: Abiga verò propter abortus, Plinio & Dioſcor. auctoribus, quos, educẽdis iis quæ in vtero ſunt, excitare ſolet: vt & Arthetica, ſiue potiùs Arthritica, quòd iſchiadicis, & cæteris articulorum doloribus opem ferat. Dioſcorides tria Chamæpityos genera ponit. Primam repentem, foliis ſedi, alteram maiorem, tertiam marem. Plinius totidem, ſed inuerſo ordine. **Genera.** Primam maiorem, alteram breuiorem, tertiam marem. Chamæpitys, vt deſcribit Dioſcorides, herba eſt per terram ſerpens, ſubcurua, folia minori Aizoo ſimilia habens, multò tamen tenuiora & pinguiora, hoc Lib.3. c. 157. **Forma.** eſt, Serapione interprete, quæ habent ſuper ſe humiditatem tenacem, hirſuta, circa ramos frequentia, odore piceæ: flores exiguos, luteos, aut candidos: radicem cichorij. Cap.179. ſimpl. Altera cubitalibus eſt ramis: anchoræ modo incuruis, tenuibus, coma ſupradictæ ſimili, flore candido, ſemine nigro. Olet autem & ipſa piceam. Tertia quæ mas appellatur, herbula eſt foliis tenuibus, candidis & hirſutis: caule aſpero, candido, floſculis luteis: ſemine ſecus alas puſillo: piceam & hæc olet. Plinius non adeò cum Dioſcoride cõſentiens, hæc ſcribit. Li.24. ca.6. Chamæpitys, Latinè Abiga appellatur, diciturq; propter abortus, ab aliis Thus terræ, cubitalibus ramis, flore pinus & odore. Altera breuior & incuruæ ſimilis. Tertia eodem odore, & ideò nomine quoque, paruulo cauliculo, craſsitudine digitali, foliis ſcabris, exilibus, albis, in petris naſcens. Prima Dioſcoridis Chamæpitys à Matthiolo depicta, ea eſt quam hîc primo loco expreſsimus: tertia, quam ſecundo:

CHAMÆPITYS Prior, Matthioli.



In Aduerſ. mediam maiorem ſe non noſſe fatetur. At Lobellius & Pena primam Matthioli, & Dodonæi non primam, ſed marem, ſiue tertiam Dioſcoridis eſſe ſtatuunt, eam nimirùm, quæ compertæ vtilitatis & vulgaris cognitionis vbique prouenit. Sabuleta, arida, lapidoſaq; vineta & oliueta amat Narbonenſis Galliæ, vbi perquã odora: ſurculis gracilibus, hirſutis, inflexis, numeroſis: pini foliis, vel pſyllij, minoribus, incanis, cõfertis, reſinoſis, exiguis interſertis ſecus floſculos, melinos, veronicæ fœminæ, ſed ſemine oblongo, tereti, fuſco, Germaniæ Galliæ & Angliæ agris ſponte peruia, ſed paucis in locis: eóque in hortis tantùm colitur, ad medicos tamen vſus odore & viribus cultura ignauior: radix fibris duriuſculis, lignoſis, amaro ſapore, medicato, ſubacri, neutiquam dulci, ſed reſinaceo, diuq; faucibus hærente, quæ idcircò nonnullis Germanis *Vergiſzmynnicht*, ideſt, ne mei obliuiſcare, fortè dicta fuit, quod etymum dum Matthiolus à Germano Pharmacopœo & Braſauola adductum reprehendit, immeritò facit, nam ipſemet fallitur, cùm aliam vocatam

Locus.

CHAMAEPITYS Tertia, ſiue altera Matth.



CHAMAEPITYS Prima, Dioſcor. Penæ & Lobel.



ye lenger ye leber, id ſonantem, quò diutius eò amantius, aut gratius (hoc autem amaræ dulci ſiue circeæ meritò quadrare diximus) in hanc transfert. Altera Chamæpitys ſiue tertia Matthioli, & tertia Dodonæi luteolis floribus iiſdem Lobellio & Pena auctoribus, prima eſt Dioſcoridis, pinum redolens, minùs nota, & paucis obuia locis, tamen odoratior, collibus aridis & aruis editioribus Niceæ Sabaudorum, & Genuæ Liguſtrum fruticat. Quinetiam eandem vireta nonnulla Belgij ſtudioſè colunt: radice fibrata, ſonchi, aut dentis leonis, minore. Ramulos ea profert palmum altos, humiſtratos, foliolis ſeptos, ſemperuiui minoris, aut potiùs vermicularis, minùs carnoſis, ſed incanis, & hirſutis, in quibus floſculi in medio albidi. Suauiorem ſpirat hæc odorem, interdum vliginoſum, quemadmodum muſcus quernus aut cedrinus. Secunda verò Dioſcoridis Chamæpitys fortaſsè eſt vermiculatus frutex maior, de quo diximus capite de Aizoo. Chamæpitys altera etiam multis dicitur quæ capite proximo Chamædrys altera, & Chamædrys fœmina nominatur

nominatur. Ad harum genus refert Dodonæus plantam, quæ quòd foliorum solam formam cui imitetur, odore verò destituta sit, Pseudochamæpitym appellat. Primæ Dodonæi procumbentibus ac tenuibus pediculis foliisque similis est, sed flosculis differt, qui in hac candidi sunt, & inuersos Lamij flores satis referunt, ipsis tamen & longiores & patentiores. Quaterna inde cohærent semina: radix mediocris crassitudinis. Ex Hispaniis anonymum missam fuisse ait Dodonæus. Scribit Clusius se in Hispaniis inuenisse pusillam quandam plantam Aiugæ admodùm similem, tum cauliculis, tum foliorum trifidorum forma, hirsutam totam subsalso gustu, & inodoram, nisi quiddam herbaceum & ingratum redoleret. Flores extremis ramis ex alis prodeunt, Aiugæ similes, sed maiores & albi: semina quaterna in singulis caliculis cinerei coloris, maiuscula & rotunda ferè: radix crassiuscula, subalbida. Prouenit locis incultis, & æstate floret. Eadem esse videtur quæ Pseudochamæpitys Dodonæi, aut certè simillima. Chamæpithyos primæ folia, au-

PSEVDOCHAMAEPITYS, Dodonæi.



AIVGA ADVLTERINA Clusij.



ctore Dioscoride, septem diebus in vino pota regio morbo medentur: quadraginta verò, ex hydromelite ischiadicos sanant. Dantur peculiariter iocinorosis, vrinę difficultatibus, & renum vitiis, prosunt etiam torminosis. Ea apud Heracleam Ponticam, perinde atque antidoto contra aconitum vtuntur, bibentes decoctum. Ad antedicta illinitur cum polenta iure decocti macerata. Trita & cum fico pro pilulis data aluum emollit. Excepta melle, squama æris, & resina, purgat. Apposita cum melle ducit quæ ab vtero duci solent. (legitur enim Græcè, ἄγει δὲ καὶ τὰ ἀπὸ ὑστέρας προστεθεῖσα σὺν μέλιτι. significant enim τὰ ἀπὸ ὑστέρας non solùm menses, sed etiam fœtus & secundas, quare Abiga ab abigendo partu, & procurãdo abortu nuncupata est). Mammarũ duritias discutit, vulnera glutinat, herpetas cum melle illita cohibet. Secũda & tertia eandem vim obtinent, non tamen adeò efficacem. Eadem ferè Plinius de vsu medico tradit. Prosunt aduersus scorpionum ictus. Item iocinori, illitæ cum palmis, aut cotoneis. Renibus & vrinæ decoctum earum cum farina hordeacea. Morbo quoq; regio, & vrinę difficultatibus ex aqua decocta bibuntur. No-

Ibid.

Vires & Temper.

Lib. 24. c. 6.

uiſsima contra ſerpentes valet cum melle. Sic & appoſita vuluas purgat. Sanguinē denſatum extrahit pota. Sudores facit perunctis ea, peculiariter renibus vtilis eſt. Fiunt ex ea & hydropicis pilulæ cum ficu aluum trahētes. Lumborū quoq; dolorē victoriati pondere in vino finit, & tuſsim recentem. Mortuos fœtus ex aceto cocta potaq;, eiicere ꝓtinus dicitur. Galenus verò multò diſtinctiùs, Chamępitys, inquit, amarū quidem guſtu ſaporē validiorē acri obtinet: effectu verò purgat, abſtergitq; viſcera, plus quàm calefacit. Proinde regio morbo correptis, & omninò quibus facilè iecur obſtruitur, bonum eſt remedium. Quin & menſes ducit, tum pota, tum appoſita cum melle. Sed & vrinæ mouendæ aptum eſt medicamentum. Sunt qui etiam eam exhibent iſchiadicis, decoctam cum melicrato. Herba porrò ipſa viridis magna vulnera conglutinat, & vlcera putreſcentia ſanat mammarum præterea du ritias diſcutit. Eſt enim in ſiccando ordinis tertij, in calfaciendo verò ſecundi. (Lib. 8. ſim.)

CHAMAEDRYS, CAP. XL.

Nomina XAMAI'ΔΡΥΣ & χαμαίδρυ Græcè, Latinè Trixago ſiue Triſſago dicitur. Officinæ Græcum nomen retinent, vulgò Quercula minor, & à ſerratis foliis Serratula appellatur, Arabicè *Damedrios, Chamadrios,* ſeu *Kemadrius,* Italicè *Chamedrio, Querciuola & Calamandrina*, Germanicè *Gamander, leyſſen Bathengel*, Gallicè *Germandree*, vel *Chesnette*. Chamædrys autem Græcis dicta eſt, quaſi humilis ac terreſtris quercus, quòd ſcilicet, folia quercus habeat. *Genera.* Dioſcorides & alij veteres vnicam faciunt Chamædryn: recentiores verò herbarij plura eius genera. Fuchſius quatuor depinxit: primùm veram Chamædryn, eámque duûm generum, marem ſcilicet, & fœminam. Deinde Chamædryn vulgarem duûm item generum, marem ſcilicet, & fœminam. Alij aliter eius genera diſtingunt. Chamædrys, vt deſcribit Dioſcorides, frutex eſt paruus palmi altitudine, folia habens parua, & figura & diuiſuris quercui ſimilia, amara, florem ſubpurpureum, paruum (in veteri codice legitur ἄνθος ὑποπόρφυρον, μικρὸν, καὶ πικρὸν, id eſt, (Cap. 333. Lib. 3. c. 96. *Forma*)

CHAMAEDRYS, *Matthioli.*



CHAMAEDRYS *Vulgaris, mas Fuchſij.*



florem

hec figura … est Hierobotane femina pag. 1337.

florem purpurascentem, pusillum, amarum. Oribasius legit ὑπόπυῤῥον, id est, subrufum. Ruellius Plinium secutus, vertit, flore paruo, penè purpureo). Nascitur in asperis & petrosis locis. Colligere ipsam oportet semine prægnantem. Breuiter sic Plinius. Chamædrys herba est quæ Latinè Trissago dicitur: aliqui eam Chamædropem, alij Teucriũ appellauêre. Folia habet magnitudine menthæ, colore & diuisura quercus. Alij serratam, & ab ea serram inuentam esse dixêre: flore penè purpureo. Hãc facie verè refert, quæ hîc picta est, radice exigua, surculosa, virgultis numerosis, pedem altis, foliis in ambitu serratis, binis, numerosis, vt quercus, sed profundè minùs incisis: floribus purpureis. Hæc Chamædrys minor appellari potest. Nam quæ Antuerpiæ atque alibi in hortis visitur, maior: quòd foliis sit maioribus, candidioribus, flore cęsio, pallescente, vbi etiam niues imbrésque spernit, illa cõtrà breui marcescit. His addẽda minima, quæ à quibusdam fœmina dicitur, & hoc nomine à Dodonęo pingitur humilis herbula, multis cauliculis, lanuginosis, foliis hirsutis, profundiùs & ferè decussatim insectis: flosculis purpurascentibus, circum cauliculos emicantibus: semine in rotundis capsulis, nigro, & rotundo: radice crassa, plurimis fibris capillata. Eadem est quæ à Matthiolo pro Chamædry altera picta exhibetur. Quibusdam Chamæpithys altera videtur esse, quam floribus & odore quadãtenus refert,

Locus.

Lib. 24. c. 15

Pet. Pe. in Ad.

Lib. 1. c. 16.

CHAMAEDRYS fœmina, Dodonæi.



CHAMAEDRYS Altera, Matthioli.



CHAMAEDRYS Vulgaris, fœmina Fuchsij.



aliis

hec figura est eadem cum Kierbotane mas Dod. pag 1337.

aliis Ocimastrum. Dodonæus in Libro Purgant. Chamæpitym tertiam facit, Lobellius Chamædrym aliam laciniatis foliis, vel potiùs Chamæpitym alteram, Tragus Chamætyparissum agrestem. Aliam hîc quoque appositam herbarij Chamædryn montanā vocant, à foliorum cum chamædry similitudine, & à natalibus, aliis Leucadem Dioscoridis, ob foliorum eximium candorem. Frutex, aut potiùs suffrutex

CHAMAEDRYS *Montana, Dalechampij.*



est in editissimorum montium saxosis, cōfragosisq; locis proueniens, pedis aut sesquipedis longitudine, radice nigra, longa, huc illuc sparsa, lignosa, caules multos gignente, è nigro rufescētes, rotundos, humi sparsos, folia quercui aut Chamedryj similia, marginibus valde incisa, supernè nigriùs virētia, infernè candicantia, densiùs congesta: flos longo nititur petiolo, albus, rosæ siluestri aut cistho similis, quinque foliolis constans, luteis in medio staminibus, eleganti formosoq; aspectu. Lobellius etiā Chamædryn montanam duriorem pinxit, Ceruicariam Gesneri, quorundam Italorum *Chioma di Ioue*, sic dictam à floris similitudine, qui è foliolis sericeo vellere in latam cæsariem tortilibus crinibus explicatur, in cæteris omnibus huic nostræ planè similem. Tota planta valde adstringit, vt gustus demōstrat. Chamædrys prima, auctore Dio-

Lib.3.c.69. *Vires & Temper.* scoride, recens ac viridis in aqua decocta & pota, conuulsis, tussientibus, lieni indurato, vrinæ difficultatibus, hydropicis inter principia auxiliatur. Cit menses, fœtúsque extrahit, lienem ex aceto pota minuit. Aduersus venenata cum vino pota & illita efficax est. Trita ad prædicta in pilulas conformatur, cum melle vetera vlcera purgat, cum oleo trita inuncta & illita oculorū caliginem discutit. Eadē

Lib.24.c.15 magna ex parte Plinius tradidit. Aduersus serpentium venena pota illitaq; efficacissima. Itē stomacho, tussi vetustæ, pituitæ in gula cohærescenti, ruptis, conuulsis, lateris doloribus. Lienē consumit. Vrinam & menses cit, ob id incipientibus hydropicis efficax, manualibus scopis eius in tribus heminis aquę decoctis vsq; ad tertias. Sanat & vomicas, & sordida vlcera cum melle, fit & vinū ex ea pectoris vitiis, foliorum succus cum oleo caliginem oculorū discutit. Ad splenē ex aceto sumitur. Ga-

Lib.8.sim. lenus qualitates eius & effectus enucleatè declarat, his verbis. Chamædrys vincentem habet qualitatē amarā. Est & quodāmodo acris: quare meritò lienes colliquat & vrinas ac menses prouocat, crassitudinem humorum incidit, & viscerum obstructiones purgat. Ponátq; eam quispiā in tertio ordine excalfacientium & desiccan-

Lib.9.hist. cap.10. tium, plus tamē calefacit quàm discutit. Theophrastus aliā vim foliis, aliam semini tribuit, his verbis, τῆς δὲ χαμαίδρυος τὰ μὲν φύλλα πρὸς τὰ ῥήγματα, καὶ πρὸς τραύματα ἐν ἐλαίῳ τριβόμενα, πρός τε τὰ νεμόμενα ἕλκη. τὸν δὲ καρπὸν καθαίρειν χολήν, ἀγαθὸν δὲ καὶ ὀφθαλμοῖς. πρὸς δὲ τὰ ἀργέματα προσάγειν τὸ φύλλον τρίψαντα ἐν ἐλαίῳ, ἔχει δὲ τὰ φύλλα οἷάπερ δρυός. τὸ δὲ ἀνάστημα τῆς ὅλης ὅσον σπιθαμιαῖον, εὔοσμον δὲ καὶ ἡδύ. Id est, Trissaginis folia ad rupta vulneraq; in oleo trita valēt, & ad depascētia vlcera, semē bilem trahit, & oculis quoq; vtile est, foliū ad albugines tritum in oleo prodest. Hęc Theophra. Chamędryn montanā ad vētris profusiones, mensiū abundantiā, sanguinis effluxiones, vomitiones immodicas Alpini cōmendant, sed ad dysenterias pręcipuè, huiúsq; frondē damas auidissimè carpere narrāt in locis huius plātæ feracibus degere cōsuetas.

VERO

VERONICA MAXIMA, CAP. XLI.



IN SEQVANIS gignitur quæ maxima Veronica dicitur à nonnullis, ad montium confragosa præcipitia inter ipsa saxa, radice nigra, plurimis fibris capillata, caulibus multis fruticosa, cubitalibus, foliis quercus, multùm crenatis, semper geminis, caulem Chamædryos instar amplexantibus, quam ob causam Chamædryos genus esse quidã volunt, surculis multis ex alarum sinu prodeuntibus, minimè foliosis: flore denso, puniceo, Veronicæ, exiguo, specioso: semine in loculis latis, duobus simul iunctis, Elatine non dissimilibus.

TEVCRIVM, CAP. XLII.

ΤΕΥΚΡΙΟΝ vel τεύκεις à Teucro inuentore, quibusdam ob similitudinem Chamædrys dicta, Latinè etiam Teucrium nominatur. Herba, inquit Dioscor. virgata, similis chamædryj, tenuifolia, & ciceri simile folium habens. Ex qua breui & fortassè mutila descriptione, quamuis minùs certa Teucrij notio sit, tamen Chamædryos cognitio ad consimilem herbam accommodata, fecit vt Teucrium legitimum innotesceret, quod ob similitudinem, Galli *Grosse Germandree* vocant, Germani *Groszbatengel*, id est, grandem Chamædryn. Locis montosis & aridis fruticat, virgultis multis, rectis, lignosis, foliis planè Chamædryos, sed crassioribus, aliquãtò minùs incanis, rugosis & asperis: flores item Chamædryj consimiles sunt, sed purpuræ magis saturæ. De Teucrio sic Plinius. Inuenit & Teucer eadem ætate Teucrion, quam quidam hemionitin vocant, spargentem iuncos tenues, folia curua, asperis locis nascentem, austero sapore. Nunquã floret: neq; semen gignit. Medetur lienibus, constatq; sic inuentam. Quum exta super eam proiecta essent, adhæsisse lieni, eúmque exinanisse: ob id à quibusdam Asplenon vocatur. Narrant sues, qui radicem eius edunt, sine splene inueniri. Et mox addit. Quidam ramis hyssopi (Chamædryos Diosco.) surculosam, folio fabæ (Ciceris Diosco.) eodem nomine appellant, & colligi florentem adhuc iubent, adeò florere non dubitant, maximeq; ex Ciliciis, & Pisidiæ montibus laudant (iuxta Gentiadem & Cissadẽ. Diosc.) In quibus Plinius Hemionitin Dioscoridis priore loco Teucrij nomine describit: & mox Teucriũ verum. Viridis cum posca, inquit Dioscorides, aut arida feruefacta pota, vim habet lienẽ potenter absumendi. Splenicis cum

Nomina

Lib.3.c.95.

Forma.

Locus.

Lib.25.c.5.

Vires & Temper.

Lib.3.c.9.

TEVCRIVM Primum, Matthioli.



ficubus

Lib.26.c.8. ficubus & aceto illinitur: item serpentium morsibus cum aceto solo sine ficubus. Eadē ferè Plinius tradit, his verbis. Lieni medetur Teucria, præcipuè pota arida, & decocta, quātum manus capit, in aceti heminis tribus ad heminam. Illinitur eadem
Lib.8. sim. cum aceto, aut si tolerari non possit, ex ficu vel aqua. Teucrium, inquit Galenus, in-

TEVCRIVM Alterum, Matthioli.



TEVCRIVM Bæticum, Clusij.



cidendi & tenuium partium facultatis est, quare lienes sanat. Ponátque ipsum quispiam in tertio exsiccantium, secundo verò excalfacientium ordine. Aliud Teucriū Clusius pinxit, quod Bæticum nominat. Interdū ad hominis altitudinem assurgit inquit, interdū humilius est, vnico stolone, minimi digiti crassitie, cortice candicante obducto, in ramos non admodùm frequentes diuisọ, ordine quodam ita digestos, vt bini perpetuò sint inter sese oppositi, incani: folia vulgaris Teucrij ferè, maiora, per ambitum nonnihil sinuosa (quod pictor malè expressit) prona parte omninò incana, supina verò ex atro virentia, gustu perquàm amaro: flos candidus, labris infernè prominētibus, nulla galea superiùs imminente, aliquot oblongis staminibus seu villis ex medio flore exilientibus. Perpetuò viret. Montibus Calpe vicinis, & Bæticę maritimis, in sepibus, & inter frutices alios se inuenisse ait Clusius: tum etiam Gadibus ea parte, qua nunc insula continenti est coniuncta ponte admirabili. Floret Februario.

EVFRASIA, CAP. XLIII.

Nomina CVM Eufrasiæ nomen Græcam testetur originem, videtur sanè à buglosso veterum desumptum esse. Vt enim id in vinum deiectum, vt loquitur Plinius, animi auget voluptates, vnde ἐυφροσύνη, ita etiam illa quia oculos iuuat & delectat, ἐυφροσύνη appellata esse videtur, quam vocem imperiti linguæ Græcæ deprauantes, in Eufrasiam verterunt, eamq; sic corruptam Officinæ, vt in plurimis aliis, retinuerunt. Etsi autem Græco & eleganti nomine donata sit hęc herbula, nihil tamen de ea, quod sciam, apud veteres Gręcos &

EVFRASIA, Matth.



EVFRASIA Secunda, Dodonæi & Lobellij.



cos & Latinos, nempe Dioſcoridem, Galenum, Plinium, adde etiam recentiores Aëtium, Paulum, & Actuarium ſcriptum reperitur: ſed à ducentis tantùm vel paulò plus annis poſteritati Eufraſiæ nomine innotuit, ad oculorum caligines, & morbos pituitoſos peruagatæ commendationis. Vnde Germanis *Angenthroſt*, id eſt, oculorum ſolatium, dicta fuit: nonnullis hac quoq; ratione motis, Ophthalmica, id eſt, ocularia. Galli, *Eufraſe* vocant, Itali *Eufraſia*. Eſt igitur Eufraſia herba parua, palmi vnius altitudine, cauliculis purpureis, ſurculoſa, foliis multis, exiguis, criſpātibus, per ambitum ſerratis, floſculis exiguis, candidis, intus purpureo & luteo colore maculatis: radice parua, tenui, fibrata. *Forma.* Apricis collibus & pratis ſtrigoſis potiſsimū gaudet. *Locus.* Iulio & Auguſto menſibus floret, tunc colligenda & ſiccāda. Sapor amaricans calidam & ſiccam eſſe perſpicuè docet. *Temper. & Vires.* Vtuntur ea tam recente quàm exſiccata aduerſus omnia mala quæ oculorum claritati officiunt. Quare trita & oculis impoſita, aut ſuccus eius cum vino inſtillatus caligines delet, & viſus aciē reſtituit. Idem præſtat eius exſiccatę farina, ſi tribus eius partibus cū vna parte macis commixtis, quotidie manè cochlearis menſura ſumatur per ſe, aut cum ſaccharo, aut cum vino. Nec ſolùm oculorum aciem, ſed etiā memoriā mirificè roborat, amiſſamq; reparat. Arnaldus vinū Eufraſiatum valde commēdat, his verbis. *In lib. de Vinis.* Eufraſię vinum fit ad oculos, ponendo herbam in muſto, donec fiat vinum. Cuius vſu oculi ſenum reiuueneſcunt. Aufert hoc impedimenta eorum, & defectū viſus in quocunq; cuiuſuis ætatis homine, pręſertim vbi pinguedo & pituita redundent. Eſt & qui permanſit nihil videns per longun tempus, & infrà annum eius vſu reſtitutus eſt ad viſum. Ipſa enim herba calida eſt & ſicca, & habet hoc à proprietate, quod quando puluis eius comeditur cum ouorum vitellis, idem mirificè pręſtat, vel quando puluis idem recipitur cum vino. Et ſuperſunt teſtes fide digni, qui fecerunt in ſeipſis, & qui non poterant legere ſine ocularíis, & legerunt poſtmodùm abſque ipſis etiam literam ſubtiliorem. Et vſus vini Eufraſiati non habet par in profitiendo viſui. Si autē vinum eſſet nimis forte, temperetur cum aqua fœniculi, & ſi opus eſt addatur ſaccharum neceſſarium. Hæc Arnaldus. Cui nō omninò aſſentitur Pena, nec ei vino prorſus fidendum ſuadet, vt cuius potu tantùm trimeſtri in Heluetia vſum ſocium & ſodalem ſuum aſſerat penè ambobus orbatum oculis, & fluxionibus modo nō oppreſſum: *In Aduerſ.* cùm duntaxat anteà leui cathaphora, & lacrymatiun-

culis laboraret. Quare puluere aut decocto citra vinum tutiùs vtendum. Alia est planta quam nonnulli Euphragiam vocant, minimè tamen Euphragia vera existimanda, pedalis & altior, cauliculis rotundis, surculosis, in quibus folia parua, angusta, longiuscula, sæpiùs deorsum vergentia: flores rubentes: radicem exiguam superiori similem. Hac veræ Euphragiæ vice minimè vtendum. Descripsit Dodo. pinxit Lobellius, qui Cratæogonum secundum quorumdam vocat.

SINAPI ALBVM, CAP. XLIIII.



Locus. *Forma.* IN ASPERIS & saxosis hoc sinapi adolescit, radice dura & solida, candida, brachiata, & nonnihil fibrosa, foliis proximè radicem in orbẽ sparsis, multis, insectis cichorij modo, adulto caule pereuntibus, & exarescentibus, in caule numerosis, læuibus, crassis & carnosis, in cuspidẽ mucronatis, quâ caulem attingunt lunatis, caule cubitali, nonnumquam altiore, rotundo, infernè rubente, in ramulos multos supernè diuiso, flosculis multis scatentes, candidis, quibus succedunt graciles & prælongæ siliquæ, minuto semine grauidæ, acris & feruidi gustus, elegãti specie siliquarum tanquam vallo quodam circa caulem & surculos erectarum. Floret Maio mense. Quidã thlaspeos alij Drabæ genus esse volunt.

PTARMICA, CAP. XLV.

Nomina ETSI multis plãtis olfactu sternutamenta cientibus ptarmices, id est, sternutatoriæ siue sternutamentariæ nomen competere posit, tamẽ quæ hîc primo loco depicta cernitur, Fuchsij & multorũ herbariorum sententia id nomen adepta est, quòd acri suo odore nares feriens sternutamenta irritet. Pyrethrum siluestre à Dodonæo appellata ab acri & feruida facultate, diuq; linguam vellicante Pyrethri modo, quamquam moderatiùs, à Germanis *Vuilderbertram* vocata. Alij ptarmicas alias proponunt. Sed ptarmicæ descriptionem audiamus ex Dioscoride. Ptarmica, inquit, frutex est paruus ramulis paruis (vetus codex habet non μικρούς, id est, paruos: sed λεπτούς, id est, tenues) multis, rotundis abrotono similibus, circa quos folia multa, oblonga, oleæ similia, in summo veluti chamæmeli capitulum, paruum, rotundum, olfactu acre, sternutamenta ciens, vndè & nomen inuenit. Quæ delineatio plantę cuius pictura hîc datur, aptè quadrat: nam surculis fruticat exiguis, multis, rotundis, abrotono non dissimilibus, lentè rufescentibus, qui foliis frequentibus, longiusculis, oleæ similibus, angustis, vtrimque leuiter serratis ambiuntur flore in cacumine Anthemidis propè ad vmbellę modum qui

Cap. 245. hist.

PTARMICA, Fuchsij.



Lib. 3. c. 20.

Lib. 2. c. 156.

Forma.

dum, qui acri ſuo odore nares feriens ſternutamenta elicit. Inuenitur ſæpiùs in altis montibus, & ſaxoſis locis ſæpè & in pratis. Floret æſtate, radix extremo effoditur autumno. Eadem planè eſt quam Matthiolus Ptarmicæ nomine depinxit, & in Bohemiæ hortis paſſim ſeri ſcripſit, è montibus, in quibus naſcitur, illuc tranſlatam: eadem enim eius delineatio ab eo ponitur, quæ modò à nobis expoſita eſt, iidem natales. Hanc quòd acri ſit ſapore, quidam Pyrethrum vocant, quos ſecutus Dodonæus, Pyrethri ſilueſtris nomine pinxit & deſcripſit. Eadem etiam videtur, quę pro menthæ Sarracenicæ ſpecie, ex Myconi ſententia, à nobis in Horto inter menthæ genera explicata eſt. Plantam aliam Ptarmicam Matthiolus appellare voluit, quæ caules tenues habet, folia oleæ, flores vmbellatos in cacumine, & capitula quæ naribus immiſſa ſternutamenta cient. Verùm Dioſcoridis Ptarmicam eſſe ne- *Locus.* *Tempus.* *Lib.3.c.20.*

PTARMICA Altera, Matthioli.



PTARMICA Montana, Dalechampij.




gat. Ptarmicā montanam herbarij vocant aliud plātæ genus in altiſſimis & aſperrimis Allobrogum montibus, ſed tamē herbidis proſiliens, radice nigra, in multos ſurculos fiſſa, longa, valde fibrata, odorata, guſtu principio amara, deinde acri, caulibus multis fruticās, teretibus, lignoſis, abrotono ſimilibus, cubitalibus: foliis in caulibus, oblongis, oleę ſimilibus, propè radicē latioribus, plantaginis ferè ſpecie, humi ſtratis, capitulis in ſummo cauliū vertice chamemęlo ſimilibꝰ, odorē validū & acrē ſpirantibus, qui ſternutamenta excitat, flore in ambitu luteo. Ptarmices folia, inquit Dioſcorides, cum floribus illita, ſugillata poſſunt tollere. Flores ſternutamēta efficaciſsimè mouent. Galenus verò, Ptarmices flores, inquit, ciēdæ ſternutationis vim obtinent vnde ei herbæ nomen. Totus autem frutex ſi contundatur viridis, ſugillata, & reliquas ecchymoſes digerit. Eſt enim temperies eius calida & ſicca, viridis etiamnum ordine ſecundo, ſiccatæ tertio. Montanæ Ptarmices radicem muliercula Alpinæ ad vteri ſuffocationes, menſium ſuppreſſiones, virginum pallores, maciem & cachexiam ſummoperè commendant. *Lib.2.c.156* *Vires.* *Lib.8.ſim.*

PYRETHRVM FLORE ANTHEMIDIS, CAP. XLVI.

Nomina

HVic plantæ Germanicè *Bertram*, Gallicè *Pirethre*, aut *Pied d'alexandre* dictæ, ob radicis eius feruorem igneum pyrethri nomẽ dederunt Officinæ, suffragante etiam Dioscoridis descriptione, quæ est huiusmodi. Lib. 3. c. 71. Pyrethrum folia caulemq; emittit vt daucum siluestre, & fœniculum, vmbellámque anethi, circinatæ rotunditatis, radix longa est, pollicis crassitudine, gustu feruidissimo. A qua descriptione solis floribus distat hæc planta, quos non in vmbellis Anethi circinatis, sed in medio luteos, foliolis candidis circundatos, planè chamæmeli, aut bellidis, magnitudine buphthalmi: cauliculos multos, sesquipalmum altos, crassiusculos, foliis multùm incisis, fœniculi vel anthemidis, stipatos, crassioribus, longioribus: radicẽ lõgam, rectam, digiti crassitudine, linguam vrentem. Est enim calida siccaq; ad tertium vsque ordinem. Quare eadem præstat quæ Pyrethro Dioscorides & Galenus tribuunt, imò maiore efficacia quàm nonnullæ aliæ, quibus Pyrethri nomen dederũt quidam herbarij. Huius igitur radix cum melle sumpta, aduersus epilepsiam, apoplexiam, omnes inueteratos & frigidos cerebri morbos valet. Commansa pituitæ copiam ex cerebro elicit, vnde Saliuaris à Latinis dicta. Dentium immanes cruciatus sedat, si aceto cocta colluatur. Oleum ex recenti radice eductum mirificũ est.

PYRETRVM Alterum, Matt.



PYRETRVM, Gesneri.



PYRETRVM Verum Matth.



Plantam

Plantam aliam hîc appictam Pyrethri veri nomine ad Dalechampium ex horto suo misit Conradus Gesnerus vir doctissimus & cādidissimus. Radice nititur longa, simplici, modicè fibrata, pallente, digiti crassitudine, feruidi & vrentis gustus: folia anetho similia prodeunt, caulis fœniculaceus, flos in vmbella circinatæ rotunditatis, vt omninò in nostris Dioscoridis exemplaribus legendum sit, σκιάδιον τροχοειδὲς, non τριχοειδὲς, id est, capillacea vmbella. Quare nullam prorsus notam desse ad veram Pyrethri delineationem putabat ille. Matthiolus verò, Guillandinus & alij, plantam hîc expressam Pyrethri veri nomine donarunt, cui radices sunt & folia cotulæ fœtidæ, vmbellæ ab vno quasi centro multis petiolis innixæ, pectinis veneris ritu, aut Anethi, candidi flosculi, feruido & amaricante gustu. Non tam efficaces vires habet quàm Pyrethrum Officinarum.

FLAMMVLA, CAP. XLVII.

AB HERBARIIS dicta est flammula, quòd non secus ac flamma cuti appressa vesicas, crustas, vlceraq; inurat. Huius species duas assignant Herbarij. Prior adminiculis eget quibus fulciatur: altera recta assurgit sine adminiculis. Illa sarmentosos emittit cauliculos, lentos & valde obsequiosos, cortice virente vestitos, folia minora quàm Vitalba incondita, ex vno pediculo cōplura, qui capreoli vice vicinis sese alligat. Flores candidi sunt: semina, *Nomina* *Forma.*

FLAMMVLA, Dodonæi.



FLAMMVLA, Matth.



exigua, cohęrētia, canescētibus quoq; plumis, sed minoribus & breuioribus exornata: pro radicibus multæ sunt & tenues fibræ. Hanc vulgi Flāmulam, Lobellius & Pena Clematidem alterā vrentem appellant. Nullam esse scribit Pena, quę tam benè quadret facie & viribus Clematidi alteri Diosco. acri & exulcerāti. Cuti enim affricta non secus ac Flamma vrit. Quin tantæ tenuitatis est eius feruor, vt dum digitis fricantur folia, spiritum vrētem eminùs præsertim in nares iaculetur, cerebrumq; & sensus repentè magnoperè percellat: quia feruor ille non in centro intimisque *Vires.*

terreis partibus,sed in leuioribus extimis residet.Quare succus & stillatitius liquor primus quasi è vino Flãmeus est. In Narbonẽsi & Gallica Prouincia sponte in pratis maritimis humi sparsa,tenera & humilis visitur, nisi fruticibus & sepibus innitatur,& aliis pedamentis si quæ nacta sit. In frigidioribus regionibus hortensis est.

Forma. Flammula altera foliis est amplioribus maioribúsque, vitalbæ similioribus, quam & candidissimis flosculis, & semine plumaceam cristam gerente,in fastigio cauliculorum eminentibus refert. Cauliculi cubito altiores, sine adminiculis stant,sursúmque eriguntur.Vere noua promit folia & cauliculos,æstate flores.

In cap. 7. lib.4. *Vires.* Scribit Matthiolus,Flammulæ stillatitiam aquam in morbis frigidissimis efficacissimam esse. Sunt, inquit, qui Flammulam quartanariis edendam præbeant, magno, vt ferunt, commodo. Alij eius oleum commendant ischiadicis,articulorum, iliúmque doloribus,vrinæ angustiis, & renum calculis, in quibus morbis aut calidum inungunt, aut clysteribus infundunt.Id autẽ præparant hoc modo. Flãmulæ folia tenuissimè concisa,in rosaceum imponunt, quod vitreum vas exceperit, tum per æstatem insolant obturato vase. Datur etiam in cibis hisce morbis affectis, trium drachmarum pondere.De Flammula aquatica,lib.de palustribus,diximus.

PSYLLIVM, CAP. XLVIII.


Nomina GRAECE ψύλλιον, Latinè Pulicaris herba dicitur. Nomen græcum in Officinis seruatum, Arabicè **Bazara Chatona**, seu **Bezercothume**, Italicè *Psillio*, Germanicè *Psilienkraut*, Gallicè *L'herbe aux puces*, Hispanicè *Zargatona*. Tam græcam quàm Latinam appellationem à pulice, cuius effigiem semen eius refert,sortita est herba,vel, vt nonnullis videtur,quia si viridis in domum inferatur,generari in ea pulices prohibeat.

In cap. 65. lib.4. *Genera* Duo Psyllij genera exhibuit Matthiolus.Vnum vulgare & communis vsus,alterum sarmentosius prolixiúsque, fortè Plinianum.

Lib.4.c.65. *Forma.* Psylliũ, auctore Dioscoride, folia coronopo similia habet, hirsuta, longiora, ramos dodrantales. Tota herba ad fœni graminísve formam accedit. Coma eius à medio caule incipit,capitula bina aut terna in summo,contracta conuolutáve, in quibus semen pulicibus simile, nigrum durúmque.

Locus. In aruis & incultis nascitur.

PSYLLIVM, Matth.



Lib.25.c.11. Plinius, Psyllium,inquit,alij cynoides,alij crystallion,alij sicelion, alij cynomyian appellant, radice tenui, superuacua, sarmentosum, fabæ granis in cacuminibus,foliis canino capiti (cynopi herbę)non dissimilibus,semice autem pulici,vnde ei nomen: hoc in baccis. Ipsa herba in vineis inuenitur. Quæ omnia vnà cum nomenclatura vtrique generi aptè conueniunt. Prius enim folia fert incana, hirsuta, longa, angusta,scopariæ vel coronopi æmula, nõ tamen corniculata: ramulos rotundos, teneros, crebros in cacuminibus gerentes globulos, compactos,rotundos,oblongos, squamosos, florem ex viridi albicantem: semen nigrum, nitidum, pulicis effigie, colore, & magnitudine:radix est dodrantalis,subalbicans, multis stipata fibris. Alterum multò sarmentosius est,& copiosioribus refertum foliis,longioribus, angustioribus, densioribus, similiter hirsutis & incanis, atque inter sese implicatis capitula huic sunt alteri similia,

PSYLLIVM Alterum, Matthioli.



ſimilia, ſed paulò minora, & numeroſiora, in quibus ſemen alteri ſimile: radicem habet multifidam, & numeroſis ſcatentem fibris. Naſcitur in campeſtribus, ſed in maritimis frequentiùs. *Locus.* Flores tota ferè æſtate ex capitulis eius ſpicatis erumpentes dependent, canino capiti haud diſsimiles. *Tempus.* Semen verò Autumno profert. Vires nunc accuratiùs expendendæ. *Vires & Temper.* Vis Pſyllio refrigeratoria, inquit Dioſcorides, cum roſaceo, aceto, aut aqua illitum, *Li.4.ca.65.* articulorum doloribus, parotidibus, tuberculis, œdematis, luxatis, capitiſq; doloribus prodeſt. Enterocelas puerorum & vmbilicos procidentes cum aceto illitum ſanat. Oportet autem acetabuli menſura tuſum in aquæ heminis duabus madere, & vbi aqua concreuerit, illinere: egregiè ſiquidem refrigerat, & deiectum in feruentem aquam, calorem eius reprimit. Prodeſt eryſipelatis. Aiunt ſi viridis domum importetur, prohibere ne pulices in ea generentur. Tuſa cum adipe, ſordida & maligna vlcera expurgat. Succus eius cum melle ad aures fluxione tentatas & vermiculoſas conducit. Plinius, Vis ei, inquit, ad refrigerandum & diſcutiendum ingens: ſemen in vſu. *Lib.25.c.11.* Fronti imponitur in dolore, & temporibus ex aceto, aut roſaceo, aut poſca. Ad cætera illinitur acetabuli menſura ſextario aquæ: denſat ac contrahit: tunc terere & craſsitudinem illinere oportet cuicumq; dolori & collectioni, inflammationiq;. In quibus Plinij verbis id primùm obſeruandum quòd Pſyllio vim diſcutiendi ineſſe ſcribit, quæ cùm percalida fiat, videtur ἀποκρουστικὴν, ideſt, vim repellendi, quæ per frigida fit, vim diſcutiendi conuertiſſe, quæ eſt διαφορητική. Deinde vulgata lectio: ad cætera illinitur acetabuli menſura, &c. nullam ſententiam exhibet: quare eam ſic reſtituit Cornarius ex Dioſcoride. Ad cætera illinitur. Acetabuli menſura in ſextario aquæ denſat ſe ac contrahit: tunc terere, &c. *Embl.60. lib.4.* Eſt enim hîc ferè modus, quo etiam vtuntur Officinæ ad extrahendam muccaginem ſeminis Pſyllij & fœnigræci. Legunt alij, & fortaſsis rectiùs, Ad cætera cùm illinitur, acetabuli menſura ſextario aquæ maceratum denſatur, ac contrahitur. Tunc terere, &c. Et alibi Plinius, Teneſmo in aqua cum radicibus decoctum medetur. Omnibus articulorum morbis ſalutare eſt huius ſemen madefactum in aqua, admiſtis in heminam ſeminis, duobus reſinæ colophoniæ cochlearibus, thuris vno. *Li.26.c.10.* Galenus Pſyllij qualitates ita definit, Pſyllium ſemen habet admodùm vtile, ex ſecundo refrigerantium ordine, in deſiccando verò & humectando medium quodammodo, & ſymmetrum. *Li.8.ſimpl.* Quod Meſues de medulla, ſeu ſubſtantia interiore, calida, ſicca ordine quarto, acri admodùm ſcribit, commentitium eſſe arbitrantur viri docti. Quod verò aqua frigida maceratum, & agitatum, eſſe cholagogum, ac ob id febribus bilioſis conuenire & inflãmationibus thoracis, thoracem quoque lenire, & ſitim extinguere ait, id muccoſo admodùm & refrigeranti lubricantique ſemini attribuunt.

SYMPHYTVM PETRAEVM, MATTHIOLI, CAP. XLIX.

Cap.9.li.4. **Nomina** Lib.4.ca.9. **Forma.** CREDIDIT Matthiolus plantam hîc pictam σύμφυτον πέτραιον esse Dioscoridis, Latinis similiter Symphytum petræum, quòd nascatur in petris, vocatur & Alum. Ramulos habet, inquit Dioscor. origano similes, tenues, capitula velut thymum (sic enim quædam exemplaria habent, κλώνια δὲ ἔχει ὅμοια ὀριγάνῳ, λεπτὰ, κεφάλια δὲ ὡς θύμου, alia κλώνια δὲ ἔχει ὀριγάνῳ ἐμφερῆ, λεπτὰ φύλλα, κεφαλὴν δὲ ὡς θύμου. Idest, ramulos habet origano similes, folia tenuia, caput thymi: quam lectionem secutus est Plinius. Alij priorem secuti λεπτὰ κεφάλια coniungunt, nulla foliorum facta mentione:) totum lignosum est & odoratum, gustu dulce, saliuam ciens: radicem habet longam, subpurpuream, digiti crassitudine. Plinius, Alum, inquit, nos vocamus, Græci Symphytum petræum, si- Lib.27.c.6. mile cunilæ bubulæ, foliis paruis, ramis tribus aut quatuor à radice, cacuminibus thymi, surculosum, odoratum, gustu dulce, saliuam ciens, radice longa, rutila.

SYMPHYTVM Petræum, Matthioli.



SYMPHYTVM Petræum, Lobellij.



Nascitur in petris, ideo petræum cognominatum. Huic descriptioni plantam appictam nullis prorsus deficientibus notis conuenire Matthiolus ait, quas nec declarat, nec vires, nec aliud quippiam præter natales, & eius pulchritudinem, quæ præsertim cùm floret, maxima cum voluptate ad se contemplandam viatorum oculos allicit. At Pena qui eam vidit in Pœninis alpibus, hodie diui Bernardi, scribit esse floribus purpureis, confertis, speciosis, ericæ maioris spicatis: foliis pusillis chamæpityos, breuioribus, aliquantùm hirsutis pilosellæ modo, in surculis pedalibus, lignosis, sed inodoram, radice lignea, non purpurea: dulcem non esse gustum plantæ, nec saliuam elicere, quæ à Symphyto petræo Dioscoridis multùm absunt. Quare alij aliud, atque aliud Symphytum petræum exhibuerunt, ob vim In Aduers. glutinandi & coniungendi potiùs quam ob figuram & similitudinem. Pena tradit

CHAMAEMYRSINE
Quorumdam, Dalechampij.



Prunellã, de qua in libro de iis quę in vmbrosis proueniũt diximus, vulgò à Monspeliensibus Cap.46.
Symphytũ petræũ vocari. Aliud est Lob. Symphytum petræũ, Veronica recta Herbariorũ. Folia Teucriis similia profert, aut Lysimachiæ cæruleæ, cui congener etiã cũ folio, tum flore.

CHAMAEMYRSINE Quorumdam, CAP. L.

ALII Chamæmyrsinen, alij Ocimũ montanum plantam hanc à foliorum similitudine vocant, quæ in altissimorum montium superciliis crescit, radice exigua, candida, inutili: ramulis multis, in orbem humi sparsis, dodrantalibus, rotundis, foliosis: folio myrti, sed minùs acuminato: vel, vt alij volunt, ocimi, paruo: flore inæquali serie per summos caules exoriente, copioso, purpureo, sex foliolis cõstãte, nitidissimi venustissimiq; coloris: semine in loculis minutulo. Pulcherrima hæc plãta floris sui purpura sic viatorũ oculos recreat, vt ad colligẽdũ inuitet.

TORMENTILLA CANDIDA, CAP. LI.

HANC plantam Tormentillam candidam herbarij vocant, ob radicem Tormentillæ æmulam, & ob foliorũ in aduersa parte candorẽ. Ad Pentaphylli genera pertinere verisimile est, vt ex eius descriptione perspicuum fiet. *Nomen.* In gelidissimorũ & altissimorum montiũ pratis herbidisq; locis prouenit, radicibus multis, nodosis, implicatis, è rufo nigrescentibus, fibrosis, multas alas huc illuc sparsas ad nouã caulium & foliorum procreationem ex sese gignentibus: foliis loti pratensis, minimè dissectis, interdum quinis, interdum septenis, interdum nouenis, tenui longóque pediculo appensis, supina parte virentibus, prona cãdidis, albæ populi modo: iunceis cauliculis, flore herbaceo, copioso, muscarij ritu congesto, quale visitur in pede leonis, siue Alchimilla, siue stellaria vulgò dicta: semine minuto ex luteo viridi, siliquis aut vaginis exiguis incluso. Ad sanguinis eruptiones vndecumq; profluat, huius radicem tritam & potam multum laudant Alpini, narrántque eam, si quis vel collo tantùm gestet, sanguinem è naribus profluentem cohibere. Eadem siccata & in farinam tusa, iusculísque inspersa dysenteriæ medetur. *Locus.*

TORMENTILLA
Candida, Dalechampij.



LITHOSPERMVM, *CAP. LII.*

Nomina. ΛΙΘΟ´ΣΠΕΡΜΟΝ Græcis, Lithoſpermum Latinis, Officinis & medicis hodie omnibus Milium Solis, Arabibus *Kulb*, *Cult*, *Colt*, ſiue *Calab*, Italis *Lithoſpermo*, Germanis *Meerhirſz*, & *Steinſomen*, Gallis *Gremil*, & *l'herbe aux perles*. Nomen à lapidea ſeminis duritia accepit. Neque enim Lithoſpermum aliud ſonat Græcis quàm Lapideum ſemen. Quum itaque ſemina tanquam calculos ferat, duritia lapidea, cãdore & rotunditate margaritarum, cõmodiſsima voce Lithoſpermum dictum eſt, & Gallis *l'herbe aux perles*, recentioribus verò non Milium ſolis, quòd ſemen id candore & lucis ſplendore fulgeat nominandum fuit, ſed Miliũ Soler, auctore Serapione, quod auctoritate *Aben Iuliel*, naſcatur in mõtibus Soler. Dioſcorides & Plinius vnius duntaxat Lithoſpermi meminerunt, recentiores duo aſsignarunt genera, maius & minus. Alij alia addiderunt. Dodonæus tradit Lithoſpermum aliud eſſe hortenſe, aliud agreſte. Hortẽſe aliud maius, aliud minus. Lithoſpermũ, auctore Dioſcoride, folia habet oleæ ſimilia, longiora tamen, latiora ac molliora: quæ in ima parte ſunt, humi iacent: ramulos rectos, tenues, craſsitudine iunci acuti ſolidos, lignoſos, in quorum cacuminibus bifidi exortus cauliculorum ſpeciem exhibent, foliis longis, inter quæ paruum ſemen, rotundum, &c. (Sic Ruellius ex vulgari codice, cùm in antiquo legatur, ἔχουσα φύλλα μικρὰ, παρ᾽ οἷς σπέρμα λιθῶδες, στρογγύλον, λεπτὸν, ὀρόβῳ μικρῷ ἶσον. Ideſt, folia habentes parua, inter quæ ſemen lapideum, rotundũ, tenue, oroboq; exiguo æquale.) Naſcitur in aſperis & ſublimibus locis. Plinius idem graphicè depinxit his verbis. Inter omnes herbas Lithoſpermo nihil eſt mirabilius. Aliqui Ægonychon vocãt, alij Dioſpyron, alij Heracleã. Herba quincuncialis ferè, foliis duplò maioribus quàm rutæ, ramulis ſurculoſis, craſsitudine iunci: gerit iuxta folia ſingulas veluti barbulas, & earum in cacuminibus lapillos cãdore & rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia verò lapidea Ipſi qua pediculis adhærent, cauernulas habent, & intus ſemen. Naſcitur in Italia, ſed laudatiſsimum in Creta. Nec quicquã inter herbas maiore quidem miraculo aſpexi. Tantus eſt decor velut aurificum arte, alternis inter folia candicantibus margaritis, tam exquiſita difficultas lapidis ex herba naſcentis. Iacere atque humi ſerpere auctores tradunt. Ego vulſam non hærentem vidi. Matthiolus legitimum Dioſcoridis Lithoſper

Genera.
Li.2.ca.90.
Li.3.ca.141.
Forma.
Locus.
Li.27.ca.11.
Ca.141.li.3.

LITHOSPERMVM
Maius, Matth.



LITHOSPERMVM
Minus, Matth.



Lithoſpermum id eſſe putat quod maius eſt hîc pictum, Fuchſiumq́; reprehendit quod pro vero Lithoſpermo, illud quod Officinæ Lithoſpermum minus vocant, depinxerit. Dodonæus Lithoſpermũ maius depinxit cauliculis, longis, gracilibus, hirſutis, magna ex parte humi inſtratis, quos longiuſcula cingunt folia, nigricãtia, Lib.2.c.90.

LITHOSPERMVM Maius, Dodon.



hirſuta, inter quę & cauliculos caliculi ſunt hirſuti, primùm ferentes florem cæruleum, deinde ſemen rotundum, durum, lapideum, maiuſculũ. Lithoſpermũ verò minus cauliculis rectis, rotundis, lignoſis, ſurculoſis, foliis longis, anguſtis, acuminatis, nigricantibus, minoribus quàm Lithoſpermi ſuperioris. Inter quæ & cauliculos floſculi oriuntur candidi, tandẽ ſemen producẽtes aſpectu pulchrũ, rotundũ, candidũ, durũ, lapideũ, vnioni ſimile, minus ſupradicto. Maximus huius vbiq; in Officinis vſus, maioris rarior, quia minùs frequens, minorq́; ſuppetit copia, nec perinde ſeminis eſt ferax: verùm calculo exterendo, lotioq́; mouẽdo efficacius multò. Floret Iunio & Iulio mẽſibus, eoq́; tẽpore ſemẽ etiam profert. Id ſemen cuius maximus vſus eſt calidũ ſiccumq́; eſſe ex eius facultatibus coniicitur. Omnia etenim vrinam cientia, Galeno teſte, calida & ſicca ſunt. Vim habet ſemen, inquit Dioſcorides, atterẽdi calculos, & ducendi vrinã, ſi cum vino albo bibatur. Plinius, his lapillis, inquit, drachmæ pondere potis in vino albo, calculos frangi pelliq́; cõſtat, & ſtranguriã diſcuti.

Temper. Li.5. ſimpl. Li.3. ca.141. *Vires.* Li.27. ca.11.

LITHOSPERMVM Fuchſ. Minus Dodon.



LITHOSPERMVM Nigrum, Dalech.



Matthiolus

In cap.141. lib.3. Matthiolus tradit dari vtriuſque ſemen potandum vtiliter diebus multis ſeſquidrachmæ pondere, addita aſpleni ſemidrachma, & ſuccini ſcrupulis duobus ex ſucco plantaginis aut portulacæ aut lactucæ ad gonorrhœam. Item dari magno ſanè auxilio minoris Lithoſpermi ſeminis drachmas duas ex lacte mulıebri potandas, fœminis ægrè parturientibus. Quidam herbarij Lithoſpermum nigrum vocant plantam hîc appoſitam, quæ radices habet breues ac inutiles, caules bicubitales, nodoſos, teretes, ſurculoſos, aridos: folia rubiæ, tactu aſpera: ſemen rotundum, nigrum, oleoſum & pingue, quod in areis cum tritico ſimul exteritur, ſimulq; molitur, & eſtur nulla capitis offenſa. Hoc alij Myagrum Dioſcoridis, alij Melampyrum Theophraſti eſſe autumant. Eſt præterea aliud Lithoſpermi genus, quod arundinaceum vocant. Id Monſpelij in hortis prouenit ad nihil aliud vtile, quàm quod ex eius lapidoſis ſeminibus coloris varietate formoſis, nectuntur mulieribus corollæ ad numerandas preces, quibuſdam & monilia. Incolæ vocant lacrymas, herbariorum vulgus Lacrymam Iob: quòd rotunditate & nitido ſplendentéque læuore ex oculis manantes lacrymas vtcumque imitentur. Gaudet hæc planta ſolo

LITHOSPERMVM Arundinaceum, Dalech.



LITHOSPERMVM, Anchuſæ facie, Lobellij.



madido & irrigari ſolito. Quamobrē ad puteos in hortis effoſſos ſeritur, vt aquam ſitulis dum hauriunt, effuſam, vel dum olera lauant, radicibus excipiat. Aſſurgit ad

Forma. ſeſquicubiti proceritatem, radice milio ſimili, foliis arundinaceis, latis, neruoſis, tactu rigidis, ad ſingulos caulium articulos exeuntibus, vt tenuia ſtamina fructui præfixa, fructúmque ipſum inuolucri vice protegant. Quod dictu auditúque mirum eſt, & huic plantæ ferè proprium, ante floris exortū fructus formatur & grandeſcit, abſolutúſque florem quaſi intra ſe deliteſcentem & occultum ſummo vertice promit, candicantem, ſpicatim congeſtum. Fructus color per initia herbaceus: cùm maturuit, è cinereo purpuraſcens, iucunda quadam & oculis grata varietate, figura non omninò globoſus, ſed infernè latiuſculus, ſupernè tantillum cōpreſſus & faſtigiatus, ſilicis duritia, & lineis quaſi virgatus. Semen intus milio Indico

ſimile,

ſimile, rufum, guſtu cæreale, non iniucundo, tunicis multis albis obuolutũ, ex quo veriſimile eſt & farinã & panẽ confici poſſe, non aliter quàm ex milio & panico Indicis. Raræ huius plantæ nullus in medicina traditur vſus ab herbariis. Quidam eſſe putant Coïcem Theophraſti, Arundinis foliis inſignem, memoratum cap. 16. lib. 1. Hiſtor. Item aliud Lobellius Lithoſpermum habet Anchuſæ facie, in decliuibus ſaxoſis vallis Oſtenſis Pedemontium naſcens, fruticoſis pedalibus ramulis hirtis: foliis Lithoſpermi & floribus Anchuſæ aut Echij aut Bugloſsi facie, purpuraſcentibus, radice lignoſa.

CHAMAEPEVCE PLINII, CAP. LIII.

CAMPHORATA minor hæc planta vulgò ab herbariis nominatur, quæ Chamæpeuce Plinij à quibuſdam eſſe creditur. In ſquallidis & arenoſis locis gignitur, radice ſubnigra, longa, craſſa, ſurculoſa: ramis multis, humi circa radicem iacentibus: foliis numeroſiſsimis per cauliculos ex interuallis confertim prodeuntibus, larici ſimilibus, nullo flore, nullo fructu. Chamæpeuce, inquit Plinius, laricis foliis ſimilis lumborum & ſpinæ doloribus propria eſt. Chamæpeuce frutex eſt plurimis à terra aſſurgens virgis in ſummitate rubente lanugine obſitis, folia habet ſexquiunciali longitudine, anguſta, gracilia, retroflexis vtrimque laterum extremitatibus & à tergo modicè *Nomina* *Locus.* *Forma.* ab adverse camphore

CHAMAEPEVCE Plinij, Camphorata minor, Dalech.



CHAMAEPEVCE, Cordi.



hirſuta, flaua hyeme virentia: flores veris exitu in ſummis virgis producit paruos, candidos & foliaceos, corymborum modo coaceruatos, his ſinguli ſuccedunt parui, aridiq; fructus hordeo minores, in quibus tantillum clauditur ſemen, radicibus nititur longis, obliquis & fibratis, foris in flauo rubentibus: odorem folia, flores, & fructus grauiſsimum habent: ſaporem verò acrem & vehemẽter tenuem. Naſcitur macris, putridis, vliginoſiſq; locis ſub Tedis arboribus. Dioſcorides verò flores roſæ ei tribuit, quod fortè perperàm legitur. Plinius florum non meminit.

THLASPI, CAP. LIIII.

HORTENSIBVS plantis acri facultate præditis aliquot genera Thlaspeos adiunximus: quædam alia à recentioribus obseruata hoc commodiore loco exponemus. Primùm, id genus quod à Dalechampio obseruatum est propè Arcem pini in Sequanis, haud procul à Lugduno Salinario. In aridis nascitur, radice parua, breui, candida, superuacua, in exiles fibras diuisa: foliis octo, nouem, decem paruis, ocimo ferè similibus, nõnihil laciniatis, humi iacentibus, exorientem caulem ambientibus, qui rotundus est, ima parte ruber, supernè viridis, dimidium pedem altus, sæpiùs vnicus & singularis, nonnunquam in ramulos brachiatus, foliis tribus vel quatuor ex interuallis perfoliatæ modo eum singulis vestientibus, non binis simul, vt in aliis multis plantis, eo spatio quod inter caulem & folia est, tanquam ex ala prodeuntibus aliis foliolis & flosculis: floribus violæ minutis, albis, quos capillacei pediculi sustinent: semine in vasculis bifidis, cordis figura, extrorsum velut in vmbonem prominentibus, introrsum velut in alueolum cauatis, numeroso, lato, velut compresso, acri: foliorum & caulis sapore fatuo principio, mox subamaro, tandem fauces vrente: quare eadem ei vis, quæ & cæteribus Thlaspeos generibus. Huius pictura desideratur. Alterum eiusdem Thlaspi montanum candidum, ad vicum quem incolæ vocant D. Guiliellmum deserti, haud procul ab Agnania cœnobio gignitur, in præruptissimo saxo, ramosa surculosaq; planta, radicibus multis, huc illud dispersis, caule procero, in multos ramos diuiso, cortice scabro, è fusco nigrescente: foliis densis, leucoio similibus, sed breuioribus, candicantibus, gustu acribus: flore in summis ramis copioso, pusillo, candido: semine minutulo in latis vasculis Thlaspeos vulgaris modo, acrimonia sua linguam pungente. Tertium Dalechampij Thlaspi montanum minimum in vmbrosis montiũ recessibus gignitur, radice quatuor digitos longa,

THLASPI Montanum Candidum.



THLASPI Montanum, Minimum, Dalech.



tereti,

tereti, candida: ramulis permultis ferè humi iacentibus, quibusdam erectis, dodrantalibus, foliosis: folio minimo, oblongo, ordine dispoſito vt in Aphaca, guſtu acri: flore candido, minutulo, in cauliculorum vertice copioſo: ſemine perquàm exiguo, in latis vaſculis, acris ſaporis. Dodonæus quatuor Thlaſpeos genera poſuit. Primum quòd à Lobellio quoque depictum & à Pena deſcriptum eſt, foliis longioribus, anguſtis, mollioribus leuiter laciniatis, Drabæ, caule multis alis diuiſo, gracilibus, lentis, obſequioſis, flores Iunio ferentibus, puſillos: deinde foliacea inuolucra, multa, compreſſa, perfectè circinata, supernè fiſſa, quæ ſemen continent puſillum, rotundum, oblongum, nigricans, acre, guſtu feruens, & quemdam allij, ſinapi aut cepæ ſaporem exhibens. In maceriis vetuſtioribus, & aruis Galliæ, Germaniæ, Angliæ frequens. Alterum id quod à Matthiolo primo loco poſitum eſt. Tertium cum Fuchſio minus & anguſtifoliũ, Germanorũ *Byſenkraut*. Foliis eſt & caulibus minoribus quàm Thlaſpi primum, ramulis multis & gracilibus fruticat, in quibus flores, fructus, & ſemina ſicut in primo genere, ſed omnia hæc minora habet. Quartum eſt Creticum vmbellatum, Iberidis folio, pictum etiam à Lobellio, cuius folia ſerrata ſunt, inquit Pena, vulgaris Iberidis, ſed maiora: caulis cubitalis, multos ramulos fundens, in quorum extremo vmbellæ & flores, ſambuci

THLASPI Anguſtifolium, Dodonæi & Fuchſij.



THLASPI Incanum Mechlinienſe, Lobellij.



THLASPI Fruticoſum, foliis Leucoij marini minoris.



palustris similes, ex candido purpurascentes Iulio & Augusto, deinde semen in corniculis Thlaspeos minoris similibus, acre & gustu feruens. Dodonæus Drabam etiam esse censet, de qua in horto diximus. His addenda quædam alia à Lobellio expressa. Primum Thlaspi incanum Mechliniense, quod finitimo Mechliniæ ruri fruticat, oleæ foliis, multisq; summo diuisis, hirtis ramulis, pedem & sesquipedem longis. Flos albus, & in pericarpiis quadamtenus rotundis, summum caulem ambientibus, semẽ exiguum, minùs cæteris acre. Alterum eius Thlaspi fruticosum est, foliis Leucoij marini minoris. Virgæ numerosæ, sparsæ, crebris Leucoij minoribus foliis: flores candidi, copiosi, & semen compressum Thlaspi parui. Radix lignosa, fibrata, in Belgij hortis. Aliud fruticosum spinosum Narbonense, quod non nisi sterilibus cautibus rupibúsve propè Nemausum & Monspelium fruticat, dodrantalibus ramulis, multis alis diuisis, nonnihil spinosis & sinuosis Poterij ritu: folia oleæ, pusilla, albida, flores candicant. Semen acre glumis includitur. Item aliud folio est thymbræ, hirsuto, rigido: cauliculos emittit multos, pedales, fruticis specie, è quorum summis flores, albi, & semina in compressis folliculis. Huc adducenda etiam alia à Pena prodita. Ac id primum quod nusquam se

THLASPI Fruticosum spinosum Narbonense, Lob.



THLASPI Fruticosum Alterum, Lobellij.



THLASPI Narbonense, Penæ.



vidisse

THLASPI Minus Clypeatum, Penæ.



THLASPI Aliud vmbellatum, Penæ.



vidiſſe ait, niſi in agro Narbonenſi & Monſpelienſi, locis ſquallidis, ſabuloſis, propè puſillas anchuſas proueniens. Folia, flores, ſeminaq; ex luteo pallent, & peltæ ſuperioris ſunt, ſed penè pergamenæ chartæ inſtar pellucida, tenuia, ſimilitudine, ſapore Leucoij: vnde quidam Leucoium marinū putarunt: ramuli ſunt exiles, palmares, nitidi, foliolis albicantibus thymi, non ita numeroſis. Aliud eiuſdem puſillum Thlaſpi propè Monſpel. ad Caſtrum nouum cis Ladum amnem naſcitur, aridis viarum crepidinibus, ramulos multos ſpargens, rectos, vimineos, palmares & ſeſquipalmares, albidos: foliola polygonati, minora, aut centunculi, aut lauandulę: floſculos albidos, Iberidis aut Thlaſpi Cretici: Clypeolos non diſsimiles fert, ſed duplò minores. Tota planta albicat, guſtuq; Thlaſpi aut naſturtium indicat. Hoc Itali Alyſſon fecêre, ſed doctiorum iudicio Thlaſpis potiùs adnumerandum quàm Alyſſo, cui aptior alia ſtirps inuenta eſt à ſedulis herbariis, quàm in hortis alunt. Item aliud eiuſdem Thlaſpi eſt id, quod montoſis ſatis Narbonæ ad Lupi montis radices oritur, Maio & Iunio flores muſcoſos, vmbelliſque confertos, ſuperioris non abſimiles edens, ſed albidos, ſemenq; minus multò, ſed admodùm acre, foliola exiliora, diuiſura naſturtij hortenſis, per totos cauliculos numeroſos, grandes, è radice non profunda, nec multū fibroſa, ſapore acerrimo, Thlaſpeos poſtremam

SINAPI Et Thlaſpi media Prouincialis planta, Penæ.



addo ex eodem Pena nouam plantam, propter communes inter sinapi, buniadem, & Thlaspi figuram ac vires. Prouenit non procul à Magdalenæ fano, in excelsissimis illis cautibus Gallicæ prouinciæ, floresq; Augusto promit luteos erysimi, nec siliquas dispares, in gracilibus ramis ad summum & imum, vna è radice digitum crassa, densa, pedem longa: capistri folia, Thlaspi, aut drabæ, leuiter laciniata, albida & hirsuta, sapore erysimi aut buniadis barbareæ.

AGERATVM, CAP. LV.

Locus. Forma.

AGERATVM secundum & ferulaceum Plinij in pinetis gignitur, ac fruticat, arido macroq; solo, radice nigra, rugosa, contorta, lignosa, dimidij pedis longitudine: folio ferulæ aut fœniculi, statim ab radice copioso, per caulem impari exortu disposito: caulibus multis, angulosis, cubitalibus, ferulaceis: flore aureo, inodoro, senecioni simili, in vmbellæ rotunditatem formato, licet ramuli flosculos sustinentes, & in vmbellæ orbẽ coëuntes diuersis caulis partibus attollantur: pertinaci in floribus aurei coloris fulgore, & gratia, vnde Agerati, idest, non senescentis nomen, gustu subamaris. Odor foliorum, dum teruntur, artemisiã leptophyllon vulgarem refert. Floret Iunio mẽse. Ageratum purpureum, herbariis quibusdam dictũ, in nudis ferè cautibus gignitur,

AGERATVM Ferulaceum.



AGERATVM Purpureum.



vbi putris saxi puluisculus subest, vel riuulus aliquis illabitur, aut scaturiẽtis aquæ guttis, vel aspergine rupes madescit: radice breui, capillata, subflaua: foliis paruis, numerosis, circa radicem sparsis, Agerato similibus, gustu subamaris, antrorsum obtusis: ob quam similitudinem Ageratum vocant: cauliculis plurimis per saxi crepidines pendulis, saxumq; aulæorum instar ornantibus, & contegentibus: flore violæ, purpureo, copiosissimo, suauissimè olente, vt vel ea sola dote mirũ in modùm placeat, tanta scilicet odoris gratia violis non postponenda: semine minuto, in oblongis vasculis. Germani quidam Moschatellam cæruleam vocant. De Agerato multò plura diximus in libro de Vmbelliferis.

SYNAN

SYNANCHICA, CAP. LVI.

HERBA hæc in ſabuletis & macris locis ꝓuenit, radice nigra, lignoſa, ſex digitos longa, fibrata, tenuiſsimis villis capillata: ramis multis, pedalibus, quadratis, infernè rubentibus, geniculatis: foliis multis, lino vel galio ſimilibus, ad geniculorum interſtitia nodóſque exorientibus, quinis, ſenísve: flore in ſummis caulibus, cauliúmque ramulis copioſo, principiò rubro, poſt candicante: nullus in ea guſtanti ſapor deprehenditur. Siccat abſque morſu. Ad anginas vtiliſsima eſt ſumpta, & admota, quadecauſa Synanchi- Locus.

SYNANCHICA.



SYNANCHICAE Species, Iuncaria Salmanticenſis, Cluſij.



cam nominarunt. Synanchicæ ſpecies videtur planta, quam Cluſius ait à Salmanticenſibus Iuncariam vocari, à iunceorum cauliculorum forma & gracilitate. Tota enim iuncea eſt, inquit, ſed equiſeti modo aſpera, & geniculata, foliis vtrinque lini, & frequentibus ramulis ex alarum ſinu prodeuntibus, copioſos & paleaceos, candicantéſque flores proferentibus, ſemen deinde exiguum, nigricans: radix tenuis & candida. Tota herba ſubdulcis eſt. Prouenit locis arenoſis inter vineta ſecundo à Salmantica lapide. Floret Iulio, ſemen fert Auguſto.

LONCHITIS, CAP. LVII.

LONCHITIS in iis quoque eſt quæ in aſperis & ſiccis locis prouenit, foliis valde porri ſimilibus, inquit Dioſcorides, latioribus, ſubrubris, plurimis, ad radicem circumfractis, velut terram verſus paucis in caule, in quo flores ſeu pileoli, figura verò commicis perſonis hiantibus ſimiles, nigri quidem, ſed album quidpiam ab ipſis eminet, ex hiatu ad inferius labrum velut ligula: ſemẽ ſimile eſt lanceæ, triangulare, inuolucris clauſum, vnde nomen accepit. Radix ſimilis eſt dauco. Plinius, Lonchitis, inquit, non, vt plerique exiſtimauerunt, eadem eſt quæ xiphion, aut phaſganion, quamquam cuſpidi ſimi- Lib.3.c.144 Lib.25.c.11.

lis ſemine. Habet enim folia porri, rubentia ad radicem, & plura quàm in caule, capitula comicis perſonis ſimilia, paruam exerentibus linguam, radicibus prælongis. Naſcitur in ſitientibus. Sed galericulata iſta herba herbariis ignota eſt, quamtumuis diu multúmque in montibus & aridis locis eam veſtigarint. Herbariorum quidam Lonchitin eſſe volunt Helleborinen Dodonæi: deſcriptam cap.25. lib.3. à nobis libro de plātis. Quæ in vmbroſis, &c. Alij, Helleborinen noſtram ferrugineam, deſcriptam ſuprà, cap.30. Vtriuſque flos, ſed præcipuè Ferrugineæ,, comicæ perſonę ſimile quidpiam oſtendit, de altera lonchitidis ſpecie diximus, libro modò citato.

POLEMONIVM, CAP. LVIII.

Nomina Lib.4.c.8. ΠΟΛΕΜΟΝΙΟΝ Græcis & φιλεταίριον, ſiue φιλεταιρία, & χιλιοδύναμις à Cappadocibus, auctore Dioſcoride, vocatur. Latinis Polemonium, & Polemonia, & Philætæria. Polemonium quidem, quaſi in bellis vtile dicas, adeò vt de eius inuentione ſibi vendicanda certatum inter reges ſit, quòd herba Lib.4.c.8. eſſet chiliodynamis, id eſt, mille viribus prædita. Ramulos habet, inquit Dioſcori*Forma.* des, tenues, pinnatos: folia paulò maiora quàm rutæ, ſed oblongiora, ad polygoni aut calaminthę folia accendentia: In ſummo velut corymbi ſunt, in quibus ſemen nigrum, radix cubitalis eſt (πηχυαία: alij παχεῖα legunt, id eſt, craſſa,) ſubalbida, ſi*Locus.* milis ſtruthio. Naſcitur in montibus, & aſperis locis. Plinius ita depinxit. Polemo- Lib.25.c.6. niam alij philetæriam, à certamine regum inuentionis appellant, Cappadoces autem chiliodynamin: radice craſſa, exilibus ramis, quibus in ſummis corymbi dependent, nigro ſemine, cæterò rutæ ſimilis. Naſcitur in montoſis. Sed quænam planta pro polemonia ſtatuenda ſit, dubitatur à multis. Dodonęus duas polemonij ſpecies depinxit, Lib.3.c.22. prius cauliculis teneris, geniculatis, foliis latiuſculis, binis ſemper in ſingulis geniculis ex aduerſo. In ſummis caulibus flores oriuntur conferti, candidi, deorſum vergentes: deinde ſemē nigricans caliculis rotundis concluditur, radix eſt cādida, læuis, longa. Spumeum papauer vulgò putatur, propter ſpumeam & ſputi ſimilem aſperginem, quæ non rarò albicans foliorum & geniculorum ſinibus inſidet, fortaſſè Melandryō Plinij, lib.26. cap.7. inquit Lobellius. Alterum Polemonium cauliculos profert etiam geniculatos, ſed longiores: folia in eis longa, ima parte latiora, in anguſtum deſinentia: flores rubellos in vmbellis, ferè valerianæ. Vtrumque locis aſperis montoſis & ſaxoſis prouenit. Iunio & Iulio menſibus florent. Ocimaſtrum Valerianthes vocant Pena & Lobellius, aliis Valeria nam rubram, Saponariā alteram & Struthium Vlyſſes Aldrouandus. Recentiores nonnulli prius, Behen album eſſe putant, alij Ocymocides Dioſcoridis alterum Behen rubrum, quę ta-

POLEMONIVM, Dodonæi.



Cap.223. uox arabica. men cum Behen Serapionis minimè conuenire videntur. Sic enim ſcribit, Aben Meſuai. Species Behen ſunt duæ, ſcilicet rubri & albi, & ſunt ambæ venæ in magnitudine radicis paſtinacæ paruæ, quarum quædam ſunt tortuoſæ, deferuntur ab Armenia, odor eius eſt bonus, & eis viſcoſitas quædam: & ambæ ſpecies ſunt calidæ humidæ, & augmentū faciunt in ſpermate. Polemonium aliud accuratè pingēdum

curauit

POLEMONII, *Altera figura.*



curauit Dalechampius, dudúmque descripsit, quod sponte vbiuis in agro Mompeliensi gignitur, Lugduni verò in hortis solùm, pergulis vestiendis, & hortorum sepibus contegendis, ab olitoribus dicitur Iasminum luteum, quod albi iasmini modo in vicina scandat: fruticat hæc planta flagellis multis, longis, lentis, rotundis, in adminicula propinqua reptantibus foliolis: folio rutæ, sed obscuriùs virente: flore luteo, Iasmino simili, specioso: baccis postquàm defloruit, nigris, purpureo succo tingentibus, si quid imbuatur. Pena non aliam polemoniam exhibet, non multis ab hinc annis Academiæ Mompeliensi notam ac vires experientia compertas. Frutex, inquit, ipse vndequaque exquisitè quadrat delineationi Dioscoridis. Virgultis enim multis fruticat, lignosis, rectis, rotundis, gracilibus, cortice in pullo viridi, ternos & quaternos cubitos altis, in quibus adusq; summum hærent vtrimque pinnatim ramuli, & folia terna, cytysi aut rutæ, maiora, saturè virentia, crassiuscula, & rigida. Flores Maio & Iunio emicāt lutei, pusilli, vt iasmini, qui cedūt baccis nigris, vnà circinatim collectis, plenis, paribus, ligustri, aut corni fœminæ, succo ianthino vel atro, purpureo inficiente prægnantibus: radice prolixa, lignea, implexa & vario flexu sparsa, intus alba, saporis nonnihil acris & amari, euulsu difficili. In Monspeliensi agro ad castri noui aridos colles, & æstuosas margines oliuetorum,

POLEMONII *Species, Dodonæi.*



POLEMONIA *Monspel. Iasminum luteum.*



& in

Ibid. & in luci Gramuntij cāpeſtribus ſaxoſis, quàm plurima. Polemonij radix, teſte Dio
Vires. ſcoride, bibitur in vino contra ſerpentes, & dyſenteriam: & ex aqua aduerſus vrinę difficultatem, & coxendicum cruciatus. Datur ex aceto drachmę pondere lienoſis. Eadem ſcorpionis plagæ alligatur. Tradunt eum qui radicem geſtauerit, (non vt legitur, qui guſtauerit, τὸν ἐχόντα,) à ſcorpione non feriri, eúmque ſi ictus ſit, nihil
Lib. 8. ſim. moleſti paſſurum. Dentium dolorem manſa mitigat. Polemonium, inquit Galenus, tenuium partium eſt, & deſiccandi vim habet: quamobrem quidam radicem eius cum vino ad iſchiadicos, dyſenteriam, lienémque induratum potui exhibent.

HOLOSTIVM, *CAP. LIX.*

Nomen. ὉΛΟΣΤΙΟΝ herba, id eſt, tota oſſea dicta eſt per antiphraſin, quòd nihil duri oſſeíve habeat: tota enim tenella & graminea eſt. Parua
Lib. 4. c. 10. eſt herba, inquit Dioſcorides, tribus aut quatuor digitis eminens ſu-
Forma. pra terrā, foliis & viticulis coronopo aut gramini proximis, adſtringentibus, radice valde tenui pili inſtar, alba (vulgares codices habent λευκὴν τῷ εἴδει, quod eſt albam ſpecie, qui ſenſus videtur friuolus. At in veteri legitur, λευκὴν,
Locus. ἰνώδη, id eſt, albam, fibroſam,) longitudine quatuor digitorum. Naſcitur in editioris
Lib. 27. c. 10 terræ locis. Plinius, holoſteon, inquit, ſine duritia eſt herba, ex aduerſo appellata à Græcis, ſicut fel dulce, tenuis vſque in capillamenti ſpeciem, longitudine quatuor digitorum, ceu gramen foliis anguſtis, aſtringens guſtu. Naſcitur in collibus terre-
In cap. 10. lib. 4. nis. Pro qua molli herbula aliam atque aliam herbarij depingunt. Mathiolus etſi genuinum Holoſtium nulli dum in Italia notum eſſe putet, tamen nullam plātam ſe reperiſſe ait, quæ verum referat, quàm ea quę vulgò à Goritienſibus Serpentina
In cap. 123. lib. 2. vocatur, de qua in Horto egimus, Capite De Coronopo. Eſt enim herba exigua humi procumbens, quæ foliis cauliculíſque coronopi modo exit, guſtu adſtringenti-
Pena in Adu. bus, radice tenui lignoſáque. Naſcitur quoque in collibus & ſabuloſis locis. At hoc Matthioli holoſtiū à multis improbatur, quod eius radix minimè capilli tenuitate

HOLOSTIVM,
Matthioli.



HOLOSTIVM,
Quorumdam.



ſit,

ſit,quod vult Dioſcorides, imò craſſitie lignoſa, fuſca, minimi digiti craſſitudine: reliquáque planta capitulis & ſemine plantaginis,non mollis aut tenera, ſed durior rigidiórque,quàm vt holoſtio datum ſit,folia illi iuncea, anguſta,crebra,in terram procumbentia. Matthiolus ipſe mutata ſententia in poſtrema commentariorum editione Holoſtium aliud pictum exhibuit, nulla adiecta aut figuræ aut virium declaratione.Longè diuerſam pro legitimo holoſtio proponit Pena,quæ multò breuioribus & crebrioribus gramineis, vix palmaribus viticulis, & foliis exit,coronopi diuiſura, in ſuperiore ambitu ex fuſco virentibus, delicatioribus, fermè vt capillarium, ſparſis : radix tenuiſſimis cirris, & capillis pluribus adianti veri, ternos vel quaternos digitos prolixa, pulla,& albicans fuſcedine.In Narbonenſi prouincia ad Veganium, & propè Lugdunum,etiámque in Alſatia Germaniæ ſe vidiſſe ait, ſaxoſis & incultis, ſterilibúſque collibus. Guſtu exſiccat & adſtringit, grata ſatis, & cuiuſdam lentoris non immunis. Eaſdem facultates Dioſcorides holoſtio tribuit. Poteſt,inquit,ſi ſimul coquatur, carnes compingere : bibitur & ad rupta cum vino.Sic & Plinius. Vſus eius ad vulſa,rupta in vino potæ. Vulnera quoque conglutinat. Nam & carnes coguntur addita. Quæ ex veteri codice ſic legit Cornarius. Nam & carnes, cùm coquuntur addita. Item Galenus,Holoſtium deſiccādi vim habet cum adſtrictione. Quamobrem ipſum ad rupta potui exhibent.Sed id Penę holoſtium filix ſaxatilis Tragi videtur eſſe,quam pictā dedimus in lib. de plantis, Quæ in vmbroſis,&c. Aliud holoſtium quorundam ſententia hîc appinximus.Naſcitur in terrenis collibus,apicis & perflatis, radice quatuor digitos longa vel circiter,paulatim gracileſcente ad pili vſque tenuitatem : foliis coronopi ſiue herbæ ſtellæ, paulò latioribus,villoſis, incanis, ſed inſtar coronopi minimè per ambitum fiſſis ac laciniatis, cauliculis dodrantalibus, ſpicam gerentibus ſeminibus grauidam,guſtu adſtringentibus.Lonicerus plantam aliam omni ex parte molliſsimā,quam Ruellius Denticulam canis Gallis vocari ſcripſit,pro Holoſtio depinxit,adſcripta Dioſcoridis delineatione. Cluſius aliud Holoſtium Salmanticenſe demonſtrauit, his ferè verbis.Herbula eſt,inquit, foliis ferè plātaginis anguſtifoliæ, verùm minoribus, anguſtioribus, crebris, per terram ſtratis, & incana lanugine obſitis, ſubaſtringente guſtu : inter quæ quini aut ſeni cauliculi nudi exiliunt, palmum alti,qui à medio ferè ad ſummum vſque,multis & ſeſe mutuo contingentibus floſculis ex herbaceo candicantibus ornati ſunt, vti in coronopo,quibus deinde ſemen plantaginis ſuccedit theculis incluſum : radix eſt longa

In Aduerſ.

Ibidem.

Vires.

Lib.27.c.10

Embl.9.

lib.4.

Lib.8.ſim.

HOLOSTION,
Loniceri.



HOLOSTIVM Salmanticenſe, Cluſij.



longa tenuis, lignosa. Collibus aridis Salmanticæ vicinis prouenit, maior & candidior iuxta Valentiam Hispaniæ secus vias. Floret illic Maio. Valentiæ verò Martio & Aprilis initio. Salmanticenses Holostium vocant.

CATANANCE Quorundam, CAP. LX.



Nomina


Locus.

Forma.

Vires.

HERBAM hîc adpictam Catanácen priorem herbarij quidam esse volunt, coniectura quidem nõ aspernanda moti, quòd multę in historia Dioscoridis commemoratæ notæ illi cõueniant. Gignitur in aridis & sabulosis locis, radice tenui, iuncea, nigra, non altè descendente, foliis crebris, albicantibus, coronopo similibus, cauliculis gracilibus capitula sustinentur quina senáve, cyano ferè similia, latiusculis & acerosis laminulis compacta, albicantibus. Flos est puniceus, semen minutulum. Herbæ totius gustus adstringens. Quare vtilem esse aiunt ad cohibendas sanguinis, aliorumq; humorum ex quauis corporis parte eruptiones, ad gargareonis inflammationes, & aphthas, si eius decocto os colluatur, ad maligna tibiarum vlcera. Hanc itaque plantam si pro Catanance agnoscamus, haud verùm fuerit ad amatoria tantùm expeti, cùm experientia docuerit variis hanc morbis prodesse. Catanance alia descripta est à nobis in lib. de maritimis plantis.

STATICE, CAP. LXI.



Nomen.

Locus.


Forma.

STATICE à præsentissima vi qua pollet, sistendæ sanguineæ & cuiusuis alius fluxionis nominata est hæc herba, à Statice Plinij diuersa, perperàm etiam cantabrica eiusdẽ, Caryophyllus montanus alter nonnullorum. In aridis & petrosis nascitur, quinetiam ex lapidum saxorumq; rimis emergit, vt integram euellere volentibus saxum diffringendum sit. Catanances alterum genus Parisienses herbarij esse putant. Radices agit solidas, crassas, flexiles, nigras, in vetusta planta proximè folia multas, rugosas, nodosas, in vnam grandiorem & ampliorem ex variis partibus coëuntes, folia fert multa, humi strata, lanceolatæ vulgari similia, angustiora, venosa, crassa, in cauliculis nulla, quos multos emittit, iunceos, rotundos, plerumq; cubitales, glabros, in quorum fastigio capitulum insidet rotundum, alueolis multis pertusum, fauorum cauernis similibus, in quibus flosculi è phœniceo candicantes nitent, quibus delapsis, capitulum velut

lum velut tomento lanuginosum cernitur, & in cellulis illis minutum & exile semen coërcetur. Sapor totius plantæ adstringens, facultas ei ad miraculum vsque desiccãdi, & erumpentium humorum impetum cohibendi siue trita admoueatur, siue succus eius bibatur. Dysenteriis succurrit, mensium abundantiam, sanguinis è naribus profluuium sistit, sanguinem excreantibus opitulatur. Denique vulneraria est, & maligna vlcera ad cicatricem perducit. *Vires.*


Locus.

SCORPIOIDES MONTANVM, CAP. LXII.



SCORPIOIDES montanum herbariis quibusdam dictum in altis & asperis montibus nascitur, radice principiò crassiuscula, nigra, in fibras multas & breues se diducente: foliis multis, longis, angustis, lanuginosis, leucoio purpureo similibus, sed margine non incisis, caule palmum alto, foliola pauca mittente, flosculis tribus vel quatuor, cæruleis, in exiguum, rotundum, virgatúmque capitulum siue corymbum conglobatis. Rara hæc planta est, montiúmque solitudinibus inaccessis tantùm familiaris. *Forma. Locus.*

TVNICA MINIMA, CAP. LXIII.




IN SABVLETIS, aridis locis & murorum suggrundiis Tunica minima nascitur, radice candida, in multas partes fissa, valde fibrata, cauliculis quamplurimis, dodrante non altioribus, geniculatis, surculosis, flexilibus: flore paruulo, quinque foliolis constante, ex albo puniceis, ex paruo allabastro, vt in caryophyllo nostrate prodeuntibus, gustu austero. Holostium quidam esse putant. *Locus. Forma.*

IACEA, CAP. LXIIII.

Locus. IAcea montana in apricis & glareosis montium locis gignitur: radi-
Forma. ce ferè rotunda, veluti ex foliis in sese coëuntibus coagmentata, fibris multis capillata: foliis statim ab radice multis, erucæ modo diuisis, sed laciniis maioribus & latioribus, incanis lanuginosis: caule pedali, capite in eius fastigio, Acano simili, pro reliquo plantæ habitu, crasso, corticosis laminis & vnguibus substructo, Cinaræ instar, sed minimè pungentibus: flore albo: semine oblongo. Floret Aprili mense. Semen Iunio maturescit. Quidam Iaceam Acanophoram vocant. Iacea alba in lapidosis & saxosis prosilit: radice ferè pedali, contorta, lignosa, extrinsecus propè nigricante, fibrata: foliis paruis, minutim insectis, absinthio marino non dissimilibus, exilioribus, & magis incisis: caule cubitali, angulos, lanuginoso, in multos ramos supernè diuiso, quorum in vertice capitellum exiguis laminulis compactum extat, Iaceæ nigræ modo, ex quo flos ruber prodit. Sapor in tota planta perquàm amarus est. Floret

Vires. Iunio mense. Ad affectus ventriculi frigidos commendatur, ad hepatis & lienis obstructiones, & ad menses prouocandos. Iaceas alias demonstrant Lobellius & Pena. Maiorem folio multùm laciniato, in segetibus Galliæ & Angliæ potiùs quàm in pratis nascentem, caules cubito & sesquicubito altiores proferentẽ, circa quem folia multa multúmq; laciniata Hieracij modo

IACEA, Montana.



IACEA, Alba.



IACEA Maior, Lobel.



sunt,

ſunt, globulos duplò maiores, turbinatos, ex ſquamulis compactos gerit, apicibus florum purpureorum obductos Cyani maioris. Radix digitum æquat, lignoſa: ſemen cnici, minus. Cyani floris eſt congener. Nonnunquam Mechliniæ in hortis, floribus albis & capitulis ſpinoſis viſitur, auctore Lobellio. Huic nouam ſubdit

IACEA, Montana Narbonenſis, Lobell.



IACEA, Incana folio oleæ, Lobell.



IACEA, Maior Lutea Penæ.



IACEA Humilis, hieracij folio Penæ.



IACEA, Incana.



idem Lobellius Iaceam montanam Narbonensem propter aliquam inter se similitudinem. Cautibus & collibus Castri noui conterminis agri Monspeliensis ab eo reperta cauliculo riget dodrantali & pedem alto, rotundo, folia Iaceæ luteæ & chamæleonis læuis Theophrasti media edente, altera parte incana, glauca, tantillum hirta: flores Iaceæ aut cirsij, sed minores: radicem sesquipalmarem, gracilem, minùs fibratam, gustu cyani amaricat. Addit Lobellius Iaceam pusillam incanam folio oleæ, ptarmicæ specie. Est alteri Stœbe Salamanticæ Clusij per omnia similis capitulis & floribus exotica Syriaca plantula: sed cauliculus minùs diuisus, palmaris & sesquipalmaris: folia maiora oleæ, magísque incana, minimè serrata: capitula item habitiora, nitidis argenteis squamis, gustu insipido, minimè amaro. Iaceas aliàs tradidit Pena. Iaceam lutea maiorẽ, quæ in segetibus Monspeliacis reperitur, floribus luteis, venustis, à cartamo siluestri nullo modo distans capitulis, foliis, caulibus, nisi quòd tota asperiuscula est. Altera minor est, serpens, rarior, & fere Narbonensium est, in marginibus satorum nascitur, ad pontem à Monspelio miliari dissitum, via qua Frontignanum itur, foliis paruis, hieracij modo laciniatis, minoribus, retusioribus, vnà cum cauliculis dodrantalibus humi stratis: capitula gerit prorsùs cyani, cærulea, minùs obsoleta: flores purpurascentes, vel albidos: radix est crassior: semen cæteris non dissimile. Tertia propior est cyano quàm Iaceæ, vtrique tamen non absimilis. Lobellius Ptarmicam vulgarem Herbariorum vocat, propter saporem acriorem, amarum, halitúmque tetrum, sternutamenta crebrò extorquentem. A' radice duriore multos caules emittit, folia crebra, gnaphalij triplò maiora, leuiter serrata, ab imo multa, ad summa vsque, oblongiora, acutiora, graciliora: capitula ex squamulis albidis compacta, cyani aut Iaceæ, apices villosos, ex purpurascente colore in pallidum languescentes. Tota pilosa est, & hirsutiæ incana. In Narbonensibus vinetis, & non procul à Monspelio nascitur. In hortos etiam translata est.

PHYLLVM, CAP. LXV.

Nomina. CVM φύλλον nihil aliud quàm folium significet, vix vllam herbæ notionem in animis informat. At ἐλαιόφυλλον, id est, oleæ folium, herbam foliis oleæ similem designat, quæ & vel foliorum eruptionis argumento vel à Musci similitudine, Bryonia dicitur, auctore Dioscoride, qui duo eius genera assignat. Thelygonum, id est, Fœminiparum, & Arrhenogonum, id est Mariparum, & vtrumque describit his verbis. Phyllum, quod Elæophyllum vocant, alij bryoniam (sunt qui βρύον legant, quod musci modo exeat qui βρύον Græcis dicitur) nascitur in petris. Est autem quod thelygonum dicitur, veluti muscus, oleæ folio, viridiore: caule tenui, breui: flore albo: semine papaueris, maiore (vulgares enim codices habent, καρπόν μείζονα, ὥσπερ μήκωνος, cum legatur in exemplari veteri, καρπόν λεπτόν, μικρόν, id est, fructu tenui atque pusillo.)

Lib. 3. c. 123. *Genera.* *Locus.* *Forma.* *And. Lac.*

Arrheno

PHYLLVM Thelygonum, Dalechamp.



Arrhenogonum verò in cæteris quidem prædicto ſimile eſt, ſed fructu differt. Habet enim fructum racemoſum, ſimilem flori oleæ quæ defloruit. Dicitur Arrhenogonum potum maſculos partus facere, Thelygonum fœmininos. Hæc de illis narrat Crateuas, ſed eorum hiſtoriam hactenus mihi produxiſſe viſum eſt. Quibus verbis Dioſcorides, inquit Pena, non plantas quin ſint, qualéſve ſint in dubium reuocat, In Adu.
ſed duntaxat ambigit num ſexus optionis compotem quempiam facere poſſit earum vtrauis, nempe maris aut fœminæ, quod Crateuas prodidit, & fabulæ affine eſſe Theophraſtus monuit. Dioſcoridis igitur ſunt deſcriptiones non Crateuæ, aut ſaltem non ſolius, ſed ex aliis quos legerat Dioſcorides auctoribus. Plinius ex iiſdẽ Lib.27.c.11
mutuatus eadem ferè prodidit his verbis. Phyllum à Græcis vocatur herba in ſaxoſis montibus naſcens: fœmina magis herbacei coloris: caule tenui: radice parua: ſemine rotundo, papaueri ſimili. Hæc ſui ſexus facit partus. Mas autem ſemine tantùm differens, quod eſt incipientis oliuæ. Vtrumque bibitur in vino. Pli- Lib.26.c.15.
nius alio in loco, Arſenogonum & Thelygonum herbæ ſunt, inquit, habentes vuas oleæ floribus ſimiles, pallidiores tamen, ſemen album papaueris modo. Thelygoni potu fœminam concipi narrant. Arſenogonum ab eo ſemine oleæ, nec alio diſtat. Huius potu mares generari perhibentur, ſi credimus. Alij vtrumque ocimo ſimile tradunt. Arſenogoni autem ſemen geminum eſſe, teſtibus ſimile. Quibus verbis Plinius partim eadem quæ ſuprà ex Dioſcoride, partim diuerſa ex Theophraſto genera deſignare videtur. Sic enim Theophraſtus. διὸ καὶ καλοῦσι Lib.9. hiſt.
φύλλον, τὸ μὲν ἀρρενόγονον, τὸ δὲ θηλύγονον. ὅμοια δὲ ἄμφω, καὶ μορφὴν ἔχοντα ὠκίμου. ὁ δὲ cap.19.
καρπὸς τοῦ μὲν θηλυγόνου, καθάπερ ἐλαίας βρύον: ὠχρότερος δ' ὁ τοῦ ἀρρενογόνου, ὅιονπερ ἐλαία ὅταν ἄρτι φύηται ἐκ τοῦ βρύου, δίκρουν δὲ ὥσπερ ὄρχεις ἀνθρώπων. Id eſt, Quare Phyllum aliud mariparum, aliud fœminiparum vocant, ſimilia ambo, & ſpeciem habentia ocimi, fructus fœminipari eſt inſtar oleæ florentis muſci, tamen pallidior: Maripari verò inſtar oleæ iam primùm ex muſcoſo flore emergentis, & geminus, teſticulorum hominis modo. Hinc ſuſpicantur quidam duarum herbarum eandem & repetitam eſſe delineationem, quare Dioſcoridis caput de phyllo irreptitium eſſe, alij minimè, ſed vtroque phyllo vtramque mercurialem marem & fœminam exprimi. Alij ex diligenti perueſtigatione & deſcriptionum collatione alia phylla adinuenerunt, Phyllúmque thelygonum Dioſcoridis eſſe, quod in ſaxis & rupibus apricis Allobrogum & Sequanorum, non aliter quàm muſcus quidam innaſcitur, per aridam terræ ſquallidæ cruſtam: radicibus exilibus, breuibus, & atris, ſerpendo huc illuc ſe ſpargens, magnúmque tandem ſpatium occupans: folia denſiſſimè congeſta, procul intuentibus nonnihil aizoum æmulantur ſimiliter craſſa, non tamen ſimiliter acuminata, ſed tanquam in ſummo retuſa, oleæ ſimilia, magis tamen virentia, in ambitu crenata, & notis candidis ad ſingulas inciſuras ſignata, quæ humi iacent, & largè terram operiunt: caulis tenuis & plerumque humilis, nonnumquam procerior, vt terram nactus eſt, vel

ficciorem, vel humoris illapſu madidiorem, in tenuibus ſurculis: florem album, copioſum, violæ ſimilem edit, ſuauiter olentem. Sapor totius plantæ aquoſus eſt ac dulcis. Sunt qui ſemperuiuum montanum appellant. Quidam Lichenem primum Plinij eſſe arbitrantur, deſcriptum cap. 4. 26. foliis imis ad radicem latis:


PHYLLVM Thelygonum, Matthioli.



PHYLLVM Arrhenogonum, Dalechampij.



PHYLLVM Arrhenogonum maius, Dalechampij.



caule vno, paruo: longis foliis dependentibus: qui cum melle tritus delet ſtigmata. Aliud Phyllum Thelygonum oſtendit Matthiolus à Cortuſo miſſum, quod genuinum eſſe putat adſtipulantibus notis omnibus. Quibus in locis Thelygonum, in iiſdem reperitur & arrhenogonum, muſci modo ſaxis hærens: radice pro plantæ habitu craſſiuſcula: foliis numeroſis, minimis, in ea exiguitate oleæ ſimilibus: flore luteo: fructu ſimili oleæ, quæ flore euaneſcente formari tantùm incipit, & adhuc minutula eſt, in ſummo ferè gemino inſtar teſticulorum hominis. Alterum Arrhenogonum hîc appictum eſt, quod quidam maius vocant, vt à ſuperiore diſcernatur, in Sequanis ad Sillij fluuij originem, haud procul à cœnobio Balmenſi, in exigua & tenui terræ cruſta proueniens, quæ nudos alioqui ſcopulos contegit: radice longiuſcula, candida, paulatim gracileſcente, fibrata: virgulas prætenues huc illuc in orbem mittente, è quibus aizoi modo, folia radiatim ex quibuſdam veluti globoſis

PHYLLVM Arrhenogonum Thelygonon, Theophrasti.



bosis capitulis prodeuntia, stellæ au oculi figuram referunt, oblonga, carnosa & crassiuscula, rigidis villis eorum margines ambientibus, & in circuitu præfixis, qui tractantium manus blandè pungunt ac vellicant: cauliculis dodrantalibus, nudis, teretibus: flore albo, fructu oleæ nascenti simili, ferè semper gemino, instar testiculorum hominis, semine minutulo. Sapor qualis Aizoi fatuus & subausterus. Phyllum Theophrasti in aridis Monspelio vicinis agris frequens nascitur, notis ab eo traditis prorsus conuenientibus: fruticosa planta: radicibus multis, fibratis: caulibus cubitalibus, hirsutis: foliis ocimi, lanuginosis, tactu mollibus: semine vel in racemosum pediculum congesto, vel gemino, testiculorum modo, non aliter quàm in mercurialis vtroque genere: grauis tetérque odor in tota planta nares offendit.

PHYTEVMA, *CAP. LXVI.*

VT φύτευμα Græci, sic etiam Latini Phyteuma vocant, fortassè quòd ad amorem, gignendámque prolem aptum sit, quod ad amatoria conuenire nonnulli scriptum reliquerunt, vt tradit Dioscorides, Li.4. c.125. atque ita describit: Folia habet struthij, minora: copiosum semen, *Forma.* perforatum: radicem paruam, tenuem, per summa terræ nitentem. Ex qua breui descriptione difficilè est certi aliquid de vero Phyteumate decernere.. Matthiolus scribit quibusdam Herbariis visum fuisse plantam hîc appictam Phyteuma esse: quæ nihil aliud est, quorundam sententia, quàm Campanula siue Ceruicaria Fuchsij, Thrachelium maius, siue Cap.163. hist. Vuularia Dodonæi, de quo & Trachelio minori diximus in libro de plantis, Quæ flore Li.2. ca.20. placent. Dodonæus, libro de Floribus, putat Campanulam hortensem à Matthiolo pingi pro Phyteumate. Sunt qui Phyteuma esse volunt plantam tenui radice, gracilibus fibris capillata, saporis & odoris, si teratur, acris & vehementis, caulibus multis, palmum altis: foliis propè radicem in orbem per humum sparsis, betæ primùm nascenti similibus, longioribus, per caules impari situ dispositis, priuatim singulis, non multis in vno pediculo hinc inde ordinatis, vt in Resedis: flore herbaceo, luteis apicibus decoro, in spicam

PHYTHEVMA, Matth.



densam non coacetuato, sed ex superiore caulium parte exeunte, longis pediculis subnixo: semine in membranosis conceptaculis, amplis, quibus herbacea foliola sex, stellatim diuisa substernuntur: floret Maio. Aliud Phyteuma visitur

PHYTEVMA Quorumdam, Dalechampij.



PHYTEVMA Narbonensium, Penæ.




hodie, inquit Pena, in Gallorum prouinciæ & Narbonæ oliuetis propè Monspelium, effigie Valerianæ minimæ: verùm folia illi in imo infectoriæ luteolæ sunt, superiora autem diuisura & magnitudine pusillæ Valerianæ: plusculi sunt flores muscosi, albidi, oleæ: semina pusilla, & instar vnionum rotunda. sed paululum compressa, vestigium parui foraminis impressum habentia, inclusa folliculo Plinianæ Resedæ, in cauliculis palmaribus & sesquipalmaribus, reptantibus. Radix exigua Valerianæ minimæ.

RESEDA

RESEDA, CAP. LVII.

PLINIVS Resedæ herbæ meminit his verbis. Circa Ariminum nota est herba, quam Resedam vocant. Discutit collectiones, inflammationésq; omnes. Hanc nonnulli Herbarij esse opinati sunt quæ hîc picta est, & Resedam luteam vocant. Radice est fibrata, minimi digiti crassitudine, intus lignosa, cortice crasso vestita, & saporis, & odoris, cùm teritur, acris & validi, nasturtij aut raphani modo: caulibus multis, pedalibus, angulosis: foliis erucæ ferè instar diuisis: flore spicato, luteo, perquã exiguo: semine minutulo, copioso in membranosis folliculis, angulosis, in extremo ruffis, occlusis & conniuentibus, non vt in phyteumate radiatim diductis. Hanc Resedam Pycnocomon quidam esse putauerunt, conueniente profectò & historia & facultate, si radix raphano similis, exiguum malum figura imitaretur cyclamini modo. Alia est Herbariis quibusdam Reseda candida, quam etiam nostro sæculo propè Ariminũ rustici Li. 27. c. 12.

RESEDA Lutea.



RESEDA Candida.



Resedam vocant. Radicis figura, odore, sapore superiori est similis, item caulium multitudine: folia simpliciora sunt, & simpliciùs diuisa, in vnoquoque pediculo plurima: flos in spica densissimè congestus, exiguus, è cinereo candicans: semen minutulum in vasculis oblongis, pariter vt & alterius angulosis, summo vertice non compresis, sed velut hiantibus & multifidis. Sponte nascitur in agris propè Ariminum: apud nos in hortis satum semine. Plinius de hac ita scribit. Qui curant ea addunt hæc verba. Reseda morbos Reseda, scísne scísne, quis hîc pullos egerit radices, nec pedes, nec caput habeant. Hæc ter dicunt, totiésque despuunt. Hæc Plinius. Quæ plena sunt plusquam anili superstitione.

SVCVDVS AVICENNAE, CAP. LXVIII.

MYCONVS medicus perdoctus plantam hanc misit ex Hispania, & Sucudum Auicennæ appellauit, tum quòd Mauritani Valentini, qui Gandiæ oppidum incolunt, nomen id ad hæc vsque tempora seruarunt, Sugudum nominantes, tum quòd Gentilis Sucudum, filicem interpretatur, quæ interpretatio huic plantæ maximè conuenit, cuius folia filici mari persimilia sint. Planta est cubiti altitudine, multos & rectos ex radice proferens caules, quadratos, lignosos, geniculatos, qui in ramulos etiam geniculatos & quadratos sparguntur, aliquantulum hirsutos. Ex geniculis folia prodeunt, propè radicem maiora, caulium summitati propiora, minora, serrata, filicis maris æmula.

SVCVDVS Auicennæ, Myconi.



In caulium fastigiis capitula sunt, ex purpureo cærulea, odorata, stœchadis Arabicæ capitula repræsentantia. Radices ei multæ sunt, candidæ, lignosæ: semen minutum, candidum, planum, acerosum, insipidum. Nascitur in incultis, aridis, montosisq; locis. In hortis etiam colitur. Diu floret & in hortis præsertim toto anno. Herba est odorata, sapore cum acrimonia amaro, Græcis fortassè ignota, aut si nota fuerit, altera fuerit stœchadis species, id quod sapor, odor, vires eædem quæ stœchadis, demonstrant. Quam sententiam secutus Clusius Stœchadis alterius nomine pinxit & descripsit. (Li.1. Stirp. Hisp. c.60.) Sucudus calefacit, auctore Auicenna, datur succus eius in potu aduersus dolores. Alphis illinitur, vlcera vetera ad cicatricem perducit, excrescentem carnem puluis eius absumit, cum aceto podagræ imponitur, ex eo dulcibus, admistis fiunt eclegmata ad tussim, drachmi, duobus cum hydromelite bibitur ad cardiogmum: item duæ drachmæ cum hydromelite valent ad dysenteriam & difficultatem vrinæ: in pesso subditus menstrua ciet. Hæc Auicenna. Quæ omnia platam hîc appictam præstare posse manifestæ eius qualitates satis probant.

SELAGO PLINII, SIVE CAMPHORATA, CAP. LXIX.

Li.24. c.12. SIMILIS herbę Sabinę est Selago appellata, inquit Plinius. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidêre Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum eius prodesse. Hanc Plinij Selaginem quidam esse volunt Ericæ prius genus, alij Hyssopum nemorensem, (Lib.1.c.189.) alij Chamæpeucen, alij Musci terrestris genus descriptũ à Trago, nomine Sabinæ siluestris, de quo tractauimus, libro De plantis quæ in vmbrosis, &c. maior pars herbariorum plantam hîc depictam, quam Monspelienses Camphoratam vocant, ob similem caphuræ odorem, quem trita vibrat, Selaginem vocat.

(Chymon.) *Locus.* Arenosis & macris locis gaudet, in pinguibus tamen & humidis procerior fit. *Forma.* Radice est crassa, subnigra, caule cubitali, nonnunquam altiore, tereti: ramis multis, propè

SELAGO, *Siue Camphorata.*



propè radicē longioribus, quà propiores fastigio sunt, breuioribus opertis foliis, longis, angustis, Sabinæ aut Tamaricis æmulis: odore cū herba digitis friatur ac rumpitur, Camphoram referente: quam ob causam Camphoratam vocarunt, Officinis non prorsus neglectam, quòd in Martiati operosissimi medicamenti confectionem à Nicolao Myrepso descriptam admittatur: licet Græcorum Arabúmve nullus, quod sciam, vires eius facultatésque tradiderit. Quidam Cneorum nigrum esse volunt.

CONYZA MONTANA, CAP. LXX.



MYCONVS peritus Medicus & rei herbariæ studiosus, plantam hîc pictam à foliorum florúmque forma, odore, sapore Conyzæ speciem esse iudicauit, & à natalibus montanam cognominauit. Nascitur enim in saxosis, præruptis & montosis, præsertim inter saxorum rimas, radice lignosa, solida, intus candicante, foris nigrescente, minimi digiti crassitudine, gustu aliquantum adstringente, exsucca non minùs quàm suberis cortex. Ex hac stolones multi prodeunt, teretes, villosi, solidi, dodrantales, in quibus folia tenuia, hyssopi vulgaris, sed glutinosa Ledi modo, odore graui & viroso, & hircinum quid olente. In summo cauliculorum sunt flosculi, soncho similes, luteoli, in pappos abeuntes. Gustu subamara est cum leui acrimonia, caput tentans. Flores Augusto maximè.

TRACHELIVM MONTANVM, CAP. LXXI.



De Tracheliis aliis in libro de Plantis, Quæ flore placẽt, tractauimus. Nunc de Trachelio montano, quod in asperrimis montibus gignitur, radice nigra, supernè crassa, in surculos infernè diuisa, fibris paucis capillata: foliis circa radicem multis, eam vndique cingentibus, longis anchusæ modo, hirsutis, caule vnico, paucis foliis vestito, alternatim dispositis: flore & semine reliquis Tracheliis, figura coloréque similibus.

DORONICVM, CAP. LXXII.

Doronicvm Arabibus *Haronigi, Doronigi*, siue *Durungi*, dicitur. De Doronico vulgari siue Officinarũ hîc tractamus. Huius triplex differentia, nõ ita magna, imò potiùs varietas quædam à Pena assignatur, tribus Iconibus à Lobellio expressa. Primæ pusillæ caules teneri, folia molliuscula, oblonga vti plantaginis, nonnihil ex virente flauentia, perspicuè hirsuta pilosellæ modo, siue cucumeris agrestis, sed attrectanti læuia, ambitu rotundo, nonnihil laciniato, & supernè angusto, cucumeri agresti quàm Cyclamino similiore, terna vel quaterna in pediculis enatis ex radice exigua terete, orbiculata, & sensim in angustum desinente, subtus & transuersim quasi squammularum torulis articulata, scorpionis cadauer & caudam exprimente, multùm fibrata. Color illi candidus, sapor dulcis amaricat, & lentorem multum cum pauxilla adstrictione coniunctum pręfert. Caulis sesquipalmum altus: flores in summo fert luteolos, aut pallidos, radiatos, buphthalmi aut mediæ Consolidæ. Frequens nunc hæc in hortis Belgij, & prorsus eadem cum Doronico vulgari & minori Officinarum, quod in montibus reperitur, & collibus Pedemontanis, nonnullis etiam Franciæ. Secunda maiorem & multò longiorem radicem profert, multis corticosis squamulis nitentibus, candidis, marmoreis, per transuersum cinctam alam vtrinque vnam squillę marinæ cancellíve forcipulis non dissimilem, subdulcem gustanti: folia, flores, & caulis maiora paulò & rotundiora. Vmbrosis montibus gaudet, non solùm Alpinis ad meridiem, sed etiam frigidis ad Septentrionẽ. Huic similis tertia, magnitudine tantùm distans à Lobellio ex Dodonæo picta, dudum à nobis & picta & descripta. In vmbrosis montium locis gignitur inter saxa & cautes, radice parua, candida,

DORONICVM Minus officinarum, Penæ & Lob.



DORONICVM Brachiata radice, Aconitum Pardalianches, Plinij, & Matth.



DORONICVM Radice Scorpij figura, Dalech.




candida, geniculis velut articulata, fibris multis vtrinque donata serpentibus, Scorpium optimè referente, ex cuius inferiore parte alia subnascitur, quæ aliam similem procreat, tanta radicum in aliis procreandis fœcunditate, vt interdum plures duodecim cohæreant: foliis tribus aut quatuor Melanio non dissimilibus, hirsutis, tactu mollibus, caule pedali, aliquot foliolis vestito: flore Chrysanthemi æmulo, & medio velut disco, & orbiculato ambitu luteo. Radix tusa & cum axungia suilla mixta, scabiem sanat, notissimo rusticis remedio. Dodonæus Aconitum Pardalianches esse censet. Pena & Lobellius, vt diximus, & multi alij Herbarij Doronicum, Officinæ quoque passim Doronici vice, huius radicibus in compositionibus vtuntur. Quod autem Arabes Doronicum dicunt, ab illo siue Aconito Pardalianche differt. Nam Auicenna Doronigi calidum & siccum in tertio gradu esse scribit, cui etiam assentitur Li.2.c.209. Serapio, Doronicum calidum & siccum in eo- Cap.325. simpl. dem gradu constituens, à quo temperamento Doronici vulgaris, siue Aconiti Pardalianchis radices multùm absunt: nulla enim acrimonia, nulla amaritudo tanta, aut alia qualitas in iis percipitur, quæ tam calidas esse & siccas demonstret, sed dulcis tantùm sapor ignauior & emplasticus, qui eas temperie media, aut ei proximas esse ostendit: quam ob causam medicamentis oculorum anodynis admiscet. Idem Auicenna Aconito Pardalianchi, quod Strangulatorem Leopardi vocat, seorsum alio in lo- Li.2.c.685. co suas vires ex Dioscoride & Theophrasto adscribit. Matthiolus Doronicum secundo loco Ca.73.li.4. pictum Aconitum Pardalianches Plinij facit. Tertium verò Doronicum vulgare à Cortuso missum Aconitum Pardalianches minus, falsò Doronicum, ab eodem Cortuso admonitus Doronicum inter Aconita esse recensendum, quod certò sciret sæpiùs facto à se periculo facilè extingui canes, qui huius radices deuorauerint: id quod etiam Matthiolus ipse expertus, confirmat. Quare Doronicum istud tanquam venenum execratur, & ex Officinis & Pharmacopolis omnibus eiiciendum censet. At Pena Theophrasti, Dioscoridis, Plinij Thelyphonum, Pardalianchen, Cammorum vnius huius plantæ nomina diuersa putat, nec genere differre, sed Cyperorum ritu, magnitudine tantùm, situ, & numerosa radicum propagine, vt suprà declarauimus: alioqui facies, sapor, odor omnibus idem, iidémque fermè natales. Doronico verò vim

Hec figura est cum Aconito Pard. Plinij pag. 1737

inesse canes interficiendi non negat, sed respondet Aloë saluberrima, & amygdalis amaris vulpes necari etiam Plutarcho auctore: & nulli vnquam perniciosa fuerunt quæ Doronicum recipiunt Electaria de Gemmis, de Aromatibus, Confectio de moscho dulcis, quibus frequētissimè vtuntur Medici. Qua de re & de Aconito fusiùs disseremus in lib. de venenatis.

GLASTVM Montanum, Dalechampij.



GLASTVM MONTANVM, CAP. LXXIII.

Locus.
Forma.

GLASTVM montanum in niuosis verticibus montium gignitur, radice crassa, nigra, fibris multis capillata: foliis circa radicem multis, longo, crassoq; pediculo subnixis, venosis, Glasto similibus, sed in summo magis obtusis: caulibus multis, pede altioribus, in quibus folia supradictis angustiora, & acutiora: flos copiosus in cauliū vertice luteus nitet, oblongi vasculi figura, supernè in cuspides diuisus, prominente ex eius medio sinu, tenui pilo.

MELANIVM MONTANVM, CAP. LXXIIII.



Locus.
Forma.

MELANIVM montanum in algidis montium verticibus prouenit, cauliculis multis, exilibus: foliolis multis, humi iacentibus: flore cæruleo, duplò ampliore & maiore quā in Melanio vulgari, rara quadā & eximia specie, si foliorū exiguitatē cū inusitata floris magnitudine cōferas.

IASME Montana, CAP. LXXV.

Locus.
Forma.




PLANTAM hāc Iasmen montanam vocāt ob eximiam odoris suauitatem, quæ Iasmini nostri flores æmulatur. In montiū excelsorum iugis apud Rhœtos crescit, radiculis breuibus, subluteis, caule tres digitos alto, hirsuto, nudo, simplici: foliis propè radicem multis, Aizoo ferè similibus, in orbem humi stratis, villosis: summum caulem foliola quatuor vel quinque coronant, è quorum medio flores emicant partim albi, partim punicei, gratissimum odorem spirantes. Candidum principio florem æstate rubescere compertum est.

PERSICARIA SILIQVATA, CAP. LXXVI.



IN montibus & collibus asperioribus Germaniæ & Sabaudiæ gignitur, à Belgis in hortis colitur herba, quam Germani *Sprinckkraut* vocant, quasi eruptricem siue salientem, aut subsilientem herbam dicas, propter siliquam quæ teres, gracilis, longa, pendula, chelidonij, semina parua, rotunda, balsaminæ fœminæ claudit, quibus turget, simul ac tantillum tangitur, in vultum proximi cuiusque quasi impetu vindicabunda, & se tangi queribunda, excludit. Idcirco, Noli me tangere vulgus Herbariorum vocat. Qua nota & nomine iam diu notissima est. Virgulta, folia, faciésque ipsa Balsaminem, Mercurialem & Amaranthum exprimunt. Quare cauendum ne quis Mercurialem putet, neque eam in eosdem vsus colligat. *Locus.* *Forma.*

OSTEOCOLLVM HIEROCLIS ET ABSYRTI, CAP. LXVII.



OSTEOCOLLON in mœnibus & saxis propè Sedunum Valesiorum caput nascitur, ac dependet, radice candicãte, graminis instar geniculata, tenuibus fibris capillata, è geniculis & internodiis exorientibus ramulis permultis, pensilibus, iunci modo læuibus, teretibus, sed geniculis distinctis, cirrosis, tenuiori proceriorique; sparto similibus, perpetuò virentibus, nullo folio vestitis: flore in aceruum spicatum cõgesto, è fusco nigricante, ex cauliculorum articulis prodeunte, petiolo subnixo. Quidam Polygonium, alij Talcuition, alij Symphytum vocant. Osteocollon quidem, quòd fracta ossa ferruminat: Symphytum, quod dissectas carnes coalescere: vulgus credat, si coquatur vnà, efficacissima enim glutinandi facultate partium diuortia committere, & separata cogere. Viridem eruunt, vino coquũt, dum supersit liquoris pars tertia. Decocto veterina salinant Hispani, eo medicamine morbos arcentes, & à vitiis quæ imminent, asserentes: tum etiam si quid intus ruptum esse suspicãtur, ab hac auxilium petentes. Hæc Absyrtus & Hierocles memoriæ prodiderunt.

CVCVLLATA, CAP. LXXVIII.



CVCVLLATA, seu, vt quidam volunt, Criãs Apuleij, altisimis & niuosis montibus gaudet: è saxis prosilit, riuulo quopiam præterfluente madentibus, radiculis multis, perquàm tenuibus, nigris, breuibus: foliis propè radicem multis, læuibus, crasis, in ambitu minimè crenatis, nec venosis, betæ nascenti similibus, gustu amaris, priusquàm sese explicent alabastri modo candicantibus, cùm sese explicuerunt, lætiùs & nitidiùs virentibus: cauliculis quinque aut sex, teretibus, nudis, subrubentibus, præsertim superiore parte: flore nunc albo, nunc purpureo, vertici caulium velut affixo, in singulis cauliculis vnico, figura quadam rara & eximia, colorisq; iucundisimi: semine minutulo in capitulis paruis, fastigiatis, angulosis. Floret Iunio, etiam antequàm niuibus liquatis montium cacumina detecta appareant. De Criade hæc prodidit Apuleius. Crias nascitur in Lucania: marmoris albi colorem habet, quatuor rubicundis ornata cauliculis. Radix pista & promalagmate imposita, tertio die curat ischiadicos: eadem trita & imposita locis dolore affectis, quosuis dolores sanat.

SCORZONERA, CAP. LXXIX.

Nomina HIRCI barbæ congener est herba, quam *Scorzoneram*, aut *Scurzoneram* appellat Hispania, quod Latinè Viperinam siue Viperariam, aut Serpentariam sonat: sic dicta, quòd contra venena viperarum ac serpentum efficax habeatur: nam Hispani Viperam *Scurzo* vocant. Noua hæc est planta, vt refert Matthi. inuenta primùm in Catalonia Hispaniæ à quodam seruo Aphro, à Ceruero Leridano pretio empto. Cùm enim quidam messores in agro à viperis demorsi fuissent, is qui in Africa plantam istam nouerat, propinato eius succo incolumes seruabat omnes, quótque demorsi fuissent. Sed nemini plantam ostendebat, ne lucro fraudaretur. Tandem cum vafri homines locum obseruassent ex quo plantã deferebat, illuc profecti eam nacti sunt, inuentis nuper rescissæ herbæ reliquiis. Ea eruta, factoq; ipsius periculo euulgata res est, & Scorzoneram appellarunt. Hanc siccam primùm ad se missam fuisse, ait Matthiolus à Ioanne Odorico Medico paulò pòst viridem, viuentémque se vidisse ad Cæsarem Ferdinandum ex Hispania delatam: non multò pòst tempore copiosam quoque in Bohemia se comperisse Doctoris Riberæ Medici diligentia, in monte quodam siluoso vliginosoq;, non longè à Poggebrot. Folia edit spithamæ longitudine, succisæ æmula, sed longiora, subcandida, carnosa, acuminata, quæ solo propiora longo pressoq; pediculo à radice prodeunt, humiq; accubant, quorum nonnulla leuiter sinuata spectantur. Caulem fert sesquidodrantalem sæpè maiorem, rotundum, geniculatum, in quo folia breuiora angustioraq;: flores aureos, hirci barbæ proximos, vt alterum ab altero vix dignoscas. Hi flaccescentes in papposum mutantur orbem, in quo semen continetur album, longum, hirci barbæ semini

Ca.137.li.2.

Forma.

ſemini ſimile. Radix ſubeſt ſeſquidodrantalis, pollicari craſsitudine, raris adnatis fibris, cortice ſubnigricante, vegeta, tenera, fractu facilis, ſuccoſa, alba intus pulpa, lacteo ſucco prægnans, dulcis, & guſtatu iucunda. Naſcitur in ſiluis & vliginoſis locis atque obſcuris Hiſpaniæ. Naſcitur & in Germania, Thuringia, ac

SCORZONERA Hiſpanica, Matth.



SCORZONERA Boemica, Matth.



Bohemia in ſiluis ac montibus humentibus. Flos in Hiſpania Maio menſe prodit, in Germania ſeriùs, Iunio, videlicet ac Iulio menſibus. Foliorum aut radicis ſuccus datur præſentaneo remedio potandus aduerſus viperarum, cæterorumq; venenatorum animalium ictus: quinetiam ad quoſcunque peſtiferos morbos. *Tempus.* Deuorata radix quotidie peſtilentiæ contagia arcet, & venenis quibuſcumque reſiſtit. Datur eadem aut eius ſuccus vtiliter quoque comitialibus. Item cardiacis, vertiginoſis, & animi deliquiis cordiſq; tremori obnoxiis. Commanducata per ſe radix triſtitiam diſcutit, hilaritatémque conciliat. Lacteus eius ſuccus oculorum aciem acuit. Denique tota planta magni eſt ad omnia vſus. *Vires.*

HISTORIAE
OMNIVM PLANTARVM
LIBER VNDECIMVS,

Qui plantas omnes, quæ in Vmbroſis, vdis, vliginoſis & pinguibus locis proueniunt, exactè & ad viuum repreſentat.

ADIANTVM, *CAP. I.*

VT Fidem noſtram liberemus, ſtirpium quæ locis paluſtribus lacuſtribusq; proximis gignũtur, nempe vdis vliginoſisq; ac pinguibus, item vmbroſis, natura hîc explicanda. Sunt autem quàm plurimæ: quare iis in locis paulò diutiùs immorari neceſſe fuerit. Quod ſi quædam libro ſuperiore reperientur, quæ aptiùs hîc collocari poſſent, aut contrà, id nemini abſurdum, aut mirũ videri debet: quod non ſolùm nataliũ, ſed foliorum aut cuiuſuis alterius partis, aut virium, aut quæuis alia ſimilitudo, atq; affinitas proximas quaſq; ſibi adiungat atq; adſciſcat. Hîc verò vt in aliis, ab iis quæ notiores ſunt, & magis vulgares exordiemur. Primũ à celeberrimo illo, & omnibus Officinis nomine potiùs quàm re, præterquã in Narbonẽſi regione, notiſsimo Capillo veneris, ſic etiam à Latinis, Apuleio teſte, nominato: qui à Græcis vocatur ἀδίαντον, quòd οὐ διαίνεται, ideſt, quòd in aqua non madeſcat, vel, vt Theophraſtus ait, οὐ δὲ ὑγραίνεται τὸ φύλλον βρεχόμενον, οὐδὲ ἐπίδηλον ἐστὶ διὰ τὸ τὴν νοτίαν ἐπιμένειν. ὅθεν καὶ ἡ προσηγορία. Quæ Plinius ſic reddidit. Aliud Adianto miraculum: æſtate viret, bruma non marceſcit: aquas reſpuit, perfuſum merſúmve ſicco ſimile eſt. Tanta diſſociatio deprehenditur: vnde & nomen à Græcis. Nicander non ἀδίαντον dictum ſignificat, quòd in aqua merſum ac irrigatum, immadidum non permaneat, quaſi verò longiore mora in aqua æquè ac aliæ herbæ non madeſcat: ſed quòd imbris è cælo deſcendentis ſtillicidia foliis eius non inſideant.

ADIANTVM, Matth.



Nomina

Lib.7. c.13.

Li.22. c.21.

In Theria.

Ἀχραὲς τ' ἀδίαντον, ὃ οὐκ ὄμβροιο ῥαγέντος
Λεπταλέην πίπτουσα νοτὶς πετάλοισιν ἐφίζει.

Impollutũ Adiantũ, quod denſo imbre cadẽte.
Deſtillans tenuis foliis non inſidet humor.

Ca.28.hiſt.

Vel quòd Fuchſio magis placet, ab interioribus

puteorum

puteorum parietibus, & fontium marginibus, quas coronat, dictũ est Adiantum, quòd nimirum quasi sitiens illorum aquas, quas tamen odit & respuit, quærat. Polytrichon autem, quasi multicomum, quòd capillos multos ac densos faciat, eorúmque defluuia expleat. Callitrichon verò, quasi pulchricomum, quòd capillos tingat, pulchrioresque reddat. Nec alia ratione capillus veneris hæc herba dicta est, quàm à speciosis reddendis capillis nec alio nomine Veneris vox adiecta est, quàm quòd hæc pulchricoma pingatur. Plinius, Adianton quidam Callitrichon vocant, alij polytrichon, vtrumque ab effectu, tingit enim capillum: & ad hoc decoquitur in vino cum semine apij, adiecto oleo copiosè, vt crispum densúmque faciat: defluere autem prohibet. Hæc Plinius. Latinè Cincinalis, Terræ capillus, Supercilium terræ, Crinita, Arabibus *Berscegnascen*, seu *Bersausan, Culbare albir*, Gallicè *Cheueux de venus*, Germanicè *frauuenhar*, Hispanicè *Cullantrillo de pozo*. Theophrastus scribit esse γένη ἀυτοῦ ἀδιάντου δύο. τὸ μὲν λευκὸν, τὸ δὲ μέλαν. χρήσιμα δὲ ἀμφότερα πρὸς ἔκφυσιν κεφαλῆς τριχῶν, ἐν ἐλαίῳ τριβόμενα. φύεται δὲ μάλιστα πρὸς τὰ ὑδρηλά. Id est, Gaza interprete. Genera adianti duo, candidum, atque nigrum. Ambo ad defluum capillum vtilia, oleo trita. Nascuntur maximè locis humidis. Quæ Plinius conuertere voluisse, sed Theophrasti sensum assecutus non fuisse videtur. Duo, inquit, eius (adianti) genera candidius, & nigrum, breuiúsque. Id quod maius est polytrichon: aliud trichomanes vocant. Vtrique ramuli nigro colore nitent, foliis filicis, ex quibus inferiora aspera ac fusca sunt, omnia autem contrariis pediculis densa inter se ex aduerso: radix nulla. Vmbrosas petras, parietúmque aspergines, ac fontium maximè specus sequitur, & saxa manantia, quod miremur, cùm aquas non sentiat. Quibus verbis perspicuè declarat Plinius se trichomanes alterum facere adianti genus, scilicet candidum. At Theophrastus cum de vtroque Adianti genere dixisset, eo quem modò citauimus loco, subiicit de trichomane, diuersa planta quæ sequuntur. ὡς δὲ οἴονταί τινες, καὶ πρὸς στραγγουρίαν τὸ τριχόμανες ποιεῖ. ἔχει δὲ τὸν καυλὸν ὅμοιον ἀδιάντῳ τῷ μέλανι, φύλλα δὲ μικρὰ σφόδρα, καὶ πυκνὰ, καὶ πεφυκότα καταντικρὺ ἀλλήλων. ῥίζα δὲ οὐκ ὑπέστη. χωρία δὲ φιλεῖ σκιερά. Id est, Trichomanes vrinæ stillicidiis confert, caulem similem habet adianto nigro: folia parua admodùm & densa, & ex aduerso opposita, radix nulla subest. Opacis locis gaudet. Hîc Theophrasto trichomanes Adianti genus non est, sed sui generis planta, prætereà cùm dicit cauliculos habere adianto nigro similes, apertè demonstrat trichomanes Adiãtum candidum non esse. Matthiolus credidit aliquando, Adiantum candidum eam esse plantam, quæ vulgò saluia vita, & ruta muraria vocatur, quæ cum trichomane in petris, parietum ac fontium asperginibus nascitur. Deinde mutata sententia eam paronychiam Dioscor. fecit, de qua re paulò pòst dicemus. Alij, quorum potior sententia, Adiãtum nigrum & album Theophrasti siue Plinij, putant esse duas hasce Adianti differentias, quibus omnes Belgij, Germaniæ, Burgundiæ, Franciæ & Sabaudiæ Officinæ, non solùm hoc tempore, sed omni ferè hominum memoria semper nigri & albi Adianti nomine vsi sunt. Iis radix pusilla, capillamentis densis compacta, nigris, rectis: cauliculi iuncei, paulò crassiores & prolixiores quàm trichomani, ex herbido pallentes, aut albicantes: foliola vtrimque & altrinsecus plumatim dissita, filicis maris diuisura, & situ, sed multò minora, altera facie virentia, altera in glauco punctulis rubescentibus notata, series geminas habent, sesquipalmum, aut paulò magis alta, quæ nihil planè differunt, nisi quòd nigro adianto cauliculi nigricant politiore nitore, foliáque sunt saturatiore virore, albo minùs. Vires prorsus eædem, à doctis quamplurimis multis annis exploratæ ad quotidianas & consuetas potiones, magno commodo, nullo detrimento, vt eos errare hinc perspicuum sit, qui filicis maris species, aut dryopteres esse autumant, cùm nihil calidi, aut acris, nedum septici hæ temperatæ & innoxiæ capillares habeant. Sed vt

Lib.22.c.21

Lib.7. hist. cap.13.

Genera.

Lib.22.c.21

In cap. 132. lib.4.

Pet. Pe. in Ad.

Adiant. alb. & nig.

Forma.

Adian.Verum. ad verum Dioſcoridis Adiantum redeat oratio, id, eodem auctore, puſilla gerit folia, ſimilia coriandri, in ſummo inciſuris diuiſa, cauliculi quibus exoriuntur, nigro

Forma colore nitent, prætenues, palmum alti: radice ſuperuacua, neque caulem, neque fructum, neque florem profert. Vmbroſis & paluſtribus, circa parietum aſpergines, & fontium ſpecus enaſcitur. Ex qua deſcriptione liquet, neque ſaluiam vitam, neque Adiantum nigrum, aut album Officinarum, verum eſſe Dioſcoridis Adiantum, ſed id quod hîc pinximus. Fibris prætenuibus, capillaribus, nigris nititur, compactis, vnde prodeunt numeroſi cauliculi, iuncei, valde tenues, veluti cincinni, palmum aut ſeſquipalmum alti, ſericeo colore & nigro nitentes. Folia aniſi vel coriandri diuiſura, latiuſcula, alterno ſitu tenuiſſimis pediculis appenſa, tenella, vtrinque lateribus rectis clauſa, trianguli ſpecie, ſed ſuperiore ambitu laciniato & circi-

Locus. nato. Hoc eſt verum Dioſcoridis Adiantum, nullibi quàm Narbonenſi regioni frequentius: ſaxis riguis, vmbroſis, petroſiſq; locis in cemeneis illic montibus finitimis, ac rupium, fontium & puteorum labris vel aſperginibus Monſpelij, Nemauſiiq;, raro alibi in Gallia, Germania, Belgio, Anglia, aut nuſquam prouenit, quin ne Italiæ quidem multis locis. Quare ex ſupradictis locis Lugdunum, Lutetiam, Antuerpiam, & in alia celebriora emporia aſportatur, caróque à ſeplaſiariis emitur ad Syrupi capilli veneris dicti apparatum. Eundem ſyrupum Galliæ ditiores & aulici quotannis Monſpelij ſibi conficiendum curant, indéque adferendum,

Vires. quo recentiore ac pręſentiore vtantur. Mirum enim quantum thoracis affectus, hepatis, renúmque iuuet, quas vires cum pluribus aliis inſignibus, Dioſcorides aſſi-

Lib.4.c.131. gnat his verbis. Decoctum herbę potum prodeſt ſpirandi difficultati, ſuſpirioſis, lieni, & felle ſuffuſis, & vrinæ difficili, calculos frangit, aluum ſiſtit, ſerpentium morſibus auxilio eſt, contra ſtomachi fluxiones in vino bibitur. Secundas ciet & menſtrua, ſanguinis reiectiones inhibet. Contra ſerpentium morſus cruda herba illinitur, alopecias denſat, ſtrumas diſcutit: furfures & manantia capitis vlcera ex lixiuio emendat: defluentes capillos continet cum ladano & myrtino, & ſuſino aut hyſſopo (ſic enim vulgata habent exemplaria, καὶ σουσίνω ἢ καὶ ὑσσώπω, vt & Ruellius conuertit, ſed in vetere rectiùs legitur, σουσίνω ἢ καὶ οἰσύπω, quod eſt, ſuſino, aut œſypo) vinóque. Decoctum eius cum lixiuio & vino infuſum idem præſtat. Coturnices & gallinaceos pugnaciores facit, in cibos eorum additum. Seritur gra-


Lib.22.c.21 tia vtilitatis pecorum circa ouilia. Eadem ferè de Adiantis ſuis ſcripſit Plinius. Calculos è corpore mirè pellit, frangítque vtique nigrum. Qua de cauſa potiùs quàm quod in ſaxis naſceretur, à noſtris ſaxifragum appellatum crediderim. Bibitur è vino quantum terni decerpſere digiti. Vrinam cient. Serpentium & araneorum venenis reſiſtunt. In vino decocti aluum ſiſtunt. Capitis dolores corona ex his ſedat. Contra ſcolopendræ morſus illinuntur, crebrò auferendi, ne pereant: hoc & in alopeciis. Strumas diſcutiunt, furfuréſque in facie, & capitis manantia vlcera. Decoctum ex his prodeſt ſuſpirioſis & iocinori, & lieni, & felle ſuffuſis, & hydropicis. Stranguriæ illinuntur, & renibus cum abſinthio. Secundas cient & menſtrua. Sanguinem ſiſtunt ex aceto, aut rubi ſucco poti. Infantes quoque exulcerati perunguntur ex iis cum roſaceo & vino priùs. Folium in vrina pueri impubis, tritum quidem cum aphronitro, & illitum ventri mulierum, ne rugoſus fiat, præſtare dicitur. Perdices & gallinaceos pugnaciores fieri putant, in cibum eorum

Lib.6.ſim. additis, pecoriq; eſſe vtiliſſimos. Sed breuiùs & diſtinctiùs de his Galenus. Adiantum in caliditate ſymmetrum eſt. Verùm deſiccat & extenuat, & digerit. Etenim caput ex alopecia glabrum capillis conueſtit, & ſtrumas & abſceſſus digerit, lapidéſque frangit epotum, & viſcoſorum craſſorúmque è pectore pulmonéque excreationibus non mediocriter confert, & ventris profluuium ſiſtit: non tamen vllam manifeſtam caliditatem affert, ſicut nec frigiditatem. Verùm poſuerit ipſum

quispiam secundum hanc oppositionem & temperiem in ordine medio. Mesues etiam adianti temperiem & vires insignes recenset, inter quas & vim purgatoriam ei tribuit, Græci verò & Plinius nullam. Illius hæc sunt verba. Capillus veneris temperatus est, aut temperato proximus. Constat substantia aquea & terrea, sed tenui modicè, eáque styptica, altera verò superficiaria, calida tenui admodùm, ob quam virtus eius facilè resoluitur: quia virtus imbecilla à subiecto imbecillo promptè dissipatur. Hæc autem tenuant, obstructa aperiunt, digerunt, ventrem soluunt, præsertim recentes: sicci enim constringendo fluxum sistunt, bilem verò flauam & pituitam ventre toto & hepate, humoré sque crassos quamuis imbibitos etiam ex thorace & pulmone screatu educunt, respirationem ob id liberam efficiunt, sanguinem clarum reddunt, & inde colorem commendant, & partium prædictarum dolorem leniunt, obstructiones hepatis ac lienis tollunt. Ob id ictero & morbis omnibus obstructionem sequentibus infusi, præsertim in aqua apij & intybi, aut decocto cicerum nigrorum, aut semiquatuor, aut sero lactis. Cum oleo autem chamæmelino strumas delent. Syrupus ex his pleuritidi, peripneumoniæ prodest. Vrinam mouet: decoctum eorum calculum frangit: purgat vterum à partu. Parte verò styptica fluxiones cohibet, sanguinem sistit, ventriculum & ventrem roborat, ne excrementa promptè recipiant, roborat etiam capillorum radices, ob id eorum defluuium sistit: quinetiam partem pilis replet, præsertim cum oleo myrtino, aut oleo ladani, & vino styptico. Idem præstat puluis eorum vstorum: cinis ipsorum vel decoctum ex vino furfures lotione abigit, fistulas lacrymantes sanat. Imbecillitatem eorum in purgando corrigunt violæ, cassia fistula, manna, serum lactis, paruam sustinent decoctionem. Meliores benè habiti, foliis virentibus: strigosi enim & foliis flauescentibus inutiles. Datur decocti ad aluum subducendam libra vna.

Lib. simp. purg.

TRICHOMANES, CAP. II.



ΤΡΙΧΟΜΑΝΕΣ Græcè, Latinè etiam trichomanes dicitur, & capillaris, à Gaza filicula, Officinis Polytrichum, quod nomen est adianti herbæ Dioscoridis, & veterum aliorum testimonio, Gallicè *Polytric*, Germanicè *Vuilderrot*, & *Abtham*. Trichomanes autem Græci à vi sua vocauerũt, quòd rara cute fluentem capillũ explet, & subnasci facit. μανὸν enim illi rarum vocant, & τρίχα capillum. Hoc etiam nomine capillarem Latini dixerunt. Nascitur, inquit Dioscorides, iisdẽ in locis quibus adiantum, filici simile, sed exilius: foliis lenticulæ, tenuibus, acerbis, fusco colore splendentibus. Quę descriptio apertè demonstrat herbam hodiè Officinis vbique omnibus polytrichi nomine non minùs vsitatam quàm cognitam, verum esse Dioscoridis & veterum trichomanes, radice parua, fibris nigricantibus comante, à qua penè statim foliati cauliculi iuncei prodeunt, nigri, nitidi, rigidiusculi, gemina vtrinque foliorum serie, quæ rotunda sunt, & lenticulæ figura, ex atro aduersa parte virentia, auersa maculis ferrugineis notata, rutæ murariæ ritu, sine flore, sine semine. Palustribus & vmbrosis locis vberrimum, humentibus muris & saxis, & fontium specubus

Nomina. *Lib. 4. c. 132.* *Locus.* *Forma.* *Locus.*

POLYTRICHVM Aureum maius & minus.



Polytr. Aureũ. Fuch. cap.240. Dodo. lib. 3.cap.71.

Nomina

Genera.

Forma.

ſpecubus haud ſecus atque adiantum, & ſimiliter perpetuò vireſcit, viribus & ſaporè quoque illi proximum, quare etiam Galeno & Dioſcoride auctoribus, eadem quæ & adiantum præſtare poſſe conſtat. Herbarij herbulam aliam Polytrichum nominant, quòd ſanè forma ab eo quod deſcripſimus alieniſsimum eſt, Germani *Gulden vuiderthon*, Galli *Politric doré*, à colore aureo, Polytrichum autem à ramulis, qui capillorum inſtar tenues ſunt. Duo eius genera faciunt, vnum maius, alterum minus: neque enim differunt niſi ſola magnitudine. Fuchſius Polytricum Apuleij eſſe ſcribit, cùm tamẽ idem cum Dioſcoridis trichomane videatur eſſe. Polytrichum aureum maius cauliculos habet valde exiles, haud palmum altos, colore aurum referentes, circúmque hos folia multa capillacea, in ſummo capitula lentis aquaticæ ferè forma, eiuſdem cum cauliculis coloris. Minus ſuperiori prorſus ſimile, niſi quod omnibus partibus eſt minoribus.

Locus. Maius naſcitur in pratis humidis, & vliginoſis, minus in petris ac muris humidis.

Tempus. Menſe Iulio vtrumque reperitur.

Temper. & Vires In caliditate & frigiditate ſymmetra ſunt: deſiccant tamen, extenuant & digerunt. Decoctum vtriuſque in aqua aut lixiuio, capillorum radices firmat, ideóque in alopecia caput glabrum capillis veſtit, potum viſcoſorum craſſorúmque è thorace pulmonéque excreationibus non mediocriter confert, lapides frangit & vrinas ducit, morbo regio correptis, & lienoſis auxiliatur: ſtrumas diſcutit, denique eadem quæ adiantum præſtat. Recentiores vana ſuperſtitione ducti multa & incredibilia illis tribuunt. His ob magnam cum capillaribus affinitatem adiungenda herbula, admirãdis viribus, multis plantis apud antiquos celeberrimis proculdubio præferenda, quibus fortaſſè ignota fuit.

ROS SOLIS, Dodon.

Dodo. lib. 3.cap.71. Pet. Pen. in Ad.

Nomina



Ros ſolis & Rorella herbariis dicitur, Germanis *Sondau*, Gallis *Rouſee de ſoleil*, à mirabili natura nomen adepta, quantumuis diu ſol feruidus æſtate eam illuſtret, eius tamen folia ſemper rore & humiditate madent, eorúmque lanugo guttulis aſperſa manet. Et quantò ſol feruidior, tantò magis humiditatem eius augere & fouere videtur, tantùm abeſt vt exhauriat. Radice eſt fibrata, foliis rubeſcentibus, in rotunditate oblongis, hirſutis, cauis, puſilli cochlearis, aut auriſcalpij inſtar, inter quæ proueniunt cauliculi, ternos, quaternóſve digitos longi, rubeſcentes, in ſummitate inflexi, candidos floſculos gerentes. Sabuloſis & vdis ſcrobibus gaudet, aliquando vmbroſis ſiluis. Totius guſtus acris eſt, ſubadſtringens, nõnihil acidus, & acerbus, admodùm reſiccãs. Herbula hæc corpus tabeſcens roborat, ad ſalſæ pituitæ decubitum in pulmones efficaciſſima. Quare eorum vlcera ſanat. Aqua ex foliis & floſculis deſtillata, quæ fulua aureaq́; eſt, propinatur phthiſicis, aſthmaticis, tuſſiculoſis, aut quouis alio pulmonũ vitio laborãtibus.

RVTA

RVTA MVRARIA, *Paronychia*, CAP. III.

A Medicis & pharmacopœis exercitatioribus in capillarium numero, & iure quidem habetur, quæ vulgò Saluia vita dicitur, peritioribus muralis siue muraria Ruta, ob quandam foliorum similitudinẽ, & quod albicet pallido colore Rutaceo, Gallicè *Rue de mur, & Sauuevie* Germanicè *Maurauten, & Steinrrauten,* Belgicè *Stenrruyte,* id est, petræa Ruta. *Nomina*

SALVIA VITA.



Quibus enim locis verus capillus veneris, aut cęteræ capillares desunt, aut aliundè asportatæ, victæ redditæ sunt, Saluia vita vtuntur, certissimo felicissimoq; euentu. Sunt qui ab effectu inter saxifragas recenseant, & ob natales empetron vocent. Radice est nigra, tenera capillata, superuacua: cauliculis siue iuncis tenuibus, non ita dissimilibus adianti, nisi quòd atro colore non nitent, tenuibus & breuibus pediculis foliola hærent, quadantenus rutæ hortensis similia, minora tamen & parùm crenata, aduersa parte læuia, auersa punctis quibusdam notata. Hæc etiam folia adianti nõ parùm referunt, sed minora huic, crassiora, & incisuris pluribus atque altioribus: sine caule, sine flore sine semine, vti cæteræ capillares. Vetustis parietibus, humentibus, & inter ceterach, polytrichum, cæterasq; capillares, locis saxeis lubens prouenit: nec solùm Vere & æstate, sed etiam autumno & hyeme eius copia suppetit. Gustum consulentibus eodem quo cæteræ capillares temperamento esse videbitur, qua re moti periti viri in veri adianti inopia, ad pectoris & pulmonum vitia, ad hydropes, atque alia ad quæ adiantum valet, vsum eius feliciter accommodarunt. Pręterea vrinam ciet, arenulas & calculos renum pellit, quapropter in saxifragorum generibus habetur. Peculariter autẽ valere hanc compertum est ad puerorum enterocelas. Asseuerat enim Matthiolus nonnullos esse sanatos, hausto tantùm huiusce plantæ puluere, continuis quadraginta diebus, quibus collapsa in scrotum intestina apertè cernebantur. Eandem plantam qua de hîc agitur, idem Matthiolus paronychiam Dioscoridis esse credit, à quo multi dissentiunt. Paronychia, inquit Dioscorides, exiguus frutex, in petris nascens, peplo similis, minor longitudine, maioribus foliis. Sic, inquit Matthiolus, planta ista in saxis gignitur, atque etiam in veterum ædificiorum parietibus, foliis Rutæ adeò similibus, vt Ruta muralis inde nũcupetur: peplus autem, cui Paronychiæ folia comparat Dioscorides, eodem teste, foliis Rutæ paulò altioribus prouenit. Aliam plãtam exhibet hîc quoque pictam, quam quidam legitimã Dioscorides Paronychiã faciunt, quorum sententiam

Forma. *Locus.* *Temper.* Matth. in Cap. 49. lib. 4. Ibid. Paronych. Lib. 4. c. 49 Ibid. *Forma.*

PARONYCHIA Altera, *Matthioli,*



Forma.

PARONYCHIA Alsinefolia, Lobellij.

Paronych. Lonic. To. 2.cap.74.



Nomina

Forma.

tentiam nec probat, nec improbat. Habet hæc folia peplo longiora, flores paruos, copiosos, racematim cohærentes, albos. Paronychiã aliam repręsentat Lonicerus, quæ dicitur aliàs Lunaria Italica, quòd noctu folia eius luceant, Italica verò ad differentiam alterius Lunariæ Germanicæ. Illi lunariæ descriptionem Dioscoridis non admodũ repugnare scribit. Nascitur enim locis saxosis, foliis pepli, sed maiorib⁹, & aliquãtum incisis, noctu lucentibus: florẽ fert luteum, quadrifolium, paruũ: radicem hirsutam. Planta est odorata. Paronychias alias pictas dedit Lobellius, prior est pusilla planta Alsines figura, raris foliis, alsines vel lenticulæ, sed ad imũ cauliculũ dodrãtalem, albidum, admodùm exilem, humi strata & maiuscula sunt. In summo flosculi candidi & folliculi minimi Thlaspi pares, sed compressi & foliacei, gustu aliquantulum acri. In tectis & parietinis reperitur. Altera etiam in parietinis locisq; vmbrosis & petrosis cum superiore nascitur, cauliculis dodrantalibus, crassiusculis: foliola rutę bifida, interdum trifida incisura, eademq; magnitudine quadantenus cernuntur, succulenta, pallida, subrubra: flores albi: semina parua in folliculis Scorpioidis myosotidis non disparibus. Vtraq; exeunte hyeme, Vere primo flosculos edunt: deinde minimo æstu marcescũt, vt nusquã toto anno cõpareant. Hæc Pena. Paro-

Vires.

PARONYCHIA Altera, rutaceo folio, Lobellij.



MEDICA SYLVESTRIS Altera, Luneta.




Lib. 8. sim.

nychia, inquit Dioscorides, illita Paronychiis atq; fauis remedio est. Similiter Galen⁹ Paronychia, inquit, ab effectu nominata est, sanat enim Paronychias, &, vt refert Dioscor. fauos quoque. Vis eius est tenuium partium, & exsiccatoria morsu vacans: talia enim sint oportet, quæ Paronychias sanant. Porrò satis constat tale esse idoneum ad digerendos affectus omnes qui digeri postulant: talia enim sunt quæ cùm ex tertio sint ordine excalfacientium & desiccantium, velut & hoc, essentiæ insuper subtilis sint.

ASPLENVM, CAP. IIII.

Ἄσπληνον quòd splenẽ iuuet, Græcis dicitur, & σκολοπένδρειον, & σπλήνιον, & ἡμιόνιον, Theophrasto ἡμίονον, & πτέρυξ, non πτέρυξ, vt in vulgatis codicibus legitur, Latinis similiter Asplenum, & scolopendrium, Gazæ Mula, Mauritanis *scolofendrium, sculufendrium*, Officinis *Cetrach & Ceterach*, Italis *Aspleno, Scolopendria*, & Herba inodorata, Hispanis *Doradilha*, Gallis *Ceterac*. *Nomina*

ASPLENVM.



Asplenũ, inquit Dioscorides, foliis est multis, scolopendræ animali similibus, ab radice vna prodeuntibus. Nascitur in parietibus, saxisq; siliceis & opacis, nec caulem, nec florem, nec semen habet, folia filiculæ modo diuiduntur, subter flauescentia, hirsuta, supernè viridia. Plinius. Asplenum sunt qui hemionium vocant, foliis trientalibus, multis, radice limosa, cauernosa sicut filicis, candida, hirsuta: nec caulem, nec semen, nec florem habet. Nascitur in petris, parietibusq; opacis, humidis. Laudatissima in Creta. Theophrastus. ὅμοιον τῆς ἡμιόνου φύλλον σκολοπενδρείῳ (sic vulgati codices habent, sed legendum ex Dioscoride, τῇ σκολοπένδρᾳ) ῥίζας δὲ λεπτάς. ὀρεινὰ δὲ χωρία φιλεῖ, καὶ πετρώδη. Id est, Hemionum folium habet scolopendrę simile, radices tenues, loca montosa & saxosa amat. Ex qua descriptione, tum ex huius plantæ viribus ad iuuandum splenẽ efficacissimis, tum ex certissima & appositissima collatione qua Diosco. eius folia comparat scolopendræ animalculo noxio, tum ex natalibus constat, Arabum *Ceterac* verum esse Dioscoridis & aliorum veterum Asplenum siue scolopẽdrium, suscribente etiam peritiorum huiusce temporis herbariorum iudicio, contra maiorum nostrorum tum medicorum, tum pharmacopœorum peruicaciam, qui phyllitim siue linguam ceruinam vulgò dictam, verum scolopendrium esse credebant, eamq; aspleni vice medicamentis immiscebant. Sunt prætereà qui contendunt *ceterach* Asplenum non esse, quòd eius folia Dioscorid. polypodij foliis conferat, quæ sunt illis planè dissimilia. At is illa scolopendræ, non polypodij similia dixit, sed ἐντετμημένα esse ait, ὡς τὰ τοῦ πολυποδίου, id est, incisa vt polypodij folia, quod præcipuè in eo polypodio cernitur, quod in mõtibus prouenit, cuius folia foliis *ceterach* sunt perquàm simillima, nisi quòd paulò ampliora. Ad hæc Asplenum à scolopendrio diuersum esse aiunt auctoritate Galeni freti, sic scribentis. Nam quæ maiores sunt lienis obstructiones vehementiora desiderant, nempe capparis corticem, radices tamaricis, scolopendrium & scillam, & eam quæ idipsum nomine repręsentat Asplenon appellatam. Quibus respondet Matthiolus deprauatum hunc esse Galeni locum, & præter eius sententiam nimia scioli cuiusdam diligentia, vocem scolopendrium in contextum irrepsisse: quoniam sequentibus libris, in quibus de simpl. medicamentorum quæ nouerat, facultatibus disserit, nusquam scolopẽdrij, sed Asplenij tantùm meminit, aut, quod verius fuerit, scolopendrij aut Aspleni nomine hemionitim intelligit, vt ipsemet testatur, cùm recenset pharmaca ab Andromacho conscripta, quæ splenicis opem ferunt, hemionitis à veterum quibusdam Asplenũ, ab aliis scolopendrium nominata est. Quare nihil mirum si Galenus illo loco As-

Marginal notes: Lib.3.c.134. *Forma.* *Locus.* Lib.27.c.5. Lib.9. hist. cap.19. Lib.5. sim. cap.12. In cap.134. lib.3. Lib.9. cõpos. phar. loc. cap.2.

plenum vel ſcolopendrium pro hemionitide vſurpauerit, cùm præſertim hæc vi lienem abſumendi prædita ſit, vt paulò pòſt dicetur. Ceterach quibus locis naſcatur diximus. Præſtantiſſimum in Creta, & ibi repertum Vitruuius affirmat, circa Potereum amnem, qui duas vrbes Gnoſon & Cortynam interlabitur, parte quæ ad Cortynam ſpectat pecoribus ſine liene inuentis, quia herbam eam roderent. Ex altera parte quæ ad Gnoſon eſt, lienem habentibus, quia ibi herba illa non appareat. Tota hyeme viret.

Vires. Vim habent folia, auctore Dioſcoride, in aceto feruefacta, vt per *Lib.3.c.134.* dies quadraginta pota lienem abſumant: quibus etiam contritis lienem ex vino illini oportet. Stranguriæ & regio morbo prodeſt, ſingultum ſedat, calculos in veſica comminuit. Conceptum adimere creditur per ſeſe, aut cum muli liene appenſa. Tradunt noctu ſilente luna, huius rei gratia effodiendam. Eadẽ ſic breuiter Pli- *Lib.27.c.5.* nius, tradit. Huius foliorum iure in aceto decoctorum per dies quadraginta poto, lienem abſumi aiunt. Et, illinuntur autem, eadem ſedante ſingultus (ſic in vulgatis legitur, emendatiùs in veteribus. Et illinuntur eadem, ſedant & ſingultus). Nõ dan- *Lib.9.hiſt. cap.19.* da fœminis, quoniam ſterilitatem facit. Theophraſtus. τῆς δὲ ἡμιόνου τὸ φύλλον ταῖς γυναιξὶν εἰς τὸ ἀγονεῖν (ποιεῖν φασὶ ſubaud.) μίγνυσθαι δὲ φασί τι τῆς ὁπλῆς τοῦ ἡμιόνου, καὶ τοῦ δέρματος (alij σπέρματος legunt) χαίρειν δὲ σφόδρα καὶ τὴν ἡμίονον αὐτῷ. χρῆσθαι δὲ καὶ πρὸς τοὺς σπλῆνας, ὥσπερ τῷ κλυμένῳ. Id eſt, Hemionij folium mulieribus ſterilitatem adferre aiunt. Miſcendum autem eſſe aliquid vngulæ muli, & pellis eius, ſiue ſeminis. Mulas hac herba plurimũ delectari. Vſus eius ad lienes, vt clymeni. Hîc Theophraſtus an ad conceptionem impediendam folium hemionij alligari, an potari velit cum vngula, aut pelle, aut ſemine muli, non diſtinxit. Et quod eius rei gratia tradit Dioſco. ſilente luna effodere oportere, Serapio aliter expreſſit, nempè opor- *Lib.6.ſim.* tere ipſum ſuſpendi die aliquo in cuius nocte luna non apparuit. Galenus breuibus aſpleni vires perſtrinxit, his verbis. Aſplenum tenuium eſt partium non tamẽ calida eſt herba. Hac itaque ratione & lapides frangit, & lienes liquat. Aureus pul- *In cap.134. lib.3.* uis, inquit Matthiolus, qui in Aſpleni auerſa foliorum parte inuenitur, drachmæ pondere cum albi ſuccini pulueris ſemi drachma ex ſucco portulacæ aut plantaginis potus gonorrhœa laborantes mirificè iuuat. Herbæ totius decoctum datur vtiliter potandũ ad omnes melancholicos affectus, præſertim ad eos qui ex Hiſpanica lue prouenerint.

ASPLENVM, Siluestre.



Aſpl. ſilueſtre. Lib.1.c.188. Alterum aſplenum ſiue ſcolopendrium exhibet Tragus, & ſilueſtre appellat,

Locus. quod in vmbroſis & humidioribus ſiluis naſcitur,

Forma. radice nigra, villoſa, cõpacta, ac ceſpitis inſtar contexta, è qua ſupra ſexaginta aliquando folia, primo exortu linguæ ceruinæ modo recurua, poſteà cùm ſe explicarint, non tam lata quàm illius, ſed adſtrictiora, vtrinq; profundis, mediámque venam, quæ punicei eſt coloris, & vicem caulis tenet, attingentibus inciſuris diuiſa, nequaquam in altum erecta, ſed humi procumbentia, vermémque per omnia longum imitantia, exeunt. Iunio menſe appetente alia multa longè anguſtiora prioribus foliis ſubnaſcuntur, polypodij inſtar inciſa, in altum ſe attollentia, longiſſimis gallinaceorum pennis ſimillima, altera parte exiguis & luteis punctulis notata, ſicut & polypodij. Autumno accedente hæc, quæ iam diximus, folia, protinus

protinus pereunt, reliqua verò quæ ſubinde noua erumpunt, humi per totam hyemem illæſa procumbunt. Elegantiſſima ſanè planta, ſed quæ non paſsim occurrit. Vbi tamen inuenitur, ibi magna copia prouenire ſolet. Dodonæus, vt paulò pòſt indicabimus, Lonchitin aſperam eſſe iudicauit.

HEMIONITIS, CAP. V.

HMIONITIΣ & σπλήνιον Græcis, Latinis ſimiliter Hemionitis, quaſi mulariam dicas, & Splenium dicitur, ac rectè, vt quidam volunt, quòd eius folium, ſicut & Phyllitidis, medicorum Splenia, nimirùm oblongas plagulas figura imitetur, folium, inquit Dioſcorides, dracunculi emittit, lunatum: radicibus multis cohæret, tenuibus: numquam flores, neque ſemen, neque caulem gignit, in petroſis naſcitur, auſtero ſapore. *Nomina* Lib. 3. c. 135. *Forma.* *Locus.*

HEMIONITIS, Matth.



Quam deſcriptionem Leonicenus, Manardus, Ruellius, & eos ſecutus Fuchſius, ad eam accõmodarũt, quæ vulgò lingua ceruina, de qua proximè dicemus, falſò ſcolopendria dicitur. Verã enim ſcolopẽdriam, ſiue ſcolopendrium aſplenum eſſe diximus. Aiunt enim illi folia eſſe dracunculi, ſeu ari, inſtar lunæ corniculantis falcata: etſi enim interdum in altum ſurgunt, tamen inter initia potiſsimùm incurua, & lunæ creſcentis modo falcata ſunt: radicibus etiam cohæret multis, exilibus, nunquam floreſcens, neque ſemen, neque caulem proferens. At recentiores quidam, in quibus ſunt Matthiolus, Dodonæus, Anguillara, aliam Hemionitim, eamq; veram ſeſe reperiſſe aſſerunt, à Dioſcoridis hiſtoria nihil prorſus diſſidẽtem, quæ Romæ naſcitur in quibuſdam ruderibus, ædificiorúmque ruinis propè magnum amphitheatrum, vnde herbarij eam in ſuos hortos tranſtulerunt. Pena tamen atque alij recentiores etiam dubitant adhuc, num ea quæ ex Matthiolo hîc pingitur Hemionitis, ſit ſpecie diuerſa à lingua ceruina vulgò dicta, quod ei perquàm affinis & germana videatur: quíque in quibuſdam Italiæ hortis eandem hanc, ſed aliquantùm loco lætiorem, diuerſam cùm iudicent, fruſtrà Romę in ruderibus collapſorum ædificiorum vnà cum multis etiam quæſiiſſe: tamen Anguillaræ ſedulo herbario nihil refragari, qui monuerat plãtam indidem ſe habuiſſe, ſed adeò obſcuris notis diſtantem, vt perparùm aut nihil prorſus differre videretur à vulgari lingua ceruina. Nec enim minùs fibroſam radicem nigricantibus villis, ſummo ceſpite hærentibus huic ineſſe, folia autem auerſis exarata decliuibus lineolis, ſeu obliquis liris, vt in lingua ceruina, baſim tamen latiorem habere, & circum pediculum falcatam arcuatámve volubilis modo. Hæc Anguillara. Idem Pena in Anglia occidua ad rupes antroſáſque cautes. D. Vincentij vno aut altero miliari ab vrbe Briſtoia, vberrimè luxuriantem quandam facie linguæ ceruinæ plantam inueniſſe ſe ſcribit, cui terna quaternáve ſunt folia, minora multò, vix enim maxima tres digitos longitudine excedunt, minimè craſſa aut rigida, ſed mollicella, inter quem & alias plantas capillares, alioqui lætas & benè adultas ita exilis naſcitur, nec vllis à tergo lituris aſperata, ad mucronem lateribus

Fuch. c. 111. In cap. 135. lib. 3. Lib. 3. c. 65. Pena in Adu.

HEMIONITIS, Minor Penæ.



vtrinque ad medium sinuatis & reductis, basi latiore sinuata, segmento quasi vtrinque interiùs recuruo, gustu à lingua ceruina non diuerso. Clusius Hemionitidem peregrinam ostendit, peregrina elegantia, quæ naturæ luxu foliis duplicatis ad basim latioribus falcatas apophyses vtrinq;, lateribus mucronatas exerit. Modus, ortus & parilitas superioris Hemionitidis hîc picta in vmbrosis, vdis, saxosis & gelidis crescit. Ex aceto pota, auctore Dioscoride, lienem absumit. Galeno verò Hemionitis simul & adstrictionem & amaritudinem habet, quamobrem cum aceto pota lienosis auxilio est. Nec rectè quibusdam Hemionitis videtur esse quam Plinius Teucrion, quod eam Teucer inuenerit, quidam Hemionium vocant, spargentem iuncos tenues, folia curua, asperis locis nascentem, austero sapore: numquam floret, neque semen gignit. Medetur lienibus, &c. Eadem, inquiunt, Hemionitidi ferè à Dioscoride tributa sunt. Nam quod Plinius iuncos tenues spargentem describit, Dioscorides multiplici & exili radice demonstrauit, quod ille foliis curuis, is foliis dracunculi lunæ modo incuruis delineauit, id est, μηνοειδῆ. At si integri sunt hoc loco Plinij codices, teucrium cum Hemionio siue Hemionitide perperàm confudit: sunt enim prorsus diuersæ plantæ, vt in teucrio demonstrabitur. Ex vetustis exemplaribus quidam legunt, Inuenit & Teucer eadem ætate Teucrion, & quam quidam Hemionion vocant, &c. Lectione facili & perquàm commoda. Alij non Hemionium illic, sed Hermion ex veteribus & emendatioribus libris legendum esse affirmant. Ex quorundam herbariorum sentẽtia aliam Hemionitidem hîc pingendam curauimus, quæ in Ilua prouenit, radicibus multis capillacea tenuitate, breuibus, subnigris: cauliculis pedalem altitudinem vix attingentibus, in folia septem ferè aut nouem diuisis: quorum quaterna vel sena vtrinq; caulem pari ordine vestiunt, terna verò in summo caule extantia inferiorum foliorum versum claudunt. Sunt autem ea omnia longa, angusta, in ambitu nonnihil crenata, obliquis incisuris vtraque parte distincta, quas per medium folium procedens & eminens costa separat.

Locus.

Vires. Lib.3. c.135. Lib.6.sim.

Ruell. lib.3 cap.68. Lib.25.c.5.

HEMIONITIS Altera, Dalechampij.



Vires. Vis ei eadem quæ alteri hemionitidi: flos nullus, nullum semen, atque adeò ne auersam quidem foliorum partem subflauus puluisculus contegit, qui in aliis id genus plantis cernitur.


PHYLLITIS, CAP. VI.

Nomina QVAE Græcè φυλλῖτις quasi foliosam dicas, vt quæ caulis, floris, seminis expers, nihil nisi folia aut foliosus cespes appareat, Latinè quoque Phyllitis nominatur. Officinis Lingua ceruina, perperàm scolopendria, vt proximè diximus, Gallicè *Langue de cerf*, Germanicè *Hirsz-vng*.

Lib.3.c.104

Forma. Phyllitidem describit Dioscorides foliis esse rumici similibus, longioribus, & viridioribus,

PHYLLITIS.



dioribus, senis aut septenis, rectis, quæ parte anteriore læuia cernuntur, à tergo autem pensiles quasi vermiculos ostendunt. In vmbrosis & opacis hortorũ locis emicat, gustu acerbo, neque caulem, neque florem, neque semen profert. Quas notas omnes, qui propiùs inspexerit, minimè ambiget Phyllitida eam esse quæ lingua ceruina & scolopēdria vulgò nuncupatur. Primùm vmbrosis, opacis, humentibusq; locis prouenit, fontium & puteorum parietibus, veterum aliorum parietum & siluarum vdis, deinde foliis est vulgaris lapathi, maioribus, longioribus, viridioribus, rectis, senis, septenis, aliquando pluribus, è radice multis capillamentis fibrata, nigricante, adianti simili, anteriore parte læuibus & virentibus, à tergo multas transuersas lineolas seu liras extantes, subrubentes habentibus, ab ima & latiore parte secus mediũ neruum digestas, adsummum vsque quâ in mucronem desinũt, lapathi vulgaris aut linguæ similem, vnde ei linguæ ceruinæ nomen Officinæ indiderunt, quæ lineolæ, vt Dioscorides ait, pensiles vermiculos referunt. Adhæc gustu est acerbo, subastringente, exsiccante, non ingrato. Denique caule, flore, semine caret. Quod si eiusmodi plantæ quædam reperiantur, quæ multò plura senis septenísve folia emittant, ne id quidem Dioscoridi repugnat. Nam ab vna radice non multò plura quàm Dioscorides ait, folia eriguntur, sed à multis coniunctis, quas si separes non plura senis septenísve prodire conspicies. Quare à Leoniceni, Manardi, Ruellij, Fuchsij sententia, qui Phyllitida linguam ceruinã non esse, sed hemionitida cõtendunt, plerique omnes docti herbarij dissentiũt. Hemionitis enim etsi caule, flore, semine careat: folia tamen lapathi minimè habet, sed dracunculi, curua, & lunæ crescentis ritu falcata. Deinde alia reperta est Hemionitis, legitimã ac veram notis omnibus referens, vt superiore capite declarauimus. Non omittenda hîc est propter elegantiam Phyllitis Clusij, quę sola foliorum forma à vulgari differt, alioqui per omnia similis: sunt verò ea palmari longitudine, sena aut septena, ex radice multis nigris capillamentis fibrata prodeuntia, eiusdem læuoris & viroris interna parte, at externa nullis aut rarissimis transuersis lineis notata, & extrema parte multipliciter dissecta. Hanc in Cantabria non procul à monte D. Adriani nuncupato, qua per eius specum & fornicem transitus est in Hispaniam, locis vmbrosis in rupibus se obseruasse ait, raram tamen inter plerasque alias vulgares, Folia Phyllitidis, inquit Dioscorides, in vino

Locus.

Matth. in Cap. 104. lib. 3.

PHYLLITIS, Laciniata, Clusij.



Lib. 3. c. 104

Vires.

pota serpentium morsibus aduersantur, quadrupedibus per os infusa auxilio sunt: Lib.8.sim. & si dysenteria aut resoluta aluus excercet, potui datur. Eadem breuiter sic Galenus. Phyllitis cùm qualitatis sit acerbæ, non absurdè diarrhœas & dysenterias pota iuuat. Phyllitida vulgus vsurpauit ad lienis affectus, quibus prodesse experimento constat. Nec desunt qui eiusdem stillatitia aqua vtantur ad cordis affectus, & contra singultum. Eandem gargarissandam quoque præbent ad prolapsam columellam. Refrigerat iocinoris & ventriculi ardores siccorum foliorum farina eadem aqua excepta & illita. Eadem quoque aqua os colluendum præcipiunt ad palati desquamationes, & cruentas gingiuas.

Matthiol. in cap. 104 lib. 3.

λόγχη lancea λογχίτις qui fert lanceam [illegible] λογχῖτις [illegible] λογχίτιδος [illegible] ἐν περικαρπίοις σπέρμα ἔχει τρίγωνον ὅμοιον λόγχῃ

LONCHITIS, CAP. VII.

Nomina. LONCHITIS Latinè dicitur vt Græcè λογχῖτις à seminis triangula figura cuspidi lanceolæ've mucroni simili, id nomen sortita. Dioscoridi duplex est. *Genera.* De priore, in libro de Plantis quæ in asperis, &c. tractabimus. Altera verò Lonchitis τραχεῖα, id est, aspera dicta, quam Dioscorides tradit foliis esse scolopendrij, sed asperioribus, maioribúsque, ac multò magis diuisis, ex Matthiolo hîc proponitur, quòd folio sit scolopendrij proximo, longiore tamen & magis diuiso, & ad polypodij formam potiùs accedente, spithamæ longitudine, vtrinque disparibus incisuris dissecto, te-

Lonchitis asper. In cap. 145. lib. 3. *Forma.*

LONCHITIS Aspera maior, Matthioli.




LONCHITIS Aspera minor, Matthioli.



nuibus aculeatísque denticulis serrato, & vbique aspero, vnde illi nomen. Caulem nullum profert, neque flores, neque semen, polypodij & aspleni ritu, quorum imaginem refert. Radice nititur multiplici, tenui, subrubente sicuti Phyllitis. *Locus.* In Italiæ locis quibusdam nascitur humectis & vliginosis. *Genera.* Duo eius genera depinxit Matthiolus. Vnum maius, quòd à Luca Ghino, minus quod à Ibid Iacob.

PSEVDOLONCHITIS Aspera, Matth. Lonchitis aspera, Maranthæ.



LONCHITIS Aspera, Dodonæi.



LONCHITIS Aspera Iluensis.



Iacob. Anto. Cortuso nactus est. Præterea Pseudolonchitin asperam, quæ est Lonchitis aspera Maranthæ. Cauliculis est spithameis, nitidis, fuscis, rigidis, foliis Adianti Pliniani, sed gemino situ, filicis fœminæ ritu, crasśioribus multò, altera parte virentibus, altera Aspleni modo rubigineis. Radix pusilla, capillamentis crebris fibrata. Aliam Lonchitin asperam exhibet Dodon. & à quibusdam Longinam & Calabrinam nominari ait, ab aliis recentioribus Asplenum magnum & siluestre, Germanicè *Spicaut*, & *Miltzkraut*, filicibus similem, memoratam supra ex Trago, & luculentè descriptam, cap. De Aspleno. Lonchitis aspera alia in Ilua crescit, radice numerosa, foliis multis, dimidio pede longioribus, è rufo subnigris, in alia foliola diuisis, nostrati Aspleno similia, supernè viridia, infernè rufa & pulueruleta lanugine obducta, saporis austeri, qualis in aspleno depreheditur: quapropter ea iuuari lienosos quidā affirmāt. Lōchitidis primę radix, auctore Diosc. ex vino pota vrinā ciet. Lōchitis aspera vulneribus mirū in modū prodest, in eisq; inflāmationes excitari nō patitur. Pota ex aceto lienē absumit. De vtraq; etiā sic scribit Gale. Lōchitidis eius videlicet quæ semē habet triāgulare, figura lanceę simile, radix potisśimū quodāmodo similis est radici dauci: proinde vrinā ciet. Porrò eius q̄ scolopēdrij similia habet folia, ea ad glutināda vulnera vtilia sunt viridia: sed sicca cū aceto pota lienes induratos sanāt.

Lōchi. asp Dod. lib. 3. cap. 66.

Nomina

Forma.

Locus.

Lōch. Iluē.

Forma.

Vires.

Lib. 3. c. 145.


Li. 7. simpl.

FILIX, *CAP. VIII.*

Nomina GRAECIS πτέρις & πτέριον, Latinis Filix nominatur, Arabibus *Sarax* & *Sarachs*, Italis *Felce*, Germanis *Vualdtfarn*, Hispanis *Helechoyerua*, Gallis *Feugiere*, & *Feuchiere*. Officinæ Latino nomine vtuntur πτέρις autem & πτέριον à Græcis dicitur ab alis auium, quarum speciem in ramulis disposita eius folia referunt: pennatus enim & pennatis foliis frutex Filix est. *Li.27.ca.9.* Dicitur & Plinio auctore Blechnon: quanquam alij non βλῆχνον, sed βλάχνον dicant. Nicander βλῆθρον appellat hoc versiculo. *In Theria.*

Ἐν δὲ πολυσχιδέως βλῆθρον περιβάλλεο χαίτην.

Vbi Scholiastes βλῆθρον interpretatur πτερίδα, & βλάχνον, idest, Filicem. A qua Latinis Filecta, vt à carice carecta nominantur, & Filicones à veteribus pro malis & inutilibus accipiebantur. *Genera.* Filix duplex est Dioscoridi, Theophrasto, Galeno, Plinio, πτέρις simpliciter dicta, quæ Latinis Filix mas nominatur, *Feugiere masle*, & Filix fœmina, quæ θηλυπτέρις, & νυμφαία πτέρις, *Feugiere femelle*, vtraque quamuis sterilis planta vulgatissimæ cognitionis. *Forma. Diosc. li.4. cap.178.* Filici folia sine caule, sine fructu, sine flore, ex vno pediculo cubitali longitudine exeunt, multifida, alarũ auium



FILIX Mas, Matth.



FILIX fœmina, Matth.

modo expassa, subgraui odore: radice per summa cespitum nigra, oblonga, adnata siue propagines multas fundente, subadstringente gustu. *Locus.* Nascitur in montibus vmbrosis & saxosis. Filix fœmina foliis est superioris Filicis, quæ non vno, vt illa, pediculo nitantur, sed surculos siue ramulos multos & altiores habentia: radicibus longis, pluribus, obliquis, quæ ex nigro in luteum flauescũt: aliquæ etiámnum *Lib.27.c.9.* rubræ inueniuntur. Plinius sic ferè descripsit. Filicis duo genera, nec florem habent nec semen. Pterin Græci vocant, alij Blechnon: cuius ex vna radice complures exeunt Filices, (Dioscorides dixit ῥίζων πολλὰς ἔχειν ἐκφύσεις, idest, multas habere radiculas adnatas, bina etiam cubita excedentes longitudine, non graues odore, (Dioscoridi folium est ὑποδυσώδες, idest, odore nonnihil graui.) Ex vetustis quidam

quidam legunt, ſubgraui odore, hanc marem exiſtimant. Alterum genus Thelypterin Græci vocant, alij Nymphæam Pterin. Eſt autem non ſingularis atque fruticoſa (deprauata hîc ſunt exemplaria, in quibus legitur, Eſt autem ſingularis, atque non fruticoſa) breuior, molliórque & denſior, foliis ad radicẽ canaliculata. Vtriuſque radice ſues pingueſcunt. Folia vtriuſque lateribus pinnata. Vnde nomen Græci impoſuêre. Radices vtríque longæ in obliquum, nigræ. Dioſcoridi fœminæ radix è nigro flaueſcit, & interdũ rubra eſt) præcipuè cum inaruere. Siccari autem eas ſole oportet. Naſcuntur vbique, ſed maximè frigido ſolo. Hæ deſcriptiones Filices noſtras adamuſſim delineant, atque euidenter diſtinguunt. Mas enim ſtatim ab radice multis compacta appendicibus, crebros emittit & prolixos bicubitales, vel proceriores non caules, ſed pediculos, pennatim folioſos. Fœmina verò ſæpius vnum, interdum aliquot promit caules, ferè à medio in multos diuiſum, pennatim etiam folioſos ramos, & radice eſt minore: quod diſcrimen Theophraſtus expreſsit his verbis. Διαφέρει δὲ τῆς πτερίδος θηλύπτερις, τῷ τὴν μὲν φύλλον ἔχειν μονόκωλον (fortaſsè μονόμοσχον, vt in Dioſcoride legitur) ῥίζαν δὲ μεγάλην, καὶ μακρὰν, καὶ μέλαιναν. Ideſt, Differt fœmina Filix à maſcula, quòd folium hæc habeat ex vno membro ſiue pediculo, & radicem magnam, & longam, & nigram. Sed de ſemine Filicis ambigitur. Quamuis enim Theophraſtus, Diſcor. Galenus, Plinius eam ἄκαρπον eſſe affirmauerint, ideſt, ſterilem & ſine ſemine: quinetiam medici Arabes & Perſæ ad magicas vanitates nati, huius ſeminis nõ meminerint, tamen non ſolùm Agyrtæ vulgi ignorãtiæ ad queſtum impudenter illudentes, ſed etiam neoterici quidam, qui ſe naturalium rerum indagatores profitentur, Filicẽ ſemen ferre aſſeuerant, auerſis foliis inhærens, ſed adeò minutum, vt viſum ferè fallat: legiq; abſciſsis propè radicem foliis, & in domo ſuſpẽſis, ſubſtrato linteolo, aut papyro, circa finem Iunij: hoc enim ferè tempore matureſcere. Alij vna ſolſtitiali nocte florere, eademq; hora cùm defloruit, maturum ſemen in terram cadere: ideoq; niſi quiſpiã tunc affuerit, nec videri florem, nec colligi ſemen poſſe. Agyrtæ cuncta illa fieri & obſeruari natali nocte D. Ioãnis Baptiſtæ nugantur. Quæ commentitia ſunt & ſuperſtitioſa. Verumtamen rudimentum quoddã ſeminis edunt puluerulentæ foliorum Filicis fimbriæ & rugoſæ: ac iſtas atomos admodùm exiles tenuiſsimis veluti araneorum filis de ſummo earum ramo pendentes, paſsim Filicis fœminæ ſemen eſſe dictitant, & plebi perſuadere conantur. Filicem locis aſperis nimis frequentem, & humentibus locis, atque in agrorum marginibus vidimus. Fœminam in ſiluis & montibus. Aprili menſe folia erumpunt, Septembri marceſcũt. Filicis radix, auctore Dioſcor. latos lũbricos excutit ſumpta drachmis quatuor ex aqua mulſa: melius ſi cum ſcammoniæ, aut veratri nigri totidem obolis detur: ſed qui ſumunt, allia præſumpſiſſe debent. Laborantes lienis incremento recreat. Radix & pota & illita cum axungia vulneribus ſagitta arundinea factis eſt auxilio: cuius rei probatio talis eſt. Peribit Filix quam per ambitum ſata copioſior arundo coronet: contrà euaneſcens abibit arundo, quam obſepiens multa Filix in orbem cinxerit. Qui poſtremus locus in vulgatis Græcis ita mutilus eſt, vt verba aliquot deſiderentur, ita reſtituẽda, ἔνθ' ἐστὶ πολὺς κάλαμος δ' ἐβλάχνον στεφανῶν, ἀφανίζεται ἐβλάχνον: καὶ ἔνθα πολὺ ἐβλάχνον τὸν κάλαμον στεφανῶν ἀφανίζεται κάλαμος. Filicis fœminę radices latum lumbricum expellunt, cum melle in eclegmate ſumptæ: potæ cum vino drachmis tribus rotundum lumbricum eiiciunt: datæ fœminis ſterilitatem faciunt, & prægnantibus abortum, ſi ſupergradiantur (ſic enim conuertenda Græca, κἂν ἔγκυος διαβῇ, ἐκτιτρώσκει. Lacuna tamen legit ex vetere codice, κἂν ἔγκυος λαβῇ, ἐκτιτρώσκει: ideſt, & ſi prægnans ſumpſerit abortum facit) farina humidis vlceribus & cicatrici repugnantibus inſpargitur. Iumentorum ceruicibus medetur. Folia recentia in oleribus cocta manduntur, vt ventrem emolliant. Plinius eadem magna

Lib. 9. hiſt. cap. 20.

Pet. Pen. in Ad.

Locus.

Tempus.

Li. 4. c. 178.

Vires.

Li. 27. c. 1. 9.

magna ex parte habet. Vſus radicis in trimatu tantùm neque ante, neque poſtea: pellunt interaneorum animalia, ex his tænias cum melle (ſic rectè vetus codex habet, vulgati falsò tineas) cętera ex vino dulci triduo potæ: vtraque ſtomacho inutiliſsima: Aluum ſoluit, primò bilem trahens, mox aquam: meliùs tænias cum ſcammonij pari pondere. Radix eius duorum obolorum pondere ex aqua, poſt vnius diei abſtinentiam bibitur, melle prægustato contra rheumatiſmos. Neutra danda fœminis: quoniam grauidis abortum, cæteris ſterilitatem facit: farina earum vlceribus tetris inſpargitur, iumentorum quoque ceruicibus: folia cimicem necant, ſerpentem non recipiunt. Ideò ſubſterni vtile eſt in locis ſuſpectis: vſtæ etiam fugant nidore. Hæc Plinius: quorum nonnulla partim ex Dioſcoride, partim ex

Lib.9. hiſt. cap.20. Theophraſto mutuatus eſt ſic ſcribente: ἡ δὲ θηλύπτερις χρήσιμον πρὸς τὰς ἕλμινθας, τάς τε πλατείας, καὶ τὰς λεπτὰς πρὸς μὲν τὰς πλατείας ἀναδιδομένη μέλιτι. πρὸς δὲ τὰς λεπτὰς ἐν οἴνῳ γλυκεῖ μετ' ἀλφίτων διδομένη. γυναικὶ δὲ ἐάν γε δοθῇ, ἐὰν μὲν ἐγκύμονι, ἐκβάλλειν φασίν. ἐὰν δὲ μή, τὸ ὅλον ἄτεκνον γίνεσθαι. Ideſt, vtilis Filix fœmina contra latos ventris lumbricos, & contra tenues: contra latos quidem cum melle, contra tenues verò ex vino dulci cum polenta. Quinetiam ſi mulieri detur, grauidis quidem abortum, ſimpliciter autem fœminis ſterilitatem facere dicitur. Theophra. & Plinius Filicis fœminæ cibo potúve fœminas ſterileſcere, grauidas abortum facere tradunt: neuter autem ſi grauida ſupergrediatur abortum fieri tradit. Quorum auctoritas locum Dioſcoridis ſupra citatum, rectè à Lacuna emendatum eſſe con-

Ibid.ca.22. firmat. Scribit item Theophraſtus: ἡ δὲ τῆς πτερίδος ῥίζα μόνον, τῷ χυλῷ γλυκύς τρυφνός. ἕλμινθα δὲ πλατεῖαν ἐκβάλλει, σπέρμα δὲ οὐκ ἔχει, οὐδὲ ὀπόν. (nempè lacteum ſuccum medicatum, & catharticum, vulnere & inciſura ſtillantem, qualem mittit ſcammonium, cuius proximè antea meminerat, & cum quo Filicem aliqua ex parte confert.) τέμνεσθαι δὲ ὡραίαν μετοπώρου φασίν. Ideſt, filicis radix ſucco dulci & acerbo ſimul eſt. Latum lumbricum pellit: ſemen non habet, neque lacteum ſuccum: ferunt tempeſtiuam Autumno ſecari: Quod verò de diſsidio inter filicem & arundinem

Lib.18. c.6. Dioſcorides tradit, legitur etiam apud Plinium his verbis. Filix biennio moritur, ſi frondem agere non patiaris. Id efficaciſsimè contingit germinantis ramis baculo decuſsis. Succus enim ex ipſa defluens necat radices. Aiunt & circa ſolſtitium euulſas, non renaſci, nec arundine ſectas, aut exaratas arundine vomeri impoſita. Similiter & arundinem exarari filice vomeri impoſita. Repetit idem alio in loco.

Lib.24.c.11. Arundinis radix contrita & impoſita filicis ſtirpem corpore extrahit: item arundinem filicis radix. Sed hoc prior ipſo Celſus tradidit. Peſsima ex ſurculis, inquit,

Lib.5.ca.6. arundo eſt, quia aſpera eſt, eademq; offenſa etiam in filice eſt. Sed vſu cognitum eſt vtramque aduerſus alteram medicamentum eſſe, ſi contrita ſuperimpoſita eſt.

Lib.8. hiſt. cap.8. Extirpandę verò & prorſus abolendæ filicis rationem aliam Theophraſtus docet, his verbis: καὶ ἡ κόπρος χρήσιμος, οὐ μόνον τοῖς περὶ τὸν σῖτον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις, πλὴν πτερίδι. ταύτην δὲ φθείρειν φασὶν ἐπιβαλλομένην. ἀπόλλυται δὲ καὶ ἡ πτερὶς καὶ ἐπικοιμωμένων τῶν προβάτων. Ideſt, ſtercoratio vtilis non ſolùm frumentis, verùm etiam aliis herbis, præterquàm filici eſt: hanc enim fimo ſuperiniecto interire affirmant: interit

Li.8. ſimpl. & pecore incumbente. Galenus breuiter Filicum vires ſic declarat. Filix radicem habet maximè vtilem: latum enim lumbricum interficit, ſi quis eam quatuor drachmis cum melicrato ebibat. Ad eundem modum partum viuum quidem necare, mortuum autem eiicere mirum non eſt. Eſt enim amara paulùm habens adſtrictionis. Quamobrem vlceribus impoſita vim habet valenter deſiccandi, non tamen mordax eſt. Similem ei vim habet thelypteris. Armoricos, & Neuſtriorum vltimos, qui vaſtas ſiluas colunt, in frugum inopia, è radice Filicis panem conficere notum eſt, eiuſdémque cineribus nitri loco iniectis, ſaxa liquare, & vitrea vaſa fingere, colore viridi, & ſubobſcuro, quibus vinum album, dulce turbidum potare

Andes,

Andes, Vnelli, Cenomani gratisimum habent. Recentiores herbarij plantas alias filicis nomine donarunt. Imprimis eam quæ Filix aquatica, & Osmunda, siue Osmunda regalis, à regiis & præclaris viribus nuncupatur, à nonnullis filiquastrum, à Chemistis Lunaria maior, à Gallis *Osmunde*, siue *Feugiere aquatique*, à Germanis *Vuattervarn.* Filicibus supradictis similis est, nisi quòd folia crenata non habet: caulem emittit triangulum, rectum, tenuem, cubitalem, interdum bicubitalem, quem folia vtrinque æquis interuallis alarum ritu expassa stipant, sicuti in polypodio incisa. In caulium, & ramulorum, ex caulium lateribus prodeuntium vertice, granula rotunda, aspera, seminum speciem ostendentia. Radix magna, crassa, ex multis radiculis implexis compacta, in cuius medio albũ quidpiam inest, quod cor Osmundæ vocant. Hanc Pseudolonchitidem asperam vocat Matthiolus, eóque nomine depingit. Locis humidis, vmbrosis, & nemoribus gaudet. Aprili mense folia sicut aliarum filicum erumpunt, hyeme ineunte pereunt, viuaci tamen radice in terra manente. Calida primo gradu, sicca secundo, nõnihil acris, odoris nõ ingrati. Radices ad contusa, rupta, luxata: item ad hernias perutiles esse constat experientia certissima. Quinetiam colicis & spleneticis plurimùm conferunt. Tragus aliud Filicis maioris genus exhibet, quæ & forma & colore reliquas omnes antecellit. Osmundã vocat Lobellius, cùm

Forma. Dod. lib. 3. cap. 61.

In cap. 145. lib. 3.

Locus.

Tempus.

Temper.


Vires.

Pet. Pen. in Aduers.

FILIX Aquatica, Dodon.



FILIX Florescens, Tragi.



FILIX Arborea, Tragi.



tamen

tamen ab Osmunda superiore differat. Habet enim caules longos, viri proceritatem attingentes, virides planè: radicē crassam, nigram & pilosam. Folia in vtroque caulis latere pinnata, & incisuris distincta instar foliorum polypodij: florem fert in vertice candidum, copiosum, qui circa diem sacrum D. Ioannis Baptistæ nullo post se relicto semine decidit. Raro, inquit Tragus, hoc filicis genus reperitur, nec multis cognitum est. *Locus.* In Vuasgoiæ altissimis siluis propè Circulum arcem ducis Bipontini prouenit. Ea fortassè Dryophonon Plinij fuerit. Dryophonon, inquit, *Li.27.ca.9.* similis dryopteridi herba est, cauliculis tenuibus, cubitalibus, circundatis vtrimq; foliis, pollicari amplitudine, qualia oxymyrsines, sed candidioribus molliori-busq;, flore candido sambuci. *Li.1.ca.183.* Idem Tragus duo alia Filicis genera exhibet. Vnum quòd in veterum & cæsorum roborum caudicibus nascitur, *Forma.* folio Filicis, multò tamen minore incisura diuisum, caule non altiore polypodio, sed multò tenuiore. Passim non occurrit, sed in altissimis tantùm montibus. Alterum est Filix nuda *Li.1.ca.184.* seu saxatilis, folio orbata, caulem proferens digitum longum, multiplicem & copiosum, vna è radice, eaq; capillata, sicut & ruta muraria, in cacumine binis vel

FILIX Saxatilis, Tragi.



CHAMÆFILIX Marina Anglica, Lobellij.




ternis corniculis, aut si mauis incuruis quasi setis, quæ purpureis aliquando notantur punctis, cōspicuum. Gustu & odore cum filice vulgari cōuenit: è saxis prorumpit. Capilli veneris, seu polytrichi Apuleij genus esse existimat Tragus, nempè eius quod ramusculos habet quasi setas porcinas. Hîc Chamæfilicem marinam Anglicam ponemus, quam non nisi saxorum rupiúmve interueniis aut petrosis asperginibus Cornubiæ innatam reperit ad maris alluuiones. E' pusilla multis implexa cirris pullis & compacta radice, foliola emittit binûm ternûmve vnciarum numerosa, rigida, carnosa, ex atro virentia, lucida, filicis maris diuisura, ortu, positu, & gustu, lituris etiam aduersa parte extantibus, ferrugineis, quorum pediculi & medius neruus sericeo nitore ex fusco lucent. Hæc Lobellius.

DRYOPTERIS, CAP. IX.

HÆc Filicis ſpecies à foliorum figura & loco natali δρυοπτερὶς Grecis dicitur, Latinis Filix querna, & Filix quercus, Gallis *Feugiere de cheſne*, Germanis *Eickenfarn*. *Nomina* Dryopteris, vt deſcribit Dioſcorides, filici ſimilis eſt, multò minore foliorum inciſura, radicibus inuicem implexis, *Li.4.ca.181.* hirſutis, guſtu acerbis, in dulcedinem vergentibus. *Forma.* Naſcitur in veterũ quercuum muſco. *Locus.* Ex hac deſcriptione hanc protulit Dryopterida Matthiolus, quæ filicem foliis optimè refert. *Ca.181.li.4.* Naſcitur etiam, inquit, in humenti ſolo inter vepres circa quercuum caudices, ſeq; in Goritienſi agro multis locis inueniſſe extra quercuum caudices affirmat, nullis repugnantibus notis. Sunt qui aliam Dryopterin, eamq; veram ſic pingunt ac deſcribunt. Folia huic polypodij prorſus, aut filicis fœminæ, minora tamen multò, non minoribus laciniis, tenuiora, & teneriora, in iuncis exilibus pedem altis, pennatim & aduerſo ſitu exorientia, auerſa parte notulis aſperſa, non extantibus, rubiginoſis, ſed candidis appictis, ſerie gemina ſecus foliorũ neruulum medium. Radix longa, variè inflexa, humi decurrens, fuſca, ſubhirſuta, & villis fibrata, polypodij (niſi multò gracilior eſſet) ita ſimilis, vt aliquando minùs peritos pharmacopœos in periculoſum errorem induxerit, miſcentes hanc decoctis polypodij radicis vice. Dodonæus *Lib.3.c.65.* Dryopterides duas pinxit ac deſcripſit, hanc candidam, illam nigram. *Forma.* Candida filici mari haud abſimilis, ſed multò minor, palmum non excedens, caule, flore, ſemine orbata: folia candida, tenera, multùm ſciſſa, crenis toto ambitu denſioribus & minutioribus quàm in filice mare, à tergo punctis notata: radix ſpiſſa, nigricans, ex radiculis multis & implexis compacta. Nigræ Dryopteridi foliorum pediculi nigricant, item folia, ſuperioris minora & breuiora, non tam crebris inciſuris, cætera ſimilia, & auerſa parte notis paruis ſignata, tota hyeme virentia. Vtraq; Adiantum eſt officinarum album & nigrum, quibus adianto vero deſtitutæ, innoxiè, ſaltem nigra vtuntur, ac fortaſſè adiantum album & nigrum Plinij, vt in vero adiãto diximus. *Locus.* Vmbroſis viis circa quercuum radices, non tamẽ vbiq; proueniũt. Dalechampius verã hanc Dryopterida exhibet, quæ in editiſsimis montibus naſcitur ad quercuum muſcoſas radices, foris per terram vagantes, radice capillata fibris denſis, valde tenuibus, inter ſeſe implexis, ſubatris, guſtu adſtringentibus cum paucula dulcedine,

DRYOPTERIS, *Matth.*



DRYOPTERIS *Alba, Dodonæi.*



DRYOPTERIS Nigra, Dodon.



quæ cum aliquandiu mensæ fuerint, percipitur: foliis multis, obliquis, virentibus, & herbaceum virorem constanter seruantibus, etiam dudum collecta planta, vnico pediculo adnexis, altiùs incisis, pennarum ritu explicatis, supernè læuibus & glabris, infernè exiguis & subluteis punctis, & quasi vermiculis puluerulentis & asperis maculata: sine caule, sine flore, sine semine, nisi quis (vt vulgò multi de filice nugātur) sessiles & pensiles in aduersa foliorū parte quasi vermiculos, dū flaui adhuc hærent florem esse putet, cum nigricantes decidunt, fructum ac semen. Dioscorides Dryopteridis facultates tradit, his verbis. Αὐτὴ ἐπιπλασθεῖσα λεῖα σὺν ταῖς ῥίζαις, τρίχας ψιλοῖ. δεῖ δὲ ἀποψᾶν (alij ἀποσπᾶν legunt) τὸ πρῶτον μετὰ τὸ ἰκμάσαι τὸν χρῶτα, καὶ νεαρὸν ἐπιπλάσσειν. Hęc interpretes Plinium potiùs secuti, quàm verba & sensum Dioscoridis, malè conuerterunt. Sic enim Ruellius. Psilothrum est cum radicibus trita: illinitur enim primùm vsque dum sudorem euocet, mòx sudor abluitur, & recens imponitur. Sic verò Cornarius. Hæc vnà cum radicibus trita imposita pilos abolet. Oportet autem postquā corpus exudauit, priorem deradere, & rursus recentem imponere. Plinius verò hoc modo. Dryopteris filici similis, in arboribus nascitur, tenui foliorum subdulcium incisura, radice hirsuta: vis ei caustica est, ideò psilothrū est radix tusa. Illinitur enim vsque dum sudores euocet: iterúmque & tertio, vt ne sudor abluatur. Primùm foliis dulcedinem quandam is tribuit, Dioscorides verò non folia, sed radices in dulcedinem vergere scribit: deinde ῥίζας δασείας, idest, densas & crebras, Plinius hirsutas dixit, prætereà radicem tusam psilothrum esse, Dioscorides verò herbam ipsam cum radice tusam. Adhæc adhibendi psilothri modum videtur nō rectè expresisse, vertit enim, ἰκμάζειν, sudorem euocare, cùm scribit, illinendam esse radicem, vsque dum sudores euocet, &c. cùm ἰκμάζειν sit humectare & mollire, vt Dioscorides intelligat corporis partem depilandam aquæ tepidæ fotu priùs humectandam esse, quod est ἰκμάζειν, deinde pilum deradendum, si ἀποψᾶν legas, vel auellendum, si ἀποσπᾶν, quod huic loco optimè conuenit, quoniam efficacior est vis psilothri profundiùs subeuntis auulso pilo, vtpotè via magis patefacta, & postremo recentem Dryopteridem, non radicem solùm, sed cum ea herbam ipsam cataplasmatis, aut emplastri modo imponendam. Sic igitur Dioscoridis locus conuertendus. Dryopteris cum radicibus trita & imposita pilos abolet. Oportet autem cùm pars pilosa aqua humectata fuerit, primùm eam deradere, vel pilum auellere, deinde recentem Dryopteridem cataplasmatis modo imponere. Quibus verbis

Li.4. c.181. *Vires.*

DRYOPTERIS, Dalech.

Lib.27.c.9.



Dioſcorides, id quod plerumque facit, non ſolùm Dryopteridis depilatoriam vim, ſed vtendi quoque modum declarare voluit. Siue enim pſilothrum, ideſt, medicamentum quod pilos detrahit, cauſtica & ſeptica vi id efficiat, quod prius eſt pſilothri genus: ſiue inſigniter & extremè frigida, aut à totius ſubſtantiæ proprietate, quod alterum genus eſt, capillum renaſci prohibens, primùm oportet vt cutis tepentis aquæ fotu rareſcat, & relaxetur, deinde pili auellantur, vel deradantur nouacula, aut ſeptico cauſticóve aliquo detrahantur: quod hodie Turcæ illitu ſui Rhuſma faciunt, tum alterum pſilothrum parti imponatur, ne pili renaſcantur, quem ordinem hîc docet Dioſcorides. Vult enim prius χρῶτα ἰκμάζειν, deinde pilos ἀποψᾶν, poſtremò νεαρὰν δρυοπτερίδα ἐπιπλάσσειν. Galen. itidem ſcribit Dryopteridem guſtu mixtam qualitatem præ ſe ferre, dulcem, acrem, amaram, in radice verò etiam acerbam: facultatem habere ſepticam, proinde etiam pilis glabram cutem efficere. Dantur, inquit Matthiolus, Dryopteridis radices in puluerem contritæ, & cum furfuribus mixtæ, addito ſalis & furfuris momento equis deuorandæ aduerſus inteſtinorum vermes: namque potenter illos expellunt & interimunt. Li.6.ſimpl. Ca.181.li.4.

POLYPODIVM, CAP. X.

ΠΟΛΥΠΌΔΙΟΝ Græcè, Polypodium & Filicula Latinè, Catoni felicula, niſi mendoſi ſint codices, Gallicè *Polipode*, Germanicè *Engelſuſz*, & *Baunfarn*, Italis *Polipodio*, Arabibus *Bisberg*, *Aibeig*, *Beſſaigi*, Officinæ Græcum nomen retinuerunt. Polypodij nomen à radice quæ cirros & acetabula polyporum modo habet, inditum eſt, filiculæ verò à foliorum cum filice ſimilitudine. Polypodium palmi eſt altitudine, ſimile filici, ſubhirſutum, inciſum, non tamen adeò tenui diuiſura: radix ſubeſt piloſa, cirros veluti Polypus habens, craſsitudine minimi digiti, deraſa intus viridis eſt, auſtera guſtu & ſubdulcis. Naſcitur in muſcoſis petris, & in vetuſtis caudicibus quercuum. Hæc Dioſcorides. Eadem ferè Plinius tradit. Polypodium, quod noſtri filiculam vocant, ſimilis eſt filici. Radix eſt in vſu, piloſa, coloris intus herbacei, craſsitudine digiti minimi, acetabulis cauernoſa, ceu polyporum cirri, ſubdulcis, in petris naſcens, aut ſub arboribus vetuſtis. Hîc altera radicis qualitas à Plinio omiſſa eſt, nempè adſtringẽs. Adde etiam folia auerſa parte fuluis maculis notata eſſe. Ex his notius eſt quàm vt probatione egeat, Polypodium noſtrum, id eſſe de quo veteres ſcripſere, quo frequentiſsimè hodie, præſertim querno, in dilutis & decoctis medici vtuntur. Matthiolus duo eius aſsignat genera. Vnum id de quo diſſeruimus, quod omnibus notum eſt, & quod vbiq; frequens prouenit. Alterum non niſi paucis cognitum, inquit, folio aſpleni, ſed longiore, viridiore, magiſq; per ambitum laciniato, radice priori ſimili, ſed paulò graciliore. Hoc plurimum naſcitur in montium ſiluis. Sed diſsimilitudo iſta ex loci non ſpeciei diuerſitate pendet: loco enim macilen-

Nomina Cap.158.


Forma.

Locus.

Li.4. c.180. Li.26. ca.8.


Genera. In cap.180. lib.4.

POLYPODIVM Primum, Matthioli.



tiore natum, gracilius & ſtrigoſius, lætiore amplius & vegetum magis. Sic etiam quibuſdam opacis nemoribus folio eſt adultiore. Non ſunt tamen iſta ſpecie diuerſa. Sic & Ilua thyrrheni maris inſula Polypodium gignit ab aliis diuerſum, ſicut & alias quaſdam raras plantas veluti Lonchitin aſperam, & hemionitin, de

POLYPODIVM Secundum, Matthioli.



POLYPODIVM Iluenſe.



Forma. quibus diximus. Polypodium Iluenſe in ſaxis naſcitur, radice vt in aliis generibus velut polyporum cirris nodoſa, fibrata: caulibus pedalibus, è rufo nigreſcentibus, læuibus, infernè hirſutis: foliis oblongis, pinnatis, inæquali ſitu in caule diſpoſitis, altera parte virentibus, altera puluiſculo obſitis, guſtu ſubdulcibus, & nonnihil auſteris, nullo flore, nullo ſemine. Ad eadem valere aiunt, ad quæ alterum Polypodium, niſi quòd magis ſiccet, ob natalium ariditatem, tum ſoli natura, tum maris afflatu, maiorem. Quid autem Polypodium præſtare poſſit, declarat Dioſcori-

Vires. des, his verbis. Radix purgandi vim habet. Coquitur cum gallina, aut piſcibus,

Li.4. c.180. aut beta, aut malua ad purgationem. Aridæ farina aquæ mulſæ inſparſa detrahit bilem & pituitam. Trita efficaciter luxatis illinitur, & aduerſus rimas, quæ inter

Lib.26.c.8. digitos fiunt. Plinius eadem, ſed paulò plura tradit. Exprimitur ſuccus aqua madefactæ: & ipſa minuta conciſa inſpergitur oleri, vel betæ, vel maluæ, vel ſalſamento, vel cum pulticula: coquitur ad aluum, vel in febri leuiter ſoluendam. Detrahit bilem & pituitam: ſtomachum offendit. Aridæ farina indita naribus, polypum conſumit. Florem & ſemen non fert. Quæ autem hoc loco non habet, alibi

Li.26. c.12. recenſet. Radix Polypodij illita luxatis medetur. Et alio in loco. Digitorum in pe-

Cap.11. dibus rimis Polypodij radix prodeſt. Sic enim ex vetere codice emendat Corna-

Embl.164. rius, cùm in vulgatis legatur, cubitorum ac pedum rimis, &c. In Dioſcoride ta-

lib.4. men rimæ ἐν μεσοδακτύλοις, & ad pedum & ad manuum digitos referri poſſunt. Theophraſtus, ἡ δὲ πολυποδία δασεῖα, καὶ ἔχουσα κοτυληδόνας, ὥσπερ αἱ τοῦ πολύποδος

Lib.9.hiſt. cap.14. πλεκτάναι. καθαίρει δὲ κάτω, καὶ περιάψηλαί τις, ὥς φασιν, ἐμφύεται πολύπουν. ἔχει δὲ φύλλον

φύλλον ὅμοιον πτερίδι τῇ μεγάλῃ, καὶ φύεται ἐν ταῖς πέτραις, Ideſt, Gaza interprete, Filicula verò hirſuta, & acetabulis cauernoſa, ceu polyporum cirri: purgare inferiùs apta eſt: vbi quis eam contigerit polypum innaſci affirmant. Folium filicis magnæ proximum eſt. Sententia vna in tanto auctore tam abſurda neceſſariò efficit vt locum deprauatum eſſe dicamus. Quid enim à ratione magis alienum quàm contingere Polypodium, vt polypus, ideſt, morbus narium, ſiue polypus piſcis innaſcatur. Quare legendum τὶς φασὶν οὐκ ἐμφύεσθαι, & περιάπτειν, hîc non ſignificat contingere, ſed pro amuleto appendere, adalligare, vt ſit is verborum Theophraſti ſenſus. Polypodij radix hirſuta eſt, & acetabula habet, veluti polyporum cirri. Purgat deorſum: & ſi quis adalliget aut appendat, polypum innaſci negant. Folium habet ſimile filici magnæ. In petris naſcitur. Galenus breuiter Polypodij facultates ſic declarat. Polypodium dulcem ſimul & auſteram habet vincentem qualitatem, vt facultatis ſit admodùm quidem deſiccantis, citra morſum tamen. Meſues eaſdem fuſiùs explicat. Polypodium quòd lapidibus innaſcitur humiditate excrementoſa, cruda, flatulenta, ventriculum ad nauſeam euertente abundat: præſtantius quòd arboribus, præſertim glandiferis innaſcitur, præcipuè quòd magnum eſt, recens, ſolidum, nodoſum, foris ex nigro rubeſcens, colore intus herbaceo, vt piſtacium, ſapore dulci, auſtero, tandem ſubamaro, nonnihil aromatico. Dioſcoridi calidum eſt tertio gradu, ſiccum ſecundo. Humores craſſos, lentos terget, digerit, ſiccat, bilem atram & pituitam vel craſſam, vel lentam purgat, etiam à iuncturis. Affectibus ob hæc melancholicis prodeſt, vt quartanis, præſertim cum mulſa, epithymo, ſale indo: colico etiam dolori, & ſplenis duritiei quouis modo vſurpatum. Contra rimas quæ inter digitos ſunt tritum illinitur: corpora enim extenuat & ſiccat. Ne verò ventriculum ad nauſeam euertat, vtque citiùs vacuet, datur ex mulſa vel aqua hordei, vel decocto vuarum paſſarum, vel ex iuſculo gallorum & gallinarum, vt ſuaſit Hamech, coctum, vel ſero lactis. Bibitur vtiliſsimè mixtis ſeminibus odoris, vel aliis aromaticis, vt Dauco, aniſo fœniculo, zingibere, vel ſimili, animam & facultatem ventriculi naturalem corroborante. Longam ſatis coctionem ſuſtinet. Datur à drachmis duabus ad aureos quatuor. Quod Meſues Polypodium magnum alij præfert, Dioſcorides & Plinius craſsitudine minimi digiti eſſe aiunt. Quod ſcribit Dioſcoridi calidum eſſe tertio gradu, ſiccum ſecundo, id falſum eſt. Bilem enim, inquit ille, & pituitam trahit ſine graduum mentione, quorum nec meminit Galenus. Auicennæ calidum eſt ſecundo gradu, ſiccum tertio. Paulo Ægin. Polypodij radix læuis mulſæ inſperſa, aut cum ea contrita, eundem quem colocynthis effectum præſtat. Intereà quod ille ait Polypodium corpora extenuare, & ventriculum ad nauſeam euertere, item Plinio ſtomachum ab eo offendi, negat Auerroës, qui cenſet Polypodium ſecurum eſſe medicamentum, & epithymo præſtantiùs, cui aſſentitur Manardus aſſerens Polypodium imbecilliter & leniter purgare: quare corpora extenuare non poſſe, idemq; per ſe exhibitum nullam ſtomacho inferre iniuriam. In eadem eſt ſententia Actuarius. Filicula bilem & maximè atram, ac pituitam ducit. Dantur purgatæ radicis ſemi ſcrupuli affuſa aqua mulſa: purgat quoque mediocriter & citra moleſtiam, in gallinaceo iure, & in ptiſſanæ cremore cocta radix. Hæc Actuarius. Quantum ad doſim attinet, vncia vna noſtratis vacuat parum & ſine moleſtia.

Cornar. Embl. 164.

Li. 8. ſimpl.

Li. 2. medi. purg.

Li. 2. c. 542.

Li. 5. meth.

ALSINE, CAP. XI.

Nomina ἈΛΣΙ'ΝΗ Græcè & *μυοσώτις*, Latinè etiam Alſine, & auricula muris, & recentioribus quibuſdam Hippia dicitur, vulgò Morſus gallinæ, inde Gallis *Morgeline*, quòd gallinis & auiculis cibo grata ſit, eæq; caueis incluſæ, ac cibum faſtidientes herba iſta recreentur, Germanis *Vogelkraut*, Italis *Centone*, *Pizzagallina*, & *Panarina*, quòd iunioribus anſeribus gratum ſit pabulum. Alſine autem quòd lucos, quæ Græci *ἄλση* vocāt, vmbroſaq; loca & nemoroſa amet. Auricula muris, quòd muris auribus folia ſimilia habeat, ſiue ob magnam admodùm cum vera Myoſotide foliorū ſimilitudinem. Quãuis Dioſcorides, Galenus, Plinius vnius tantùm Alſines mentionem fecerint, tamen recentiores multò plura eius adinuenerunt genera. Dodonæus quatuor, maiorem ſcilicet Alſinem, mediam, minorem, & marinam. Fuchſius tria, maiorem mediam & minorem. Alij maximam ſeu maiorem aliam addiderunt: Prætereà vernam, nodoſam, muſcoſam. Alſine, vt breuiter deſcribit Dioſcor. herba eſt ſimilis helxinæ, ſed humilior, foliis longioribus, vel, vt quidam, nō abſque ratione, legunt, minoribus, (*μικροφυλλότέρα* non *μακροφυλλότέρα*,) & non hirſuta, quod Plinius oſtendit, cùm minorem eſſe teſtatur. Cùm teritur odorē cucumeris reddit. Vmbroſis locis, lucíſque gaudet: vnde illi nomen. Ita

ἄλσος lucus ut saltus nemus ... ἀλσίνη quia in ... locis ... gaudet.

Genera.

Lib. 1. c. 34.

Cap. 7. hiſt.

Forma.

Locus.

ALSINE, *Matthioli.*



ALSINE *Maior, Dodonæi.*




ALSINE *Media, ſiue minor Dodon. maior Fuchſij.*




Hec figura ... cum ... altera pag. 1239.

Plinius

ALSINE Minor siue minima, Dodon.



ALSINE, Maxima.



Plinius, planè ex Dioſcoridis ſententia. Alſine quam quidam myoſotida appellant, naſcitur in lucis, vnde & Alſine dicta eſt. Incipit à media hyeme, areſcit æſtate media: cùm prorepit, muſculorum aures imitatur foliis. Sed aliam docebimus eſſe, quæ iuſtiùs myoſotis vocetur. Hæc eadem erat quæ helxine, niſi minor nihílque hirſuta eſſet. Naſcitur in hortis & maximè in parietibus, cùm teritur, odorem cucumeris reddit. Quæ primo loco hîc picta datur, Matthioli ſententia Alſine eſt Dioſcoridis, & aliorum veterũ. Cauliculis ſerpit rotũdis, geniculatis: foliis circa ſingula genicula ex aduerſo collocatis, helxines, multò minoribus, nõ hirſutis, cùm teruntur herbaceum cucumeris odorem, non illam peponis maturi iucunditatem ſubolentibus: flore exiguo, candido, foris herbaceo, ſtellato: ſemine exiguo in ſiliquulis rotundis, oblongis. Hæc Alſine eſt media Dodon. maior Fuchſij, cuius folia cùm videret multò minora helxines, id eſt, parietariæ foliis, Dioſcoridem (non rectè) cenſet illa helxines, quæ ciſſampelos alio nomine dicitur, foliis comparaſſe. Alſine maior Dodon. plurimos ramulos rotundos, geniculatos, rectos, non humi repẽtes, vt prior, edit, ex ſingulis geniculis bina folia ſibiipſis aduerſa, ſatis ampla, aliquando duorum digitorum ferè latitudine, helxines, id eſt, parietariæ foliis haud diſsimilia, longiora, minùs hirſuta. In cauliculorum faſtigio inter folia exeũt petioli cum capitulis exiguis, quę in floſculos exiguos, & inciſos dehiſcũt, quibus dilapſis reperias ſiliquulas longiuſculas & rotundas, in quibus ſemen. Tota herba ad parietariæ faciem ſatis accedit. Sunt enim in iſta cauliculi æquè pellucidi, circa genicula rubeſcentes, folia eiuſdem ferè amplitudinis. Ex quibus effici vult Dodon. genuinam hanc eſſe Dioſcoridis Alſinen, ſcribentis eam helxinem ferè, ni humilior eſſet, foliis longioribus & non hirſuta. Tertia Dodon. Alſine quæ minor eſt, & dicitur, ab ea quæ primo loco deſcripta depictáque eſt, quam mediam Dodonæi eſſe diximus, parùm differt, ſed omnibus ſuis partibus multò minor eſt, ita vt cauliculi capillari ſint tenuitate, folia haud maiora foliis thymi, cætera ſupradictæ ſimilis. In vmbroſis & humidis locis proueniunt, & in ſepibus & dumetis cum cæteris herbis. Aliorum herbariorũ Alſine maior, ſiue maxima, radice eſt ſupernè craſſiuſcula, paulatim graciléſcente innumeris fibris capillata: caulibus multis, pedalibus, foliis Alſines primæ, per interualla ſæpè quaternis, interdum ſingulis, interdum binis, ramulis multis, breuibus, copioſum florem producentibus, antequam hiet oblongo & acuminato capitulo incluſum, cùm apertus eſt, candidum, exiguum, radiatum, ſex foliolis conſtantem, ac totidem filis tenuiſſi-

Lib. 27. c. 4.

In cap. 82. lib. 4.

Lib. 1. c. 34. Cap. 7. hiſt.

Alſin. maior. Dodo.

Forma.

Alſin. minor Dod.

Forma.

Locus. mis. In opacis gignitur. *Alſin. verna.* Alſine verna appellata in agris humentibus & vitibus creſcit, radicula breui, exili, candida: foliis cæterarum Alſinarum ſimilibus, læuibus, è viridi pallentibus, circa radicem multis, terræ inſtratis, cauliculis multis, tres digitos altis nodoſis, foliis binis ex ſingulis articulis prodeuntibus, cauliculum amplectentibus, interdum quaternis, interdum ſenis in ſingulis cauliculis: floſculis albis, quinque foliolis conſtantibus, Alſinis reliquis ſimilibus, ſaporis aquoſi & fatui. Nondum prorſus exacta hyeme Februario menſe floret, appetēte Vere, aliæ media æſtate, quamobrem Alſinen vernam herbarij nuncuparunt. *Alſin. nod.* Alſine nodoſa in agro Monſpelienſi plurima gignitur, *Forma.* radice ſimplici, longa, parùm capillata, ex candido flaueſcente: foliis propè terram multis, longiuſculis, anguſtis, Alſines haud multùm diſſimilibus: caulibus multis, pedalibus: flore albo, ex quinque foliolis compoſito: ſemine in nodoſis ſtriatiſq; globulis multis, ſeſe ordine conſequētibus, & quaſi verucula transfixis, peculiari omninò figura. *Alſin. Muſcoſa.* Alſine muſcoſa in truncis putrium arborum muſcoſis, in vdis aſpergine parietibus, & aliis opacis humidíſque locis proſilit, radice tenui, breui, capillata, ramulis multis, per humū ſparſis, à terra modicè ſeſe attollentibus: foliis paruulis, exilibus, capillari tenuitate, denſis: flore albo, ſemine in loculis oblongis. *Alſin. villoſa.* Alſine villoſa in lapidoſis gignitur, radice parua, breui, candida, in fibras tenues fiſſa: foliis Alſines, caulem per interualla æquis ſpatiis alarum modo amplectentibus, hirſutis, vnde ei cognomentum: caulibus multis, pedalibus, lanugine quadam obductis: flore albo, decem foliolis conſtante, Bellidi non abſimili. Floret maio menſe. Alſine purpurea in agris pinguibus propè Monſpeliū naſcitur, radice tenui ſublutea: caulibus multis: foliis Alſines, paulò amplioribus, læuibus, pari ordine caulem vtrinque amplectentibus: flore purpureo, quinque foliolis conſtante: ſemine in caliculis membranoſis, oblōgis, infernè gracilibus, ſupernè craſſioribus. Alſine lutea in vmbroſis abietum ſiluis, & niuoſis montium cacuminibus naſcitur, radice multis fibris capillata, caulibus multis humi iacentibus, rotundis, ima parte ſubrubentibus: foliis Alſine vulgari ſimilibus, craſſioribus, lætiùs virentibus, ordine diſpoſitis, guſtu amaris: flore puſillo, luteo, ex quinque foliolis compoſito: ſemine minutulo, in caliculis rotundis: floret Iunio. Aliam tradit Alſinem Cluſius, quam Corniculatam nominat. Palmaris herbula eſt, vnico caule, in ramulos aliquot fiſſo, geniculato, tenero, hirſuto vt in Alſine vulgari: folia alſines paulò oblongiora, hirſuta etiam, inter ſeſe oppoſita, & ex interuallis gemina: alarum cauis inſident puſilli flores candicantes, quibus

ALSINE, Verna.



ALSINE, Nodoſa.



ALSINE, Muscosa.



quibus succedūt cornicula membranea & transparentia, gallinaceorum calcarium forma, quæ lento quodam conspersa humore tangētibus deprehenduntur: semen in illis exiguum, cum maturuit nigrum: radix inutilis & annua. Tota insipida est. Inter segetes agro Salmanticensi frequens, vbi Maio floret, & semen perficit, fortassè Nigellastri genus. Alsine, auctore Dioscoride, Lib.4.c.82. *Vires.* refrigerandi astringendíque vim habet, oculorum inflammationibus cum polenta illita conuenit. Succus eius aurium doloribus instillatus prodest. In vniuersum eadem quæ helxine potest. Vsus eius, inquit Plinius, ad collectiones Lib.27.c.4. inflammationésque, & ad eadem omnia quæ helxine, sed infirmiùs Epiphoris peculiariter illinitur: item verendis, vlceribúsque cum farina hordeacea. Succus eius auribus infunditur. De quibus apertiùs Galenus. Alsine aut myo- Lib.6.sim.

ALSINE, Purpurea.



ALSINE, Lutea.




sota facultatem helxines obtinet, nempe refrigerantem & humectantem. Est enim essentiæ aqueæ, frigidæ: quare & citra adstrictionem refrigerat. Quocirca ad feruentes phlegmonas & mediocria erysipelata competit. In quibus Galenus apertè Dioscoridi contradicit scribenti Alsinem δύναμιν ἔχειν ψυκτικὴν, στυπτικὴν, id est, vim habere refrigerantem & adstringentem. Sed vocem στυπτικὴν pro qua non absurdè quidam legunt ἐφεκτικὴν, temerè, & præter Dioscoridis mentem in contextum insertam fuisse, perspicuum est ex iis, qui ex Dioscoride & Galeno plantarum historiam & facultates exscripserunt, qui eam vocem non habent.

Sic

Lib.15.
Lib.7.

ALSINE Corniculata, Clusij.



Sic enim Oribasius. Alsine essentiæ est aqueæ & frigidæ, quare citra adstrictionem refrigerat. Paul. Alsine vim habet helxinæ similem, quæ refrigerat humectátque, &c. Easdem facultates Ætius assignat. Easdem quoque herbis, quas Morsus gallinæ vulgò nominant, nostri temporis herbarij tribuunt, quod scilicet ad feruentes inflammationes, ac erysipelata prosint. Omnes enim, vt dictum est, refrigerant atque humectant. Hinc est, inquit Fuchsius, quod minorem aliqui Germanorum *fieberkraut* vocent, quia scilicet febribus accommoda & vtilis sit. Alsines præsertim mediæ & minoris decoctum in aqua cum sale scabiosarum manuum singulare est remedium, si frequenter eo proluantur.

(Cap.7.hist. — Dodo. lib. 1. cap. 34.)

ANAGALLIS, CAP. XII.

Nomina

vid. etym. in Advers. pag. 194

ΑΝΑΓΑ'ΛΛΙΣ Græcè, vt & Anagallis Latinè, Officinis inusitata, non morsus gallinæ, vt vult Matthiolus, qui est alsine, Gallis *Mouron à fleurs rouges & bleües*, Germanis *Gauch hegil*, quasi salus fatuorum: quod nomen fortè à Germanis inditum est, quòd Anagallis in limine vestibuli suspensa contra maleficiorum introitum pollere credita sit. Plinius corchoron à quibusdam appellari tradidit: Et corchori vox habetur etiam inter nothas Dioscoridi adiectas. Sed an id de corchoro Theophrasti sit accipiendum iure dubitari potest, & an is corchorus sit Anagallis. Is enim corchorum inter olera quæ cruda coctáue eduntur recenset his verbis. ἐν οἷς καὶ παροιμιαζόμενός ἐστι διὰ πικρότητα κόρχορος, ἔχων τὸ φύλλον ὠκιμῶδες. Id est, In quibus & corchorus est, ob amaritudinem in prouerbium translatus, folio ocimi figura. Est & apud Græcos frequens prouerbium, καὶ κόρχορος ἐν λαχάνοις. Id est, Etiam corchorus inter olera, dici solitum in homines nullius pretij, qui tamen in numero aliquo studeant haberi, vt corchorus genus oleris vilissimi habeatur, quod Plinius inter herbas in cibis vulgares numerat, supra citatum Theophrasti locum exprimens. Dioscorides duo anagallidis genera esse tradit, quæ tantùm flore distant. Nam quæ cæruleo flore est, fœmina dicitur, mas quæ phœniceo. Totidem genera herbarij omnes constituunt, & norunt ex Dioscoridis descriptione, quæ est huiusmodi. Anagallides frutices sunt parui, in terra iacentes, folia in quadrangulis cauliculis pusilla habentes, & subrotunda, ad helxines folia accedentia: semen rotundum. Eadem Plinius

Lib.25.c.13.

ANAGALLIS, Mas.



Lib.7. hist. cap.7.
Lib.c.211.
Lib.2.c.174
Genera
Forma.
Ibidem.
Lib.25.c.13.

ANAGALLIS, Fœmina.



ANAGALLIS Lutea, Lobellij.



nius scribit. Anagallida aliqui corchoron vocat. Duo genera eius. Mas, flore phœniceo: fœmina cæruleo, non altiores palmo, frutice tenero, foliis pusillis, rotundis, in terra iacentibus. Nascuntur in hortis & aquosis. Prior floret cærulea. Hic vtraque Anagallis nostra passim fruticat teneris cauliculis, quadrangulis, geniculatis, per humum sparsis, & foliis Alsines mediæ, rotundioribus, supernè viridibus, & minutis punctis nigricantibus signatis: floribus copiosis, in hac phœniceis, in illa cæruleis: semine pusillo, circinato in pericarpiis. Vliginosis locis lætior prouenit. *Locus.* In aruis tamen, vineis, & secus vias etiam reperitur. Floret mense Maio vsque in Autumnum, & per æstatem vtriusq; prouentus maximus, potissimùm mense Augusto. *Tempus.* Pena luteam Anagallidẽ esse scripsit, visu pulchram & raram transmarinis regionibus, crebram in Angliæ nemoribus, locisq; opacis. Mense Iunio & Iulio flores promit luteos: vmbrosis gaudet, cætera mari & fœminæ similis. *Li.2.c.174* *Vires.* Vtraque Anagallis Dioscoridis, vim habet mitigandi, inflammationẽ arcet, surculos extrahit, vlcera serpentia compescit. Succus earum gargarizatus pituitam capitis purgat, & naribus infusus, dentium dolores sedat, si in contrariam aurem iniiciatur. Argema cum melle Attico purgat, & oculorum caligines iuuat. Prodest & à vipera commorsis cum vino potus: item nephriticis & hepaticis. Additur in vetere codice καὶ ὑδρωπικοῖς, id est, & hydropicis. Postremò, Dioscorides ex aliorum historiis recenset, Anagallidem quæ cæruleum habet florem, prolapsam sedem reprimere, quæ verò phœniceum illitu euocare: Quorum sententia Anagallides nõ solum flore, sed & effectu differrent. Eundem vsum medicum docet Plinius, his verbis. *Lib.25.c.15.* Vtrinque succus caliginem oculorum discutit cum melle, & ex ictu cruorem, & argema, rubẽtis magis, cum Attico melle inunctus. Pupillas dilatat: & ideò hoc inungũtur ante, quibus paracentesis fit. Iumentorum quoque oculis medẽtur. Succus caput purgat per nares infusus, ita vt deinde vino colluantur. Bibitur & cõtra angues succi drachma in vino. Mirùm quòd pecora fœminam vitant. At si decepta similitudine (flore enim tantùm distant) degustauêre, statim eam quæ Asyla appellatur, in remedio quærunt: ea à nostris ferus oculus vocatur. Et, Iocinori Anagallides mirè prosunt. *Lib.26.c.7.* Et, Aluum purgat Anagallis ex aqua mulsa. *Ibid.cap.8.* Rursus, Anagallis cærulea procidentia sedis retroagit, è diuerso rubens prorritat. Sed de his multò clariùs & distinctiùs Galenus locutus est. Anagallis vtraque tam ea quæ cæruleum habet florem, quàm *Lib.6.sim.*

ea quæ

ea quæ purpureum, admodùm extergentis ſunt facultatis. Habent verò quendam etiam calorem attractorium, ita vt & infixos corpori aculeos extrahant. Succus earum ex naribus purgat eadem de cauſa. In ſumma autem deſiccandi vim habent citra mordacitatem, quamobrem & vulnera glutinant, & putrida adiuuant. Hæc Galenus, ex quibus colligere licet errare eos, qui anagallidas frigidas & humidas eſſe ſtatuunt, cùm ſint calidæ ſiccæq;, ac detergentis facultatis, ita vt mulieres quæ aſperiorem ac decolorem à natura cutem acceperint, ad læuorem nitoremq; vul-
Lib.7. c. 11. tus harum ſucco vtãtur. Paulus in compoſitionem ex corallio podagricam, recipit
Cor.Emb. 168.lib.2. anagallidis ruſſeum florem habentis, quam vocant corallium, vnciam.S. his verbis. Αναγαλλίδος τῆς τὸ ῥούσσιον ἄνθος ἐχούσης, ἣν καλοῦσι κοράλλιον Γο.S. Hîc ruſſeum Latina voce puniceum vocat colorẽ, & anagallidem corallium ex colore floris puniceo. Sunt tamen qui ex vetuſtiſſimorum exemplarium fide κολλάειον legẽdum eſſe cenſent, & ipſam compoſitionem διὰ κολλαείου inſcriptam eſſe, non κοραλλίου, vt nomẽ collarij ex glutinandi vi anagallidum accepiſſe intelligatur. Minimè tamen abſurda fuerit vulgata lectio.

ELATINE, CAP. XIII.

Nomina VT Græcis ἐλατίνη, ita Latinis Elatine, Arabibus Athin, quam deſcribit
Lib.4.c.36. Dioſcorides foliis eſſe helxines, minoribus, rotundioribus, piloſis, vel,
Forma. vt alij, denſis: tenuibus & dodrantalibus ramulis, quinis ſeníſve, à radice foliolis: vel, vt alij, à radice prodeuntibus, foliorum plenis, guſtu
Li.27.ca.9. acerbis. Naſcitur in ſegetibus & cultis. Eadẽ Plinius habet. Elatine folia habet helxinæ, puſilla, rotunda, ſemipedalibus ramulis quinis ſeníſve, à radice ſtatim folioſis. Naſcitur in ſegetibus. Oribaſius in Dioſcoride φύλλα μακρότερα pro μικρότερα le-
Lib.11. git. Scribit enim, Elatine folia habet helxinæ ſimilia, ſed longiora, rotundiora, hirſuta: ramos tenues, &c. Quænam verò ex tot noſtratibus plantis pro genuina Ela-
In cap.36. lib.4. tine habenda ſit, inter herbarios controuerſia eſt. Matthiolus eos reprehendit, qui

ELATINE Prior, Dodon.



ELATINE, Matthioli.



numulariam

nummulariã quam vocant,item eos qui pimpinellam Elatinen esse cẽsent.Etenim nummulariæ folia pilosa non sunt, neque in segetibus, neque in cultis prouenit, sed in scrobium marginibus,præsertim vligine madentibus. Pimpinella verò multò plures senis ramulos edit, in terram procumbentes,folia toto ambitu laciniata.

ELATINE Altera, Dodon.



ELATINE Polyschides, Dalechampij.



Ruellius Elatinem vulgò campestre rapistrum vocari scribit,cuius sententia Matthiolo minimè placet.Idem Ruellius eorum refellit opinionem,qui pilosellam Elatinen esse putant, reclamantibus apertè natalibus, totáque facie. Matthiolus penultima editione ingenuè fatetur se plantam,quæ veram Elatinen referat nõ vidisse,picturam tamen exhibet plantæ hirsutæ, cuius folia notulis signata sunt, & ad foliorũ helxines cissampeli figuram accedunt. Postrema editione eandẽ depinxit Patauio,à Iacob.Anto. Cortuso ad se missam,cui nihil deesse ait, quod desiderari possit. Eam tamen nec describit,nec vires explicat.Hîc oritur quæstio,cùm folia elatines foliis helxines cõparat Dioscorides,helxinéne cissampelos accipienda, an helxine parietaria vulgò dicta? Serapio Elatinẽ volubilis minoris speciem cõstituens, eiusq; foliis Elatines folia similia esse scribens,helxinen cissampelon intelligere videtur.Pauli interpres helxinen parietariam. Elatine, inquit, herba est parietariæ similis. At verò probabile est Dioscoridẽ similes plantas similibus cõiungere solitum, & Elatinen helxinæ cissampelo subiicientem, huic illius folia comparasse. Dodonæus Elatines genera duo describit & depingit. Vnã quæ à quibusdam Morsus gallinæ nuncupatur,similiter à Germanis *Hunerbisz*, & à Belgis *Hænderbeet*, id est, morsus gallinæ. Alteram quæ à Germanis *Hunerserb*, à Belgis *Hændererne*, id est, hereditas gallinæ.Prior elatine cauliculis multis fructicat, hirsutis,auriculæ muris modo: foliis subrotundis,asperis & hirsutis,sæpius parùm incisis: cætera alsinæ nõ multùm dissimilibus,flores cæruleos aut purpureos edit, deinde parua capitula, in quibus semen includitur. Hanc Fuchsius nomine Alsines mediæ depinxit.Morsum Gallinę folio hederulæ vocat Lobellius. Altera Elatine similes priori cauliculos edit,sed longiora folia, angustiora,toto ambitu crenata:flores cæruleos semen in binis folliculis iunctis: radicem fibratam.Vtraque locis vmbrosis,incultis, secus vias & in agrorum marginibus frequẽs. Maio mense & Iunio florent.Recentiorum quidam,iideq; periti,& admodùm in hac scientia excercitati, veram ac legitimam antiquorum Elatinen viribus & figura consentientibus eam esse credunt, quæ à Germanis præsertim à Fuchsio Veronica fœmi-

Lib.3.c.94. Hec figura Dod. est Alsine media pg. 1232 Cap.41. Lib.7. Lib.1.c.37. *Genera.* *Forma.* Lib.7.hist. *Locus.* *Tempus.* Pena in Aduer.

ELATINE, Triphyllos. *LAPPVLA Rusti. Elatine Tragi.*





VERONICA Fœmina, Fuchsij.



hec figura e. eadẽ cũ Verbasculo pag. 1303. et cũ Veronica fem. pag. 1050.

Elatine triphyl.

na vocitatur, mirificè ad cruenta, ac vetera vulnera & vlcera sananda, ſcabiem deniq; , & omnia cutis vitia commendata, de qua diximus libro de Paluſtribus, cap. 35. Neutram verò illarum quas propoſuit Dodonæus, Elatinen Dioſcoridis eſſe contẽdunt, quod prior, figura plurimùm diſtat ab helxine: poſterior, nec foliis ſit villoſis, nec helxinæ ſimilibus: veriùs Elatinen dici poſſe, quàm is pro myoſotide ſecunda depinxit, de qua hoc libro tractauimus. Cæterùm ſecundæ Dodonæi Elatines herba hîc depicta congener eſt: foliis tamen diſcrepat maioribus, crebriùs, profundiúſque inciſis, vnde ei cognomentum, circa caules denſioribus. Naſcitur in aridis & ſabuloſis. Habetur & alia Elatine à quibuſdam herbariis, quæ dicitur triphyllos, ſquallidis & ſabuloſis gaudens, radice gracili, quatuor digitos longa, candicante, modicè fibrata, foliis paruis, ſimul ternis, vt in loto: quam ob cauſam triphyllon cognominarunt: flore puſillo cæruleo, per ramulos ſparſo: ſemine minuto in loculis Elatinarum modo, tãquam geminis. Trago Elatine eſt frutex exiguus qui in agris frumentariis naſcitur, ſurculoſus, ſenecioni non diſſimilis, folio non prorſus rotundo, at minori, foliis parietariæ exiguæ, aſpero, ita vt veſtibus facilè adhæreſcat, lanuginoſo, cærulei coloris, lithoſpermi inſtar, floſculos gerit cæruleos, qui tandem in echinos lappaceos veſtibus adhærentes abeunt, quod & ſemen eius eſt, coriandrum

Lib. 1. c. 64. Lappula Ruſti. elatine Tragi.

coriandrum magnitudine æquantes. Qua ex causa Germani quidam *Klettenkraut*, id est, lappaceam herbam nominant. Vim habent Elatines folia, auctore Dioscoride, cum polenta illata, inflammatos, & fluxione infestatos oculos iuuandi. Ipsa herba cocta & absorpta dysenteriam sistit. Plinius eadem prorsus tradidit. Elatine gustu acerba, & ideò oculorum fluxionibus efficax, foliis cum polenta tritis & impositis, subdito linteolo. Eadem cum lini semine cocta sorbitionis vsu dysenteria liberat, quorum effectuum rationem breuiter docet Galenus, cùm scribit. Elatine modicè tum refrigerat, tum adstringit.

Ibidem. *Vires.* Li.27.ca.9. Lib.6.sim.

HELXINE, CAP. XIIII.

ΕΛΞΙ'ΝΗ & περδίκιον Græcè, Latinè etiam Helxine, Perdicium, Vrceolaris, herba muralis, & Partheniũ Celso dicitur, aliis sideritis, aliis heraclea, Officinis parietaria, Gallis *Paritoire & Parietaire*, Germanis *Tag vndnacht, Glaszkraut*, Italis *Parietaria & Vitriola*, Hispanis *yerua del muro*. Dicta autem est Helxine, quòd aspera foliorum hirsutie, asperoq; semine tenaci nexu vestimentis obuiis adhæreat. Perdicium, quòd perdices ea libenter vescantur. Vrceolaris, quòd detergendis vrceolis vasisq; vitreis efficax sit. Muralis & Parietaria, quòd muros ac parietes natales locos sibi elegerit. Nominari autem parthenium non solùm Celsus verumetiam Galenus & Plinius ex Celso testantur. Sed animaduertendum est Plinium huius nominis homonymia deceptum, duas herbas diuersissimas in vnam cõfundere, nimirum parthenium Dioscoridis, & Helxinen hanc nostram siue parietariam. Sic enim ille Celsum citans. Parthenium alij leucanthemum, alij amaracon vocant. Celsus apud nos perdicium & muralium, &c. Quæ de parthenio Diosco. intelligenda. Nam herba muralis, siue perdicium à Celso quidem parthenium dicitur, sed nõ hoc de quo hîc Plinius, & Dioscorides lib.3. tractant: verùm id de quo infrà Dioscorides, & Plinius ipse his verbis. Helxinẽ aliqui perdicium vocant: quoniam perdices ea præcipuè vescantur, alij sideritim, nonnulli parthenium, &c. Helxinen depingit Dioscorides cauliculis esse tenuibus, subrubris: foliis similibus mercuriali, hirsutis: circa caules velut seminibus paruis, asperis, vestes apprehendentibus, nascíque in sepibus & parietibus. Plinius. Helxine folia habet mistæ similitudinis plantagini & marrubio: cauliculos densos, leuiter rubentes: semina in capitibus lappaceis adhærentia vestibus: vnde & Helxinen dictam volunt. Hæc Dioscoridis descriptioni planè respondent, nisi quòd marrubio non mercuriali, vt Dioscorides, folia comparat, quamquam facili lapsu vox vna alteri substitui potuit. Hæc Helxine nostra est parietaria, vsu frequentissima, notissimáque omnibus tum facie, tum natalibus, tum foliis & semine vestibus adhærente, fruticosa enim est, cubitalis, cauliculis tenuibus, leuiter rubescentibus, teneris, succulentis, foliis mercurialis herbæ, aut amaranthi, hirsutis, non crenatis: flosculis minutissimis, pallentibus, aut purpureis: semine perquam exili, nigro, tunicula aspera operto, obuias quasque vestes arripiente, radice subrubra, fibris capillata. Nascitur in sepibus, muris, maceriis, parietibus & vinetis. In hortis etiam plantata ita prouenit, vt inde vix exigi posit.

HELXINE.



Nomina Lib.2.c.33. Lib.3.c.138. Lib.21.c.30. Lib.4.c.81. Lib.22.c.17 Ibid. *Forma.* Lib.22.c.17 *Locus.*

Tempus. Iulio menſe potiſsimùm floret: folia vim habent refrigerantem, & adſtringentem, auctore Dioſcoride, quare impoſita ſanant ignes ſacros, condylomata, *Vires.* Lib.4.c.81. ambuſta, panos incipientes, omnem inflammationem ac tumores. Succus eius ceruſſa admixta illitus eryſipelata & herpetas ſanat, & podagras cerato cyprino, aut adipe hircino exceptus, prodeſt & tuſsi diuturnæ ſuccus cyathi menſura hauſtus. Tonſillis quoque inflammatis vtiliter gargarizatur & illinitur, aurium dolori cum roſaceo inſtillatus prodeſt. Lib.22.c.17 Helxine inficit lanas, inquit Plinius, ſanat ignes ſacros & tumores collectionéſque omnes. Aduſta & panos ſuccus eius cum plimmythio, ignes ſacros & vlcera quæ ſerpunt (in vulgatis exemplaribus verba hæc, (& tumores collectionéſque) perperàm leguntur ex priore verſu repetita) & guttura inſipientia turgeſcere. Item veterem tuſsim cyatho hauſto, & omnia (in Cor.Emb. 74.lib.4. ore tumida, ſic enim legendum,) ſicut tonſillas: Et aurium dolores cum roſaceo (eadem exemplaria habent varices cum roſaceo, nullo ſenſu. Helxine enim cum roſaceo in varices nihil agere poteſt, nec eius facultatis meminerunt Dioſcorides, neque Galenus. Vetus codex arietes vocem habet, ſed itidem corruptam, & nihil indicantem. Quare locum ſic vt poſuimus Cornarius emendauit ex Dioſcoride ſic ſcribente. καὶ ὠταλγίαν σὺν ῥοδίνῳ ἐγχεόμενον ὠφελεῖ.) Imponitur & podagris cum caprino ſeuo, (hircino Dioſcorides,) ceráque cypria. Hîc cera cy- Lib.6.ſim. pria more ſuo dixit Plinius, pro cerato cyprino. Galenus. Helxine, inquit, quam alij perdicium nominant, alij parthenium, alij ſideritin, alij heracleam, vim habet abſtergendi, & leuiter adſtringendi cum ſubfrigida humiditate. Quamobrem phlegmonas omnes in initio & vſque ad vigorem, maximè calidas ſanat. Quinetiam incipientibus phygetlis cataplaſmatis ritu illinitur. Tum etiam ad aurium dolores phlegmonoſos ſuccus eius mediocriter profuerit. Gargarizandum nonnulli exhibent ad pariſthmian. Sunt verò medici qui diuturna tuſsi vexatis exhibuerunt. Certè euidens extergendi experimentum præbet in vaſis vi- Lib.1. treis. Aëtius. Facit ad alopecias & impetigines herba ipſa per ſe aſsiduè affricata. Aperit & hæmorrhoidas ſedis, & fiſtulas ſanat, & ſinus occludit cum modico ſale trita, & cataplaſmatis modo impoſita. Ex his intelligere licet multos helxine abuti, qui eam in frigidis vitiis pro fomento vſurpant, cùm refrigerandi conſtringendíque vi prædita ſit. Cæterùm cùm adſtringendi facultas ei quoque inſit (eſt enim guſtu nitroſo, bliteo, & ſuperficie abſtergente) poteſt etiam calculoſis, & iis qui difficultate vrinæ laborant exhiberi. Succus enim eius trium In cap.81. lib.4. vnciarum pondere hauſtus, auctore Matthiolo, ſuppreſſam vrinam mirè prouocat, eadémque ſuper tegula calefacta, vinóque cretico irrorata, & pubi illita, calculoſis & vrinæ difficultate laborantibus mirè auxiliatur, potiſſimùm, inquit Fuchſius, ſi aliquid quod maiorem abſtergendi vim habeat, admiſceatur. Sic Aëtius hæmorrhoidas aperire tradit, ſi cum ſale cui detergendi vis ineſt, trita apponatur. Multi hodiè vſus eſt in enematibus ad ventris & vteri dolores paratis, & ad balnea abſterſioni accommoda. Eiuſdem vis magna eſt ad recentia vulnera ſananda. Si enim recens ſemicontuſa vulneri alligetur, tertióque die ſoluatur, non erit opus alio vti medicamento. Succus in ore detentus denſium dolores mulcet. Stillatitia eius aqua faciem abſtergit, & nitorem addit.

VRTICA, *CAP. XV.*

ἈΚΑΛΥΦΗ & *κνίδην* Græcis, Vrtica Latinis nuncupatur, Arabibus *Huniure, Vraithlatum, Angiara,* Gallis *Ortie*, Italis *Ortica*, Hiſpanis *Ortiga*, Germanis *Neſſel.* Officinæ latino nomine vtuntur. Acalyphe, auctore Athenæo, καὶ εὐφημισμὸν τῆς ἀντιφράσεως ὠνόμασται. οὐ γὰρ πραεῖα ἐστὶ, καὶ ἁπαλὴ τῇ ἁφῇ. τραχεῖα δὲ καὶ ἀηδής. Id eſt, acalyphe bono omine per antiphraſim nominata eſt, neq; enim tactu ſuauis & mollis, ſed aſpera & iniucunda, vel ὅτι οὐ καλὸν αὐτῆς ἅπτεσθαι, id eſt, quòd iniucundo ſit tactu: pruriginẽ enim ciet. Cnide autẽ, quòd vellicet, pungat, & ſuo morſu ſenſum laceſſet, à verbo κνίζειν, quod pungere ac vellicare ſignificat. Vrtica ab vrendo, quòd pruritum puſtuláſque igni ſimiles excitet. Dioſcorides duo Vrticæ genera eſſe ait. Vnam, quæ ſilueſtrior eſt, aſperior, latioribus & nigrioribus foliis, ſemine lini ſemini ſimili, ſed minore. Alteram non æquè aſperam minuto ſemine. Plinio differentiæ plures. Ex omnibus his generibus, inquit, Vrtica maximè noſcitur, acetabulis in flore purpuream lanuginem fundentibus, ſæpè altior binis cubitis. Plures eius differentiæ, ſilueſtris, quam fœminam vocant, mitior. Et in ſilueſtri quæ dicitur Cania (Cornarius legit canina,) acrior, caule quoque mordaci, fimbriatis foliis. Quæ verò etiam odorem fundit herculanea vocatur. Semen omnibus copioſum, nigrum. Mirùm ſine vllis ſpinarum aculeis lanuginem ipſam eſſe noxiam, & tactu tantùm leui pruritum puſtuláſque confeſtim aduſto ſimiles exiſtere. Notum eſt & remedium olei. Sed mordacitas non protinùs cum herba ipſa gignitur: nec niſi ſolibus roborata. Incipiens quidem ipſa naſci vere, non ingrato, multis etiam religioſo in cibo eſt, ad pellendos totius anni morbos. Silueſtrium quoque radix omnem carnem teneriorem facit ſimul cocta. Recentiores alia adiecerunt genera, de quibus ordine dicetur. Vrtica prima Dioſcoridis eſt quæ ſilueſtris & mas, & Romana dicitur, non ob natales: eſt enim calidioribus regionibus vt Hiſpaniæ, Narbonæ, Italiæ frequentior & vulgatior, ſed propter ſeminis maioris maiorem efficaciam, caulibus rotundis, cauis, flexuoſis, aſperis & hirſutis: foliis longis, aſperis, mordacibus, vrentibúſque, altiùs quàm cæteræ Vrticæ inciſis, inter quæ & caulem è petiolis paruis pẽdent pilulæ villoſæ echinum referentes, plenę ſemine fuſco, compreſſo, lubrico, lini, ſed rotundiore & minore. Rara in ſeptentrionalibus regionibus, niſi ab herbariis in hortis colatur. Secũda Vrtica communis,

Nomina

Lib.3. dipn.

Lib.4.c.89.

Genera.

Lib.21. c.15.

Embl.79. lib.4.

Forma

Vrtica. 2. canina.

VRTICA I. Matth.



VRTICA II. Matth.



VRTICA. III. Matth.



VRTICA, Herculea Tragi.



VRTICA, Oligophyllos.



vrtica fœmina, Vrtica maior, ſupradictæ æqualis caulium proceritate atque aſperitate, interdum etiam procerior, foliis hirſutis, punctoriæ vſtionis dolorem inurentibus, nigrioribus, interdum rubeſcentibus, non tam altè ſerratis: ſemine in filamentis racemoſis deorſum vergentibus, milio ſimili, ſed minore, ſubrufo: radice longa, gracili, lutea, huc illuc ſerpente. Maximo importunóque prouentu hac cõmuni vrtica tota ſcatet Europa.

Locus.

Vrtica tertia minor, Canina Plinij, acrior, ſimilis planè maiori communi, ſed minoribus foliis, & viridioribus, & caule breuiore, rotundo, hirſuto, magis mordaci & vrente vi: ſemine craſſiuſculo: radice breuiore.

Vrtica. Hercu.

Forma.

Formoſiſſima ea eſt Vrtica, quæ in ſiluis ac dumetis naſcitur, caule & herba vulgari conſimilis, grauiſſimi odoris, attamen grati quemadmodum & meliſſa, purpureis floribus circa caulem vſque ad ſummum veſtita, inſtar ſpicæ vel ocimi. Semen huius quoque in folliculis continetur teres, nigrum, minutius ſemine rapi, per omnia ocimi ſemen referens. Herculeam Vrticam Plinij Tragus eſſe arbitratur.

Lib. 1. cap. 1. Vrtica oligoph. Ibid.

Forma.

Inter magnas & vrentes Vrticas ponitur à Trago ea quæ à foliorum paucitate meritò oligophyllos dicenda eſt, radicibus longis, in ſeſe contortis & implicatis, humi ſerpentibus, coloris crocei. Aduentante Vere quotannis nouas cymas emittit, vnde nonnunquam vna de radice quini, ſeni, aliquandò plures, interim & pauciores aſperrimi, lanuginoſi ac quadrati caules prodeunt, quorum alij aſperrimis & ſpadiceis, alij nigrioribus, & vndiq; inſtar ſerræ inciſis foliis veſtiuntur. Semen cauli inter folia expanſis fibris adnaſcitur, quod vbi autumni

tempore

tempore maturuerit,& extritum fuerit albidum esse,& ad figuram milij(licet minus illo sit)accedere apparet. Hæc Vrtica vehementer adurit, sua sponte affatim luxurians, agricolis vt & cæteræ omnes vrentes maximè inuisa. Sed Vrticæ id vnicum vitium multis aliis commodis pensant. Folia enim imposita cum sale canis morsus sanant,inquit Dioscorides,gangrenas,carcinomata, sordida vlcera & *Vires.*
cacoethe:item luxata,tubercula, parotidas,panos, abscessus. Eadem lienosis cum Li.4.ca.89.
cerato imponuntur. Faciunt & ad sanguinis è naribus eruptiones folia cum succo trita indita. Menses cient trita cum myrrha subdita. Vterum prolapsum restituunt folia recentia admota. Semen ex passo potum ad venerem concitat, & vterum aperit. Idem cum melle delinctũ orthopnœæ, pleuritidi & peripneumoniæ prodest. Educit & quæ in thorace hærent. Admiscetur quoque erodentibus medicamentis. At folia cum conchis cocta aluum emolliunt, vrinas mouent, inflationes discutiunt. Verùm cum ptisana cocta quæ in thorace hærent educit. Decoctum foliorum cum modica myrrha menses mouet. Succus gargarizatus vuam inflammatam reprimit. Sic enim conuertenda hæc Græca: ὁ δὲ χυλὸς ἀναγαργαριζόμενος στέλλει κιονίδα φλεγμαίνουσαν: non quemadmodum vertit Ruellius, Inflam- And.Lacu.
matione turgentem gargarizatus succus exprimit. Nam reprimere est vuã ipsam, humorésque illapsos repellere ad loca vnde fluxêre,id quod expedit in partis illius inflammatione. At exprimere contrà est ad externa præmere, quod est maximè noxium partibus inflammatione tentatis. Plinius Vrticæ vires & vsum medicum exponit planè ex Dioscoridis sententia,sed fusiùs, vt Dioscoridi intelligendo non parùm lucis adferat. Vrtica,inquit,quid esse inuisius potest? At illa præter
oleum quod in Ægypto ex ea fieri diximus, vel plurimis scatet remediis. Semen Li.22.ca.15.
eius cicutæ contrarium esse Nicander affirmat:item fungis,& argento viuo. Apollodorus & salamandris cum iure decoctæ testudinis. Item aduersari hyoscyamo, & serpentibus,& scorpionibus. Tum illa ipsa amaritudo mordax vuas in ore, procidentesq́; vuluas, & infantium sedes tactu resilire cogit: lethargicos expergiscit factis cruribus,magísque fronte. Eadem canis morsibus addito sale miscetur. Sanguinem trita naribus indita sistit,& magis radice carcinomata, & sordida vlcera sale admixto:item luxata sanat & panos,parotidas,carnesq́; ab ossibus recedentes. Semen potum cum sapa vuluas strangulantes aperit, & profluuia narium: sistit impositum. Vomitiones in aqua mulsa sumptum à cœna faciles præstat, duobus obolis:vno autem in vino poto lassitudines recreat. Vuluæ vitiis tostum, acetabuli mensura: potum in sapa resistit stomachi inflationibus. Orthopnoicis prodest cum melle,& thoracem purgat,eodem eclegmate. Et lateri medetur cum semine lini:addunt hyssopum & piperis aliquid: illinitur lieni. Difficilem ventrem tostum cibo emollit. Hippocrates vuluã purgari poto eo pronunciat. Dolore leuari tosto acetabuli mensura cum dulci poto, & imposito cum succo maluæ. Intestinorum animalia pellit cum hydromelite & sale. Defluuia capitis semine illito cohonestari. Articularibus morbis & podagricis plurimi cum oleo vetere,aut folia cum vrsino adipe trita imponunt. Ad eadem radix tusa cum aceto non minùs vtilis: item lieni. Et cocta in vino discutit panos,cum axungia vetere,salsa:eadem psilothrum est sicca. Condidit laudes eius Phanias Physicus, vtilissimam cibis coctam conditámve professus,arteriæ,tussi,ventris destillationi,stomacho,panis, parotidibus,pernionibus: cum oleo sudorem, coctam cum conchyliis ciere aluum,cum ptisana pectus purgare, mulierumq́; menses: cum sale vlcera quæ serpunt cohibere. Succus quoque in vsu est. Expressus illitusq́; fronti sanguinem narium sistit:potus vrinam ciet,calculos rumpit:vuam gargarizatus reprimit. Semen colligi messibus oportet. Alexandrinum maximè laudatur. Ad omnia hæc & mitiores quidem teneræq́; efficaces,sed præcipuè siluestris illa in vino pota, quæ &

amplius, lepras in facie tollit. Si quadrupes initum non admittant, Vrtica naturam fricandam monstrant. Galenus euidentiùs & vires & effectus Vrticæ tradit, tanquam de vno genere loquens. Vrticæ herbæ & semen & folia, (nam hæc potissimùm sunt vsui) admodùm digerentis sunt facultatis, adeò vt & phymata & parotidas sanent. Sed & quiddam flatuosum obtinent, quo & venerem extimulent, maximè si cum passo semen bibatur. Porrò quòd non vehementer excalfaciat, sed multùm tenuium sit partium, testimonio est crassorum viscosorúmque humorum ex pectore pulmoneq; eductio, tum quòd partes quas contigerit, pruriant. Porrò flatuosum eius cuius esse particeps dicta est, dum concoquitur, nascitur. Non enim actu flatuosa est, sed facultate. Ventrem autem subducit modicè, ipsa duntaxat abstersione, ac veluti titillatione, non purgatione. Et gangrenosa, & cancrosa, & in totum quæ exsiccari citra mordacitatem postulant, ea conuenienter sanat, nimirùm cùm subtilium sit partium, & temperaturæ siccæ, non tamen tantùm habens caliditatis vt mordicet.

Li.6. simpl.

LAMIVM, *CAP. XVI.*

Nomina Lib. 21. c. 15. & 22. 14.

VRTICA iners & mortua, vulgò Archangelica, Plinij Lamium esse putatur. Sic enim ille cùm de Vrtica tractasset, quæ innoxia, inquit, morsu carens Lamium vocatur. Gallis *Ortie morte*, Germanis *Todtnessel*, siue *Taubnessel*. Iners & mortua cognominata est, quòd foliis sit non mordacibus neque pungentibus, & mitissima. Archangelica ab eximiis viribus. Lamium fortassè à florum figura, veluti cucullo laruatam Lamiam quandam repræsentante. Itali *Milzatellam*, & *Herbam de la Milza* vocant, ab insigni eius aduersus splenis obstructionem & duritiem efficacia, qui splen illis *Milza* nominatur.

Archãgelia etym.

LAMIVM, Fuchs.



Genera. Ea duplex est, florum colore distans: alia enim albo, alia luteo constat. Est & alia Vrtica mortua, de qua mòx. *Forma.* Lamium siue Archangelica flore albo, foliis est vrticæ vrentis simillimis, fimbriatis, candidioribus, lanugine nequaquã mordaci: caule quadrato: floribus oblongioribus, maioribus, fabæ, per foliorum interualla quasi cucullis, aut galeis apertis, siue ansis inflexis, caules amplexantibus, minùs graueolentibus, albidis, seu pallentibus, radice fibrata. *Locus.* Passim circa sepes & semitas nascitur. Est Lobellio Galeopsis Matthioli proximo capiti appicta. Lamium luteum à superiore differre non videtur, nisi proceriore caule, numerosiore, hirsutiore folio: flore pereleganti luteo, non dissimili. In siluosis & opacis potiùs reperitur. Dalechampio est Galeopsis lutea proximo capite picta. Maio potissimùm mense floribus abundant, & tota ferè æstate. *Temper.* Calidum siccúmque est Lamium, vt & cætera vrticæ genera, id quod ex gustu & facultatibus eius deprehenditur. Plinius cum vires & facultates vrticæ fusiùs exposuisset, subiungit. Ea quoque quam Lamium inter genera earum appellauimus, mitissima, & foliis non mordentibus, medetur cum mica salis contusis, incussisq; inustis & strumis,

Li.22. c.14

Vires.

tumoribus

tumoribus, podagris, vulneribus. Album habet in medio folio, quod ignibus ſacris medetur. Quidam è noſtris tempore diſcreuere genera. Autumnalis radice alligata in tertianis, ita vt ægri nuncupentur, cùm eruitur illa radix, & dicatur quæ, & cui, & quorum filio eximatur, liberari morbo tradiderunt. Hoc idem contra quartanas pollere. Iidem radice vrticæ addito ſale infixa corpori extrahi: foliis cum axungia ſtrumas diſcuti, vel ſi ſuppurauerint, erodi, compleriq;. Recentiores vrtica mortua vtuntur ſiſtendo ruentis à naribus ſanguinis impetu, imæ ceruici vel ſcapulis alligando: nam inde ſperant in aduerſum trahi cruoris manantis impetum. Vlceribus denique, putredinibus, & fiſtulis mirificè conferre ac mederi tradunt: & vtrumq; Lamium non diſsimilibus viribus, ſed luteum multò efficacioribus eſſe ad vulnera, vlcera, & tumores.

GALIOPSIS, CAP. XVII.

ΓΑΛΙΌΨΙΣ vel γαλήοψις, & γαλεόβδολος Græcis, Latinis etiam Galiopſis, vel Galeopſis, vrtica labeo, Vrtica fœtida, Gallis *Ortie puante*. *Nomina* Dicitur autem Galiopſis ſi cum, ι, ſcribatur à florum effigie Galeata, quòd eius flores galeæ aſpectum referant. At quoniam inuſitatum fuit Græcis præſertim veteribus, Latina nomina cum Græcis componere, γαλήοψις potiùs per η ſcribendum erit, vt & multa exemplaria habent, & Plinius ita legendum teſtatur, qui galeopſin hanc herbam nominat: à florum figura muſtellæ faciem & rictum quadamtenus exprimente. Id quod etiam videtur innuere τῆς γαλεοβδόλου nomen, ideſt, muſtellæ fœtidæ: quo & quænam ſit herba indicatur, nulla videlicet deſcriptioni aptiore quàm vrtica mortua fœtida.

GALEOPSIS,
Matthioli.



Nam Galeopſis, vt ſcribit Dioſcorides, quam aliqui Galeobdolon nominant. *Lib.4.c.90.* Totus frutex cum caule & foliis vrticæ ſimilis eſt, ſed folia læuiora ſunt, & dum *Forma.* teruntur valdè grauem odorem reddunt: flores tenues, purpurei coloris. Naſcitur in ſepibus & circa vias, & ædificiorum areas vbique. *Locus.* Sic Plinius, ita vt *Li.27.ca.9.* ex Dioſcoride transſcripſiſſe videatur. Galeopſis, aut vt alij Galeobdolon, vel galion, caulem & folia habet vrticæ, læuiora, & quæ grauem odorem trita reddunt: flore purpureo. Naſcitur circa ſepes ac ſemitas vbique. Sic vrtica fœtida, vrticam aut fœtidum marrubium foliis ac caule refert. Floribus ea purpureis, exilibus, oblongis galericulis, aliquantùm muſtellina effigie expreſsis viſitur. Deinde iuxta ſepes, rudera & vias oritur paſsim. Hæc à Lobellio ſic picta eſt Galeopſis ſiue Vrtica non mordax Lamium Anguillaræ, Purpurea Galeopſis, Heraclea Plinij Tragi: quamquam ab Heraclea Tragi hæc prorſus differre videatur. Quæ verò perperàm Herbariis, Matthiolo, Lacunæ Galeopſis dicitur, Lobellio eſt Lamium ſiue Archangelica flore albo ſuperiori capite explicata. Scrophularia verò maior, quæ opinione Fuchſij & Dodonæi galiopſis eſt, Vrticæ minùs aſsimilatur, multò minus fœtet, in locis riguis & vliginoſis, ſiluoſis, & ab ædificiis multùm diſsitis naſcitur. Radicem habet magnam, albam, ſtrumoſam, adeò notatu dignam, vt hanc indictam minimè præteriiſſet Dioſcorides. Prætereà galiopſis folia, caules, ſuccus, & ſemen vim habent diſsipandi *Vires.*

duritias

duritias, carcinomata, ſtrumas, parotidas, panos. Oportet autem cum aceto bis die imponere, & cataplaſma tepidum facere. Sed & decoctum ipſius vtiliter in fomentum affunditur: facit etiam ad nomas, gangrænas & putredines cum ſale impoſita. Quas inſignes facultates non ſolùm antiqui, ſed etiam poſteriores & docti medici experti ſunt, & literis mandarunt, qui vrticæ mortuæ & fœtidæ nomen indiderunt, qua nota facilè dignoſcitur à congenere lamio & perquã ſimili.

GALEOPSIS Purpurea, Lobellij.



GALEOPSIS Lutea, Dalechamp.



Lib.27.c.9. Eaſdem vires Plinius ex Dioſcoride videtur deſcripſiſſe, his verbis. Folia cauleſq; duritias & carcinomata ſanant ex aceto trita & impoſita. Item ſtrumas, panos, & parotidas diſcutiunt. Ex vſu eſt & decoctæ ſucco fouere. Putreſcentia quoque & gangrænas ſanat cum ſale. Hîc minimè prætermittenda Galeopſis lutea herbariorum, quam deſcripſit & depinxit Dalechampius. In aſperrimis montibus prouenit, radice fibrata, nigricante, inutili, caulibus multis, cubitalibus, anguloſis: foliis vrticæ, amplis, imo caule minoribus, medio latioribus, graue quidpiam ſubolentibus, tactu minimè aſperis, villoſis, flore in caulis vertice interuallis paribus exeunte, luteo, duobus foliis conſtante, quorum inferius falcato ſinu in capacem aluum extuberat, ſuperius autem operculi modo impoſitum cõtegit, pallidis ſtaminibus in medio ſubrectis: ſemen, flore delapſo, in herbaceis calicibus veluti fixum hæret. Inuenitur frequens hæc planta in montis Æguebelletij ſummo iugo, quà Lugduno Cameriacum itur. Eſt & copioſa Galeopſis rubra in dumetis noſtris opacis, huic cætera ſimilis, flore tantùm rubro diuerſa. Vtrumque hoc genus à Lamio Plinij & inodoro & fœtido plurimùm diſtat. Pena & Lobellius Lamium fecêre à Lamio ſiue Archangelica ſpecie non differens, flore albo, vt ſuperiore capite delaratum eſt.

CARDIA

CARDIACA, CAP. XVIII.

Nomina. RECENTIORES rei herbariæ ſtudioſi, huic herbæ (vetere eius nomine nondum comperto) Cardiacæ nomen dederunt, ab eximiis viribus aduerſus cordis affectus. Galli *Agripaume* vocant, & *Creneuſe*, à crenatis foliis, Germani *Hertſzgeſpan*, ſiue *Hertſzgeſper*. Dodonæus Sideritis primam ſpeciem eſſe exiſtimat. *Lib.1. c.87.* Alij marrubij genus. *Pet.Pen.in Aduerſ.* Caulem emittit quadratum, geniculatum, nigrum, folia ferè vrticæ, aut marrubij, latiora, nigriora, longioribus, crebrioribus, & altioribus multò inciſuris, *Forma.* per interualla in caule ex ſingulis geniculis prodeuntia: flores purpureos, vrticæ fœtidæ non diſsimiles, ſed minores, verticillatim caulem ambientes, odore quadãtenus marrubium referentes: radicem luteam, intortam, capillamentis fibratam. Paſsim in ruderibus, circa ſepes naſcitur. *Locus.* Cùm amara admodùm ſit, calidam ſecundo ordine, ſiccam tertio eſſe conſtat. *Temper.* Recentiores rectè contra cordis palpitationem, conuulſionem & reſolutionem conducere tradunt. *Fuchſ.cap. 148.hiſtor. Matthi. in ca.90.li.4.* Decoctis cordi amicis vtiliter miſcent. Poteſt enim cùm amara ſit, ſua caliditate & ſiccitate craſſos humores qui in venis & aliis partibus, neruoſis potiſsimùm ſunt, incidere, extenuare, diſcutere. Hac etiam ratione morbo comitiali confert, vrinas mouet, menſtrua educit, pectus à pituita detergit, obſtructiones aperit, quas frigida cauſa induxerit, lumbricos necat: in puluerem contrita, & cochlearis menſura ex vino hauſta difficilè parientibus mirum in modum opitulatur. Impoſita vulnera ferruminat.

CARDIACA, *Matth.*



CHELIDONIVM MAIVS, CAP. XIX.

Nomina. ΧΕΛΙΔΟΝΙΟΝ μέγα Græcis, Chelidonium maius, & Hirundinaria maior Latinis, Officinis Celidonia, Arabibus *Kauroch, Callidunium, Chilodomontoma*, & *Memiram*, Gallis *Chelidoine*, & *grande Eſclaire*, Italis *Celidonia*, Germanis *Scheluurtz*, & *Schlekraut*, Hiſpanis *Celiduenha*, & *Yerua de las golandrinas*. Chelidonio autem ſiue Hirundinariæ auis hirundo, quæ Græcis χελιδὼν dicitur, nomen dedit, vel, vt auctor eſt Plinius, quòd hanc primùm auis illa monſtrauit, & ea oculis pullorum in nido reſtituit viſum, vt quidam volunt, etiam erutis oculis: vel quod floret aduentu hirundinum, diſceſſu marceſcit, quod de minore verè dicitur. *Lib.25. c.8.* Quam Græci nominis vim ignorantes imperiti quidam, præſertim Chymiſtæ, non Chelidonium, ſed cæli donum vocitant. Ac ea falſa nominis præſtantia freti, ex hac herba quandam quintam eſſe fieri prædicant, non modò ad vanas illas chymicas metallorum medicationes accommodatam, ſed ad tuendam etiam hominum ſanitatem, morbóſque plurimos profligandos vtilem. Genera eius duo. *Genera.* Chelidonium maius & minus: de minore diximus. *Forma.* Maius caulem emittit cubitalem & maiorem, gracilem, adnata, foliis plena habentem: folia ranunculo ſimilia, teneriora tamen, & colore ſub cæſio, iuxtaq; ſingula folia florem leucoio ſimilem. Succus illi croceus, acris, mordax, cum aliqua amaritudine, & odoris grauitate: radix ſupernè ſingularis, infernè

CHELIDONIVM Maius, Matth.



fernè autem plures. Fructus cornuti papaueris instar tenuis, longus veluti comis, hæc tamen verba duo, tanquam superuacua, quidã delent: in quo exigua semina sunt, papaueris semine maiora. Hæc Dioscoridis delineatio Chelidonio huic nostro planè conuenit. Est enim fruticosa herba cubitali altitudine: cauliculis rotundis, lanuginosis, teneris, surculosis: foliis ranunculi, siue aquilegiæ tenuioribus, magis incisis, & magis angulosis, aduersa parte cæsiis, auersa incanis: floribus in surculorũ summitate venustis, luteis, leucoio similibus: semine papaueris exiguo, pallido, quod in corniculis seu siliquis longis, exilibus includitur. Vulnerata succũ croceum emittit, gustum vellicantem: radix superiore parte vna, inferiore multis luteis fibris capillata. In locis opacis, parietinis, hortorum scrobiúmque marginibus passim obuia. Mense Aprili florere incipit, atque adeò toto deinceps Vere & ęstate floret. Tertij ordinis est in calfaciendo & desiccando. Succus eius mixtus melli, inquit Dioscorides, & in æneo vase prunis decoctus, contra oculorum caliginem prodest. Exprimitur succus ex foliis, radicibus, & floribus ineunte æstate, siccatúrque in vmbra, & in pastillos conformatur. Radix cum aniso & vino albo pota, impositaq; etiam cum vino, regio morbo, serpentibúsque vlceribus medetur: manducata autem dentium dolorem sedat. Eadem Plinius tradit. Florentibus succus exprimitur, & in æneo vase cum melle Attico leniter cinere feruenti decoquitur, singulari remedio contra caligines oculorum. Vtuntur & per se succo in collyriis, quæ Chelidonia appellantur. Galenus enucleatiùs eadem docet. Chelidonium extergentis admodùm & calidæ facultatis est: sed & succus eius ad acuendum visum commodus est, vtique in quibus crassum quiddam in pupilla colligitur, digestione atque discusione indigens. Vsi sunt radice eius quidam ad auriginem ab obstructione iocinoris proficiscentem, in vino albo potui exhibentes cum aniso. Similiter mansa confert dentium doloribus. Herba in calceis delata, inquit Matthiolus, si nudis pedibus contingatur, ictericos sanare creditur. Eadem mammis mulierum admota mensium abundantiam sistit. Tusa herba vnà cum radice & oleo chamæmelino feruefacta, & vmbilico illita, tormina ventris, & vteri dolores tollit. Totius plantæ puluis vulnera vlceraq; sanat. Succus ad oculorum maculas, argema, nubeculas, & cicatrices plurimùm præstat: verùm cùm acerrimus sit, adhibendus non est, nisi iis additis quæ eius acrimoniam retundunt, cuiusmodi est lac muliebre. Idem cauis dentibus inditus eos frangit & eiicit. Cadunt quoque verrucæ & arescunt, si frequenter eo illinantur. Quod Plinius & Dioscorides in capitis calce scripserunt hirundines pullis Chelidonio visum restituere, etiam erutis oculis, Celsus fabulosum esse scribit: id enim sponte naturæ per se fieri. Eius hæc sunt verba. Extrinsecus verò interdum si oculum ictus lædit, vt sanguis in eo suffundatur, nihil commodiùs est quàm sanguine vel columbæ, vel palumbi, vel hirundinis inungere. Neque id sine causa fit, quum horum acies extrinsecus læsa interposito tempore in antiquum statum redeat, celerrimeq; hirundinis. Vnde etiam locus fabulæ factus est, per parentes id herba restitui,

Locus. *Tempus.* *Temper.* Li.2. c.176. Li.25. ca.8. Li.8. simpl. In cap.176. lib.2. Li.& ca.6.

restitui, quòd per se sanescit. Id quod ab Aristotele Celsus mutuatus est, qui lib. de animal. ortu, inter aues quæ cæcos pullos excludunt, recenset etiam hirundines, quarum si quis, dum adhuc iuuenes sunt, oculos pungat, rursus sanantur: dum enim fiunt, nondum perfecti sic corrumpuntur: quare rursus nascuntur, & producuntur. Id enim significant Aristotelis ipsius verba: Τῶν χελιδόνων ἐάν τις ἔτι νέων ὄντων ἐκκεντήσῃ τὰ ὄμματα, πάλιν ὑγιάζονται. γινομένων γὰρ, ἀλλ' οὐ γεγενημένων φθείρεται. διόπερ φύονται, καὶ βλαστάνουσιν ἐξ ἀρχῆς. 4. cap. 6.

EVPATORIVM, CAP. XX.

EΥΠΑΤΟΡΙΟΝ vel ἡπατόριον Græcis, Latinis Eupatoriũ, siue Hepatorium, Arabibus *Cafal*, *Cafil*, seu *Gafel*, Officinis Agrimonia, Gallis *Eupatoire*, & *Agrimoine*, Germanis *Odermenig*, & *Bruchuurtz*. Eupatorium verò ab Eupatore rege, qui illud primus inuenit nominatum esse volunt. Hepatorium autem, quòd iecori potissimùm medeatur. Eupatorium, describente Dioscoride, herba est fruticosa, (vel meliùs surculosa, φρυγανώδης: non enim fruticat quæ vno tantùm scapo surgit,) vnum efferens scapum, tenuem, lignosum, rectum, nigrum, hirsutum, cubitalem, aut etiam maiorem: folia ex interuallis fissa in partes maximè quinque, aut etiam plures, quinquefolij aut cannabis potiùs foliis similia. Sunt & ipsa subnigra, & serræ modo in extremitatibus diuisa (legendum Græcè πριονοειδῶς ἐντετμημένα, non πρινοειδῶς, idest, ilicis modo incisa: quamquam, si sic legatur, non mutatur sententia, sunt enim ilicis folia serræ instar incisa:) semen à medio caule enascitur subhirsutum, deorsum mutans, vt etiam siccatum vestibus inhæreat. Similiter Plinius. Eupatoria quoque, inquit, regiam auctoritatem habet, caulis lignosi, nigricantis, hirsuti, cubitalis, aliquando & amplioris: foliis per interualla quinquefolij, aut cannabis, per extremitates incisis quinquepartitò, nigris & ipsis, plumosisq; radice superuacua. Ex hac delineatione notisq; omnibus planè cõstat nostratem Agrimoniã, verum esse Dioscoridis Eupatorium. Prætereà nomen argemone in agrimoniam detortum idem testatur, quod argemonen errantes quidam Eupatorium esse arbitrabantur, vt in fine capitis scribit Dioscorides: quo loco tamen codices Græci corrupti sunt: ἔνιοι ταύτην ἀρτεμισίαν, ἐκάλεσαν, πλανηθέντες: non enim legendum est ἀρτεμισίαν, sed ἀργεμώνην. Hanc enim aliam esse quàm Eupatorium iam dixerat. ἔνιοι πλανῶνται τὴν ἀργεμώνην εὐπατόριον ὀνομάζοντες. Idest, Sunt qui errore ducti argemonen Eupatorium nominant. Vires etiam agrimoniæ cõsentiunt multò magis, & multò plures quàm quas Dioscorides enarrauit. Verumtamen attentiores Herbarij in Dioscoridis & Plinij historia non abs re dubitant, & hærent quónam pacto in Agrimonia folium obseruari possit, vt monstrat historia, Cannabi vel Pentaphyllo simile, & pariter vt in vtraq; illa planta, in quinque partes, vel etiam plures diffissum, cùm Agrimoniæ folium vnicum sit, & porrectum simpliciter, nisi fortè existimandum sit, in Græcia plantam hanc folia mittere illo modo diuisa, vt multarũ speciẽ figuramq;

Nomina

quasi argemonia ex argemone ... conuertiar

Lib. 4. c. 37.

Forma.

Li. 25. ca. 6.

Li. 2. c. 172.

EVPATORIVM
Verum, Matth.



videmus loci diuersitate mutari. Planta hæc est vulgaris notitiæ, frequentissimi

Pena in Aduers. vsus & commodi, fruticosa, cubitum & sesquicubitum alta, caulem producens sæpissimè vnicum, durum, lignosum, tenuem, rectum, striatum, angulosum, hirsutũ, subpurpureum, cuius ramulis folia quasi pediculo innixa foliorum vlmariæ, aut potentillæ, aut rosæ effigie, hirsuta, nonnihil incana: flores à medio caule ad summum vsque exigui, lutei, stellati, pentaphylli minores, vbi seminum series lapposa hirsutáque pannis hẹrens, quos vel tactos mordicus tenet: medulla intus alba, sapore non ingrata, vti nec tota planta: radix crassa, satis longa, fusco rubore, dura. Huius legitimi Eupatorij vice pharmacopœi ferè omnes in decoctis suis, & medicamentorum cõpositionibus Eupatorium illud cannabinum siuè potiùs pseudoeupatorium vsurpant: de quo iam diximus. Alij quòd plantas istas distinguere non norint, alij vel quòd pseudoeupatorio suo maiores inesse vires experientia compererint, vel quod etsi agrimoniam verum Dioscorides Eupatorium esse non ignorent, tamen à consueto errore deduci nolint.

Locus. Agrimonia in satorum & viarum marginibus, & circa sepes, & in pratis prouenit.

Tempus. Æstate floret, Autumno semen maturum est. Maio mense colligenda est & siccanda, quæ in medicos vsus asseruatur.

Lib. 4. c. 37. Huius folia, auctore Dioscoride, cum adipe suillo vetere trita & imposita vlcera difficilè, cicatricem contrahentia sanant.

Vires. Herba & semen in vino pota dysentericis, iocinorosis, serpẽtium morsibus auxiliatur.

Li. 25. ca. 6. Idem de semine Plinius. Semen dysentericis in vino potum auxiliatur vnicè.

Li. 6. simpl. Galenus μεθοδικολέρως easdem facultates exponit. Eupatorium herba ipsa tenuium partium, incidendi, extergendíque facultatem citra manifestam caliditatem obtinet. Quare obstructiones iecoris expurgat. Inest itidem ei & adstrictio quædam, per quã robur visceri addit.

Pet. Pen. in Ad. Radix exsiccat, & moderatè adstringit: quare externis & internis affectibus perutilis: pota enim viscerum, hepatis præsertim tonum restituit, intemperiem ferè omnem corrigit, obstructiones aperit. Prætereà decoctum dilutúmve eius colore limpido vini gilui placet.

Cap. 77. Serapio in iis recenset, quæ primo ordine calida siccáque sunt.

BALLOTE, CAP. XXI.

Nomina BΑΛΛΩΤΗ & μέλαν πράσιον Græcis, Latinis Ballote, Officinis Marrubium nigrum, Marrubiastrum, Prasium fœtidum, Gallis *Marrube noir*, & *Marrube puant*, Italis *Marrobiastro*, & *Marrobio bastardo*, Germanis *Sehuuartz Andorn*, Hispanis *Marroio negro.* Marrubium à foliorum similitudine, nigrum à colore, qui ad colorem fuscum magis vergit quàm in Marrubio, dicta est Ballote: Prasium fœtidum ab odore graui, & fœtore.

Forma. Ballote caules edit quadrãgulos, nigros, subhirsutos, ex vna radice plures: folia marrubio similia,

Lib. 11. sed maiora, rotundiora, hirsuta, vel, vt alij, densa, (Oribasius addit μέλανα, idest, nigra: nec abs re, quod alteri eius nomini bellè conueniat, quódque ita descripserit

Lib. 27. c. 8. Plinius, Ballote foliis est marrubij, maioribus, & nigrioribus,) per interualla in caule disposita, similia apiastro, graueolentia, vnde etiam apiastrum vocauerunt. Flo-

Ibidem. res in rotæ speciem caules ambiunt. Plinius similiter depingit. Ballote alio nomine Μέλαν πράσον Græci vocant, herbam fruticosam, angulosis caulibus, nigris, hirsutis: foliis vestientibus maioribus quàm porri & nigrioribus, graueolentibus. Sed quod μέλαν πράσον pro μέλαν πράσιον legit, & φύλλα πρασίῳ μείζονα foliis maioribus quàm porri conuertit, ita vt Prasium, idest, marrubium in πρασοῦν, idest, in porrum sæpiùs commutarit, in hoc, vocum similitudine deceptus, vehementer errat. Ex his veram Balloten hîc depictam esse cõstat, quod illa sit fruticosa herba, quadrangulis caulibus assurgens, nigris, hirsutis ferè. Folio marrubij, sed maiore, piloso,

BALLOTE, *Matthioli.*



piloso,cingente caulem per interualla, odore
graui:floribus purpureis, verticillatim caulem
circumplectentibus. Nascitur vmbrosis in lo-
cis,propè sepes,cœmeteria,vias & domos. Flo- *Locus.*
ret in fine Iunij mensis & initio Iulij,quo tem- *Tempus.*
pore commodè carpi potest. Amara & acris *Temper.*
est, ideò calfacit in secundo ordine iam cōple-
to,aut tertio remisso:desiccat autem in tertio.
Huius folia,inquit Dioscorides cum sale trita Li 3.ca.100.
canis morsibus medētur. Feruenti cinere flac- *Vires.*
cescunt, vt condylomata reprimāt:sordida vl-
cera cum melle purgant. Quæ Plinius iisdem Lib.27.c.8.
ferè verbis retulit. Vis eius efficax aduersus ca-
nis morsus ex sale foliis tritis impositis:item ad
condylomata,coctis cinere,in folio oleris.Pur-
gat & sordida vlcera cum melle. Galenus Bal- Lib.7.
lotes ne meminit quidē in simpl.medicamen.
censū. Sed Paulus acrem & abstersoriæ faculta-
tis esse ait. Vnde cum sale impositam ad canis
morsus prodesse,non rabiosi, sed eius qui aliàs
momordit,vt idē alibi testatur. Est alia doctis
herbariis dicta Ballote minor, seu crispa, circa Lib.5.ca.4.
sepes,ædificiorum areas,semitas,rudera,nascens:solo gracili & macro:radice can-
dida,fibris quāplurimis tenuissimis capillata:cauliculis multis fruticans,quadran-
gulis,palmum altis:foliis subrotundis,priori Ballote similibus, lætiùs virentibus,
minùs crassis,rugosis,grauiter olentibus,per interualla in caule dispositis, & orbi-
culatim eam circundantibus:floribus purpureis,verticillato ambitu caulem coro-

BALLOTE *Crispa.*



BALLOTE *Crispa maior.*



nantibus:semine in oblongis caliculis, minutulo. Ante hyemem exactã appetente Vere floret, longè tempestiuus quàm Ballote maior. Quidam Coronopum vocauerunt. Est altera Ballote crispa maior, alioqui valde similis, quæ in locis cultis propè hortorũ areas & semitas nascitur, radice cãdida, plurimis fibris villosa, breui: caulibus multis, quadratis, dodrantalibus, ramosis, foliis rotundis, laciniatis, venusta incisurarum specie, orbiculatim caulem ex interuallo circundantibus: flore copioso, verticillatim inter folia prodeunte, puniceo, exiguo: semen in oblongis caliculis minutulum continetur. Floret Februario. Quidam etiam Coronopum nominarunt.

PLANTAGO, CAP. XXII.

Nomina

ΑΡΝΟΓΛΩΣΣΟΝ Græcis, Arnoglossum & Plantago Latinis, Arabibus *Lisen*, aut *Lesan alhamel*, Italis *Piantagine*, Hetruscis *Centinerbia* corrupto ex quinqueneruia vocabulo, Germanis *Vuegerich*, Hispanis *Lhanten, Tamchagẽ*, Gallis *Plantain*. Officinæ nomen Latinũ Plantaginis retinuerunt. Arnoglossum quòd folia eius agninæ linguæ simillima sint, appellarunt Græci, Latini autem Plantaginem ducto à planta vocabulo. Sunt qui à similitudine neruorum, quibus quasi costis in dorso per longitudinem folia distincta sunt, Polyneuron vocant. Duo Plantaginis genera, inquit Dioscor. maior & minor. Totidem genera Plinius agnoscit. Recentiores herbarij plura fecerunt, Plantaginem mediam, Plantaginem roseam, Plantaginem aquaticam, de qua diximus, Plantaginem marinam. Matthiolus Plantaginem maiorem eam esse scribit, cuius folia septem fibris tanquã neruis distinguntur, quã ob id Græci ἑπτάπλευρον, idest, septineruiam nuncuparunt: mediam in cuius foliis quinque apparent costę, πεντάνευρον, idest, quinqueneruiam ab iisdem appellatam. Officinæ quoniam folium arctius desinit in acumen, & velut in lanceæ mucronem fastigiatur, Lanceo-

Genera. Li.2.ca.119. Lib.25. c.8. Lib. de pal. cap.40. In cap.119. lib.2.

PLANTAGO *Vulgaris latifolia, Matthioli.*



PLANTAGO *Maior, Matthioli.*



latam

latam, vulgus Lanceolam nominat. Minimam verò, cuius folia, quæ leuiter hirſuta ſunt, tres tantùm neruos habent, quamobrem τρίνευρον, ideſt, trineruia dici poteſt. Verumtamen iconibus poſtremæ editionis Arnogloſſa nominibus aliis diſtinxit. Plantag nem enim mediam pinxit ſeptineruiam foliis latiſsimis, cauliculis longis, à medio floribus ſpicatis, caudas muriũ referentibus. Hæc eſt Plantago vulgaris latifolia. Deinde Plantaginem maiorẽ, & ſeptineruiam foliis ſimiliter latis, cauliculis longioribus, in quibus flores vertici propiores. Tertiã Plantaginem longam, quam quinqueneruiam & Lanceolatam appellari diximus. Dodonæus Arnogloſſa exhibet: Maius, medium, de quo in Cynogloſsis, minus, & marinum. Alij aliter ex foliorum magnitudine & modo Plantaginum varietates & appellationes, diſtinxerunt. Plantago maior amplior & lætior latis conſtat foliis, oleracei, generis (Ruellius ſic conuertit λαχανώδες, quòd alij potiùs vertendum cenſent betæ ſimilis: ſæpè etenim Attici λάχανον pro beta vſurpant: quare Dioſcor. eo vocabulo maiorem Plantaginem betæ ſimilem eſſe indicauit, vt reuera illi maximè aſsimilatur, cùm in exprimenda ſimilitudine ſpeciatim loqui non generatim conueniat.) Caulis in hac eſt angulosus, ſubruber, cubitali altitudine, à medio ad ſummum vſque tenui ſemine circundatus, radices ſubſunt teneræ, hirſutæ, candidæ, digiti craſsitudine. Plantago minor folia habet anguſtiora, minora, molliora, lęuiora & tenuiora: cauliculos ad terrã inclinatos, flores pallidos, ſemen in ſummis cauliculis. His deſcriptionibus Plantago noſtra major latifolia, & minor pulchrè reſpondent. Pro minore Matthiolus eam, opinor, pingit, quam longam vocat. Dodonæus quinqueneruiam, cuius folia anguſtiora, rigidiora, quibuſdam raris per ambitũ denticulis, mucronata: radix rotundior, breuior, pluribus capillamentis depacta: cauliculi anguloſi, iuncei: flores albi, ſtipati in glomeroſis & breuioribus ſpicis. Eſt & plantago incana, Lobellij & Penæ, cui folia incana ſuperficie pubẽt, rigidiora, craſsiora, & in ambitum humi, neruulis magis extantibus refracta: radix craſsior, longior, minuſq; fibrata: rectioribus, altioribus cauliculis, floribus breuioribus, ſed magis ſparſis & ſpecioſis, albis, caudatis. Iunio & Iulio defluentibus. Prætereà Plantago quædam in hortis ad voluptatem colitur, cui omnia Plantaginis maioris ſimilia præterquã cauliculus ſummus, eleganti ambitu, foliolis multis, ſibi ęquali

PLANTAGO Minor, Longa Matth.



PLANTAGO Minor, Dodonæi.



Li. 1. ca. 61.

Forma.

Lib. 2. c. 61.

PLANTAGO Roſea, Penæ.



PLANTAGO Roſea, Lob.



ſerie mutuò incumbentibus, atq; ſenſim in fa-
ſtigiũ coëuntibus, vbi quaſi imbricatim ſqua-
matímve ſeſe decuſſantia folia vmbellam ele-
gantem, quaſi florem conſtituunt herbidum,
vt in quadam ſpecie primulæ veris cernere li-
cet. Semen è medio foliorum interſtitio exilit,
ſed priori ſimile. Ab hac Plantago alia à Lo-
bellio picta, diſtat ſola panicula ſpicatim ſpar-
ſa, onuſta innumera fœtura he baceorum floſ-
culorum racematim cohærentium, in Belgicis
hortis. De Plantagine marina alibi dicendum.
Plantago maior naſcitur in cœ noſis, ſepibus &
Locus. humidis locis. Minor itidem circa aggeres, ſe-
pes, prata, & lacunoſa loca. Herba & flores æſta-
tis initio, Maio & Iunio menſibus, ſemen Au-
Li.2.ca.119. guſto carpitur. Vim habent folia, auctore Dio-
Vires. ſcoride, exſiccantem atque adſtringẽtem, ideò
ad omnia vlcera maligna, elephãtica, quæ hu-
more ſcatent, & ſordida conferunt. Eruptio-
nes ſanguinis, nomas, carbunculos, herpetas,
epinyctidaſq; cohibent. Vlcera vetera & inæ-
qualia cicatrice obducunt, chironia ſanant, ſi-
nus glutinant. Morſibus canis, ambuſtis, in-
flammationibus, parotidibus, panis proſunt.
Strumis & ægilopiis cum ſale illita conferunt.
Olus cum aceto coctum & ſale dyſentericis &
cœliacis ſumptũ ſubuenit. Datur & in locum
betæ cum lenticula coctum. In leucophlegma-
tia poſt aridas epulas in medio herba decocta
datur. Comitialibus & aſthmaticis data profi-
cit. Foliorum ſuccus oris vlcera continua col-
lutione purgat. Cum creta cimolia & ceruſa
eryſipelatis medetur: fiſtulas infuſus ſanat. Au-
rium doloribus & lippitudinibus ſuccus inſtil-
latus, & collyriis additus prodeſt: gingiuis ſan-
guinolentis, & ſanguinem reiicientibus potus
confert: dyſentericis clyſtere infunditur: bibi-
tur contra tabem. Aduerſus vteri ſtrangulatio-
nes in lana apponitur. Item vuluæ fluxiones &
ſanguinis excreationes ſiſtit. Radix decocta
collutione & manducata dentium dolores ſe-
dat. Eadẽ cũ foliis in paſſo ad veſicæ renumq́;
vlcera præbetur. Ferunt tres radices, cũ tribus
vini cyathis, & pari aqua potas, tertianis auxi-
liari, & quatuor quartanis. Sunt qui radice è
Lib.25. c.8. collo ſuſpenſa ad ſtrumas diſcutiendas vtuntur. Verba Plinij totam hanc rem, &
Dioſcoridem ipſum declarant. Celebrauit & Themiſon medicus vulgarem her-
bam Plantaginem, tanquam inuẽtor, volumine de ea edito. Duo eius genera, mi-
nor anguſtioribus foliis & nigrioribus, linguæ pecorum ſimillimis, caule angulo-
ſo, in terram inclinato, in pratis naſcens. Altera maior foliis laterũ modo incluſa,

quæ

quæ quia ſeptena ſunt, quidam eam heptapleuron vocauêre, ſic πλεύρας vertit Pli-
nius,re non ſatis explicata:aptiùs erat,folio tanquã coſtis diſtincto, quæ quia ſepte-
nę ſunt,&c.Huius & caulis cubitalis eſt,& anguloſus(ſic ex vetere codice legit Cor Embl.112.
narius nõ,napi ſimilis,vt in vulgatis habetur)Naſcitur in humidis multò efficacior. lib.2.
Vis mira in ſiccãdo denſandoq́; corpore,cauterij vicem obtinẽs. Nulla res æquè ſi-
ſtit fluxiones,quas Græci rheumatiſmos vocãt.Alias eius facultates & multò plures
idẽ Plinius variis locis tradit. Stomachũ corroborat plãtago per ſe ſumpta in cibo
cum lente,alicæ've ſorbitione.Strumis medetur.Semen eius in vino tritum,vel ipſa
ex aceto cocta,aut alica ex ſucco eius ſumpta,dyſentericis datur.Lichenis fœdo ma
lo medetur trita.Vitia ſedis & attritus celerrimè ſanat. Ex aqua mulſa duabus horis
antè acceſsionem pota duabus drachmis, tertianas leuiores facit, vel ſuccus radicis
madefactæ,vel tuſę,vel ipſa radix trita in aqua ferro calefacta.Quidã ternas radices
in tribus cyathis aquæ dederunt. Iidẽ in quaternis quaternas fecerunt.Hydropicos
ſanat in cibo,cùm priùs panẽ ſiccum comederint,ſine potu:folia podagras refrige-
rant,& in primo impetu podagræ rubentis,hoc eſt, calidę conueniunt.Oris vlcera
ſuccus emẽdat,& folia radiceſq;,cõmanducata,vel ſi rheumatiſmo laboret os.Vitio
reiectionis ſanguinis idẽ medetur,phthiſmi ſanat ſi bibatur,& ipſa decocta in vino
cum ſale & oleo à ſomno matutino refrigerat. Luxatis dolores & tumores tollunt
folia tuſa,addito ſale modico,fiſtulis infuſis ſuccus auxilio eſt.Sanguinis profluuiũ
ſiſtit ſemen,ſi ore reiiciatur,ſiue aluo fluat, ſiue fœminarum vtero. Succus vomen-
tibus ſanguinẽ datur.Contuſis,euerſis omnibus modis ipſa ſumitur. Medetur om-
nium generũ vlceribus, peculiariter fœminarũ , ſenum & infantium igne mollita,
melior & cum cerato.Sed vt eas vires habeat plãtago, quas Dioſcor. & Plin.ipſi tri-
buunt,tẽperamẽtum eius mixtũ facit,quod declarat Galen. his verbis. Plãtago mi- Lib.6.ſim.
xtę eſt tẽperaturę,habet enim quiddã aqueum frigidũ,& auſterum quiddã,id quod
terreũ eſt,ſiccum,frigidum.Itaq; refrigerat ſimul & deſiccat,& in vtroq; ſecũdi ex-
ceſſus à mediis eſt.Porrò medicamenta quæ cum hoc quod refrigerant vnà etiã ad-
ſtringunt,ea & ad vlcera rebellia omnia,& ad fluxiones & putredines conueniunt,
ac proinde & ad dyſenterias. Nam & ſanguinis profluuia ſiſtũt,& ſi quid aduratur
refrigerant:tum ſinus quoq; glutinant,& alia vlcera recẽtia ſimul & vetera. In om-
nibus ferè id genus medicamẽtis primas tenet, aut certè nulli ſecunda eſt plantago
idq; tẽperaturę ſymmetria & cõuenientia,ſiccitatẽ enim obtinet morſus expertẽ,&
frigiditatẽ quæ nondũ obſtupefaciat: & fructus & radix ſimilis ſunt facultatis, niſi
ꝙ tum ſiccioris,tum minùs frigidæ. Sed & ſemẽ ſubtilium eſt partium:radices verò
craſsiorum,atq; herbæ folia exſiccata ſubtilium partium exiſtunt,& minùs frigidæ
facultatis:nẽpe difflatè ex eis ac digeſto excremẽto aqueo. Hac ratione & radicibus
vtuntur ad dentiũ dolores,tum mandentes, tum colluſionibus incoquentes. Præ-
tereà ad iocinoris & renum obſtructiones nõ has tantùm adhibẽt, ſed folia quoq;,
& multò magis ſemina.Hæc enim omnia quandam in ſe abſtergendi facultatẽ ob-
tinẽt,quam & in tota herba viridi ineſſe ſatis coniici poteſt, verùm ab humiditatis
copia deuinci. Inſignes alias eiuſdem facultates neoterici prædicãt, maioris & mi- Matth.in
noris ſemen tritum ouoq́; exceptum, & calente tegula inaſſatum, dyſentericos iu- c.119. lib.2.
uare frequenter deuoratum. Succus ex roſaceo fronti adhibitus capitis dolores à
cauſa calida ortos mulcet.Datur quoque vtiliter ad cruenta ſputa cum armenia bo-
lo,aut hæmatite lapide.Idem eum millefolij ſucco mixtus cruẽtam vrinam redden-
tibus mirificè medetur potus,præſertim addita philonij perſici drachma. Illinitur
quoque rectè eryſipelatis cum aceto & ſolani ſedíque ſucco. Stillatitia plantaginis
aqua cum æquali aceti acerrimi portione ſanguinem è naribus fluentem cohibet,
ſi linteola in ea madefacta pedum plantis,manuum vòlis,& iocinori applicentur.

GENTIANA, CAP. XXIII.

Nomina GENTIANH Græcis, Latinis & Officinis omnibus Gentiana, Germanis *Entzian & Bitteruurtz*. Gallis *Gentiane*. Sic à Gentio Illyriorum Rege, qui in bello primus eius vires reperit dictam fuiſſe teſtantur Dioſcorides & Pli-
Forma. nius. Alij, inquit Apuleius, Aloen Gallicam, alij Narcen, alij Chironium, alij Cyminalem vocant, folia Gentianæ iuxta radicem erumpunt, iuglandi aut plantagini ſimilia, ſubrubentia: quę verò à medio caule, præſertim autem cacumine prodeunt, breuiora ſunt & anguſtiora, vno verbo, minora. Eſt enim apud Dioſcoridem legendum: τὰ δὲ ἐν μέθῳ τῷ καυλῷ καὶ μάλιστα τὰ καὶ ἄκρον κείμενα, μικρότερα. Caulis illi magnus, læuis digiti craſſitudine, binûm cubitorum, interdum hominis altitudine, geniculis interſectus, ex maioribus interuallis folia proferens. Flores lutei, primùm calicibus cõcluſi, poſteà intumeſcẽtes explicantur, ſemen in calicibus habet latum, læue, aceroſum, ad ſpõdylij ſemẽ accedens, radicem longam, ſimilem ariſtolochiæ longæ, craſſam, amaram, intus flauam.
Lib.25.c.7. Plinius Dioſcoridis deſcriptionem non omninò expreſſit his verbis. Gẽtianam inuenit Gentius Rex Illyriorum, vbiq; naſcentem, in Illyrio tamen pręſtãtiſſimam, folio fraxini, ſed magnitudine lactucæ: caule tenero, pollicis craſſitudine, cauo & inani, ex interuallis foliato, triũ aliquando cubitorum: radice lenta, ſubnigra, ſine odore, aquoſis montibus ſub alpinis plurima. Vſus in radice & ſucco.

GENTIANA.



Locus. Naſcitur in altiſsimis montium cacuminibus, in locis vmbroſis & aquoſis, elleboro albo foliis ac natalibus adeò affinis, vt parùm exercitatum eminùs fallat.
Tempus. Floret æſtate, Iunio potiſsimùm menſe: dein Iulio ſemen producit.
Temper. Auicenna Gentianam calidam eſſe
Lib.2.c.288 ſcribit ordine tertio, ſiccam ſecundo. Radix calfacientem & adſtringẽtem vim ha-
Lib.3. ca. 3. bet, vt tradit Dioſco.
Vires. Venenatorum morſibus ſuccurrit duarum drachmarum pondere cum pipere, ruta, & vino pota. Succi drachma laterum doloribus, ex alto cadentibus, ruptis & conuulſis opitulatur. Hepaticis, ſtomachicis pota cum aqua ſubuenit. Radix collyrij modo ſubdita partus eiicit. Vulneraria eſt impoſita vt lycium: vulneribus ſinuatim depaſcentibus potiſsimùm ſuccus medetur: oculis inflammatione laborantibus illinitur: cum meconio collyriis acribus miſcetur ſuccus. Apud Dioſcoridem μετὰ, loco ἀντὶ, legẽdum eſſe res ipſa monſtrat. Non enim medicamẽ-
Lib.25.c.7. ti frigidiſsimi loco ſubſtituitur, quod calidum & ſiccũ eſt: radix vitiligines abſterget. Plinius hæc quidem breuiter. Radicis natura eſt excalfactoria, ſed prægnanti-
Ibid.cap.8. bus non bibenda. Reliqua verò à Dioſco. tradita ſparſim idem Plinius habet. Gentiana præcipuè aduerſus angues, duabus drachmis cum pipere & ruta, vini cyathis
Ibid.cap.12 ſex, ſiue viridis, ſiue ſicca. Et, Adiungunt & Gentianę ſuccum, quem collyriis acrio-
Lib.26.c.14 ribus cum meconio miſcent. Item, Illinitur autem gentiana vlceribus quæ ſerpunt, radice tuſa vel decocta in aqua ad mellis craſsitudinem, vel ſucco: vulneribus ex ea factum lycium. Sic enim habent vulgati codices, & ſic locus intelligi poteſt. Sicut lycium ex ſua planta expreſſum, ita ſuccus ex Gentiana velut lycium expreſſus vulneribùs imponitur, quod dilucidiùs Dioſcorides expreſsit. ἐστὶ δὲ καὶ θαυμαστικὴ ἐπιτιθεμένη

τιθεμένη ὡς τὸ λύχιον. Aliis in locis. Tanta huic vis est, vt iumentis etiam non tussientibus modo, sed ilia quoque trahentibus auxilietur pota. Stomachum corroborat ex aqua pota, farina eius ex aqua tepida fabæ magnitudine pota, interaneorum vitiis occurrit. Radix trita vel decocta, à ruptis, conuulsis, & ex alto deiectis potatur. Galenus omnem vim Gentianæ radici ex amaritudine attribuit. Gentianæ radix, inquit, multũ est efficax, cùm opus extenuatione, abstersione, purgatione, obstructionis liberatione. Nec mirùm si hæc possit, cùm impensè amara sit. Hęc Galenus. Gẽtianæ radix vrinam & menses ciet, aduersus scorpionũ ictus cæteris antidotis præstat. Eius aqua stillatitia febres ab infarctu tum viscerũ, tum nasorum excitatas mirificè sanat. Alui lumbricos necat, maculas in facie quascunq; deterget, si ea frequẽtiùs abluantur. Eadem radix in vinum immissa ad lassitudinem discutiendam, & appetitum excitandum commendatur. Putredinis hostis est infestissima, & veneni mors. Pesti adeò remedium præsens, vt non modò homini, sed etiam brutis incolumitatem tueatur, & amissam instauret.

Lib. 6. sim.

Matth. in cap. 3. lib. 3.

Pet. Pen. in Adu.

CRVCIATA, CAP. XXIIII.

FACIE & facultatibus adeò affinis est Gentianæ hæc planta, vt docti Gentianæ speciem faciant, quare Gentiana minor à quibusdam dicitur, vulgò Cruciata, prisco nomine nondùm comperto. Sic autem nũcupatam quidam existimant, quòd radix secundùm longitudinem tripartito aut quadripartitò fissa sit, sed foliis cruciatim cauli incumbẽtibus nominis

Nomina

CRVCIATA siue Gentiana minor, Matth.



CRVCIATA siue Gentiana minima, Matth.



etymum potiùs debetur, Gallicè *Croisette*, Germanicè *Madelgeer*, nominatur. Caule est rotundo, dodrantali, ac etiam maiore, in summo rubescente, paribus ferè interuallis ab imò ad summum geniculis intersecto, à quorum singulis alis bina prodeũt folia, crassa, angusta & oblonga, vulgaris saponariæ æmula, & gentianæ foliolis in summo caule erumpẽtibus similia: flores purpurei vel cærulei diluti in summitate

Forma.

circum

circum caulem in orbem ex cauliculis herbacei coloris exeunt. Radix alba, longa, *Locus.* amarissima, locis aliquot ab vtroq; latere crucis instar perforata. Multa & passim *Tempus.* oritur locis incultis, sed non ita arduis vt Gentiana: floret Iulio mense. Ex summa *Temper.* amaritudine calidam & siccam esse colligere licet, & viribus Gentianæ proximis *Vires.* præditam. Recentiores magnum eius contra pestilentiæ venena vsum esse affirmant: item ea quæ in thorace hærent educere posse, hausto foliorum aut radicis decocto, aut sumpta eius siccatæ farina. Menses mouet, comitialibus prodest. Vino in quo inferbuerit vulnera & vlcera maligna lauasse & fouisse prodest, aut puluerem in ea iniicere: deterget enim & glutinat. Est alia Cruciata, minor cognominata, quæ ad Rubiæ & Aparines similitudinem quadãtenus accedit, sed mollis & hirsuta herba, cauliculi tenelli, quadrangulares, geniculati, folia è singulis internodiis quaterna, decussata, breuiora, sed latiora ferè quàm Aparines. Flores exigui verticillatim cauliculos ambiunt, dilutè lutei: radices subsunt perquàm tenues. Iuxta fossas, riuulos, & quandoque agrorum margines, inter sentes, à Maio ad finem vsque æstatis reperitur, & cum flore. Matthiolus addit Cruciatam minimam.

VNIFOLIVM, CAP. XXV.

Nomina FOLIO etiam plantaginis est vnifolium, Germanis *Einblat* dictum, Gallis *Vnefueille*. Quare μονόφυλλον possumus appellare. Gramen est *Forma.* Parnasi Cordi & Loniceri. Foliũ vnum per initia ab imo promit. Deinde semine iam perfecto in cauliculo rotũdo & tenero, duo prodeũt folia priori similia, sed minora, plantaginis figura, & neruulis striata, supernè acutiora, alterum superiore est loco: flores supereminent albi, galij odori: deinde acini parui, rotundi, pallidi initiò, dum maturuerunt rubentes, gustu amaro & ingrato, radix gracilis & geniculata, trãsuersim euagatur. *Locus.* Vmbrosis lucis & nemoribus frequens. *Tempus.* Maio mense floret. *Temper.* Temperie est calida siccáque. *& Vires.* Recentiorum quorumdam sententia vnifolij radix aduersus pestem, & omne genus veneni singulare est remedium, hausta statim initio pulueris eius semidrachma cum vino generoso aut aceto, aut vtroque, ita vt cùm æger hauserit in lecto sudet. Folia cum radice recentibus vulneribus admouisse prodest, quod ea ab inflammatione & suppuratione tueantur.

VNIFOLIVM.



BIFOLIVM SIVE OPHRYS Plinij. CAP. XXVI.

Nomina ORTV, folio quoque, plantagini simile est Germanorum *Zuyblat*, id est, bifolium à geminis foliis, Gallicè *Double feuille*, à nonnullis ob foliorum cum plantagine similitudinem, & quòd locis humentibus familiaris sit, Damasonium creditum: à quibusdam Gramen Parnasi, à Dodonæo Pseudorchis bifolium, ab aliis perfoliatæ species, ab aliis Elleborine, ab aliis, & rectiùs quidem, Ophrys Plinij: non quòd fucandorum supercilliorum *Lib. 26. c. 15* facultate, hanc plantam præditam esse compertum sit, sed à binis foliis. Caule est *Forma.* rotundo, læui, duo duntaxat proferente folia, vtrinque vnum ex aduerso, plantagini

OPHRYS.



tagini maiori similia, viridantia, secundum longitudinem fibris distincta, à medio ferè caule ad summum vsque caliculi vtrinque multi sunt, & in his velut linguæ dissectæ, nutantes flosculi, ex pallido siue ex flauo herbacei, quos etiam muscis, siue paruulis volucribus plumis exutis comparare possis, nec non testiculorum quorumdam floribus. Radix subest tenuis, cum adnascentibus radiculis multis, oblongis & odoratis. In montibus, pratis vdis & frigidioribus *Locus.* frequens nascitur. Maio & Iunio mensibus floret, dein *Tempus.* statim euanescit, quare hoc potissimùm tempore colligenda. Gustanti glutinosa esse apparet, & quodammodo dul- *Temper.* cis, ideò calidam & siccam esse coniicere licet. Cùm igi- Fuch.c.213. tur facultate non sit adstringente, damasonium esse nequit, tamen ad fracturas & vulnera conglutinanda hac herba recentiores vtuntur. Capillum denigrat Ophrys herba, in- Pet. Pen. in Ad. quit Plinius, denticulato oleri similis, foliis duobus: qui- Lib.26.c.15. dam hoc loco censent legendum, lenticulato, betam exponentes, quam ideò sic dictam volunt, quòd ea sæpissimè cum lenticula vescerentur olim, cibum eiusmodi τευτλοφάκην nominantes.

CYNOGLOSSVM, *CAP. XXVII.*

VT arnoglosso ab agnina, ita Cynoglosso à canina lingua nomen dederunt antiqui. Græcis igitur κυνόγλωσσον & κυνόγλωσσος dicitur, La- *Nomina* tinis Cynoglossum & canina lingua, Officinis Cynoglossa, & lingua canis, Gallis *Langue de chien*, Germanis *Hundszung*. Quænam autem ex aliquot plantis, quas ad caninæ linguæ speciem natura effinxit, verum sit & facie & viribus Cynoglossum, magna est inter herbarios contentio, cùm ne veteres quidem in huius herbæ delineatione consentiant.

CYNOGLOSSVM,
Quorundam.



Dioscorides enim Cynoglosso caulem adimit, quem Plinius eidem tribuit. Sic igitur describit Li.4.c.124. Dioscorides. Cynoglossum folia plantagini latifoliæ similia habet, sed angustiora, minora, & lanuginosa, caulem non habet, & humi sternitur. Plinius verò. Iungitur & Cinoglossos cani- Li.25.ca.8. nas imitans linguas, topiariis operibus gratissima. Aiunt, quæ tres thyrsos seminis emittat, eius radicem potam ex aqua ad tertianas prodesse, quæ quatuor ad quartanas. Est alia similis ei quæ fert lappas minutas. Eius radix pota ex aqua ranis & serpentibus aduersatur. Recentiores ad vires attenti, & ad eos effectus quos catapotia de Cynoglossa inscripta pollicentur, aliud atque aliud Cynoglossum ostendunt. Nonnulli plantam eam, quæ Plantago media à Dodonæo no- Lib. 1. c.61. minatur, ab aliis plantago villosa seu sessilis, quæ *Forma.* plantagini maiori seu latifoliæ similis est, nisi quòd folia habet angustiora, minora, parùm hirsuta, caules quoque hirsutos in summo spicas proferentes

proferentes breuiores quàm in maiore plantagine: flores ex albo purpureos: radicem candidam & longiorem. *Locus.* Locis humidis & herbidis, secúsque vias nascitur, *Temper.* frigido siccóque est temperamento ad tertium vsque ordinem. Est aliud Monspeliensium vulgare Cynoglossum, cui folia sunt mollia, leuia, lanugine pauca, ad ta-

Cynoglos. Monspe. Pet.Pen.in Adu.

CYNOGLOSSVM Pusillum, Narbonense.



CYNOGLOSS. Vulgare floridum Matth. secundum Plinij.



Forma. ctum minimè aspera, mollitie & effigie linguæ caninæ, vel glasti, nonnihil venosa, albicantia, plantagine latifolia arctiora: caulis rotundus, incanus, in alas diuisus, quibus flores punicei, angusti folij buglosi, paruum semen, lappulis hirsutis vel clypeolis contentum, vestibus, vt agrimoniæ & caucalidis pertinaciùs hærens. *Locus.* Pinguibus & sabulosis locis prouenit, sed hîc pusillum, & vix sesquipalmum aut pedem excedens, alibi pinguibus & humentibus aruis multò procerius. Quantum ad caulem & flores attinet, nullos fert nonnullis annis, præcipuè vmbra salinea aut vicinis sepibus opacatum, aliis annis, & aliis in locis caulem & flores & semen promit. *Vires.* Si vires considerentur, nulla est quæ potiores aut conuenientiores habeat, & quæ omnes quos pollicetur certiores quàm hæc effectus præstet. Ambustis siquidem opitulari vel mulierculæ sciunt, refrigerandi scilicet manifesta qualitate & siccante, dolorémque leniente, & maiorem affluxũ prohibente, præsertim cum axungia liquefacta, feruidáve instillata: eadem alopeciis, ab acri & erodente humore capillis defluentibus, confert. Præterea emollit aluum visua malactica & mucrosa vino incocta quod eius frigiditatem retundit. Radix symphyti est magnitudine, muccore & colore, odore penè soporifero, maximi hodie vsus ad acres & te-

CYNOGLOSSVM, Matthioli.



nues

nues fluxiones: magis tamen spissat quàm refrigerat. Quare catapotiis ad acrem & tenuem fluxionem sistendã Trallianus immiscet, quæ recipiunt myrrhæ drachmas septem, hyoscyami, opij singulorum drachmas quatuor, corticis radicis Cynoglossi herbæ drach. quatuor & semiss. Ea similiter descripsit Mesues ad catarrhum, coryzam, tussim, aliosq; his succedentes affectus, addita croci drach. vna & Lib.2.c.4.

CYNOGLOSS. Vulgare Matth. Lycopsis Lacunæ.



LYCOPSIS Anglica, Lobellij.



semisse. Matthiolus legitimum & Dioscoridis Cynoglossum quod neque caulem, neque flores, neque semen gignit, se adinuenisse putat, sæpiùs à se tum visum, tum lectum Romæ pòst Adriani molem in sabulosis quibusdã locis enatum, quod à vulgari Cynoglosso quo passim Officinæ vtũtur, longissimè distat: quippe quod in radiantis Solis morem folia fert suppinguia, tenui lanugine albicãtia, humi strata, caule perpetuò viduum. At Penæ & Lobellio hæc planta non Cynoglossum sed Lycopsis, vel degener anchusa Æginetæ esse videtur, non perpetuo caule carens, verùm toto quidem anno caulem florémque nullum edens, sed vno & interdum altero anno post, æstate caulem sesquicubitalem gignens, rotundum, hirsutis alis multis diuisum, iuxta quas & folia erumpunt ex interuallis, florésque echij fimbriati, diluta purpura, exili stamine: semen borraginis, minùs nigrum: radix crassior digito rufescit lignosa, parùm aut nihil attrectantem inficiens. Huic iungit Lobellius Lycopsin alteram Anglicam, quæ via qua Bathonia & Bristolia Londinum itur, per messes multa & læta visitur, hilari aspectu, floribus tantùm distans, quos non secus foliorum & alarum interualla, sed in summis caulibus habet saturatiore purpura. In cap.124. lib.4.

QVINQVEFOLIVM, CAP. XXVIII.

ΠΕΝΤΑΦΥΛΛΟΝ Græcis, Quinquefolium Latinis & Officinis & Pentaphyllum, Gallis *Quintefueille*, Germanis *funffingerkraut*. Nomen à numero foliorum habet: in vnoquoque enim pediculo quinque esse deprehenduntur. Dioscorides vnicum Quinquefolij genus posuit. Ab herbariis aliis **Nomina** Lib.4.c.38. **Genera.**

QVINQVEF. Luteum, maius.



Ibidem. Quinquefol. luteum maius.

Forma

tria, ab aliis quatuor, vel quinque animaduersa sunt genera, florum colore & foliis distantia. Quinquefolium, ita describente Dioscoride, ramulos fert festucarū similitudine graciles, dodrantales, & in iis semen: folia menthæ similia, in singulis pediculis quina, raro plura, in ambitu serrata: florem ex candido pallescentem, auri æmulum: radicem subrubram, oblongam elleboro nigro crasiorem. Quibus verbis Dioscoridem Quinquefolium maius luteum delineasse perspicuū est. Etenim ex vna radice oblonga & subrubra ramulos emittit tenues & festucaceos, sese quâ solùm subierint propagantes, in singulis folia quina, in ambitu serræ modo crenata, mēthæ similia: flores luteos vel aureos, in quina folia diuisos, qui cùm depereunt in parua veluti mora vertuntur, fragis similia, in quibus semen. His accedunt natales, & insignis adstringendi facultas, de quibus mòx dicemus. Prætereà radix quadrata cùm arida facta fuerit, quod verisimè obseruatum est à Theophrasto sic scribente. ἡ δὲ τοῦ πενταφύλλου, ἢ πενταπέτου (καλοῦσι γὰρ ἀμφοτέρως) ὀρυττομένη ἐρυθρὰ, ξηραινομένη δὲ μέλαινα γίνεται, καὶ τετράγωνος. ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον ὥσπερ ὄιναρον, μικρὸν δὲ καὶ τὴν χροιὰν ὅμοιον. καὶ αὐξάνεται καὶ φθίνει ἅμα τῇ ἀμπέλῳ. πάντα δὲ πέντε τὰ φύλλα. διὸ καὶ ἡ προσηγορία. καυλοὺς δὲ ἐπὶ γῆς ἵησι λεπτοὺς, καὶ κνήμας ἔχει πυκνάς. Id est, Radix Quinquefolij siue quinque peti (nam hoc etiam nomine appellatur) cùm effoditur rubra est, arida verò nigrescit, & quadrata fit. Folium habet Arbuti ὀινάρου paruum, colore illi simile, augetur & desinit vnà cum vite, folia omnia quina, vndè ei nomen, caules emittit super terram, tenues, & crebris internodiis constat. His similia Plinius tradidit. Quinquefolium nulli ignotum est, quod etiam fraga gignendo commendetur. Græci vocant Pentapetes, siue Chamæzelon, vel, vt alij, chamæmelum, siue pentaphyllum. Quum effoditur rubram radicem habet. Hæc inarescens nigrescit, & angulosa fit. Nomen à numero foliorum habet. Et ipsa herba incipit & desinit cum vite. Adhibetur & purgādis domibus. Hæc ex Theophrasto conuersa esse constat, præter illud quod Quinquefolium fraga gignendo commendari dicit,

Lib. 9. hist. cap. 14.

QVINQVEF. Luteum, minus.



Lib. 25. c. 9.

quod obscurum est & ambiguum, quæ enim fraga gignit herba, alia à Quinquefolio est, nec quina in singulis pediculis, sed terna folia habet. Quinquefolium luteū minus superiori persimile est foliis, per terram serpendi modo, caulibus, floribus, nisi quòd multò minus est, nec ita facilè cauliculis terræ hærentibus propagatur, folia


Quinquefolium luteū minus.

Forma.

QVINQVEFOLIVM, Album.



QVINQVEFOLIVM, Rubrum.



folia ferentibus minora, quâ terram spectant, albicantia. Quinquefoliũ candidum magnitudine ferè par Pentaphyllo luteo maiori, cauliculis repentibus, teneris, gracilibus, & foliis in quinque diuisis simile, nisi quòd caules hirsuti sunt, folia longa, anteriùs duntaxat crenata, flores candidi sunt: radix non simplex, sed adnata & ra- *Forma.*

PENTAPHYLLVM *Album, Matthioli.*



PENTAPHYLLVM *Rubrum, Dodonæi.*



diculas multas habens huc illuc vagantes. Quinquefolio rubro Pentaphyllis aliis haud absimili, præsertim luteo maiori folia quinq; partita, toto ambitu crenata, infernè candicantia, supernè nigricantia: caulis palmum vnum aut pedem altus,

PENTAPHYLLVM Flore albo & rubro, Lobellij.



PENTAPHYLLVM Supinum, Tormentillæ facie, Lobellij.



colore fusco aut rubescente, geniculatus, læuis, in cuius summo flores sæpiùs bini, saturato rubore: deinde veluti mora parua, rotunda, fragorum instar rubescentia, sed duriora, in quibus semen includitur: radix tenera huc illuc dispergitur. Sunt apud Penam & Lobellium duo alia Pentaphilli genera. Maius flore subluteo, interdum albo, & rubro. Caulibus rectis, firmis, pedalibus & cubitalibus, in quibus folia quinq; partita, sed altioribus & crebris incisuris, Geranij robertiani vel Alceæ modo: floribus candidis, interdum purpureis, radice foris nigricāte intus rubescente, digitum lata, palmum longa & sesquipalmū. In Narbonēsis Sauenæ pingui solo, Iunio & Iulio flores edit candidos, in Apennino Italiæ purpureos. Aliud Pentaphylli generi facie cognatum est: medium enim est inter Tormentillam, Pentaphyllum, & Potentillam. Flosculos ex luteo pallentes, summa folia, caducos cauliculos, & radicem Pentaphylli habet, sed folia ima ex atro virentia in longo pediculo aptantur, Argentinæ siue potentillæ æmulatione: fructus autem fragariæ sterilis simillimus. Hæc Lobellius. Pentaphyllum nascitur in riguis, inquit Dioscorides, & in aquariis ductibus. Sic Pentaphilla nostra locis opacis & decliuibus proueniunt, & aquo-

Locus. sis, præcipuè rubrum, quod solùm in scrobium marginibus, & scrobibus ipsis, & stagnantibus aquis reperitur. Florent Maio & Iunio potissimùm mensibus. Quinquefolium plurimis pol-

Tempus. lere remediis scribit Diosco. Radicis decoctum

Lib. 4. c. 38. ad tertias, si ore contineatur dentium dolores

Vires. sedat: putredines in ore si colluatur sistit: arteriæ asperitates si gargarizetur emendat. Contra alui profluuia & dysenterias auxiliatur: item articulorum & coxendicū dolores potum sanat. Cocta radix in aceto, & illita herpetas cohibet. Strumas discutit, duritias, œdemata, aneurysmata, abscessus, erysipelata, pterygia digitorum, cōdylomata, scabiésq; sanat. Teneræ radicis succus cōtra iocinoris & pulmonis affectiones, & venena prodest. Folia cum hydromelite aut vino diluto, aut exiguo pipere contra febrium circuitus bibuntur, in quartana quidem quaternûm ramulorum folia, in tertiana verò ternûm, in quotidiana vnius. Tricenis diebus

pota

pota comitialibus auxiliantur. Foliorum ſuccus per dies aliquot trium cyatho-
rum menſura potus celeriter morbum regium ſanat. Vulnera quoq; & fiſtulas cum
ſale & melle ſanant: inteſtinorum ramice laborantibus ſuccurrunt. Quinquefoliũ
ſanguinis profluuia ſiſtit potum & illitum. Plinius eadem quæ Dioſcorides variis
locis tradit. Quinquefolium ſtrumis medetur, inquit,& pectoris vitiis. Idẽ iſchia-
dicis bibitur & imponitur: panos ſanat, impoſitum articulis vtiliſſimũ, fiſtulis quæ
in omni parte ſerpunt auxilio eſt cum ſale & melle, phalangio aduerſatur, lichenas
emendat. Succus de quinquefolio potus ciathis tribus anginæ medetur. Idem ioci-
noris & pulmonis vitiis, ſanguinémque reiicientibus, cuicunq; ſanguinis vitio in-
tus occurrit. Multi ſupra omnia laudant ad deploratos dyſentericos Quinquefoliũ
decoctis in lacte radicibus & potis. Idem decoctum ad tertias in vino ictericis dari
atq; illini vtiliſſimum eſt. Eius folia ex aqua comiliales ſanant. Item contrita ex vi-
no ſumpta triginta diebus in betonicæ farinæ pondo denariorum tredecim cum
aceti ſcillitici cyatho, comitialibus morbis liberant. Celerrimè ſuccus regio morbo
medetur tribus cyathis cum ſale & melle potus. Quinquefolij folia quidam terna
tertianis dedêre, quaterna quartanis, plura cæteris, omnibus obolis tribus cum pi-
pere ex aqua mulſa. Galenus Pentaphylli radicem ſcribit deſiccare vehementer, Li.8. ſimpl.
minimùm verò acrem eſſe, ob id multo eſſe vſui, velut alia quoq; omnia, quæ cùm
ſint tenuium partium, citra morſum deſiccant. Eſt enim hæc radix, inquit, deſicca-
toria ex tertio ordine minimùm habens euidentis caliditatis. Idem Quinquefolij Lib.5. med.
radicem in vino coctam dentium dolores leuare tradit. local. ca.9.

TORMENTILLA, CAP. XXIX.

ἙΠΤΆΦΥΛΛΟΝ Græcè, Septifolium Latinè, vulgò Tormentilla *Nomina*
nominatur, Gallicè *Tormẽtille*, Germanicè *Rotheiluurtz*, & *tormẽtill.* Hepta-
phyllum à ſeptenario foliorum numero, Tormentilla verò quia tor-
mentum cruciatúmve dentium ſæuiſsimum placat, atq; venenatarum
quarundam rerum compeſci furorem crucian-
tem. Quinos, ſenos, octonósve ramulos, graci- *Forma.*
les, rotundos, humi repentes & ſubrubentes ex
vna radice profert: folia parua, quina, ſæpiùs ſe-
ptena, in ſingulis pediculis crenata, quinquefolij
minoris lutei ſimilia, floſculos luteos, radicem
craſſam, biſtortæ ſimilẽ, modicè intortã, atq; in-
tus rubrã, foris nigricantẽ. Ex hac deſcriptione
cõſtat falli eos, qui Tormentillam Dioſcoridis
pentaphyllum eſſe putant: hoc enim quina tan-
tùm, illa ſeptena ſæpiùs folia fert, hoc radicem
oblongam, rectam, elleboro nigro craſsiorem,
illa breuem, cõpactam, intortam, biſtortę ferè
inſtar. Propiùs ad Chryſogonum Dioſcoridis Lib.4.c.51.
accedere videtur, quod denſè fruticat, quernis Pena &
foliis, flore coronarij verbaſci: radix vt rapum Lobel.
extuberat, intus ruberrima, foris nigra. Tormẽ- *Locus.*
tilla nemoribus opacis, montoſis etiam, ſiccis
macilentíſque locis gaudet. Serò & æſtate flo- *Tempus.*
ret. Deſiccatoriã eſſe tertio ordine, nullatenus
tamen manifeſta caliditate participare vires ef-
fectúſque demonſtrant: nam vulnera glutinat,

TORMENTILLA.



farina herbæ vel radicis cum ſucco plantaginis pota vrinæ incontinētiam ſupprimit. Eadem inſparſa vulnera ad cicatricem perducit, cum qui albo ſubacta, & figlino decocta datur cholericis, foliorum ſuccus deploratis fiſtulis inſtillatur, neque non oculis ad diſcutiendas maculas. Ad putreſcentia oris vlcera herba & radix cōmanducata, & ore retenta valent. Herpetas, ſtrumas, duritias, tumores, aneuryſmata ſanat. Denique eaſdem quas quinquefolium facultates habet. Quare venenis reſiſtit, dyſenterias & omnes ſanguinis eruptiones compeſcit. Radicum puluis cauis dentium inditus cum aluminis & pyrethri momento, non modò dolorem ſedat, ſed fluxiones cohibet. Heptaphyllo herba trita, inquit Apuleius, & cum oleo mixta pedes perunges: id tertio die dolorem tollit.

SANICVLA, *CAP. XXX.*

Nomina

A Veterum nullo deſcripta, ſed à recentioribus inuenta quemadmodùm & multæ aliæ vulnerariæ herbæ, cenſetur herba hæc, cui à potiore medici munere, nempè ſanandi, nomen ſaniculæ datum: ſanat enim vulnera. Germanis *Sanniker*, Gallis *Sanicle* dicitur, à nonnullis Diapenſia. Matthiolus hanc quartum pentaphylli genus facit, minimè ex aliorū etiam peritorum herbariorum ſententia.

In cap. 38. lib. 4.

Genera.

Sed cùm herbis aliquot Saniculæ nomen poſitum ſit, hîc de duabus duntaxat tractabimus, quarum vna eſt, quæ propriè Sanicula, & Sanicula mas nominatur, altera quæ cùm forma & facultate ad veram Saniculam, quæ mas dicitur, proximè accederet, Sanicula fœmina à Fuchſio, & aliis herbariis nominata eſt.

SANICVLA, Mas.



Cap. 260. giſſ.

Forma.

Sanicula mas folia fert vitis aut apij, rotunda, in quinq; partes diſſecta, altiore diuiſura, fimbriata, ex atro virentia, lęuia, numeroſa, ſingula è ſingulis pediculis purpuraſcentibus, ex radice prodeuntibus, ex qua & caules folia ſuperantes, glabri, teneri, graciles in quorum verticibus rotunda capitula, floribus albis referta, deinde ſemen hirſutum & aſperum: radix fibrata ellebori nigri modo, foris nigra, intus alba. ¶ Sanicula fœmina cauliculos emittit teneros, glabros, flexiles, in quibus folia quinquepartita, parùm crenata, geranij columbini aut ſaniculæ inciſura, aſpera, nigricantia, in quibus ſummis flores in vmbella congeſti, candidi, aut cærulei diluti: ſemen ſtriatum, oblongum: radix quamplurimis fibris longis, nigris conſtat, ex vno nexu appenſis, ellebori nigri radici planè ſimilis: Quare nonnulli, in quibus eſt Dodonæus, elleborum nigrum eſſe voluerunt. Cordus Aſtrantiam nigram appellat.

Lib. 3. c. 26.

Locus.

Aſtrantia nigra ē ſanicula fœmina fuchs.

Sanicula mas naſcitur in ſiluis vdis, & vmbroſis locis ſeptentrionalium regionum magis quàm calidiorum, copioſiſſima & notiſſima Anglis & Germanis, à quibuſdam etiam in hortis colitur. Sanicula fœmina vmbroſis quoque, montoſis, ſed celſioribus & Alpinis delectatur.

Pena in Adu.

Tempus.

Iunio & Iulio menſibus florent.

Temper. & Vires.

Sanicula mas adſtringit ſimul & amara eſt, vt hoc nomine calfactoriam & exſiccatoriam eſſe nulli dubium ſit. Statuunt autem calidam & ſiccam eſſe ordine ſecundo Dodonæus ſiccam ordine tertio, & adſtringentem eſſe ſcribit.

Ibid.

Saniculam vulneribus conferre mirificè experientia compertum

SANICVLA Fœmina, Fuchſ.



compertum eſt: quare Gallis, inquit Ruellius, in adagium venit vulgò iactatum, eos non egere chirurgo, qui Saniculam habuerint. Germani chirurgi ad interna vulnera, enterocelas & fiſtulas maximè vtuntur, eius puluerem vel decoctum potui exhibentes. Vis eſt eius eximia ad internorum excrementorum commotionem inhibendam, ſiſtendamq; ne in partes, imbecilliores corruant. Tumores enim reprimere decoctam herbam, aut impoſitam, aut eius ſuccum illitum tam in homine quàm in pecudibus conſtat: neque aliud præſentius eſt auxilium, cùm ad pulmones vel fauces vitium decumbit, foliis & radice in aqua melle addito coctis, & potui datis, malignis & putridis oris, gingiuarum, & faucium vlceribus collutione & gargarizatu medetur. Denique omnia, quæ ſymphytum, præſtat etiam Sanicula potiſsimùm verò ſanguinis ſputo dyſenteriæ, renúmque vitiis medetur decocta in aqua vel vino & pota. Li.2. c.147.

CORTVSA, CAP. XXXI.

MATTHIOLVS herbam quandam eximiis viribus inſignem celebrat, quam Cortuſam ab inuentore Cortuſo Patritio Patauino nominauit. Lobellius Veronenſium Caryophyllatum flore Saniculæ vrſinæ. Ca.17. li.4.

Forma. Prouenit hæc foliis ferè vitis, ſed minoribus, ſubrotundis, atque ſubaſperis, adſtringente quadamtenus ſapore, in longis pediculis. Caules edit tenues, rectos, foliis nullis veſtitos, qui in cacumine magno naturæ artificio flores gerunt extima parte purpureos, intima aureo fulgore ſplendentes, aureiſq; ſtaminibus intus refertos. Eſt etiam quæ violaceos, & quæ candidos flores ferat, ſed prima frequentior. Radicibus nititur numeroſis, tenuibus, prolixis.

CORTVSA, Matthioli.



Locus. Naſcitur vmbroſis locis, nunquã à Sole illuſtratis, cretaceo & albicante ſolo. Nuſquam ab inuentore Cortuſo viſa eſt præterquàm in agro Vincentino, in eo tantùm tractu, quem vulgò appellant *Valleſtagna*. Tota planta dum recens eſt gratiſsimum odorem ſpirat, mellis fauis ſimilem, ſed multò gratiorem, qui in ſicca euaneſcit.

Vires. Experientia compertum eſt valere hanc plantam ad mulcendos neruorum & articulorum dolores, à quacumque cauſa exortos. Nam ipſius floribus in amygdalino oleo recente ac roſaceo, quod completum vocant, pari pondere commixtis ac diu inſolatis, fit ad hoc

medicamentum præstantisimum, si egelidum illinatur. Nec dubium quin tota planta adstringere, ac roborare, & vulnera vlceráque sanare posit. Ea recentiores vtuntur pota ad thoracis vulnera interna. Eius succum admixta ærugine cuniculosis contumacibúsque vlceribus vtiliter iniiciunt: olfactu spiritus recreat, frigidum cerebrum roborat. Epota prodest cœliacis, dysentericis, fœminarúmque profluuiis, & cruenta expuentibus. Tam intus sumpta, quàm foris illita enterocelis auxilio est. Quæ omnia efficit temperamento excalfaciente & exsiccante, quod radices perspicuè indicant, vtpotè quæ gustu odoratæ adstringentésque sint. His nimirùm facultatibus attenuare, discutere & adstringere, atque roborare valet.

Temper.

CONSOLIDA SARRACENICA, CAP. XXXII.

Nomina VVLGAREM ac tritam Herbariorum nostri temporis appellationem secuti cùm nullum à veteribus huic impositum nomen esse videatur, Consolidam siue Solidaginem Sarracenicam nominamus. Consolidam quidem siue Solidaginem à coniungendis, siue claudendis vulnerum labris (Chirurgi barbari Consolidare dicunt.) Sarracenicam verò quòd Sarraceni & Turcæ quamuis barbari, opinionẽ magnæ peritiæ in medicamentis, præsertim vulnerariis, apud nos aliquãdo essent assecuti. Dicitur & Herba fortis, Gallicè *Consoulde*, & *Consolide Sarrazine*, Germanicè *Heidinsch-vundkraut*. Ex radice multis & crasioribus fibris capillata caulem erigit rectum, rotundum, rubescentem, cauum, trium aut quatuor cubitorum altitudine, circa quem folia longa, foliis salicis similia, aut amygdali, leuiter crenata: flores in summo pallidi, qui in auras euanescunt. In locis vdis & depresis, siluis vmbrosis & humentibus, & in

Forma.

Locus.

SOLIDAGO Sarracenica, Fuchsij.



SOLIDAGO Sarracenica Lobelij.



montosis

montosis vliginosis fruticat. Siccat tertio propè gradu. Gustu amara est & adstringens. Potui datur cæterarum Consolidarum modo: tam internis vulneribus & vlceribus medetur, quàm externis, imposita cum vnguentis, oleis, emplastris. Decoctum eius in aqua hepati dissoluto tonum reddit, idipsum & vesicam fellis obstructione liberat. Quare ad icterum febrésque diuturtas vtile, & ad incipientem hydropem. Eiusdem decoctum gingiuarum, gutturis, & oris vlcera & fœtorem sanat. Aliud genus Sarracenicæ Solidaginis ponit Tragus, quod nascitur in asperis & lapidosis agrorum limitibus, radice, caule, & foliis quæ habet, cinerea Balsaminæ acutæ, idest, mēthastro per omnia simile. Floret Iulio & Augusto mensibus. Flosculi lutei è rotundis vasculis erumpunt. Mirificè sanandis vulneribus, si decocto herbæ colluātur, prodest. Est etiā Consolida Sarracenica maior ab Herbariis dicta, quę in locis vdis & vmbrosis prouenit, radice valde fibrata: caule bicubitali, terete: foliis per interualla singilatim è caule prodeuntibus, latis, crassis, per ambitū crenatis, venosis, in acutum desinētibus: flore senecioni ferè simili, luteo, in pappos abeunte, saporis amari & adstringentis. Consolidam aliam auream nemorum protulit Pena ex Aureliæ Gallicæ siluosis densissimis, quæ folia habet betæ nigræ aut Limonij, ex atro virentia, carnosa, aliquantùm hirsuta, crassa, venosa, herbæ Aureæ


Temper. & Vires.

Li.1.ca.164.

CONSOLIDA Sarracenica, tertia Tragi.



CONSOLIDA Sarracenica, maior.



CONSOLIDA Aurea nemorum, Penæ.



Narbonen

Narbonensium similia, cauliculos amplectentia binos aut ternos, in quorũ summitate flores sunt radiati, Calendulæ similes & concolores, scitè pectinatim consertis & commissis foliolis antequàm dehiscant, eleganti spectaculo. Radix multis capillamentis sparsa per summum cespitem Bellidis modo, saporis Cõsolidæ mediæ tantillum acrimoniæ prodentis, aut herbæ Aureæ, cuius etiã vires, & aromaticum quid æmulatur. Conuenit, inquit Lobellius, cum Alismate Matthioli, & Chrysanthemo latifolio Dodonæi. In Frisia secus Zutphon & Hackfort frequentissima. De Consolidis aliis diximus, in libro de Palustribus.

VIRGA AVREA, *CAP. XXXIII.*

Nomina EST & hoc nomen recentiorum Herbariorum inuentum, veluti fortassè & herba ipsa, apud vulnerarios tantoperè celebris, Gallicè *Verge d'or.* *Forma.* Initio folia per terram spargit, longa, latiuscula, persicæ foliis latiora, tenuia, tantillum crenata, costi hortẽsis modo, multò angustiora, inter quæ prodit caulis tenuis, gracilis, leuiter rubescens, cubitalis & sesquicubitalis, foliis similibus vestitus, sed minoribus, qui circa summum in multos ramulos finditur, confertim floribus luteis siue aureis ornatos, tandem in auras euanescentibus, Consolidæ Sarracenicæ modo: radice fusca, fibrata. *Locus.* Nemorosis & saltuosis opacis Germaniæ, Galliæ, Angliæ copiosissimè prouenit. *Tempus.* Augusto mense floret. *Vires & Temper.* Vis eius adstringendo efficax, sed siccando multò efficacior. Chirurgi iis fœliciter exhibent, quibus intrò inflicta sunt vulnera, & ad fistulas. Est enim glutinandis vulneribus, & vlceribus tam externis quàm internis, atque sanguini sistendo efficacissima. Arnaldus hanc summoperè laudauit ad vrinam ciendam & ad calculos exterendos. Pota alui fluxiones cohibet, & clysteribus infusa. Eius decocto sanantur oris vlcera, firmanturq; dentes. Item gargarizata anginam & columellæ inflammationem arcet, & fauciũ morbis medetur. Verbasci genus quidam

VIRGA Aurea, Matth.



VIRGA Aurea, Dodon.



esse

HERBA Aureæ, Penæ & Lobellij.



DOREA, Siue herba Aurea Narbonensium, Penæ.



VIRGA Aurea altera, Lobel.



esse volunt. Aliis est Leucophragis Plinij, & Herba scripta Anguillaræ, à conspersis quibusdam notulis locis, nonnullis potissimùm conspicuis. Huic attexenda Herba Aurea Narbonensium, vulgò *l'Herbe doree*, foliis Limonij aut Lapathi, flore luteo tripolij. Radix ei parua pro plantæ magnitudine, radici ellebori albi par, capillamentis & fibris, & toto habitu similis: caulis rectus, procerus, circa quem, vt & à radice, numerosa exeunt folia, longa, crassa, rigida in imo angusta, in medio palmæ latitudinem æquantia, intensæ viriditatis, extantibus in eis transuersis & purpurascentibus neruis: flores sunt in summo caule in ramulos diuiso senetionis aut tripolij marini in pappos abeuntes. Sapor, odor radici & foliis aromaticus & medicatus, Angelicæ siluestris, & nonnihil nitroso gustu minimè acri. Plurimũ hac vtuntur vulnerarij, & eam plurimi faciunt Medici quidam. Quæ coniectura cæteris congruentibus notis, magis persuadet esse Theophrasti Chironium, Lapatho simile, aut certè vnum eorum quæ ad Theophrastum Plinius retulit, vt Pharnaceum. Galloprouinciæ & Narbonæ amnibus non admodùm rapidis, & iisdem natalibus quibus Limoniũ gaudet: vnde in hortis Belgij & Angliæ trãslata fuit. Hæc Pena. Priori Virgæ aureæ similis est Virga aurea altera Lobellij serrato foliolo, & tantoperè illi effigie totoq; habitu conuenit, vt neutram ab altera discernere queas, nisi magnitudine

& foliorum

& foliorum diuisura: assurgit enim procerioribus duplò caulibus, maioribus, magis serratis foliis. Belgis hortensis est, Italoq; semine orta putatur.


HERBA TRINITATIS, CAP. XXXIIII.

Nomina GRAECIS & Mauritanis incognita videtur fuisse hæc quæ hodie ab Herbariis Hepatica, quòd hepaticos iuuet, & Herba trinitatis à foliorum figura nominata est, & Hepaticũ Trifolium, Gallis *Hepatique*. *Forma.* Folia fert ampla, in tria diuisa, trifolij acetosi foliis haud absimilia, sed maiora, longis pediculis appensa, auersa parte Cyclamini modo subpurpurea, aduersa albis quibusdam maculis respersa. Cauliculos emittit tenues, in singulorum verticibus primo statim vere flos emicat cæruleus, è quo capitulum exoritur echinata specie, in quo semen oblongum, subcæruleo colore. Radicibus nititur numerosis, tenuibus, nigris vel subrubentibus. *Locus.* Locis prouenit vliginosis, & inter fruteta: gaudet enim opacis. Probatur maximè à recentioribus medicis ad vulnera glutinanda tam foris illita, quàm intus sumpta: item ad enterocelas, in quem vsum puluerem dimidij cochlearis mensura ex vino austero propinant. Tota planta decoquitur in vino eodem ad columellæ fauciumq; inflammationes. Refrigerat enim

HERBA Trinitatis, Matthioli.



HEPATICA Polyanthes, Lobellij.



siccat & roborat. Quare aduersus intemperies calidas, & inflammationes hepatis & febrium calores perutilis. Huius flores colore variant, aliàs cærulei purpurei & quandoque niuei. Nonnunquam etiam folia maiora maculis notulísve variegata spectantur. Alia Hepatica Polyanthes cognominata à Lobellio exhibetur, floribus in purpureo cæruleis multiplicibus stipata peregrina elegantia. Alioqui folia, radix superiori haud absimilia. Hæc Lobellius.

GERA

GERANIVM, CAP. XXXV.

ΓΕΡΑ'ΝΙΟΝ Græcis, Latinis ſimiliter Geranium, Gruina & Gruinalis *Nomina*
aptiſsima ſimilitudine nominatur, quòd in eius vertice faſtigia conſur-
gant nutantia capitulis Gruum cum roſtellis ſimilia, in quibus ſemen
occluditur. Diuerſæ ſpecies diuerſa ſortitæ ſunt nomina. Dioſcorides duo dunta- Li.3. ca.114.

GERANIVM I. Matth.



GERANIVM I. quorundam, Dalechampij.



xat tradit Geranij genera: ſed cùm multis Euro- *Genera.*
pæ regionibus tres quatuórve aliæ differentiæ,
Dioſcoridi, & fortaſsè priſcis aliis ignotæ co-
pioſè proueniant: quibus ob roſtrata ſemina
roſtrati capitis gruini referentia effigiem, her-
barij meritò geranij nomẽ indiderint, de om-
nibus hîc dicemus. Ac primùm de iis duobus
quæ à Dioſcoride prodita ſunt, non vt reliqua
paſsim obuia. Primum, inquit, folium habet Geran. I. Dioſcor.
anemonæ ſimile, fiſſum, longius, radicem ſub-
rotundam (alia exemplaria & Oribaſius habẽt *Forma.*
στρογγύλην, id eſt, rotundam) dulcem, quæ editur.
Hoc Geranium Ruellius eſſe putat, quod Acus Li.3. ca.62.
paſtoris, Acus muſcata, Roſtrum ciconiæ, &
Roſtrum gruis hodiè Officinis & Herbariis di-
citur, Gallicè *Bec de cicogne*, & *Bec de grue*, Germa-
nicè *Storkenſchnabelc* In eadẽ ſunt ſentẽtia Fuchſ. Ca.76. hiſt.
Dodon. Sed cùm huic radix mali modo rotun- Lib.1. ca.31.
da non ſit aut ſubrotunda, nec folia anemones,
alij aliud atque aliud exhibent. Matthiolus In cap.114. lib.3.
quidem vbique Ruellij ſententiam inſectatur,
ſcribitq; primum Dioſcoridis Geranium in
Ananiæ vallis agro & paſsim ferè prouenire,
foliis anemones modo laciniatis, floribus in
purpura albicantibus, è quibus gruum capitu-
la prodeunt, radice alba, ferè rotunda ac dulci.
Verumtamen prima Latinorum commenta-
riorum editione, Geranij primi pictura nullũ
aliud exprimere videtur, quàm Acum paſtoris,
ſiue Muſcatam, Ruellij, Fuchſij, Dodonæi Ge-
ranium primum. Poſtremis verò editionibus
poſita nihilominus ſuperiore Geranij primi
deſcriptione, aliquantò pòſt longè aliud Gera-
nium deſcribit ac depingit his verbis. Primum
Dioſcoridis Geranium folia gerit anemones,
longioribus tamen diuiſuris, in vnoquoque
folio ſenis. Caulem mittit ab ipſa radice rectũ,
tenuem, geniculatum: flores è geniculis in cau-
le prodeunt punicei vnà cum foliis, roſarum
ferè figura, ſed longè minores, qui quinque tan-
tùm foliis conſtant, è quibus roſtella oriuntur,
inferna parte lunata. Radice rotunda nititur,
nuce pontica maiore, ſubnigricante, & dulci ſa-
pore prædita. Naſcitur incultis locis. Copio-
ſum in Dalmatia prouenit. Cui delineationi

GERANIVM II. Diosc. III. Matth. Pes Columbinus.

hec figura est eadem cum Herba Robert. pag. 1279.



Pena in Aduerſ.

GERANIVM Tuberoſum, Dodon.



Geran. II. Dioſc. Ibidem. Pet. Pen. in Ad.

Ca. 114. li. 3.

pictura quam apponit, prorſus reſpondet. Alij id pro Geranio primo Dioſcoridis habẽt quod in maritimis, circa Tolonem & Antipolim Galloprouinciæ oppida naſcitur, radice rotunda, pruni aut exigui mali magnitudine, intus candida, cortice craſſo veſtita, è nigro rufeſcente, plurimis villis & tenuiſsimis capillata, ex radicis capite prodeuntibus, longiuſculis, rufis: foliis aquilegiæ, minoribus, longo & gracili pediculo nixis: caule dodrantali, foliolis tribus media parte cincto, cætera nudo: flore puniceo, elegantiſsimo, foliolis multis radiato, apicibus intus nigricantibus. Pena bulboſum & paruum Geranium primum Dioſcor. deſcribit radice pallida, ſubliuida, rotunda, ſapore inſipido, inſulſo & veſco: foliis in longis petiolis ab vno centro quinquepartitis, diuiſura Geranij Robertiani: floribus non ita intenſe purpureis: roſtellis multis, Oeniponti à ſe viſum, rarum in Gallia & Italia. Geranium primum radice tuberoſa aliter depinxit Dodonæus, & vt opinor, fideliùs quàm Matthiolus. Folia huius vti ranunculi, in multas finduntur lacinias: ad anemones folia accedunt, maiora tamen, & profundioribus inciſuris diſſecta: cauliculi tenues, ramoſi, in quibus flores quinq; foliorum, exiguas roſas mentientes, diluti ruboris, oblongum, tenuem, acuminatumq; inſtar roſtri gruis fructum poſt ſe relinquentes, vnde nomen: radix craſſa, rotunda, & tuberoſa non abſque fibris nonnullis. Geranium alterum Dioſcoridis cauliculos habet tenues, lanuginoſos duorum palmorum altitudine, folia maluæ ſimilia, & in ſummis alis eminentias quaſdam rurſum ſpectantes, veluti gruum capita vnà cum roſtris, aut dentes caninos. Geranium iſtud ſecũdum Dioſcoridis, Fuchſij, Dodonæi & aliorum ſentẽtia, ideſt quod Geraniũ columbinũ, & Pedem columbinũ vulgus vocat, Galli *Pied de pigeon*. Germani *Tanberfuſz*. Nam caules tenues, rubentes, à radice ſtatim lanuginoſoſq; obtinet, folia maluæ minoris, candidiora, vel ſaniculæ, circinata, ſenis octonis've inciſuris laciniata, flaccida: floſculos ſubpurpureos, capitella gruini capitis modo roſtrata, radicem tenuem & oblongam. Matthiolus non dubitat Geranium ſecũdum Dioſcoridis eam eſſe herbam, quæ Pes columbinus vocatur, quod nullis prorſus reclamantibus notis hæc illi reſpondeat: eamq; pro ſecundo Geranio, prima commentariorum editione depinxit. Idem in poſtremis editionibus initio confirmat, deinde hæc ſubiungit. Aliam ab his (primo ſcilicet Geranio

& Pede

GERANIVM Aliud, secundum, Matth.



GERANIVM Tertium Plinij, Acus muscata.



& Pede columbino.)Geranij plantam vidimus in multis hortis ac viridariis ſatam, foliis rotundis, ſecundi Geranij modo per ambitum laciniatis, maluam magnitudine æquantibus, fructu gruinis capitulis ſimili. Hanc herbariorum nonnulli Momordicam nuncupāt quemadmodum & balſaminam: alij eodem nomine vocant, eámque cæteris præferunt in potionibus ad interna vulnera glutinanda. Hæc mea quidem ſententia, inquit, magis reſpondet alteri Dioſcoridis Geranio, vt quæ foliis ad maluam propiùs accedat. Quare & hanc magis eandem eſſe cum illo putauerim. Verumtamen haud eam inficias quin Pes columbinus idem ſit geranium:ſed id quis rectiùs fortè geranium minus dixerit. Paulò pòſt geranium illud ſecundum aliud à Pede columbino ita deſcribit. Secundum foliis eſt maluæ minoribus, ped culis tenuibus, longis & ſubrubentibus appenſis:caulibus gracilibus, flexilibus, rotundis:floribus puniceis, ex quibus acuminati apices oriuntur gruinis capitibus ſimiles. Radicem habet tenuem, palmarem & fibroſam. Naſcitur ſecus itinera, locis incultis, ac etiam in hortis. Idq́; ſecundi geranij nomine appinxit, quod prima eorumdem commētariorum editione pro tertio poſuerat. Duobus Græcorum geraniis Plinius tertium Latinorum geranium videtur addere, his verbis. Geranium aliqui Myrrhin, alij Myrrhica appellant, ſimil s eſt cicutæ, foliis minutioribus & caule breuiore, rotundo, ſaporis & odoris iucundi. Noſtri ſic eam tradunt. Græci foliis candidioribus paulò quàm maluæ, caulibus tenuibus, piloſis, ramoſam ex interuallis, binûm cubitorum, & in his folia, inter quę in cacuminibus folia ſunt gruū. Alterum genus foliis anemones, diuiſuris longioribus, radice mali modo rotunda, dulci. Geranium Latinorū etſi myrrhis, Plinio auctore, à quibuſdam nominetur, tamen à Dioſcoridis myrrhide differt, cuius hiſtoriam Plinius etiam alio loco tradidit. Sed Matthiolus cum quibuſdam aliis rectè cēſet eſſe, id quod à Fuchſio & Dodonæo pro primo Dioſcoridis geranio poſitum fuiſſe diximus, & roſtrum ciconiæ, Acū paſtoris & Muſcatam appellatum, Gallis *Bec de cigogne*. Folia etenim fert myrrhidis aut cicutæ, minoribus tamen diuiſuris, humi iacentia, quæ ſeneſcentia rubeſcunt: cauliculos multos, breues, rotundos, graciles, teneros, ſubpurpureos, hirſutos, præſertim cum adulti ſunt: floſculos in ſummo venuſtos, purpureos, ſtellæ figura, deinde capitula gruum aut ciconiarum

Li.26.ca 11. Geran.3. Plin.j.

Li.24 c.16.

Forma.

HERBA Roberti. Geranij IIII. genus, Matth.

Hec figura s. est cum Geranio II Diosc. pag. 1276.



Ca.114.li.3. Gera. IIII. Herba Roberti.

Forma. Fuchſ.cap. 76. Hiſtor. Pet.Pen.in Aduerſ.

GRVINALIS, Dodon.



Geran.V. Gruinalis.

Forma.

Gera. VI. Hæmatod. *Forma.*

terna quaternáve ſimul cum roſtellis, longitudine acus: vnde Acus paſtoris nomen, & muſcatæ ab odore iucundo, vt ait Plinius, cicutariæ veræ aut myrrhydis: radix eſt digitum longa, rotunda, candida, dulcis. Id pro tertio Geranio pinxit Matthiolus in poſtremis commentar. editionibus. Huius Geranij ſpecies, eodẽ Matthiolo auctore, eſt herba geraniis etiam adnumerata, quæ à caulium, foliorum & florum rubro colore primùm Ruberta dicta eſt, deinde Herba Roberti, Herba Robertiana, & Geraniũ Robertianũ haud dubiè à ſuperſtitione aliqua Diui, qua ſuperior ætas mirificè imbuta fuit, Gallicè *l'Herbe Robert*, Germanicè *Ruprechtskraut*. Cauliculos ſpargit multos, graciles, hirſutos, purpuraſcentes, vel phœniceos, geniculatos: folia chærephylli vulgaris aut coriandri, ſiue pentaphylli, aut artemiſiæ diuiſura, ſed profundiore, ſubhirſuta: flores multi in ſummo quinque foliolis conſtant, purpurei, circinati, qui defluentes roſtratos mucrones aut acus ex latiore baſi in rectum deſinentes relinquunt, in quibus veluti ſiliquis paruis ſubhirſutis & ſubaſperis puſillum ſemen includitur. Radix ex flauo viret. Hanc Matthiolus poſtremis commentar. editionibus quinti Geranij, Fuchſius & Dodonæus tertij nomine depinxerunt. Robertianæ ſpecies eſt quæ gruinalis & geranium gruinale à Dodonæo nominatur. Germanicè *Kramchhalſz*, cauliculis hirſutis, rubentibus: floribus purpureis, capitellis gruini capitis inſtar roſtratis, ſuperiori ſimilis. Floribus maioribus duntaxat differt, & foliorum altioribus inciſuris. Radix eius eſt intus candida, foris ſublutea. Fuchſio & Dodonæo quartum eſt geranij genus. Tertia item Robertiana cauliculis multis, teneris, nonnihil hirſutis, foliis altiùs inſectis, floribus purpureis, capitellis gruini capitis formam referentibus, ſecundæ Robertianæ ſimillima eſt, præterquàm quòd huius tertiæ caules proceriores ſunt & longiores, folia maiora, flores item maiores, roſeo colore & ambitu: radix ſanguineo intus & foris colore, à quo geranium hæmatodes à quibuſdam, & à Germanis *Blutuurtz*: radix ſanguinea, aut à mirifica eius in ſiſtendo ſanguinis profluuio facultate. Periti quidam herbarij hanc tertiam cenſent eſſe Dioſcoridis Achilleam ſideritim, tum quia deſcriptioni quadret, tum quia præſtet planè ea quæ Dioſcorides eidem reddidit. Anguillara Panax Heracleum. Dodonæus quintum, Fuchſius ſextum geranij genus faciunt. Aliud geranij genus quintum Fuchſij, ſextum Dodonæi, quartum Matthioli in poſtremis commentar. editionibus, Batrachoides & magnum à foliorum figura & magni

Li.4. ca.32.

Gera.VII. Batrach.


GERANIVM *Hæmatodes.*



GERVNIVM *Batrachoides.*



GERANIVM *Fuscum, Lobellij.*



& magnitudine,cæruleum à florum colore dicitur,à Germanis *Gottes gnad*, idest,gratia Dei, ab insigni in sanandis vulneribus effectu. Caules similiter habet longos, rubentes, hirsutos, ramosos,aculeatos,qui copiosi à radice propagantur,& variè inclinantur atque huc & illuc procumbunt: folia cæteris maiora, rotunda, fissa,peramplis,multisq; diuisuris, ex pediculis glabris, pluribus ab vno caulium internodio ortis: flores cæruleos vel violaceos, qui cùm deciderint gruina, vt in cæteris, prodeunt capitula cum rostellis crassioribus quàm superiorum, in summitate triplici apice coronæ instar fissis, nonnihil inflexis, cùm iam præ ætate marcidi deorsum nutant flores:radicem cæteris crassiorem,longiorem, robustioremq;: multis radiculis fibratam, colore rufescente, lignosa intus materie. Lobellius tradit alterum esse Geranium Batrachoidi cognatum, quod prolixiore serpit radice, flexibus variis in obliquum & cespite summo sparsa, rufescente,subtus fibrata,geniculata & odorata, digiti parui crassitudine. Folia Saniculæ rotundiora,aut Geranij Batrachoidis,albida,nonnihil incana, pediculi & flosculi purpurei violacei,alterius minores. Angliæ & Belgij hortis inquilina. Huic Geranio longiùs radicato & Saniculæ figura, simile est geraniũ fuscũ ab eodẽ Lobellio descriptũ his ferè verbis.Folia illi quã Geranio supradicto maiora, maculis fuscis pullisve nigricãtia. Ineunte æstate pereleganti flore liuido purpurascente, medio

GERANIVM *Batrachoides alterum longius radicatum, Lob.*



GERANIVM IIII. *Matthioli.*



GERANIVM VI. *Matthioli.*



candicante,reflexo,cauliculis pedalibus, multis,exilibus, alis donatis fruticat, & propagines fundit è radice oblonga. In hortis Belgij viget. Hæc Lobellius. Matthiolus in postremis commentar.editionibus sextum idq; nouum geranij genus cæteris addidisse sese putat,foliis altheæ proximis. Sed cùm in eodem commentario plantam hanc in hortis sibi visam, & herbariis quibusdam momordicam nuncupatam dixisset, & pro secundo Geranio Dioscoridis pinxisset, ad eiusdem commentarij finem tanquam rerum incertus vel oblitus, eandem,quasi alterius generis planta foret, vt Calzolarij donũ, pro sexto Geranio describit & appingit. Folia illi althææ proxima, caules multi,lęti,hirsuti,geniculati:flores parui,rubẽtes balaustij seu cytini figura, è quibus gruina prodeunt capita,rostro vt in cęteris acuminato. Radix sesquidodrãtalis,digiti craßitudine, quæ humo tenus rubescit. Hæc Matthiolus. Geraniũ hoc vocant Pena & Lobellius μαλαχοειδές. Geranium columbinum cultis & incultis paßim inodorum prouenit. Acus pastoris siue moscata in ruderibus,circa sepes, secus itinera, saxoso & extenuato solo. Geranium Robertianum in vmbrosis locis & dumetis, in ruderibus parietinis,& suggrundiis tectorum,deniq; in segetibus & aruis. Secunda Robertiana in agrorum limitibus & iuxta sepes. Tertia,locis montosis & saxosis. Batrachoides in pratis

in pratis. Acus paſtoris inter initia veris Aprili menſe floret. Pes columbinus, Robertiana prima, & ſecunda Maio menſe florent. Geranium hæmatodes & Batrachoides Iunio & Iulio menſibus. *Tempus.* Geranij primi radix, auctore Dioſcoride, pota in vino, vteri inflationes diſſoluit. *Lib.3.c.114.* Eadem radix, tradente Plinio, reficientibus ſe ab imbecillitate vtiliſſima. Bibitur contra phthiſim drachma in vino cyathis tribus *Vires.* bis die. Item contra inflationes, quæ & cruda idem præſtat. Succus radicis auribus *Lib.26.c.11.* medetur. Opiſthotonicis ſemẽ, drachmis quatuor, cum pipere & myrrha potum. Rurſus, Radix è geranio peculiariter ſecundis, inflationibúſque vuluarum conueniens. *Ibid.cap.15* Geranium ſecundum inutile eſſe ſcribit Dioſcorides. Galenus vtrumque omiſit. Paulus verò Dioſcoridem ſecutus eadem planè de vtroque tradidit. Sed ſi *Fuch.c.76.* ſecundum Dioſcoridis geranium ſit pes columbinus, poſterior ætas quotidiana experientia in ſanandis vulneribus ac fiſtulis eius ac reliquorum etiam mirum eſſe effectum comperit. Quare eas herbas his ipſis in potu mirificè conferre tradunt. Antiquus quoque herbarius prędictorum geraniorum folia, magnam vim obtinere in glutinandis vulneribus, & articulorum doloribus leniendis tradit. Peculiari- *Pena in Ad.* ter pedem columbinum balneis perutilem aſſerunt practici: ad ventris tormina vtiliſſimum eſſe certum eſt. Acus moſchatæ radicem mouendi vrinam facultatem habere ait herbarius ille: ideóque calculoſis, ſtranguria & difficultate vrinæ laborantibus prodeſſe. Robertiana vulneribus perefficax, quod docet ſapor adſtringẽs, non ingarti odoris, ad mamillarum, pudendorúmq; vlcera ſananda mirificè conducit. Nullum ad ſanguinem vndecumque emanantem compeſcendum præſtantius Geranij genus, quàm tertia Robertiana, ob id ſanguinaria radix dicta. Geraniũ batrachoides dictũ adeò vulneribus efficax eſt, vt inde Gratię Dei nomẽ inuenerit.

STELLARIA, CAP. XXXVI.

HÆc vulgò ab herbariis Leonto podium, id eſt, Pes leonis, & Planta leonis, à foliis inſtar leonini pedis latis, & rotundis, nominatur: minimè verò eſt Dioſcoridis Leontopodiũ, id quod ex deſcriptione conſtat. *Nomina* Dicitur & Alchymilla, quòd Alchymiſtarum præconiis celebrata ſit, Droſiũ à Cordo, & à Germanis chirurgis Sanicula maior, quod ſit illi, tum facie, tum viribus admodùm affinis. Stellaria etiam à foliorum expanſorum & florum figura, Gallicè *Pied de Lion*, Germanicè *Synauu, Louentapen, & groſz Sanikel.*

STELLARIA.



Folia huic ex pediculis hirſutis qui ſtatim à radice exeunt rotunda, lata, ſenis pluribúſve angulis quaſi plicis diſtincta, ſerrata, antequam erumpant vnà farcta, & conuoluta, diapenſiæ haud abſimilia, ſed multò minus altè inciſa, ſeu maluæ, virentia, polita, duriora, inter quæ cauliculi exeunt, hirſuti, ſeſquipalmum & pedem alti, albi, rotundi, in quorum verticibus floſculi ſtellati, ex herbido lutei racematim cõgeruntur: in ſiliquulis herbidis ſemen luteum, exile, portulacæ vel papaueris, radix eſt craſſa, digitum longa, foris nigra, fibrata vmbroſa, *Forma.* montoſa, & rigua editiora, vt prata amat. *Locus.* Maio menſe erumpit, Iunij initio floret: *Tempus.* folia & radix adſtrictione vehementi participant, atque adeò *Temper.* exſiccant, minùs calida quàm ſanicula, quare vulneribus, ſi inflammationis ſuſpitio deſit, ad- *Vires.*

modum opportuna, non solùm externis, sed etiam interioribus, atq; etiam sinuosis vlceribus. Eam ob causam Germani Chirurgi miris eam laudibus celebrant, & potionibus vulnerariis admiscent, decocto eius omnia vulnera lauant, linteum quoque in eo madefactum imponunt. Mulierum mammas impensè laxas linteum decocto eius intinctum & impositum duras solidasq; efficit, præsertim hypocistide, equiseto, alumine, & rosis siccis admixtis. Aridæ puluis in suo ipsius decocto aut stillatitia aqua sumptus, ramices intestinorum in pueris potissimùm sanat, tãta eius in glutinando vis est. Datur idem puluis ex vino, aut iure, cochlearis mẽsura, quindecim aut viginti diebus iis quibus adempta sit concipiendi facultas, à nimia vteri humiditate, ob quam iniectum semen contineri non potest. Stillatitia aqua pota, tum in vuluam iniecta, alba mulierũ profluuia mirificè sistit, adeò vt eius quoq; diutina iniectione corrupta ab incorrupta vix dignosci possit constrictis valde locis, quod tum citiùs, tum efficaciùs præstatur, si decocto eius fœminæ insideant.

BETONICA, CAP. XXXVII.

Nomina Κέστρον Græcè, Betonica, Vetonica & serratula Latinè: Officinæ Betonicæ nomen retinuerunt. Dicitur etiam ψυχότροφον, quoniam frigidis in locis reperiatur. κέστρον autem à floris spicata & mucronata acutie
Li.35.ca.11. veruculum, seu, vt apud Plinium in vulgatis exẽplaribus legitur, viriculum præterente, sic enim ille cestrum interpretatur. Encausto, inquit, pingendi duo fuisse antiquitus genera, cera, & in ebore cestro, id est, viriculo. Et paulò superiùs dixerat. Penicillo pinxit, & cestro in ebore. Suidas quoque cestron dixit genus esse teli bello persico inuenti. Sophocles etiam cestron dixit pro stimulo siue stylo.
Betonica quasi Vetonica etymon
Lib.25.c.8. Betonica, eodem Plinio auctore, ab inuentoribus Vetonibus Hispaniæ populis, Arabicè *Chastara*, Gallicè *Betoine*, & *Betoesne*, Germanicè *Braunbetonik*. Galenus vno
Lib.7.sim. loco cestrum & Psychotrophon Romanis Betonicã dici scripsit. Alibi tamen ce-
Lib.5.de sanit. strum à Betonica distinguere videtur, & cestrum quod apud Gallos nascitur, sarxiphagum vocari ait. Verba eius hæc sunt. ἐπεμβάλλεται δὲ τῷ οἴνῳ πετροσέλινον. καὶ μόνον ἀρκεῖ τοῦτο τοῖς ἀρθριτικοῖς. ἐπὶ δὲ τῶν λιθιώντων, καὶ τῆς βετονίκης τὶ πρὸς μίγνυται, καὶ κέστρου τοῦ παρὰ τοῖς κέλτοις γεννωμένου. καλοῦσι δὲ τὴν βοτάνην ταύτην σαρξίφαγον. Id est, Coniicitur autem in vinum petroselinum, atque id solùm articularibus satisfaciat: iis verò qui calculo laborant, aliquid Betonicæ & cestri quod in Galliis nascitur. Vocant autem herbam eam sarxiphagon. Apud Aëtium quoque locus hîc trans-
Lib.4.c.30. scriptus ita legitur ἐπὶ δὲ τῶν λιθιώντων καὶ βετονίκη μίγνυται, καὶ κέστρου τὶ τῆς καλουμένης σαρξιφάγου. Ex quibus colligitur non solùm Latinorum Betonicam, sed etiam Gal-
Lib.7. lorum Sarxiphagõ, Cestron nominatum fuisse. Paulus perspicuè duplicem Betoni-
Genera. cam statuit: Vnam ramulis exilibus, pulegio similibus, sed tenuioribus, & propemodùm, si gustes, nullam qualitatem referentibus, nascentem potissimùm petrosis locis, qua in renum medicinis vtuntur. Alteram Romanorum betonicam, quam Dioscorides nominat cestrum, alij psychostrophum, eò quòd frigidis locis gau-
Lib.4.c.1. deat, quæ nihil simile cum prędicta habet, præter vires, & facultatem, &c. Hæc Be-
Forma. tonica, vt describit Dioscorides, herba est caulem ferens tenuem, cubiti altitudine aut etiam maiorem, quadrangularem: folia longa, mollia, quernis similia, per ambitum fissa, odorata, ad radicem maiora. In summis caulibus semen est, thymbræ modo spicatis. nam apud Dioscoridem ἐσταχυωμένων. sub. καυλῶν, legendum est, non ἐσταχυωμένον. sub. σπέρμα: radices subsunt tenues velut ellebori. De eadem sic breuiter
Lib.25.c.8. Plinius. Vetones in Hispania (inuenerunt) eam quæ Betonica dicitur in Gallia, in Italia autem serratula, à Gręcis Cestrum & psychotrophum, ante cunctas laudatissima. Exit anguloso caule, cubitorum duûm, à radice spargens folia, ferè lapathi,

BETONICA.



thi, serrata, semine in summis caulibus, spicatis, thymbrę modo flore purpureo: sic prorsus legendum. Hæc est omnium consensu Betonicæ illius omnibus notissimæ delineatio, frequētissimi hodiè in medicina, & maximè varij vsus foliis longiusculis & latiusculis, ex atro virentibus, serratis, odoratis, inter quæ caulis erigitur, quadrangulus, rectus, pedalis, & cubitalis, asper, in summo ferens breuem spicam, floribus odoratis confertam, elegantibus, purpureis, deinde semen longum, nigrum, angulosum, radix albicat, multas spargens fibras ellebori nigri modo. Nascitur in pratis, siluis, montosis, frigidis & opacis locis. Maio & Iunio mensibus floribus abundat. Calida & sicca est in primo ordine completo, aut in medio secundi, folia, vt tradit Dioscorides, carpuntur & siccantur plurimos ad vsus. Radices cum hydromelite potæ pituitosam vomitionem prouocant, folia dantur ruptis, conuulsis, vuluæ affectionibus, & eiusdem strangulationibus drachmæ vnius pōdere, cum hydromelite. Ternæ in vini sextariis duobus contra serpentium morsus ebibuntur. Herba ipsa illita venenatis morsibus prodest, aduersus etiam venena drachma in vino pota conuenit. Hanc si quis præsumpserit, letale haustum venenum nihil nocebit. Vrinam cit, aluum subducit, medetur comitialibus, & furiosis cum aqua pota. Iocinoris & lienis vitiis drachmæ pondere cum aceto mulso pota succurrit. Concoctionem adiuuat, si quis à cœna eam fabæ magnitudine cum melle cocto deuorauerit. Eodem modo & acida ructātibus propinatur, stomachicis eam manducare, & succum deuorare proderit, si posteà dilutum vinum sorbeatur. Datur sanguinem excreantibus trium obolorum pondere, cum diluti vini egelidi cyatho vno: ischiadicis, renum & vesicæ doloribus ex aqua: hydropicis autem binis drachmis, febrientibus cum hydromelite, nonfebrientibus cum mulso. Regio morbo laborantes recreat, menses ducit drachmæ pondere cum vino pota. Aluum purgant drachmæ quatuor cum hydromelitis cyathis decem potæ cum melle tabidis, purulentis auxiliatur: folia cùm inaruerint trita fictili vase recunduntur. Easdem vires, & quasdam alias eidem Plinius assignat, his verbis, folia siccantur in farinam plurimos ad vsus, fit vinum ex ea & acetum stomacho, & claritati oculorum, tantúmque gloriæ habet vt domus in qua sata sit, tuta existimetur à piaculis omnibus. Et aliquantò pòst. Morsibus imponitur Betonica præcipuè: cui vis tanta perhibetur, vt inclusæ circulo eius serpentes, ipsæ sese interimant flagellando. Datur & ad ictus semen eius denarij pondere, cum tribus cyathis vini: vel farina drachmis tribus cū sextario aquæ, farina & imponitur. Obolis tribus in aqua contra purulentas, contraq; cruētas excreationes facit, faciles pręstat vomitiones radix eius, ellebori modo, quatuor drachmis in passo aut mulso. Ischiadicos dolores & spinę leuat eiusdē farina ex aqua mulsa. Aluū soluit drachmis quatuor, in hydromelitis cyathis nouem. Paralysin sanare dicitur. Eadem torpentibus membris prodest. Ad lateris & pectoris dolores farina eius bibitur. Galenus vim habere incidendi scripsit, vt gustus indicat. Amariuscula enim est, & subacris herba, id quod ostendit particulatim edita eius actio. Nam consistentes in renibus calculos rumpit, pulmonem, pectus, & iecur expurgat, abstergítque: menses quoq; cier,

Locus. *Tempus.* *Temper.* Lib. 4. c. 1. *Vires.* Lib. 25. c. 8. Ibidem. Variis in locis. Lib. 7. sim.

ciet,& comitialibus prodeſt, tum rupta conuulſáque curat, & in omnibus beſtiarum morſibus vlceri illita auxiliatur, poſtremò acidum ructantibus & iſchiadicis pota auxilio eſt. Multò plures eáſque perexcellentes eius dotes celebrant alij herbarij, vt Apuleius. Scripſit & de iis proprium libellum Antonius Muſa clariſsimus Augusti Cæſaris medicus, in quo hæc de ea memoriæ prodidit. Herba Betonica naſcitur in pratis, & montibus mundis & opacis, circa frutices. Animas hominum & corpora cuſtodit, & nocturnas ambulationes à maleficiis, & periculis. Loca ſacra & buſta à viſis metuendis tuetur, & defendit: denique res omnino ſancta eſt. Ceſtron vocatur, & Pſychotrophon, ſiquidem frigidis reperitur in locis, radicibus tenuibus, thyrſo pariter tenui, cubiti altitudinem excedente, quadrangulo, folia profert quercus, odorata: ſemen in ſummitate thyrſi ſpicati thymbræ modo. Pollet vniuerſa planta dotibus ferè innumeris quandoquidem tuſa, capitíſque vulneribus illita, ea mira celeritate conglutinat. Præſtat id tamen efficaciùs, ſi tertio quoque die iterum atque iterum imponatur. Aiunt prætereà tam valentis eſſe facultatis, vt oſſa quoque fracta extrahat. Radicum ex aqua decoctum ad tertias, fotu, oculorum doloribus medetur, quod item præſtant contrita folia, & fronti ſuperimpoſita. Succus à foliis per ſe tritis expreſſus, aut priùs aqua maceratis, aurium dolores mulcet, ſi addito roſaceo in aures egelidus inſtilletur. Idem drachmæ pondere hauſtus in aquæ calidæ cyathis quatuor ſanguinem illum per inferna trahit, cuius redundantia caligines oculis offundit, quò fit vt etiam viſum acuant comeſa folia. Eadem cum ſalis momento contuſa, naribúſq; immiſſa ſanguinem inde fluentem ſiſtit. Betonicæ decoctum ex vetere vino, aut ex aceto dentium dolores finit, ſi eo os ſæpiùs colluatur. Herba ipſa ex tepēte aqua pota ſuſpirioſis & anheloſis maximè proficit, folia melle excepta tabidos iuuant, præſertim qui purulenta extuſſiunt. Eadem tribus diebus continuis deuorata drach. quatuor pondere, aut ex frigidæ aquæ cyathis quatuor ebibita ventriculi dolores mulcet, iocinoris verò, ſi ex calida hauriatur. Ex vino decocta lienis vitiis medetur. Sanat & renũ vitia ex mulſo bibita duarum drach. pondere: ex vino autẽ vetere trium drach. pondere, additis piperis granis ſeptem & viginti: ad lateris lumborúmque dolores vtiliſsimè bibitur. In duobus aquæ calidę cyathis ſumpta, alui & inteſtinorum tormina remouet, ſi tamen à crudis non fiant ſuccis, foliorum quatuor drachmis in aquæ mulſæ cyathis octo epotis, commodè citatur aluus, ſananturq; iis ex vino ſumptis coli inflammatione vexati. Betonica in eclegmate ex melle ſumpta nouã dieb9 tuſsim ſedat. Pota in aquæ calidæ cyathis quatuor duarum drachmarum pondere, addita plantaginis drachma, febres quotidianas expellit, quod tamen in acceſsionibus tantùm fieri debet. Idem præſtat etiam in tertianis, ſi cum pari pulegio aſſumatur. Sanat ipſo quoque ordine etiam quartanas in quatuor aquæ calidæ cyathis hauſta, quatuor drachmarum pondere: addita mellis vncia calculi franguntur. Betonica ex tepēte aqua fœliciter bibitur hydropicis. Pariendi celeritatem adfert, vteríque cruciatus à frigiditate conceptos mulcet, ſi ex calida aqua, aut mulſo duarum drachm. pondere propinetur. Contrita folia & illita præciſos glutinant neruos, & reſolutos iuuant. Eadẽ trium drachmarum pōdere ex caprillo lacte ſumpta tribus diebus, ſanguinem ore reiectum cohibent: pari vini veteris mẽſura, medentur ruptis, & ab alto deuolutis. Præſumpta, ebrietatem arcet. Ex vino frequenter hauſta ictericos ſanat: ſuillo adipi admiſta carbunculos curat. Pota ex aceto mulſo vnius drachmæ pondere viatoribus longo itinere defatigatis vires mirificè reficit: faſtidia abſtergit, & ſtomachicos recreat. Aduerſatur venenis, & ſerpentium, & venenoſorum, rabidorumq; quorumcumq; animalium morſibus, non modò intus ſumpta, ſed etiam extra emplaſtri modo impoſita. Cuniculoſa ſinuoſáque ſanat vlcera cum ſale indita. Ex vino hauſta menſes ciet. Potu dolores podagricos lenit, præſertim radicum decoctum

potum

potum, idemq; præstant cõtrita folia impoſita. Hæc Anton. Muſa. In hac herba id obſeruandum, radicum facultates longè diſpares à foliorum & florum viribus, vt potè quæ multùm ſtomacho oríque ingratæ, nauſeam, rugitus, vomitumq; cieant, folia contrà odora, aromatica, & grato ſapore nonnihil roborante, cibo & medicamento naturæ amica.

BISTORTA, CAP. *XXXVIII.*

HERBARII & Officinæ Biſtortam appellant & Serpentariam, Galli *Biſtorte*, Germani *Natteruurtz*. Biſtortam quidem, quòd radice ſit ſerpentis iacentis modo in ſe cõtracta & intorta: ſerpentariã verò, quòd vbi primùm è terra erumpit, linguæ ſerpentis tenui pelle veſtitæ formam obtinet. Sed diligenter cauendum ne hæc ſerpentaria cum Græcorum δρακοντίῳ, Latinorum Dracunculo ſiue ſerpentaria confundatur, quòd hæc ab illa forma & viribus plurimùm diſcrepet. Quo verò peculiari nomine à veteribus Græcis medicis & latinis appellata ſit Biſtorta, inter herbarios nondùm conſtat. Quidam *Nomina.*

BISTORTA, Matth.



BISTORTA, Maior.



Britanicã Dioſcoridis ex foliorum ſimilitudine & viribus iiſdem eſſe contendunt. *Lib.4.c.2.* Quod ſi qui μελάντερα καὶ δασύτερα folia obiiciant, aiunt illi, μελάντερα ſaturatiore eſſe colore, & quaſi purpura nigricante, vt in viola martia, quam idem μέλαιναν vocat, folia aduerſa parte, idq; ſignificari: δασύτερα verò non hîc piloſiora intelligi oportere, ſed rigidiora, denſiora, & firmiora. Quod addunt radicem britanicæ λεπτὴν eſſe, reſpondent alij Dioſcoridem aut minoris Biſtortæ radicem intellexiſſe, quæ non admodùm craſſa eſt, aut locum hunc à quopiam rei ignaro temerè immutatum, qui cùm radicem breuem legiſſet, παχὴν in λεπτὴν mutauit: quia quæ ſunt breues radices, ſæpiùs ſint etiam tenues, breuem verò eſſe videre licet cum lapatho aut minoribus collatam. Duo ſunt herbariis & Officinis Biſtortæ genera forma non admodùm diuerſa. Vnum, Biſtorta maior, & ſerpentaria fœmina, quibuſdam Colubrina. Alterum Biſtorta minor, ſeu Biſtorta mas. Adiiciunt quidam Biſtortam minimam. Biſtortæ maiori folia ſunt longa, rumicis acuti ſimillima, aliquantò *Genera. Fuch. cap. 296. Forma.*

aliquantò minora, non tam læuia, ſed rigidiora & parùm rugata, ambitu paululùm
ſinuata, auerſa parte cæſia, aduerſa ex atro virẽtia: cauliculi teneri, glabri, tenues, pe-
dales aut cubitales, rotundi, in ſummo ſpicati cùm floribus purpureis, ſemine an-
guloſo, fuſco: radix longa, intorta, foris nigra & fibrata, intus rufeſcens, ſapore glan-
dis, nimirùm perquã auſtero, & adſtringẽte. Huic minor & minima planè ſimilis,
niſi quòd hiſce folia anguſtoria, læuiora, radix breuior, minórque, ac magis in ſeſe
conuoluta, & contorta, ſine vllis fibris, foris fuſca, intus ex atro rubeſcens, eodem
Locus. quo maior ſapore. Naſcuntur locis montoſis, vmbroſis & humidis. Florent menſe
Tempus. Maio & Iunio. Omnium radices mirificè adſtringunt, vt refrigerandi & exſiccãdi
Temper. facultate præditas eſſe nemini dubium ſit. Antiquus manuſcriptus herbarius frigi-
& Vires. das & ſiccas eſſe in tertio ordine cenſet. Quare vulnera glutinant, fœtum in vtero
Fuch. cap. 296. retinent, vomitum binoſum reprimunt, dyſenteriam ſanant. Efficaciſſima ad vlce-
Pet. Pen. in Adu. ra ſerpentia, & ad fungoſa polyporum in naribus & palato interiore flagella abſu-
menda aqua earum ſtillatitia, quæ etiam ad hepaticam ſanguineámque reſudatio-
nem plurimùm pollet epota.

CENTAVRIVM, CAP. XXXIX.

Nomina KENTAΎPION Græcè, Latinè ſimiliter Centaurium, Arabicè
Kanturion, in Officinis Centaurea nominatur. Dioſcorides, Galenus,
Genera. cæteriq; omnes priſci medici centaurij genera duo ſtatuerunt, effigie
& natura multùm diuerſa. κενταύριον τὸ μέγα, Centaurium magnum, ab
aliquibus dicitur, teſte Apuleio, Maronion, Neſſion, Pelethronia, Limnites, Heme-
roten, αἷμα ἡρακλέους, id eſt, ſanguis Herculis, Polybidion & Vnefira, Arabicè *Kantu-*
rion Kibir, ſiue *Sacurion habre*, in quibuſdam Officinis non ſine errore Raponticum.
Alterum κενταύριον τὸ μικρὸν, Latinè Centaurium paruum, Limneſion & Limnæum,
Lib. 25. c. 6. Libadion Plinio, febrifuga, fel terræ, multiradix, Arabibus *Kanturion ſege & ſegir*, ſeu
kanturion ſages, Officinis Centauria minor, Gallis *petite centauree*, *& fiel de terre*, Ger-
manis *klein Tanfendt*, Italis *Centaurea minore*, *Hetruſcis Biondella*, quòd detergere, & fla-
Lib. 25. c. 6. uos reddere ex lixiuio mulierũ capillos poſsit. Dictum eſt Cẽtaurium, teſte Plinio,
quòd eo Chiron Centaurus curatus ſit cùm Herculis excepti hoſpitio tractanti ar-
ma, ſagitta excidiſſet in pedem, quare aliqui Chironium vocant. Limneſiũ & Lim-
næum, quòd ſecundùm aquarum ſcatebras & paludes, quas Græci λίμνας vocant,
Lib. 3. c. 7. naſcatur, ſic enim Dioſcorides ſcribit. κενταύριον τὸ μικρὸν (additur in vetere codice
καὶ λεπτὸν) ὅτινες λιμναῖον καλοῦσιν, ἐπειδὴ ἐνίκμους φιλεῖ τόπους. Id eſt, Centaurium paruũ
& tenue, quod nõnulli Limnæum vocant, quoniam humida loca amat. Ruellius,
Lib. 25. c. 6. Centaurium limneſium aliqui vocauêre, &c. Quæ cùm Plinius conuertiſſe videa-
tur his verbis. Eſt alterum Cẽtaurium cognomine lepton minutis foliis, quod ali-
qui libadion vocant, quoniam ſecundũ fontes naſcitur, &c. pro limneſium & lim-
næum (quamquam hæc vox tolerabilior quàm Limneſium) libadion vox in Dio-
ſcoride reponenda videtur, quòd circa λιβάδας, id eſt, locos irriguos naſcatur. Fel
terræ propter ſummam quam habet amaritudinem: febrifuga, quòd febres pellatè
Ibid. corpore. Prætereà Plinius Exacon Gallis dici Centaurium minus ſcribit, quoniam
omnia mala medicamẽta potum è corpore exigat per aluum, quæ vox Exacon an
Cornar. Embl. 7. lib 3. rectè legatur dubitari poteſt, & an Gallica ſit, & non ſuppoſita ab aliquo ad Græ-
cam formã ab ἐξάγειν effìcta, his enim verbis ſententiam Dioſcoridis hanc expreſ-
ſiſſe videtur. ἀφεψηθεῖσα δὲ καὶ πινομένη ἄγει κατὰ κοιλίαν χολώδη καὶ παχέα. Id eſt, De-
Ibidem. cocta autem & pota, bilioſa ac craſſa per aluum ducit. His Plinius tertiam Centau-
Lib. 25. c 6. rij ſpeciem ſubiungit ex Theophraſto, quæ centauris & triorchis appellatur. Verba
Cap. 1. lib. 9 hiſt. & cap. 9. lib. eiuſdem. eius hæc ſunt. Tertia eſt Centauris cognomine triorchis, qui eam ſecat rarum eſt vt
non vulneret ſeſe. Hęc ſuccum ſanguineum mittit. Theophraſtus defendi eam im-
pugnariq;

pugnariq; colligẽtes tradit à triorche accipitrũ genere, à quo & nomẽ accepit. Imperiti cõfundunt hæc omnia, & primo generi aſsignãt. Sed Plin. ex ſuo, ipſius iudicio hanc tertiã ſpeciẽ excogitauit contra Græcorũ omnium ſentẽtiam, qui, vt diximus, maius & minus duntaxat Centauriũ, agnoſcũt. Et Theophra. de Cẽtauride nõ vt de tertia aliqua ſpecie ſcripſit, ſed ſimpliciter centauridẽ nominauit, non triorchen, ſic enim ait. φυλάττεσθαι δὲ καὶ τὴν κενταυρίδα τέμνοντα, τριόρχην, ὅπως ἄτρωτος ἀπέλθῃ. Quæ malè cõuertiſſe Gaza videtur his verbis, febrifugã quoq; ſecãtes accipitrẽ triteſtigerũ nuncupatũ cauere, vt ſine vulnere poſſint diſcedere. Videtur enim cẽtaurida Centaurium minus accepiſſe, quod febrifugam appellari diximus, cùm apertè Plinius hanc ab illo diſtinguat. Poſtremò Plinius alios reprehendens qui ſuccum ſanguineũ, & cætera primo generi aſsignãt, ipſemet errat. Primũ enim genus ſuccũ ſanguineum emittit, ſubrubente ſucco plena radice, vt Dioſcorides ſcribit. Herbarij recentiores centaurij minoris duo genera faciunt, quæ foliorum duntaxat inciſura differunt. Id quod ſerratis eſt foliis Dodonæus depinxit, quo vireta Belgica abundant. Præterea centaurij lutei duo alia genera.

Cor. Emb. 7. lib. 3.

Lib. 9. hiſt. cap. 9.

CENTAVRIVM, Maius.



Forma. Lib. 3 c. 6.

Centaurium magnum deſcribit Dioſcorides foliis iuglandis, oblongis, colore viridibus vt in braſſica, in ambitu ſerratis, caule ſeu lapathi, duorum aut etiam trium cubitorum, qui à radice multas propagines habet, in quibus capita ſunt papaueri ſimilia, in ambitu oblonga, flos eſt cæruleus, ſemen cnico ſimile, ceu laneis quibuſdam floribus inuolutum, radix craſſa, ſolida, grauis, bipedalis, ſucci plena, acris cum quadam adſtrictione ac dulcedine, ſubrubra. Codices quidam vetuſti habent, ὅμοιος δὲ καὶ ὁ χυλὸς ἐρυθρὸς, id eſt, ſimiliter autẽ & ſuccus rubet. Hanc Dioſcoridis deſcriptionẽ declarauit Plinius his verbis. Folia ſunt lata & oblõga, ſerrata in ambitu, denſa ab radice: caules ternûm cubitorum, geniculati. In his capita ceu papauerũ. Radix vaſta, rubeſcens, tenera, fragiliſq;, ad bina cubita, madida ſucco, amara cum quadam dulcedine (amaritudo, Cẽtaurij mino ris radici potiùs cõuenit,) eſt enim alterius radix ex Dioſc. δριμεῖα μετὰ ποσῆς στύψεως καὶ γλυκύτητος, id eſt, acris cum quadam adſtrictione & dulcedine.) Naſcitur in collibus pingui ſolo. Laudatiſsima in Arcadia, Elide, Meſſenia, Pholoë, & Lyceo, atq; in Alpibus, pluribúſque aliis locis. Dioſcorides ſcribit amare ſolum pingue & apricum, ac ſiluas & colles. Copioſiſsima eſt in Lycia & Peloponeſo, in Arcadia, Elide & Meſſenia, pluribuſq; locis circa pholoen, Lyciam & ſmyrnam. Herbarij multi diligẽter hodie colũt in hortis. Hoc Centaurium nihil aliud eſt quàm inſignis illa planta cuius vaſtam radicẽ patres noſtri rhaponticum eſſe crediderunt. Floret Maio & Iunio menſibus, Iulio ſemen profert. Alterum Centaurij maioris genus Cluſius oſtendit, quod folia habet oblonga. Armoraciæ ſimilia, & ad Glaſti foliorum ſimilitudinem accedentia, non in particulas diuiſa, vt vulgare maius, ſed per ambitum duntaxat ſerrata, intenſo virore & amariuſculo ſapore. Caules inter folia prodeũt cubitales aut ampliores, rotundi, in ſummo bifidi aut trifidi, ſcabra capita ſuſtinentes, alterius Centaurij maioris æmula, & florem villoſum, ſed colore candicante, deinde ſemen Cnico ferè ſimile, ſeu potiùs alterius maioris. Radix craſſa admodùm, dura & longa, denſo cor-

Lib. 25. c. 6.

Locus.

Tempus.

CENTAVRIVM *Maius alterum, Clusij.*



tice tegitur, foris nigro, intus flauescente, succúmque croceum resudante, qui cum quodam amarore aromaticus est. Supra Olyssiponem, lapidosis iuxta Tagum collibus duntaxat inuenit Clusius, vbi Lusitani Tagi accolæ Rapontis vocant. In Belgio peregrinum est. Dodonæus in Historia stirpium Rha, in Purgantium Historia Centaurium alterum magnum vocat.

Temper. Calidum id siccumq; est ad tertium vsq; ordinem, simul & adstringens.

Lib 3.c.6. *Vires.* Radix eius conuenit ruptis, inquit Dioscorides, conuulsis, pleuriticis, spirandi difficultati, tussi antiquæ, sanguinem spuētibus, non febrientibus cum vino, febrientibus cum aqua, ita vt radicis duæ drachmæ tritæ, similiter ad tormina & vteri dolores. Ducit etiam menses & fœtus, in collyrij formam derasa, & vtero apposita. Eadē succus præstat. Vulneribus prodest, humida quidem contusa, arida verò prius madefacta, atq; ita contusa: coniungit enim ipsa & glutinat. Quin & carnes dum coquuntur inter se committit, si quis ipsam contusam simul coquat. In Lycia succum ex ipsa exprimunt, quo pro lycio vtuntur. Quæ sequuntur quædā Dioscor. exemplaria non habent. ἐκλήθη δὲ πανάκά, ἐπειδὴ πάντα τεια φλεγμαίνοντα πάθη παύει, καὶ κρόυσματα πληγῶν. Id est, Est autem vocata panacea, quòd sanet omnes inflammatos affectus, ac vulnerum contusiones. Quibus Ruellius de suo quędam addit. Cognominata est, inquit, & panacea, quoniam medetur omnium morbis, vbi aliqua inflammatio timetur omninoq; multis morbis opifera est. Illita vulnerum labra consolidat. στραγγουρίας τε παύει ἐν ἐνέμασι, καὶ λιθιῶντας. συνάγεται δὲ τοῦτο ἡλίου μέλλοντος ἀνατέλλειν ὥρᾳ ἁγνῇ, ὅτε πληροῦνται ἅπαντα. Quæ sic Ruellius. Stillicidia vrinæ calculosq; sanat iniectione. Legēda præcipitur cum in eo sol est, vt emergat, hora pura, dum luce sideris erumpentis vniuersa complētur. Alij sic interpretati sunt. Legitur matutinis sole ad ortum spectante, hora diei pura, cum omnia complētur. Sic verò Andr. Lacuna. Colligitur autem hæc ad exortum solis, purissimo vere aduentante, quo tempore vniuersa cōplentur. Plinius centaurij huius maioris facultates easdem recenset, sed diuersis in locis. Vis in vulneribus tāta, vt cohærescere carnes etiam tradant, si coquantur simul. In vsu radix tantùm duabus drachmis bibēda, quibus dicetur, si febris sit, in aqua trita, cæteris in vino, medetur omnium morbis decoctæ succus. Alij ouium legunt non omnium. Et medetur serpentium ictui centaurij maioris radix drachma in vini albi cyathis tribus. Eadem vuluæ doloribus potu fotuq; prodest. Derasa verò & apposita extrahit partus emortuos: sanguinem reiicientibus medetur, stomacho & dyspnœæ eclegmate, pleuriticis & peripneumonicis bibitur, maiori centaurio tormina discutiuntur. Ruptis conuulsisq; & ex alto deiectis datur. Vlcera quæ cacoëthe vocāt sanat in sparsum vel illitum. Oculorum aciem centaurio maiore putant adiuuari, si addita aqua foueantur. Galenus ex Centaurij contrariis in gustu qualitatibus contrarios eiusdem effectus colligit his verbis. Centaurij magni radix sicut gustu cōtrarias qualitates, ita in vsu contrarios effectus præstat. Gustu itaq; acris simul adstringénsque apparet cum leuicula dulcedine. At in actionibus, acrimonia quidem caliditatis opera ostendit menses prouocans, & fœtum mortuum detrahēs, viuumq; corrumpens atque eiiciens. Adstrictio

Marginal notes: Lib.25.c.6. (beside "tes easdem recenset"); Lib.25.c.8. (beside "bis decoctæ succus"); Lib.26.c.15 6.7.8.13.14. (beside "centaurij maioris radix" / "bus potu fotuq;"); Lib.25.c.12. (beside "ex alto deiectis"); Lib.7.sim. (beside "lorum aciem")

ſtrictio verò opera craſſæ terrenæq́; frigiditatis cùm vlcera glutinet, & ſanguinem reiicientibus proſit. Exhibentur autẽ eius drachmæ duæ febrientibus quidem cum aqua, non febrientibus cum vino. Porrò ſecundum omniũ ſimul qualitatum actionem ruptis, conuulſis, dyſpnœæ inueteratæ tuſſi cõuenit. Nec enim in talibus euacuare ſolùm quod præter naturam eſt, oportet, ſed partem quoque euacuatam roborare. Vacuationi itaq; accommoda eſt acrimonia, vtique cùm non ſola ſit ac pura, ſed aut dulcedini iuncta, aut certè non prorſum amaritudini. Siquidem vehemẽtiam hanc atque violentiam mixta illi temperata quædam ſubſtãtia cuiuſmodi eſt dulcis, non obtinebit. Porrò ad ea quæ euacuata ſunt, roboranda, contrahendáque, adſtrictione eſt opus. Eadem quæ radix & ſuccus ipſius efficit. Arabes, vt *Meſues*, Auicennas, Alcanzi vires maioris & minoris centaurij ferè contrarias cõfuderunt, vt dicemus. Datur Centaurij maioris radix, auctore Matthiolo, hydropicis, ictericis, & iocinoroſis, tum vino macerata, tum in puluerem trita. Eiuſdem recentis ſuccus vnciæ pondere hauſtus, ac etiam vulneri illitus auxiliatur à ſerpente demorſis. In cõm. c. 6 lib. 3.

CENTAVRIVM, *Minus.*



Centaurium minus hyperico aut origano ſimile eſt, caule anguloſo, palmum excedente, flores è puniceo colore ad purpureum inclinantes, ad lychnidis ſimilitudinem: folia parua, prælonga velut ruta: ſemen ſimile tritico: radix parua leuis, inutilis, guſtu amara. *Forma.* Huic deſcriptioni multùm lucis adfert Plinius his verbis. Lib. 25. c. 6. Eſt alterum Centaurium cognomine lepton, minutis foliis, quod aliqui libadion vocant, quoniam ſecundũ fontes naſcitur, origano ſimile, anguſtioribus & longioribus foliis: anguloſo caule, palmum alto, fruticante: flore lychnidis: radice tenui & ſuperuacua, ſucco efficax. Hoc Cẽtaurium noſtri fel terrę vocant propter amaritudinem ſummã. Id verùm legitimumq́; eſſe quod in Officinis paſſim vſurpatur, notiùs eſt quàm vt probatione egeat. *Locus.* Propter lacus & rigua loca creſcit auctoribus Dioſco. & Plinio. Apuleio verò in ſolidis & pinguibus quoque locis. *Tempus.* Floret æſtate & Autumno, quo maximè tempore, quia ſemine prægnans eſt, colligitur. *Vires & Temper.* Herba recens contuſa, inquit Dioſcorides, & impoſita vulnera glutinat, vetera vlcera purgat, & ad cicatricem perducit. Decocto & potu (legendum enim πινομένη non καταπινομένη, id eſt, ſi deuoretur) bilioſa ac craſſa per aluum ducit. Lib. 3. ca. 7. Dococtum ipſius conuenientiſſime iſchiadicis infunditur, ſanguinem ducẽs & dolorem leuans. Succus ad ocularia medicamenta vtilis eſt, purgans cum melle quæ pupillis tenebras offundunt. Idem ſubditus menſes & fœtus extrahit. Epotus autem peculiariter neruorum affectibus prodeſt. Horum quædam Plinius tradit ſparſim. Lib. 26. c. 8. Purgat aluum ſuccus Cẽtaurij minoris drachma in hemina aquæ cum exiguo ſalis, & aceti, bilémque detrahit. 15. 11. Eiuſdem ſuccus potu fotúque menſes ciet. Lib. 25. c. 12 Articulis ſuccus ex Cẽtaurio minore prodeſt, idem neruis vtiliſſimus. Succo eiuſdem cum melle culices, nubeculas, obſcuritatem diſcuti, cicatrices extenuari putant. Sed ſucci exprimendi modum Plinius nec rectè, nec perfectè tradidit. Quidam, inquit, caules conciſos madefaciunt diebus xviij. atque ita exprimunt. Dioſcorides contrà dilucidè & integrè non huius ſolùm, ſed omnium ſuccorum extrahendorum rationem exponit. Galenus diſtinctiùs Centaurij minoris temperamentum & vires perſequi- Lib. 7. ſim.


tur his verbis. Centaurij minoris radix planè inefficax eſt, ſed caulis eius extremus & folia potius quæ illic inhærent, & flores vtiliora ſunt. Vincit in eis qualitas amara, pallulum habens & adſtrictionis, atque ob eiuſmodi temperamentum, admodũ exſiccatorium eſt medicamẽ, expers mordacitatis. Vlcera itaq; magna herbæ ipſius recentis illitu glutinantur, & vetuſta, quæque ægrè ad cicatricem perduci queunt, cicatrice eodem modo vtentibus obducuntur. Arefacta verò glutinatoriis & deſiccatoriis miſcetur medicamẽtis, iis ſcilicet quæ ſinus & fiſtulas ſanare poſſunt, veteresque duritias emollire, tum vlcerum maligna & cacoethe curare. Miſcetur etiam iis quæ rheumaticis affectibus medentur, In quibus ea medicamenta præſtantiſsima ſunt, quæ vehementer deſiccãtia cum quadam adſtrictione nullã habent mordacitatem. Decoctum herbæ quidam iſchiadicis infundunt, ceu bilioſa & craſſa ducens: nam & talia purgant, quamquam cum adeò vehemẽter operabitur vt cruenta euacuet, tunc plus proderit. Succus porrò eius cum ſimilis ſit facultatis, hoc eſt exſiccatoriæ & abſterſoriæ, &c. iam comprehenſa pulchrè præſtare poteſt: & cum melle oculis illinitur, menſéſque ac fœtum euocat. Sunt qui ipſum præbeant & iis quibus nerui affecti ſunt, vt euacuet & deſiccet innoxiè quæ impleta ſunt: quippe quum iocinoris quoq; obſtructiones optimè expediat, bonúmque ſit lienis indurati remedium foris impoſitum, nec ſecus ſi quis bibere ſuſtineat. Extat liber de virtute centaureæ Galeno falsò inſcriptus, in quo permultæ & permagnæ eius facul-
Li.2. ſimpl. cap.10. tates enarrantur. Meſues, vt diximus, temperamẽtum vtriuſque Centaurij & facultates confundit, & vtrumque purgare pituitam crudam, & bilem ſcribit, ſed minùs magis, cui ſoli vis hæc à Dioſcoride, Galeno Paulo tribuitur, nõ etiam magno: ſanguinem quidem vacuare, ſi clyſtere in iſchiade iniicitur, Galenus minori tribuit.
Matth. in cap.7. lib.3. Datur Centaurij minoris decoctum vtiliter potãdum tertiana febre laborantibus, quod bilem per inferna deiiciat, vnde febrifugæ nomen. Idem aut ſuccus iocinoris & lienis obſtructiones ac duritias tollit. Alui lumbricos pellit drachmę pondere ex melle potus, tum vmbillico illitus. Herbæ comæq; decoctum lentigines, varos, alphos, & cætera cutis vitia exteria adhibitũ, inſtillatur ſuccus verniculoſis auribus, quinetiam illinitur cõtra papulas, & manantia capitis vlcera.

CENTAVRIVM, Luteum prius.



Centaurium luteũ radice nititur exigua, fibris criſpis, tenuibus, candidis
Forma. capillata. Caulis ei eſt ſeſquipalmum altus, rotundus, viridis, ſed albo quodam veluti puluiſculo pubeſcens, qui digitorum affrictu facile deraditur: folia ex interuallis bina, aut potius vnicum binis apicibus vtrinque donatum, craſſa, carnoſa, centaurij minoris ſimilia, latiora, non ita venoſa, concauo alarum ſinu lacunoſa, & dipſaci modo velut alueum efficientia, quo ros imbérve contineri poſsit. Ex alueolorum medio ſurculi aſſurgunt nunc plures, nunc pauciores qui florem ſuſtinent aureum, foliolis octo conſtantem. In aſperis &
Locus. ſaxoſis gignitur. Tota planta guſtu eſt amaro. Huic ſimile eſt caulibus foliiſq; Centaurium aliud luteum, hoc diſcrepans quod nullos ſurculos edat vt ſuperius, quibus flores inſideant, ſed in ſummo caulis faſtigio florem ſingularem mittit chryſanthemo ſimilem. Iiſdem in locis reperitur, eodemq; eſt guſtu. Eſt & Centaurium nothum in humidis Alpium vallibus proueniens, radice craſſa, nigra, lignoſa, huc illuc ſparſa, intus alba, guſtu amaro: caulibus multis, cubito altioribꝰ, denſa

CENTAVRIVM Luteum, alterum.



CENTAVRIVM Nothum, Dalechampij.



densa lanugine obsitis, angulosis: foliis cannabis, vtrinq; dissectis, in vno pediculo villoso & ferè cubitali multis, ordine collocatis, numero semper imparibus, vt ferè tredecim aut quindecim singulis sint pediculis, qua pediculi florem sustinentes è caule prodeunt, ipsum caulem vtrinque amplectentibus, & illic in longum & angustum diuisis, floris capitulo, scabiosæ vulgari simili, hirsutis erectisque squamis compacto, flore luteo.

FVMARIA, CAP. XL.

ΚΑ'ΠΝΟΣ Græcis, κάπνιον & καπνίτης, Latinis Fumaria, potest & fumus & fumida dici, Arabibus *Scheiteregi*, Officinis Fumus terræ, Gallis *Fumeterre*, Germanis *Erantrauch*. Dicitur Fumaria au ctore Dioscoride, Galeno, Plinio, quòd eius succus oculis inditus veluti Fumus lacrymas moueat. Dioscorides vnius duntaxat, Plinius duorum Fumariæ generum meminit. Herbarij recentiores ad Fumariæ genus tres alias species referunt. Fumaria tradente Dioscoride, herbula est fruticosa, coriãdro similis, valde tenera, foliis candidioribus, cineracei coloris, vndique numerosis, flore purpureo. Ea est Fumaria hodie multo vsu, & restibili fertilitate omnibus notissima, quadratis surculis, fruticosis, foliis plurimis, mollibus, teneris, ex viridi in cinereum pallorem languentibus, crebris incisuris: flosculis purpurascentibus, interdum albidis, interdum rubellis: semine minuto admodum, rotundo, virente ex fusco, radice singulari, paucissimis fibris. Nascitur in segelibus, hortis, vineis, sepibus & maceriis, aliisque locis incultis ac pinguibus. Plinius duas herbas capni nomine proponit. Capnos prima, inquit, quam pedes gallinaceos vocant, nascens in parietinis & sepibus, ramis tenuissimis sparsisque: flore purpureo, viridis, succo caliginem discutit. Itaque in medicamenta oculorum additur. Similis & nomine & effectu, sed alia est capnos, fruticosa, prætenera, foliis coriãdri, cineracei coloris, flore purpureo, nascitur in hortis & segetibus hordeaceis, claritatem facit inunctis oculis, delacrymationémque

Nomina

etym.

Genera.

Lib.4.c.105

Forma.

Li.25.ca.13.

FVMARIA.



Cap.2. Pli. Lib.1.c.15.

Forma.

ceu fumus, vnde nomen accepit. Posterior vulgaris nostra & Dioscoridis, Galeni, Pauli, Fumaria est. Prior ex Dodon. sententia hîc depingitur quæ multis ramulis fruticat, teneris, in quibus folia numerosa, incisa, colore, sapore, & quadãtenus forma alteri fumariæ similia, prætenera, viticulis & capreolis herba ipsa sepibus & vicinis plantis pertinaciter adhæret: flosculi eius cãdidi, cæruleo colore nonnihil distincti: in siliquis paruis semen: radix singularis, longitudine digitali.

Tempus.

Vere primo vt & nostra vulgaris prodit, Maio & Iunio vtráq; floret & carpitur. Hæc capnos, inquit Dodon. Plinij imitatione, *Pied de geline* dici potest.

Ibid.

Hermolaus κάπνον φραγμίτην nominat.

In cap. 111. lib. 4.

Certe Hermolaus in Corollariis hanc capnon Plinij Chelidonium phragmitem vocari ab Aetio scripsit, ad exanitiones partium in iocinore curuarum vtilem dictam, vt putat: quoniam succo discutit caliginem vt chelidonium, & ob id in medicaméta oculorum additur, vt in collyrium Marciani eam Chelidoniã capnitida cognominantis.

Pena in Ad.

Aliis Fumaria lutea siue mõtana, Illyriorum Splith, capnos seu chelidonium phragmites Aetij creditur, quibusdã Galeni Corydalis.

FVMARIA Phragmites, Dodonæi.

Fumaria lutea.

Forma.

Matth. in cap. 105. lib. 4.



Crescit hęc planta foliis chelidonij maioris, vel Fumarię bulbosę, sed minoribus multò, glaucis cineritiis, pluribus, sesquipalmaribus: cauliculis exilibus & pedalibus: floribus luteis, stellatis, chelidonij minoris: radicibus numerosis, tenuibus, latiùs sparsis, subalbicantibus: semine rotundo, depresso, abro virente in corniculis Fumariæ bulbosæ, vel chelidonij maioris, minoribus multo, cui admodum similis facie & colore est. Vnde rectè coniicere videntur nõnulli, vt diximus, esse capnon chelidoniam Aetij.

Locus.

In calidiorum regionum montibus Illyriæ, Dalmatiæ, Hetruriæ & Narbonæ prouenit. Seriùs quàm Fumaria nostra, nempe Iulio & Augusto floret.

In cap. 105. lib. 4.

Matthiolus cum legerit in nothis simplicium appellationib⁹ Dioscoridi ascriptis capnon quibusdam corydalion dici, & cum Galenus de Galerita scribens quæ Corydos Græcè dicta valde colicis cõfert, herbæ meminerit quæ corydalis appellatur, magnæ quoque aduersus colicum dolorem vtilitatis, quam facultatem Capno vulgari alibi minimè tribuit, suspicatus est aliam capni speciem hîc corydalim intelligi, nimirum Splith Illyricam capno congenerem, quam colicis valde prodesse sese expertum esse affirmat. Sed anceps valde & infirma est hæc ratio. Etenim nostras etiam Fumaria non instrenuè colicis opitulatur, digerẽdo ac discutiendo viscidam pituitam, eamq; è renibus eliciendo, quæ non

FVMARIA Lutea montana Corydalis, Matth.



FVMARIA Bulboſa, Matthioli.



non rarò colici doloris ſpeciem efficit. Quare aliis potiùs Corydalis videtur eſſe
Fumaria bulboſa, ab effigie alaudæ auiculæ, cuius capitis galericulatum verticem
emulantur flores criſtati, turbinataq; cornicula. Mollis in vniuerſum planta eſt,
quæ vere primo vnà cum chelidonio exoritur, & Maio, vel ad ſummum Iunio
contabeſcit: tenellis ſubalbidiſque foliis coriandro vel ranunculo primi generis
proximis, læuore cæſio & diuiſura ad Fumariæ folia accedentibus, maioribus ta-
men floribus purpureis, & aliquando albis, radice tuberoſa, inferiore parte ſeſsili,
ſuperiore monticuli inſtar elata, intus caua, nigro exterius cortice, buxea interiùs
pulpa, odore ariſtolochiæ, guſtu amara, ſemine pellucido in corniculis. In vmbro-
ſis, decliuibus, & nemoroſis ſaltibus frigidioribus naſcitur. Martio & Aprili men-
ſe floret. Hanc plantam herbarij quidam ariſtolochiam rotundam eſſe prodide-
runt, eandémque etiam tanquam veram rotundam vſurparunt. Fuchſius minimè
genuinam eſſe ariſtolochiam rotundam ſcribit, ſed Plinij piſtolochiam, ab illa
multùm differentem, vt ſcribit Matthiolus. Nam Plinianæ piſtolochiæ radix, tu-
beroſa & inanis non eſt, ſed clematide tenuior, denſis capillamentis, iunci plenio-
ris craſsitudine. Quare rectiùs veriúſque, inquit Matthiolus, dicenda Plinij Fu-
mariæ genus alterum, quod his depingitur verbis. Alia eſt capnos fruticoſa, præ-
tenera, &c. At hanc Dioſcoridis Fumariam & noſtram vulgarem eſſe teſtatur
hæc Plinij delineatio ex Dioſcoride ita expreſſa, vt eius deſcriptionis verba totidẽ
Latinis verbis perſpicuè reddiderit. Addit Matthiolus eandem eſſe de qua locu-
tus ſit Aetius in curatione obſtructi iocinoris, vbi chelidonij capni meminit,
quod vna cum chelidonio primùm erumpit, hirundinum aduentu. Contra do-
ctis aliis ſcriptoribus placere diximus Fumariam luteam ſiue mõtanam & Splith
Illyricam Aetij potiùs eſſe capnon chelidoniam. Diuerſum ab his omnis Fuma-
riæ ſpeciem pictam Doct. Myconus miſit, & ſic ferè delineauit. Eius folia ſæpius
humi ſternuntur cinerea, multùm ad Fumariam accedentia, maximè quæ in imo

Pen. in Aduerſ. Fumaria Bulboſa.

Forma.

Matth. in cap. 4. lib. 3.

Locus.

Tempus.

Ca. 31. hiſt.


Li. 25. ca. 13.

Lib. 19. c. 2.

ſunt: nam quæ in caulibus viſuntur, tenuiora & fœnicularea ſunt. Cauliculos profert multos, quadratos, cauos, geniculatos, ſurculoſos, palmum altos, in quibus folia tenuia admodum, vt diximus. In horum faſtigiis flores multi congeſti ſunt, Fumariæ ſimiles, ſingulis candido, purpureo, luteo variegatis: radicem tenuem, candidam non profundam. Floret Aprili menſe. Totius plantæ ſapor ſubamarus eſt cum leui acrimonia. Cùm forma & ferè qualitatibus à Fumaria non diſtet, Fumariæ genus ille putat eſſe, quamuis ab ea amaritudine vincatur, & hæc illam acrimonia ſuperet. Vulgus etiam Fumariam vocat. Paſsim in vinetis ſegetibúſque pullulat. Eandem Cluſius depinxit & deſcripſit Capni tenuifoliæ nomine. Inueniri ait in pleríſque Hiſpaniæ regionibus in agrorum limitibus, & iuxta vias, nonnulliſque Narbonenſis Galliæ locis, præſertim ſupra Arelatem. Quidam in Hiſpania Sideritim tertiam ſine ratione facere voluerunt. Vulgò à nonnullis *Palomilla*, & *Palomina* dicitur, quemadmodum Fumaria communis. Huic iungen-

Lib. Stirp. Hiſp. 2. ca. 46.

FVMARIAE Species. Myconi.



CAPNOS Fabacea radice, Penæ & Lobellij.



da Capnos alba latifolia, à Lobellio tradita Splith album quorundam. Floribus albis, & latioribus foliis in ſegetibus Cornubiæ, & ſiluoſis agrorum marginibus Brabantiæ prouenit: capreolis ſepes arripit. Nec omittenda Capnos alia fabacea radice, cui ſingularis radix, & Fumariæ bulboſæ radici Penæ par, ſed minor, ſine vlla cauitate. In Belgio, Germania, Sabaudia, vti Geneuæ, aruorum quorundam margines & ſepes hac ſcatent. Nunc ſingularum vires declarandæ. Fumariæ ſuccus, auctore Dioſcoride, acris eſt, viſum acuit, lacrymas ducit, vnde nomen habet. Illitus cum gummi euulſos palpebrarum pilos renaſci non ſinit. Herba ipſa cum cibo accepta vrinas ducit bilioſas. Eadem planè de poſteriore ſua Fumaria Plinius habet. Claritatem facit inunctis oculis, delacrymationémque ceu fumus, vnde nomen accepit. Eadem euulſas palpebras renaſci prohibet. Et alio in loco. Capnon herbam, inquit, qui edêre, bilem per vrinam reddunt. Galenus non alias

Li. 4. c. 105. *Vires & Temper.* Li. 25. ca. 13. Lib. 26. c. 7.

ei qualita

CAPNOS Alba latifolia, Lobellij.



ei qualitates viresque assignat his verbis. Acris simul & amaræ qualitatis est particeps, neque tamen planè expers est acerbæ: quamobrẽ vrinam multam, biliosamq; prouocat, sanátque iocinoris obstructiones & debilitates. Succus eius oculorum aciem acuit non parum trahens lacrymarum, velut ipse fumus: nam hinc ei appellatio indita. Plebeius quidam ea vti solebat ad stomachum roborandum, vnaq; ventrem lubricandum: siquidem herbam primum desiccatam condebat: cùm verò vti volebat, subductionis quidem gratia, melicrato aspergebat, roborandi verò causa vino diluto. Arabes verò multò plures eásque insignes dotes ei tribuerunt. Mesues, Fumaria inquit, in superficie calida est, in profundo frigidior, non absolute frigida cum quibusdam, sicca ordine secundo. Ab illa autem substantia calida (quæ semini maior inest) & amara & subacris, purgatoria, attenuans, obstructa aperiens. A frigida autem styptica constringendo ventriculũ, hepar, & cætera viscera laxiora & molliora roborat. Quapropter ad actionem nullo externo eget auxilio, cum per se purget ac roboret. Purgat verò bilem & vstos humores etiam ex venis: clarum ob id & purum efficit sanguinem. Quare mirè prodest morbis omnibus hos humores sequentibus, lepræ, scabiei, prurituì, impetigini, serpigini, & similibus cutis vitiis. Quia autem obstructa liberat, morbos omnes inde natos sanat, vt febres biliosas, putridas. Herba est innocens, quia tamen magna vbiq; copia luxuriat, vilescit. Flore est nunc subalbo, nunc cinericio, nunc pallido violaceo. Optima est viridis, tenera, foliis teneris, planis, non crispis, flore subuiolaceo. Herba & succus eius veris initio sunt efficacissima: semen veris exitu. Quoniam verò imbecillius purgat, fortior euadet cum myrobolanis, senna, sero lactis vuis passis exacinatis, & illarum melle. Succus datur ab vncia dimidia ad vncias duas: puluis à drachmis tribus ad drachmas quinque: decoctum ab vnciis decem ad vncias quindecim. Auicẽnas frigidam esse primo gradu, siccam secundo statuit, & reliqua quæ Mesues, attribuit. Fumariæ luteæ siue Splith sapor ferme qualis vulgaris Fumariæ, efficacius tamen ea videtur crassos humores tenuare, & incisos per lotium educere, vnde laus magna ad hydropen: robur etiam addit visceribus, reliquáque præstat quæ Mesues de Fumaria vulgari tradit. Aetius, præclarè, inquit, obstructione liberat simúlq; firmitatẽ tum hepati, tum stomacho addit Capnium, quod & chelidoniæ nomen inuenit, succo eius expresso & desiccato: reponitur autem in pastillos coactus, & semel quidem exhibitus dolorem omnem tollit, ter autem datus in totum ab affectione liberat, præterquam quod & firmitatem visceribus addit. Decoctum quoque huius herbæ potatum similem vim habet, etiamsi valde febri citent ægri: aliquando herba ipsa exsiccatur, contusaq; & cribrata cochlearis mensura exhibetur.

Li.7. simpl.

Li.2. simpl. cap.14.

Pet.Pen.in Ad.

Lib.10.c.2.

DENTI

DENTICVLATA, CAP. XLI.

Nomen. *Forma.* Doctis Herbariis Denticulata hæc dicetur à radice velut è dentibus paruis coagmentata, paulatim gracilescente, albicantibus fibris capillata: ab hac cauliculi multi prosiliunt dodrantales, in quibus folia apij, siue potiùs fumariæ luteæ, siue bulbosæ, in ambitu minimè serrata. Flos non in folia explicatur ranunculi modo, sed vt in pimpinella, in capitula angulosa conglobatur, ex viridi subluteus: singulis capitulis quini ferè sunt flosculi, siue septeni, gustu amaro & subacri. *Locus.* Ad fontiū scaturigines, riuulosq; prata rigantes, & in vmbrosis sepibus nascitur cū ranunculo nemorensi primo vere, statimq; perit. Sunt qui alabastritem vocent, ob radicis ferè pellucidæ ac nitentis splendorem, & candorem alabastro similem: alij Moschatellam pratensem. Alia est à nonnullis Dentaria maior appellata, auctore Matthiolo, *Cap.9.li.4.* à quibusdam ἄφυλλος, quòd sine foliis proueniat. Nascitur in opacis siluis aut aliis vmbrosis locis. Germinat primo statim vere. Caules profert dodrantales, teneros, fragiles, succosos, orobanches æmulos, in quibus à medio ad summum flores exeunt in purpura albicantes, & hirsuti, foliolis eiusdem ferè coloris in latere concomitantibus: è floribus caliculi oriuntur, in quibus paruum concluditur semen papaueris modo. Radice nititur albicante, magna, succosa, fragili, ex compactili squamarū congerie, miro sanè naturæ artificio constans, gustu acerbo cum quadam amaritudine. Cordi Amblatum videtur esse. *Ibidem.* Aliam tradit Matthiolus Dentariam minorem, quæ Germanis Sanicula vocatur, & inter symphyti genera recensetur. Folia habet pentaphylli, maiora, radicem candidam, admirando naturæ artificio ex nodulis quibusdam & incisuris cōstructam, dentium speciem quandam repręsentantibus. Dodonæus easdem plantas aliter depinxit & descripsit. Priori cauliculum dodrantalem tribuit, folia cannabis aut Pentaphylli, quinque vni hærentia pediculo, oblonga, lata, in ambitu serrata: flosculos leucoiis similes colore, ex puniceo subpurpureos: siliquas etiam quales leucoiis, in quibus semina: radicem oblongam, inæqualem, multis crassis exasperatā squamis. Alterius Dentariæ folia non Pentaphylli, sed fraxini modo digesta, costam habentia mediam cui annectuntur. Sunt verò ea oblonga, lata & in ambitu crenata, crebrò ad vnam costam septena: flores candidos, siliquas priori

DENTICVLATA.



DENTARIA Maior, Matthioli.



priori similes : radices quoque asperas & squamosas, sed quàm prioris minùs. Dodonęus peregrinas esse ait, & ad Leucoij genera referri posse. Matthiolus inter symphyta ac solidagines vtrámque reponit. Alia Dentellaria à quibusdam nominata hîc exhibetur, à Dalechāpio collecta in vertice montis per quem Geneua

DENTARIA Minor, Matthioli.



DENTELLARIA Rubra, Dalechampij.



DENTELLARIA Rondel.



LEPIDIVM Annuum, Lob.



itur

itur ad Sequanos, proximè Pagum quem Incolæ vocant *Sainct Sorgue*, quaſi Diuum Sergium. Serpit inter ſaxa & ſilices, radice ſic eminentibus articulorum vertebris compacta, vt ex coniunctis dentibus contexta videatur, mirabili naturæ in ea ſtruenda artificio, vnde Dentellariæ nomen: caule læui, pede altiore, foliis eius plantæ quam Saniculam fœminam Fuchſius appellat: flore violæ, copioſo, rubente, pulchro aſpectu, ſemen in oblongis ſiliquis. Dentariam aliam Pena pinxit, Rondeletij & Narbonenſium, quæ paſsim, inquit, propè ſepes & ſata in agro Romano & Monſpelienſi fruticat, radice longiuſcula: fibrata, caule, bicubitali, ſurculoſo, foliis imis maioribus, cauli incumbentibus Iſatidis drabæ've ritu: floribus purpureis dilutis, extremo caulis ambitui confertim aggeſtis, quibus defluentibus ſemina gemmeis, villoſis & hirſutis, & aliquantulùm tenacibus folliculis includuntur, nigra. Tota planta guſtu eſt acerrimo, & vrentis facultatis, qua tantoperè pollet, vt aliquãdiu manu detenta, volæ manus vibicem inurat liuidum. Quare viri quidam docti Molibdænam eſſe Plinij opinati ſunt, aut Lepidium Æginetæ. Vulgus ſtudioſorum Dentariam putabat vocatam à Rondeletio: qui hac, vt pyrethris, aut ſimilibus vrentibus vtebatur ad ſæuos dentium cruciatus mitigandos. Aliam tamen nouimus in agri Mõſpelienſi aridis locis ſatis frequentè, quæ etiam vulgò Dentellaria vocabatur, de qua diximus in lib. De plantis, quæ in aſperis naſcuntur. Herba eſt alia quæ à ſimili cum figura tum ortu foliorum, Dentellariæ Mõſpeliacíve Lepidij cauli incumbentium Herbariis Lepidium dicitur. Caulis bicubitalis, multifidus: flores albi, & ſemen foliaceis Thlaſpi inuolucris clauſum, acre guſtu: radix fibrata. In Belgio hortenſe, hyeme virens, foliis Lepidio maioribus. Hæc Lobellius.

VERBASCVM, CAP. XLII.

Nomina

Verbascum dr. quasi herbascum [illegible] in locis herbidis

ΦΛΌΜΟΣ Græcis & φλόμος Galeno auctore, Verbaſcum Latinis dicitur, Officinis Tapſus barbatus, Apuleio Lycnitis & Pycnitis, nonnullis Candela regis, Candelaria, & Lanaria, Gallis *Bouillon*, Germanis *Vuilkraut*, Italis *Verbaſco*, & vulgò *Taſſo Barbaſſo*. Phlomon autem dixerunt Græci ἀπὸ τῆς φλογὸς à flamma, quòd eius foliis & caulibus in laternis pro elychniis vterentur.

cur dicat. candela regis et candelaria.

Candelariam quoque recentiores nominarunt, quòd caulibus adipe, ſeuo, vel pingui aliquo illitis nõnulli pro candelis ſiue funalibus vtantur, Officinæ Tapſum, aut potiùs taxũ, quia toxiacis aduerſetur, barbatum à denſa lanugine.

Tapsi barbat. etymon.

VERBASCVM I. Matth.



Li.4.ca.99.
Li.8. ſimpl.

Genera.

Dioſcorides & Galenus quatuor Verbaſci genera aſsignarunt. Verbaſcum album marem, *Bouillon blanc maſle*, Verbaſcum album fœminam, *Bouillon blanc femelle*, Verbaſcum nigrum, *Bouillon noir*, Verbaſcum ſilueſtre, *Bouillon ſauuage*.

Li.25. c.10.

Plinius à Dioſcoride diſſentiens tria duntaxat poſuit. Verbaſcum album marem, nigrum fœminam, tertium ſilueſtre, anxiam illam generũ diſtinctionem ſuperuacuam ratus. Diſtingui genera hæc penè ſuperuacuum eſt, inquit, cùm ſint omnia eiuſdem effectus. Recentiores herbarij alia repererunt genera, quæ ordine hîc picta ſunt.

Forma.

Verbaſcum album fœmina, folia habet braſsicæ

braſsicæ ſimilia, hirſutiora, multò latiora, & alba: caulem cubitalem aut etiam maiorem, album, ſubhirſutum: flores albos, ἢ ὕπωχρα, id eſt, ex luteo palleſcentes, ſiue, vt legit Oribaſius, ὑπόχλωρα, id eſt, ſubuirides: ſemen nigrum, radicem nigram, guſtu acerbam, craſsitudine digiti. Verbaſcum mas, λευκόφυλλον Græcis dictum à foliorum candore, oblongius eſt, folia alba & anguſtiora habet, caulem quoque tenuiorem. Verbaſcum nigrum, albo prorſus ſimile eſt, latiora tamen & nigriora folia habet. Siluestre, virgas producit altas & lignoſas, ſiue arborea ſpecie, folia ſaluiæ ſimilia: ramos habet circa virgas, velut marrubium: florem luteum, auri ſpecie. Sic enim exprimenda Dioſcoridis verba, vt in vulgatis exemplaribus leguntur: quæ in vetere codice aliter legi affirmat Andr. Lac. Γίνεται δὲ ἡ λεγομένη ἀγρία ῥάβδους ὑψηλὰς φέρουσα, καὶ δενδρώδεις: φύλλα δὲ ἐλελισφάκῳ ὅμοια ἔχει, κύκλῳ περὶ τὰς ῥάβδους, ὥσπερ πράσιον. Quod eſt, Naſcitur etiam & Verbaſcum agreſte, altas ferens virgas & lignoſas: folia ſaluiæ ſimilia circa ipſas in orbem, vt marrubium: quæ lectio doctis multis ſummoperè placet. De his breuiùs & indiſtinctiùs Plinius ſcribit his verbis. Verbaſcum Græci Phlomon vocant. Genera habet prima duo. Album, in quo mas intelligitur, alterum nigrum, in quo fœmina. Tertium genus non niſi in ſiluis inuenitur. Sunt folia braſsiſſæ, latiora, piloſa: caulis erectus cubitali

Dioſc. li. 4. cap. 99.

Li. 25. ca. 10.

VERBASCVM II.
Matthioli.



VERBASCVM III.
Matthioli.



VERBASCVM Nigrum
Saluifolium, Lobell.



VERBASCVM IIII. ſilueſtre, Matth.



amplior, ſemen nigrum inutile: radix vna craſſitudine digiti. Silueſtri folia elelisphaci, alta ramis lignoſis. Horum pleraq; etiam vulgò notiſsima, plura verò peritis herbariis. Verbaſcum mas, primum eſt Verbaſcum Matthioli. Verbaſcum fœminam exhibuit Lobellius, albis floribus, & ſenis foliolis diuiſis, alióqui folio conſimili & pari. Verbaſcum tertium Matthioli, Lobellius vocat nigrum ſaluifolium, purpureo flore, pratis ſabuloſis, familiare nõ procul Taurino Pedemontium, inquit Pena, & Germaniæ, Angliæ, & Galliæ, pratis ſaxoſis, herbidis & ruderibus. Folia quam maximè ſaluiam agreſtem, aut Herminum emulantur, in caule & ramulis quadratis numeroſi floſculi purpurei, vel cærulei. Verbaſcum quartum Matthioli, idem Lobellius vocat Saluifolium fruticoſum, luteo flore: nam foliis Saluiam imitatur ſcabris, albidis, aliquantulum hirſutis, floſculis per interualla foliorum luteis. Dodonæus præter Verbaſcum album fœminam flore albo, aliud album fœminam floribus aureis ponit, ſuperiori fœminæ & mari, caulibus ac foliis ſimile, niſi quod folia maiora habeat, flores luteos roſam paruam referentes, erectis è medio ſtaminibus rubris. Id propter ſimilitudinem cum ſupradictis non appinximus, pro Verbaſco nigro Fuchſius deſcripſit & depinxit: quemadmodum pro ſilueſtri id quod Dodonæus pro nigro Verbaſco poſuit. Folio id eſt amplo, ſcabro, nigro, tactu

Lib.1.c.79. Verbaſ. album fœm. flor. aureo.

Cap.316. hiſtor.

Ibidem. Verbaſcũ nigr. Dod.

VERBASCVM Fœmina, Lobellij.



VERBASCVM Album fœmina, flore albo. Dodon. & Fuchſ.



aſpero

VERBASCVM Album mas, Fuchs. & Dod. flore luteo.



aſpero, grauis odoris, flore luteo, cæteris ſimili, ſed minore, ſimilibus item caulibus & radice. Silueſtre verò Dodonæus tam caulibus quàm foliis ſaluiam referre ſcribit, ramulos multos habere quadrangulos, lignoſos, binos ſemper ex aduerſo, ex eodem geniculo prodeuntes, folia læuia & candicantia, foliorum ſaluiæ emula, ſed maiora & læuiora: ramulorum faſtigia flores lutei verticillatim ambiunt, vt in marrubio. Longe diuerſum ab his Verbaſcum depinxit Matthiolus foliis laciniatis: cuius folia, inquit, cornuti papaueris faciem exprimũt. Ideò nihil mirum ſi Dioſcorides eius papaueris folia, Verbaſci foliis compararit. Lobellius aliud Verbaſcum ſilueſtre oſtendit, foliis ſaluiæ tenuifoliæ: item Verbaſcum ſilueſtre ſaluię folio, exoticum, foliis rotundioribus, candidioribus, denſioribuſq;, minùs tamen lanugine canis, ſed ſaluiæ emula concretione, alioqui lignoſa fibratáque radice, caule & facie non ita diſsimilibus: iiſdem gaudet Syriæ natalibus, quibus phlomos Syriaca, de qua mox, flores ille non vidit, quia marcidi. Verbaſcum album & nigrũ in campeſtribus, aggeribus agrorum, & ſecus vias prouenit. Silueſtre in campeſtribus potiſsimùm ſiccis & lapidoſis. Verbaſca Iulio & Auguſto menſibus potiſſimum florent: ſilueſtre etiam ſerius. Radix Verbaſci albi & nigri, ita tradente Dioſcoride, adſtringit, vnde alui profluuio laborantibus tali ludicri magnitudine

Verbaſcũ ſilue. Dod. — *Ca. 99. li. 4. Verbaſcũ laciniatũ.* — *Locus.* — *Tempus.* — *Vires.*

VERBASCVM Silueſtre, Dodonæi.



VERBASCVM Silueſtre folio Saluiæ tenuifoliæ, Lobel.



VERBASCVM Siluestre exoticum, Lobellij.



VERBASCVM Laciniatum, Matthioli.



cum vino vtiliter bibenda datur. Decoctum ruptis, conuulsis, contusis & antiquæ tussi auxiliatur. Dentium dolorem collutione mitigat. Verbascum cui flos aureus, capillos tingit (sic in vulgatis exemplaribus, ὁ δὲ χρυσοειδὴς τὰ ἄνθη, in vetere autem, τῆς δὲ χρυσοειδοῦς τὰ ἄνθη, idest, aurei Verbasci flores capillos tingunt) & vbicumque positum fuerit, blattas in se colligit. Cocta folia in aqua ad œdemata, & oculorum inflammationes illinuntur, & ad syderata vlcera cũ melle aut vino, cum aceto autem vulnera sanant. Contra scorpionum ictus auxilio sunt. Siluestris folia ambustis igni sunt cataplasmata. Aiunt fœminæ folia caricis interposita à corruptione eas immunes seruare.
Li.25.ca.10. Plinius multis Verbascorum vires explicat his verbis. Aiunt in foliis eius quam fœminam diximus, ficus omnino non putrescere. Contra scorpiones bibitur radix cum ruta ex aqua, magna amaritudine, Galeno tamen acerba est, sed effectu pari. Et variis in locis. Verbascum priuatim tonsillis in aqua potum medetur. Tribus obolis bibitur Verbascum cuius flos aureus est, contra omnia pectoris vitia, tussem, & purulenta excreantibus. Tanta huic vis est, vt iumentis etiam non tussientibus modo, sed ilia trahentibus auxilietur potu. Lateris & pectoris dolores verbascum cum ruta ex aqua sedat: panos sanat cum sua radice tusum, vino aspersum, & ita cinere calfactum, vt imponatur calidum. Semen ex vino decoctum & cõtritum luxatis medetur, dolorem & tumorem tollẽs. Radicis medulla collyrij tenuitate in fistulam additur. Cõtusis, euersis, & si febris sit, potatur in aqua verbascum, cuius flos auro similis est. Folia ex aceto imponuntur in strumis. Semine ac foliis decoctis ac tritis omnia corpori infixa extrahuntur. De quibus breuiter sic Ga-
Li.8.simpl. lenus. Radix priorum duorũ acerba gustu est, & fluxionis effectibus prodest, sed & ad dentium dolorem quidam eam colluunt. Attamẽ folia digerendi vim habent: sic & aliorum folia, maximè eius quod aurei coloris flores habet, qui etiam capillos flauos reddunt. Omniũ enim folia siccandi, & modicè detergendi vim habent. Experientia cõstat, inquit Matthiolus,
In cap. 99. lib. 4. omnia Verbasci genera omnibus ferè sedis vitiis mirificè subuenire: adstringunt enim & exsiccant. Quamobrem seminis & florũ puluis additis chamæmeli floribus, & laricis resina, procidentem sedem suffitu cohibet, & tinesmum, præsertim dysentericis, tollit. Verbasci fœminæ folia inter lapides cõtusa, si equi claudicãtis ex clauorum

ex clauorum noxa, vngulæ prius excauatæ imponantur, mirum dictu quam breui tempore is liber euadit. Radicis eiusdem succus antequam caulem proferat, duarũ drachmarum pondere ex vino cretico haustus ipsa accesionis hora, vt Arnaldus refert, quartanam fugat, cum hoc tamen quod tribus aut quatuor iteratis vicibus hauriatur. Succus tam florum quam foliorum asperis verrucis illitus, eas facilè delet, etsi læuibus nihil prosit. Idem facit siccæ radicis farina. Dantur flores commodissimè in puluerem triti, contra ventris tormina, & colicos dolores. Folia & summitates eius quod minoribus est foliis, in aqua decoctę vel illitę, podagricis auxiliantur. Stillatitia florum aqua oculis iniecta destillationes cohibet, eadem illita faciei ruborem tollit, quam Arabes guttam rosaceam vocant, præsertim addito caphuræ momento. Illinitur eadem ad erysipelata, ambusta igni, serpigines, vitiligines, impetigines, & cætera cutis vitia. Verbasci flores vna cum oui vitello, mica panis & foliis illiti, optimè faciunt ad cohibendas hæmorrhoidas. Idem præstant eiusdem folia suffita ex molari lapide accenso. Phlomis phlomidas, idest, verbascis verbascula subiungit Dioscorides. De duabus alibi dicetur, de tertia hîc dicendum, quæ Lychnitis appellatur & thryallis, quod propiùs ad verbasca accedat. Folia terna aut quaterna, aut etiam plura habet, hirsuta, crassa,

Graecis d. φλόμος a φλέγω, uro quasi φλογὸς flamma quod Antiqui hac herba pro Lychnijs uterentur

PHLOMIS Lychnitis, Matthioli.



Phlomides.

Lychnitis. *Folia.* Diosc. ibid.

PHLOMIS Lychnitis, Penæ.



VERBASCVLVM Quorundam.



hec figura est eadem cum Veronica femina Fuchsij pag. 1240. et cum Veronica fem. Matth. pag. 1050

Ca.99.li.4. pinguia. Vtilis est ad ellychnia in lucernis: vnde Lychnitidis ei nomen: ex Matthiolo hîc pictam damus. Aliam ostendit Pena, quæ plerisq; agri Narbonensis collibus glareosis Monspelio vicinis fruticat, rara alibi in Italia & Gallia, peramœno aspectu florum luteorum fabæ, caulem verticillatim ambientium, vt in Marrubio secundum foliorum exortus, pallidis staminibus. Folia sunt scabra, crassa, densa, lanugine, incana, tactu aspera, Saluiæ angustifoliæ foliis angustiora, sed longiora, & ad elychnia valde accommoda. Clusius aliam profert, cui folia sunt scrabra, crassa, Saluiæ tenuifoliæ similia, oblongiora tamen & angustiora, candicantia, inferiore parte densa, lanugine omnino canæ: cauliculi dodrantales, quadranguli, hirsuti & candicantes: è quorum geniculis folia bina, oblonga, superioribus similia, inter sese opposita nascuntur, & in caulis fastigio breuiora, & sede latiuscula: flores lannij circa extremos cauliculos verticillatim ex densa lanugine & veluti villis pallidis prodeunt lutei coloris, coma plerumq; inflexa & nutante: radix nigricans & lignosa. Oritur in collibus siccísque & petrosis locis per totam Hispaniam, Lusitaniam, Narbonensem Galliam. Floret Maio & Iunio, semé subruffum, verbasco siluestri ferè simile profert. Monspelienses Verbascum siluestre vocant, Castellani *Candilera*, Granatenses *Menchera*. His interserit Lobellius Lychnitin alterã Syriacam,

PHLOMIS Lychnitis, Clus.



PHLOMOS Lychnitis altera Syriaca, Lobellij.



VERBASCVLVM Minimum.



nouam

nouam plantam nec minus speciosam, à superiore dissidentem florum ortu & modo: sunt enim Lychnidis siluestris, vel Chalcedonicæ, coloris flaui: foliis item angustis, & virgultis quadratis tomento crasso incanis, & radice lignea. Verbasculis annumerant quidā plantam quam nomine Veronicæ fœminæ descripsit & depinxit Fuchsius, itē Lonicerus, quæ per terrā serpit caule lanuginoso, foliis rotūdis instar herbæ quæ centimorbia & nūmularia hodie vocatur, in ambitu minimè incisis: floribus in luteo purpureis, semine in vasculis rotundis, radice tenui. Dodonęus hanc nomine heliotropij minoris exhibuit. (In Epito.) Aliud hîc pictū est, quod Minimum dicitur: In sepibus ac dumis prouenit, radice nigricante, lignosa, breui, nodosa, fibris albis, crassiusculis capillata, caryophyllatæ modo, gustu adstringēte: caule vnico, cubito altiore, rotundo, inferne rubente, fungoso, nonnihil villoso: foliis paucis, non pluribus ferè quam septem aut nouē in caule alternatim dispositis, violæ propemodū similibus, longioribus, per ambitū crenatis, auersa parte lanuginosis, saporis adstringentis, & subamari: flore in caulis vertice senetionis, luteo, copioso, in pappos auolante. Floret tardissimè Septembri circa æquinoctium ad initium vsque Octobris.

BLATTARIA, CAP. XLIII.

EST herba inquit Plinius, similis verbasco, quæ sæpe fallit pro ea capta, foliis minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hæc abiecta Blattas in se contrahit, ideóque Romæ Blattariam vocant. (Lib.25.c.9.) Hæc Plinius. Eundem verò effectum Dioscorides illi verbasci generi asśignauit, quod floribus aureis descripsit. (Lib.4.c.99.)

BLATTARIA, Matth.



Quæ res multis persuasit Blattariam Plinij & verbascum illud Dioscoridis, cui flores sunt aurei, vnam & eandem plantam esse. Fuchsius & Dodonæus pro Blattaria proponunt eam, quæ hîc picta est, quæ Germanis *Schabeukraut*, Gallis *Herbe aut mittes, Herbe vermineuse & Blattaire* nominatur. (Cap.66.hi. lib..1.c.8. Blattar. Fuch. & & Dodon.) (*Nomina*) Foliis est viridantibus, minimè hirsutis, nec candidis, crenatis, per humum sparsis, ex quorum medio duo trésve emergunt caules venustis floribus, aureis interdum & purpureis, ornati, verbasco simillimis: (*Forma.*) semen folliculis inclusum, minus quam verbasci: radix breuis & lignosa. Nascitur iuxta aquas & fluminum ripas. (*Locus.*) Floret Iunio & Iulio mensibus. (*Tempus.*) Vehemens amaritudo eius satis docet calidam & siccam esse, quare qui ea vti voluerit, eadem quæ alia amara in corpore nostro efficiet. (*Temper. & Vires.*) Sed cum calida siccáque sit, & vehementer amara gustanti, qua vi nisi arcana & occulta Blattas allicit? num potius abigit?

AETHIOPIS, CAP. XLIIII.

VT Græcè αἰθίοπις, ita Latinè Aethiopis dicitur, quod nomen herbæ dedere magicæ vanitates, quòd ea herba, inquit Plinius, amnes ac stagna siccentur coniectu, tactu clausa omnia aperiantur, tamen verisimiliùs est quod optima ex Aethiopia adueheretur, sic dictam esse, vel quod fuliginosa & veluti cinere aspersa sit. αἴθοψ enim fuligo est, siue fauilla adusta. (*Nomina* Pena in Adu. Lib.26.c.4) Verbasco folia similia habet, sed valde hirsuta, & densa, in orbem circa radicis imum: caulem quadrangulum, crassum, & scabrum, similem apiastro aut arctio, multis alis (*Forma.* Diosc.lib.4. cap.100.)

AETHIOPIS.



concauum:ſemen erui magnitudine geminum in vno conceptaculo: radices ab eodem ceſpite multas, longas, craſſas, guſtu glutinoſas. Hæ ſiccatæ, nigræ ac duræ fiunt, cornibus ſimiles. Plurima naſcitur in Meſſenia, ac Ida. Eadem
Locus.
prorſus habet Plinius, vt ex Dioſcoride trāſcripſiſſe videatur. Aethiopidem herbam, inquit, ab
Lib.27.præ fat.
exuſto ſyderibus axe rerum natura oſtendit. Et aliquanto poſt. Aethiopis, folia habet phlomo ſimilia, magna & multa, & hirſuta à radice: caulem quadrangulum ſcabrum, ſimilem arctio, multis concauum alis: ſemen eruo ſimile, candidum, geminum: radices numeroſas, longas, plenas, molles, glutinoſas guſtu. Siccæ nigreſcunt indureſcuntque, vt cornua poſsint videri. Præter Aethiopiā naſcuntur & in Ida monte Troa-
Li.24.c.17.
dis, & in Meſſenia. Rurſus alio in loco tradit Aethiopida in Meroe naſci, ob id & Meroida appellari, folio lactucæ, hydropicis vtiliſsimam
Pena in Adu.
è mulſo potam. Hanc diu ignotam ex Græcis & Illyricis montibus maritimis allatam, iam ſatis vulgatam alunt horti multi Italiæ, Galliæ, Germaniæ, thapſo barbato admodum ſimilem, magis tamen incanis foliis, mollioribus, delicatiore & longiore lanugine, vt in dictamno. Cretenſi, eorumdem vndatim laciniatis oris, circa imum caulem accubantibus, & ipſum ambientibus quadratum, hirſutum, binûm pedum, & ſeſquicubitalem, multas alas habentem, quem verticillatim flores ambiunt, ſclares, aut hormini, ſed candidi, & ſemen non diſſimile. Radix verbaſcis cognata. Huius radix, auctore Dioſcor. cocta & pota, iſchia-
Vires.
Li.4.c.100.
dicis, pleuriticis, ſanguinis ſputo, arteriæ aſperitati auxiliatur, ſumitur etiam cum melle in eclegmate. Plinius eadem ferè tradit. Radices medentur vuluis potæ in
Lib.72.c.4.
vino albo, iſchiadicis, pleuriticis, faucibus ſcabris decoctæ, potui dantur. Sed quæ ex Aethiopia veniunt, eximiè atque illico proſunt. Atque hæc recta & veteris codicis lectio eſt. Hanc herbam Galenus in ſimplicium catalogum non retulit. Pau-
Lib.7.
lus verò ex Dioſcoride hæc exſcripſit. Aethiopis ſimilia verbaſco folia habet. Radicis decoctum, potui datur iſchiadicis, pleuriticis, & ſanguinem reiicientibus, & arteriæ aſperitates cum melle lenit.

ARCTIVM, CAP. XLV.

Nomina
ΑΡΚΤΙΟΝ ſiue ἀρκτοῦρον Græcis, Latinis ſimiliter Arctium vocatum, affine etiam eſt verbaſco foliis, vt ſcribit Dioſcorides, niſi quòd hirſutiora & rotundiora habet: radicem teneram, dulcem, albam: cau-
Lib.4.c.101
lem mollem, longum: ſemen cumino paruo ſimile. Quam Dioſcoridis deſcriptionem planè expreſſit Plinius his verbis. Arctiū aliqui arcturum vo-
Forma.
cant. Similis eſt verbaſco foliis, niſi quod hirſutiora ſunt: caule longo, molli: ſemine
Lib.27.c.5.
cymini. Naſcitur in petroſis, radice tenera, alba, dulci. Plātam, quæ hîc depingitur, arctium eſſe putant docti herbarij, quæ naſcitur in aſperis montibus Allobrogum,
Locus.
radice craſſa, longa, tenera, candida: foliis multis verbaſco ſimilibus, auerſa parte candidis & valde lanuginoſis, aduerſa viridioribus, & minùs villoſis, venoſis: caule molli, & in hac, quæ hîc pingitur breui, denſa lanugine pubeſcente: flos luteus in capite

ARCTION, Quorundam.



ARCTION Dodon. ex Codice Cæsareo.



capite nitet, crasso, scolymo simili non tamē aculeato, squamis compacto, qui tandem in pappos auolat: semen oblongum cymino non dissimile. Quidam in Dioscoride legunt καυλοῦ δὲ μαλακοῦ, μικρὸν, καρπὸν δὲ μακρὸν κυμίνῳ ὅμοιον. vt voces μακρὸν & μικρον locis permutatæ fuisse videātur, & ita legit Marcellus. Præterea quid paruum cyminum Dioscorides hîc appellet, non satis constat, nisi fortasse siluestre intelligat. Vulgatam tamen Dioscoridis lectionem secuti sunt Galenus, Plinius, & Oribasius. *Vires.* Verbasco foliis simile est, quod Arctiū dicitum, lanuginosis videlicet ac hirsutis, sed tamen hirsutioribus ac rotundioribus (Plinius hirsutiora tantummodo esse tradit:) caulis longus & mollis: semine vt parui Cymini: radice tenera, alba, dulcíque, vt auctor Dioscorides. Et hac quidem forma depingitur Arction in vetusto Cæsareæ bibliothecæ Codice: foliis videlicet latis, ambitu crenatis: caule tenero erecto: capitulis aliquot in fastigio mollibus ac lanuginosis, vt primi Cymini sylsuestris. Nasci ait Plinius in petrosis. Αρκτιον Græcè: Latinè similiter Arction: item & Αρκτοῦρον & Arcturon appellant: Ab vrso nomen habet, qui Græcis αρκτος dicitur. Allucinantur qui Arction idem cum Arceio siue Personata faciunt, multò verò magis, qui & cum Vngula caballina coufundunt. Inter Vngulam enim caballiniam, quæ Græci Βήχιον, & Action Plurimum est descrimini. Facultatis autem Arction est admodum tenuisū partium, vt Gal. ait, & ob id exsiccātis, extergentis tamen modicè. Decoquitur in vino (inquit Plinius lib.27.cap.5.) radix ad dentium dolorem, ita vt ore contineatur decoctum. Bibitur & propter Ischiada & Stransguriam è vino. Ambustis & Pernionibus imponitur: fouētur eadem cum radice semine trito in vino. Arctij radix & semen in vino decocta, dentium dolorem mitigant, si decoctum ore contineatur. Ambusta & perniones eodem decocto fouentur. Bibitur item ad coxendicum dolores & stranguriam è vino. Eadē Plinius tradit. Radix decoquitur in vino ad dentium dolorem, ita vt contineatur ore decoctum. Bibitur & propter ischiada & stranguriam è vino. Ambustis imponitur & pernionibus, fouentur eadem cum radice semine trito è vino. Et rursus Ambusta sanantur plantagine, arctio, ita vt cicatrix fallat, folia eius in aqua decocta & contrita illinuntur. Galenus idem confirmat his verbis. Arctium quod verbasco est simile, radice tenera, candida, dulci, caule oblongo & molli, semine cymino simili, facultatis est admodum tenuium partium, & ob id exsiccantis, extergentísque, tamen modice, quamobrem radix ac semen cocta in vino

Lib.27.c.5. *Lib.26.c.12* *Lib.6.sim.*

quadan

quadantenus dolores dentium mitigant. Porrò ambusta & perniones non harum modo decoctum affusum, sed & caules teneriores sanare possunt.

CACALIA, CAP. XLVI.

Nomina ΚΑΚΑΛΙ'Α & λεοντικὴ Græcis, similiter Latinis Cacalia & Leontice. Gale.in simpl.medicamentorũ numero Cacaliã non recenset, sed Cacanũ eam appellare videtur, prætermissa Cacaliæ voce, quod tamẽ facere nõ solet in variis plantarũ nomenclaturis, vtpote qui vnã atq; alterã semper adiiciat. Quod autẽ Cacanũ, legendum sit in Galeno, & non Cancanũ, vt in vulgatis exẽplarib⁹ legitur, ex Paulo perspicuũ est, qui apertè κάκανον habet, de quo eadẽ planè tradit quæ Galen. & eadẽ prorsus vterque quæ Dioscorides de Cacalia, ita vt Paulus qui post Cacanum scribit Cacaliam viribus & vsu Cacano similem esse, eandem ~~om~~ omnino dicere debuisse videatur, cùm Galenus eandem fecerit, vt dicetur. Ex iisdem intelligi licet bacanum pro Cacano mendosè legi locis aliquot apud Paulum, quibus medicamenti hepatici ex Cacano meminit. Cacalia, ita describente Dioscoride, folia fert alba, bene magna, caulis è medio ipsorum prodit rectus, albus, qui florem habet quercui aut oleæ similem. Nascitur in montibus. Ex qua delineatione Dalechãpius Cacaliam esse quæ hîc pingitur opinatus est, in summis excelsorum montium iugis prouenientem, radicibus multis, candidis, implicatis, crassiori cuidam velut caudici circumpositis, fatuis & gustatu lentis tragacanthi modo: caule cubitali, recto, lanugine candicante: foliis multis, latis, amplis, crassis, subrotundis, in ambitu crenatis, longo crassóque pediculo nixis, venosis, auersa parte candida lanugine hirsutis: flore copioso, puniceo, in pappos abeunte. In florum vmbilico granum rotundum prominet niueum, margaritæ simile, cui rectè Plinius comparauit, quod excusso flore nudum nitidúmque dependet. Cacaliæ radix, inquit Dioscorides, in vino macerata vt tragacantha, & per seipsam delincta, aut manducata, tusses & arteriæ asperitates sanat. At grana quæ postquam defloruit, enascuntur, trita, cerato excepta & illita, faciẽ extendunt, & à rugis cõseruant. Quibus vide num similia de cacano scripserit Galen. vt eadẽ dicenda sit planta quæ cacalia. Cacani radix facultatem habet mordacitatis expertem, & modicè exciccantem, essentiam crassam, & emplasticã. Quapropter macerata vino sicut tragacantha, & lincta asperitates arteriæ sanat: nec minus si quis eam mandat, succus eius defluens prodest arteriæ similiter vt glycyrriza, quæ solùm transcripsit Paulus. Eadem etiam & quædam alia de Cacalia tradit Plinius. Cacalia siue Leonticę vocatur, semen margaritis minutis simile, dependens inter folia grandia, in montibus ferè. Huius grana quindecim in oleo macerãtur, atq; ita aduerso capillo caput vngitur. Et rursus. Radix Cacaliæ cõmanducata, & in vino madefacta, nõ tussi tantùm, sed & faucibus prodest. Et alio in loco. Cacaliæ grana mixta ceræ liquidę extẽdunt cutem in facie erugantq;. Loco verò supra citato non intelligendum semen inter folia grandia folia dependere, hoc enim falsum est, sed caulem in cuius surculis & adnatis semen dependet, ex grandiũ foliorum congerie sese attollere.

Margin: Corna. Emb. 106. — Lib.7. — Vide Phytop. pag. 370. — Lib.3.c.46. &.7.c.16. — Lib.4.c.118 — *Forma.* — *Locus.* — κάκανον, seu κακαλία quasi χαχαλία παρὰ τὸ χάζειν quia χάζω ē recedo qm̄ in recessu seu secessu nimi in montium iugis tantū oritur. — Lib.25.c.11. — Lib.4.c.118 — *Vires.* — Lib.7. sim. — Lib.7. — Lib.25.c.11. — Lib.26.c.6. — Ibid.cap.15

CACALIA.



CHAMAE

CHAMAECISSOS, CAP. XLVII.

Nomina

KAMAIΚΙΣΣΟΣ Latinè etiam Chamæcissus, id est, humilis siue pusilla hedera. Sed quænam sit planta quæ verè Chamæcissus Dioscoridis dici possit, inter herbarios ambigitur. Sunt qui hederam terrestrem Officinis dictam Chamæcissum esse volunt, effigie, viribus, vulgari appellatione consentientibus, qua de re paulò pòst dicemus. Alij horum reiecta sentētia, Chamæcissum esse contendunt eam quam pro consolida media Matthiolus & Fuchsius exhibuêre, bene cõuenientibus notis omnibus quæ Dioscorides Chamæcisso assignat. Ea, inquit, folia habet hederis similia, longiora tamen, & tenuiora, multa: ramulos palmi altitudine quinque aut sex, à terra foliis plenos: flores violæ similes, minores tamen, & gustui valde amaros. Radix tenuis, alba, inutilis est. Nàscitur in locis cultis. Sic, vt à natalibus incipiamus, quæ hîc picta est. In cultis gignitur, scilicet in agrorum marginibus & aggeribus, radice candida, tenui, inutili, quaternos & interdum plures cauliculos mittit, dodrantales, foliosos: folia circa cauliculorum verticem hederæ folia prorsus referentia, prope radicem longiora, & vtrobíque tenuiora, subhirsuta, quod Dioscorides non habet flores violæ similes, (sic enim conuerte λευκόια, non violæ albæ speciatim: nam etsi leucoij nomine viola alba significetur, tamen pro lutea, & cærulea, & purpurea solet vsurpari) minores (non candidiores ac tenuiores, vt vertit Ruellius, nam hæc in Græcis non legimus, quæ habent ἄνθη λευκοίοις ὅμοια, μικρότερα καὶ πικρὰ & cætera.) è candido cæruleos quòd Dioscorides omisit, amarissimos.

In c.9.lib.4 c.146.hist.

Forma.

CHAMAECISSVS, Quorumdam.



Quòd si his vires suffragentur, & quemadmodum Chamæcissi Dioscoridis folia ischiadicis vtilissima sunt, trium obolorum pondere in tribus cyathis aquæ ad dies quadraginta aut quinquaginta pota, & eadē morbum regiũ purgant eodem modo pota sex aut septē dies, ita si ea quæ hîc exhibetur, facultates habeat ad iocinorosos, lienosos, ischiadicos sanandos insignes, magnum fuerit tuendæ illorum opinionis argumentum. Plinius aliter de Chamæcisso quàm Dioscorides scripsisse videtur, vt hanc cum alia cõfuderit, aut de diuersa herba scripserit. Sic enim ille. Est & rigens hedera quæ sine adminiculo stat sola omniũ generũ, ob id vocata orthócissos. E diuerso numquam nisi humi repens Chamæcissos. Rursus. Iidē (Græci) Chamæcissum appellant hederam nõ attollētem se à terra. Et hęc cõtusa in vino acetabuli mēsura, lieni medetur: folia ambustis cũ axungia. At hunc Chamæcissi vsum Dioscorides nõ tradit. Et alio in loco. Chamæcissos spirata est tritici modo, ramulis quinis ferè foliosa: quum floret existimari potest alba viola, radice tenui. Bibunt ischiadici folia tribus obolis in vini cyathis duobus septē diebus, admodum amara potione. Quæ non in totum, sed aliqua ex parte tantùm cum his quæ Dioscorides tradit, cõsentiunt. Item Plinius alibi etiam tertiã cyclaminon sibi demonstratam esse dicit cognomine Chamæcissum, vno omnino folio, &c. Dioscoridi Galenus assentitur his verbis. Chamæcissi flos cum sit admodum amarus, iecur obstructione liberat, datúrque ex coxendice laborantibus.

Vires. Diosc.lib.4. cap.121.

Lib.16.c.34

Lib.24.c.10

Ibid. ca.15.

Lib.25.c.9.

Lib.8. sim.

PRVNEL

PRVNELLA, CAP. XLVIII.

Nomina

HAVD compertum adhuc est, quòd nomen huic herbæ à veteribus tum Græcis tum Latinis positum fuerit, quare vulgarem medicorum & herbariorum nomenclaturam secuti, Prunellam siue Brunellam, siue cõsolidam minorem hîc vocamus. Germani *Braunnellam, &* *Gotheyl*, Galli *l'herbe au charpentier*. Sunt qui symphytum petræum esse credant, quorum opinio peritioribus parum probatur. Solidago minor quam Germani Prunellam vocant, inquit Matthiolus, caulibus exit quadrangulis, hirsutis, spithamæ longitudine: foliis oblongis, in extremo acuminatis, menthæ proximis, ac etiam subasperis, flores gerit in caulium, ramusculorúmque fastigiis spicatos, purpurascentes, & quandóque candidos. Radix subest parua, prolixior, fibrata. Nascitur in pratis & siluis opacis. Maio & Iunio mensibus floret. Calidam siccámque esse scribit Fuchsius, quòd gustu glutinosa sit, & modicè amara. Dodonæus siccã quidem esse, sed caliditate & frigiditate temperatam, seu modicè frigidam. Vulneraria est herba, nam vbi vulnera glutinare, adstringere, & reprimere sit opus, fœliciter hanc vsurpant. Succum eius cum aceto & rosaceo mixtum, vehementes capitis dolores sedare, recentiores vno consensu tradunt, si tempora eo inungantur, aphthas & oris vlcera, fauciúmque vitia succus eius sanat. Iisdem viribus quibus Bugla & cochlearia pollet, inquit Lobellius, sed efficacius siccat, adstringit, cohibet & reprimit.

PRVNELLA Siue Consolida minor, Matth.



In cap. 9. lib. 4.
Forma.
Locus.
Tempus.
Cap. 237. hist.
Lib. 1. c. 88.
Temper.
Vires.
Matth. ibi.
Fuch. & Dodo. ibi.

MALACOCISSOS, CAP. XLIX.

Nomina

ΜΑΛΑΚΟΚΙΣΣΟΝ in Geoponicis legimus, quæ Latinis est mollis hedera. Eam periti herbarij quidã esse opinãtur, quæ hedera terrestris & terræ corona Latinis & Officinis nominatur, quòd ramulos suos per terram spargens, folioso veluti serto eam coronare videatur, Gallis *Lierre terrestre*, Germanis *Gundelreb*, vel potiùs *Grundreb*, hoc est humi repens viticula. Qui hanc legitimam esse Dioscor. chamæcissum esse contendunt, præter vulgarem hederæ terrestris nomenclaturam: eius etiam vires easdem esse cum iis quas Dioscorides chamæcisso attribuit, medicorum crebro experimento testatum esse volunt, vtpote quæ amarore & cæteris qualitatibus ad obstructiones, & ad arthriticos dolores plurimum sint efficaces. Quantum ad figuram attinet, iis qui folia chamæcissi ex Dioscoride μακρότερα id est, longiora obiiciunt, respondent vnius literæ mutatione μικρότερα, id est, minora esse, vt folia hederæ terrestris, foliis hederæ quidem similia sint, sed rotundiora, atque adeò minora & tenuiora. Et hîc lapsus in Dioscoridis exemplaribus frequens est, id quod aliquoties annotauimus. Vt vt res hæc habeat, planta hæc ex eadem radice fibrata, cauliculos multos per terram repentes emittit, quadrangulos, teneros, in quibus folia quadentenus rotunda, scabra, vbique crenata grauis odoris, gustu amara, minora, rotundiora, teneriora, foliis hederæ inter quæ flores emicant gustu amari, cærulei, qui color etiã leucoiorum

Pena in Adue.
Dodo. lib. 3 cap. 50.
Forma.

leucoiorum est, vel purpurei. Vbique ferè, sed præcipuè opacis & vdis locis crescit. *Locus.* Martio statim erumpit, & floret in magnam vsque æstatis partem, sæpiúsque toto *Tempus.* anno viriditatem suam conseruat Calidam siccamq; esse præsertim florum amaritudo insignis demonstrat. Quare ad discutiendas obstructiones iocinoris & lienis, *Temper. & Vires*

HEDERA TERRESTRIS Malacocissos, Matth.



MALACOCISSOS Ex pictura, Dodon.



& ad purgandũ icterum præcipuè valet, & ad coxendicum, & ad alios arthriticos dolores suppressos, menses euocat, vrinam mouet: manibus confricata & contrita, auribusq; immissa, earum sonitus & obtusum auditum sanat. Contra pestem etiam *Fuch. Ibid.* tradunt efficacem esse, id quod equites quoque sciunt, hi enim quoties fibula dicta pestis equum corripuerit, hac contra eandem herba magna efficacia vtuntur. Folia hederæ terretris, auctore Trago, exulcerationi vitiisq; colli & faucium gargarisatu conducunt. Idem decoctum scabiei atque oris & muliebrium locorum vitiis, *Lib. 2. c. 87.* medetur. Succus eiusdem fistulis, aliisq; id genus malis purgandis maximè prodest.

ELLEBORINE. CAP. L.

Ἐπιπάκτις & Ἐλλεβορίνη Græcis, similiter Latinis Epipactis & *Nomina* Elleborine dicitur. Dioscorides breuissimè de epipactide tractans, non *Lib. 4. c. 104* quia similis esset aut facie aut viribus Elleboro albo vel nigro Elleborinem dictam fuisse ait, vt quæ nam sit hodie herba quæ genuina Elleborine dici possit iudicare perdifficile sit, sed quia Elleboro albo misceretur, & iisdem locis nasceretur, vt etiam Theophrastus auctor est, de Elleboro albo scribens *Lib. 9. hist. cap. 11.* his verbis. μίσγεται δὲ πρὸς τὴν πόσιν ὅπως εὐεμέσῃ, τὸ τῆς ἐλλεβορίνης σπέρμα. τοῦτο δ' ἐστὶν ποάριον. Id est, Miscetur autem potioni, vt vomitus bene succedat, Elleborines semen. Hæc herbula quædam est. Verùm Dioscorides θάμνισκον μικρὸν vocat, id est, fruticulum paruum, exigua foliola habentem, sed θαμνίσκου voce sæpe is abutitur, quemadmodum & Plinius abuti potuit, hanc modo fruticem, modo herbam paruam appellans. In Asia & Græcia, inquit, nascuntur frutices, epipactis quam alij *Lib. 13. c. 20.*

Vide Phytogr. pag. 340.

ELLEBORINE, Matth.



Lib.27.c.9.

In cap.104 lib.4.

Elleborinen vocant, paruis foliis, quæ pota cõtra venena prosunt, sicut erices contra serpentes. Et rursus. Epipactis ab aliis Elleborine vocatur, parua herba, exiguis foliis, iocinoris vitiis vtilissima, & contra venena pota. Recentiores herbarij nominis similitudine adducti, existimantésque Elleborinen Elleboro facie similem herbam esse, hi Elleboro albo, illi nigro similem herbam commenti sunt. Quare si Epipactis Elleborine dicta est, inquit Matthiolus, quod cum Elloboro nigro similitudinem habeat, ea nobis epipactis erit, quæ nascitur in Goritiensi agro, quam epipactida appellare libuit, non quod Dioscoridis Elleborine sit, sed quod Elleborum nigrum quadantenus repręsentet foliis, floribus, atque etiam radicibus. Alpinam Elleborinen Saniculæ & Ellebori nigri facie vocant Pena & Lobellius. Iisdem mõtosis, vmbrosis, sed altioribus & Alpinis gaudet. Radice est fibris multis, ex vno nexu appensis donata, ex qua eriguntur pediculi teneri, glabri, flexiles, in quorum summitatibus folia quinque partita, parum crenata, Geranij columbini, aut Saniculæ diuisura: flores radiati, ex senis foliolis, gustu non ingrato, sed acriore. Quia radicem habet Elleboro nigro simillimam, Elleborum nigrum esse voluerunt. Quæ ex Dodonæo hîc picta est, Elleborum album refert, nisi quòd omnibus partibus minor est. Caule est recto, foliis virgatis, Ellebori albi aut plantaginis folia referentibus, sed minoribus, flores ex caule pendent albi, in medio caui, notis luteis & purpureis, miro modo variegati, in siliquis crassiusculis semen veluti sabulum continetur. Radices huc illuc sparsæ, succulentæ, denso, ortice gustu amaro. Pratis vliginosis, locísque vmbrosis & opacis gaudet. Iunio & Iulio mensibus floret. Calida siccáque est temperatura. Elleborine, auctore Dioscoride, iocinoris vitiis vtilis est, & contra venena pota.

ELLEBORINE, Dodonæi.



Lib.3.c.25.

Forma.

Locus.
Tempus.
Temper.
& Vires.
Li.4.c.104.

HERBA PARIS, CAP. LI.

Nomina

HErba Paris recentiorum, & Vua lupina, siue vua versa, Gallis *Raisin de renard*, Germanis *Vuolffsbeer*, Lobellio & Penæ solanum tetraphyllum dicitur, quod herba sit quaternis foliis, cyclamino aut cucumeri haud absimilibus, credidit Fuchsius aconitum esse pardalianches Dioscoridis. At cum notæ sint hodie alię & veræ aconiti differentiæ, nec huic herbæ vlla venenata insit facultas, imo contra venena præstantissima ex ea parentur remedia, certum est à pardalianche longe diuersam esse. Solanum est monococon Gesnero, aconitum monococcon Cordo, asternon

atticus

HERBA PARIS.



atticus Trago. Caule est vnico, rotundo, læui, gracili, palmum aut sesquipalmum alto, à cuius plusquam medio quaterna exoriuntur folia, decussatim aut ex aduerso sita, crucis instar, nigricantia, rotunda, oblonga, tenuia, sanguineæ simillima: totidem in caulis summitate, eodem situ, sed minima & longiuscula circa florem ex luteo herbaceum, è cuius medio purpureus vinosúsque extat globulus, acino vuæ similis, in quo semen album, minutum: radix longa, gracilis huc illuc summo cespite spargitur. Siluas vmbrosas & frigidiusculas septentrionales amat. Aprili mense floret, Maio semen maturat. Baptista Sardus scripsit nouisse se quosdam, quorum aliqui morborum diuturnitate, alij verò veneficiis semistulti facti erant, hoc tantum Herbæ paridis semine, ad vigesimum vsque diem in puluerem hausto drachmæ pondere, pristinæ sanitati omnino restitutos fuisse. Refrigerat insigniter, quare arsenici vim reprimit.

Locus. *Tempus.* *Vires.*

LVNARIA MINOR,
CAP. LII.

VETERIBVS ignota, aut certe nullo ab his nomine donata hæc à recentioribus Lunaria & Lunaria minor, & Lunaria racemosa dicta, à foliis lunæ crescentis modo falcatis, Gallis *Petite lunaire*, Germanis *Monkraut*. Serpit humi vnico vtrinque folio profundius diuiso, crassiusculo, vel foliis multis superne rotundis, inferne falcatis, quibus scolopendrium verum refert. è medio cauliculus exit, palmaris, ferens in summo racemosum florem ambrosiæ, aut botridis, & quadantenus ophioglossi similem, radix fibris multis constat. In scrobium marginibus & aggeribus vligine madentibus & secus vias plerumque nascitur. Maio & Iunio mensibus reperitur, deinde deperit. Gustu sicca est admodum & adstringens, quare frigida siccáque est temperatura, ophioglossi vt quodammodo aspectu, ita facultate similis, vel efficaciori, ad vulnera optimè glutinanda, vlcera cicatrice obducenda, luxata coniungenda. Constat etiam experientia ad supprimendos menses, & ad album muliebre profluuium, mirifice hanc herbam conferre. Quidam Tragium secundum Dioscoridis esse putant, in montibus & præcipitiis nascens, folio Scolopendrij, radice tenui, candida, Rhaphano syluestri simili, quæ cruda & cocta dysentericis prodest. Constat certe folia grauiter olere inclinante æstate, vnde nomen inditum putat Dioscorides. Alia est ab herbariis Luna-

Nomina Vide Thyrop. pag. 144.

Forma.


LVNARIA Minor, Matth.



Locus. *Tempus.* *Temper.* *Vires.* *Lunar. alia*

Forma. ria minor nominata, ſiue cærulea à florum colore, & Lunaria Magorum Arabum, radice multiplici, fibrata, longiuſcula, ſublutea, amara, odorata, foliis multis paruis, rotundis, craſsis, aſaro ſimilibus, longiuſculo pediculo nixis: cauliculis ſurrectis, læuibus, nudis: flore violæ in caulis faſtigio nitente, cæruleo, venuſto, in quinque foliola diuiſo, quæ extrema parte radiatim velut in exilia ſtamina finduntur: ſemine in ſiliquis oblongis, in tenue filum deſinentibus.

LVNARIA Alia minor cærulea, Dalech.



LVNARIA Lutea, Dalecham.



Locus. *Tempus.* tibus. In niuoſis montibus prouenit, etiam ſub niue ipſa, ita vt niue liquata, ſtatim exurgat. Floret menſe Aprili & Maio. Quibuſdam placet hanc eſſe Aſclepiadem legendum, quæ apud Dioſcoridem, φύλλα μικρὰ (non μακρὰ) κισσῷ ὅμοια: notis reliquis bene conuenientibus. Præterea, alia eſt Lunaria minor ſiue lutea, à Monſpelienſibus nominata, quæ in pratorum & humidorum agrorum marginibus proſilit, radice ferè ſimplici, modice fibrata, candida: caulibus tribus aut quatuor, ſeſquipedalibus parum aut nihil folioſis: foliis circa radicem multis, craſsis, longis, per oras laciniatis, hirſutis, punctis albicantibus maculoſis, guſtu valde adſtringentibus: flore luteo, tribus tantum foliolis conſtante: ſemine exiguo in latis vaſculis Lunariæ modo, per caules ſparſis, Ancyliis Romanorum non diſsimilibus, velut ex rotundis diſcis duobus compoſitis, è quorum medio tenuis pilus eminet. Pena thlaſpi paruum hieracifolium vocat.

TELE

TELEPHIVM, CAP. LIII.

FABARIA, crassula, & crassula maior, & faba crassa vulgo, Germanorũ *Vundkraut*, Gallorum *Orpin, seue grasse, & seue espaisse*, Telephium Dioscoridis peritis multis esse videtur, Latinis etiam Telephium dictum. Fabaria & faba crassa, à foliorum fabæ similitudine & crassitudine. Telephium verò quod vlceribus malignis & deploratis, quibus Telephus Mysię Rex ab Achille vulneratus consenuit, quæ ob id etiam telephia vocantur, auxilietur. *Nomina*

ob effectu quia medeatur telephijs ulceris. idest malignis, et inveteratis.

TELEPHIVM Floribus purpureis, Lobellij.



Forma. Cauliculum profert rotundum, spissum, fragilem, foliis vestitum crassis, carnosis, succo plenis, portulacæ hortẽsi haud absimilibus: flores elegãtes in vertice albos, vel luteos, vel purpureos in vmbellis drabę, radix alba est, carnosa, tuberosa, cõpacta. Hanc plantam Dioscorides etiam delineasse videtur his verbis. *Lib.2.c.181* Telephium herba & caule & foliis portulacæ similis est, alas binas in singulis foliorum geniculis inhærẽtes habet, à radice seni septenive ramuli prodeunt, cęruleis, crassis, viscosis, carnosis foliis referti: flores illi sunt lutei aut albi. Quæ Plinius transtulisse videtur. scribens, *Lib.27.c.13.* Telephium portulacæ similis est, & caule, & foliis. Rami à radice septeni Octonive fruticant, foliis crassis, carnosis. Hæc Plinius. *Locus.* Nascitur, inquit Dioscorides, in vineis, & locis cultis, vere. Sic crassula in vinetis, cultis incultis, humidis, siluosis, & passim alibi abundat. *Tempus.* Vere statim prosilit, Iulio & Augusto mensibus floret. Præter



FABARIA Matth. & Fuch.

TELEPHIVM Purpurascẽs, Fuch.



Telephium, quod flores albos profert & luteos, ex Fuchsio Telephiũ quod purpu-
rascentibus floribus emicat, hîc pictum damus, quod ad differẽtiam superioris, Te-
lephium purpurascens appellauit. Præter flores qui in primo candidi sunt, in hoc
autem purpurascentes, foliorum etiam colore differunt, qui in candido viridis &
herbascẽs est, in purpurascente paulò pallidior.
Cætera omnia in his similia apparent folia po-
tissimum, quæ fabacea prorsus sunt, nisi quod
pinguiora & crassiora. Huic Lobellij Telephiũ
floribus purpureis appinximus. Aliud Telephiũ
Hispanicũ Clusius descripsit, quod habet duos
aut tres pluresve caules, ex radice prodeuntes,
cubitales, succulẽtos, procumbentes, in quibus
folia ex interuallis bina semper inter se opposi-
ta, vt in myrto, crassa & succi plena, quemadmo
dum Crassula maior, sed maiora, & magis car-
nosa: flos in extremis ramis quasi vmbellatim
nascitur, quemadmodum in crassula, pallidus:
radices illi plurimæ, glandulosæ, crassulæ radi-
cibus similes. Viuax admodum est, adeò vt rami
eius in terram depacti, statim radices agant. Na-
scitur in Hispania, vmbrosis quibusdam, frigi-
dioribusque locis. Telephium vocant Hispani,
Clusio crassulæ genus potius videtur, quando-
quidem cærulea folia non habet, sed ex herba-
ceo pallentia, portulacæ satiuæ lætioris triplo
aut quadruplo maiora. Præterea Lobellius Te-
lephium aliud pinxit minus repens, semper vi-
rens, folio rotũdiore, flore rubro, radice fibrosa,
cauliculis cepæ crassioribus. Dodonæus crassu-
lam refrigerare tertio ordine, & iisdem viribus
semperuiuum preditam esse scripsit. Dioscori-
des verò folia senis horis illita, albas vitiligines
sanare, sed oportere postea hordeacea farina il-
linere locum. Quinetiam alphos tollere cum
aceto in sole inuncta, sed cum inaruerint, abster
guntur. Galenus verò Telephium exsiccandi &
detergendi facultate esse, non tamen insigniter
calida. Verum in hoc forsan primi esse ordinis,
desiccare autem secundo ordine intenso, aut
certè principio tertij. Quare ad putrida vlcera
conuenire, & leucas & alphos cum aceto sana-
re. Cum igitur crassula detergentis exsiccantis-
que facultatis minimè particeps sit, foliáque fe-
rat portulacæ maiora, eorũ sententiam reiicien
dam esse cẽset Matthiolus, qui Telephium esse
putant, quamuis illa notis multis Telephium
referat. At qui medicamentorum experientiam
profitentur, respondent crassulam multis viri-
bus pollere, & plura præstare quàm quæ Dio-
scorides Telephio tribuit. Præterea caliditas illi
non

TELEPHIVM Hispanicum, Clusij.

Lib.2.stirp. Hisp.c.25.



Lib.1.c.26.

TELEPHIVM Minus semper virens, Lobell.

Temper. & Vires.



Lib.8.sim.

Pena in Ad.

non deeſt, neque ſiccitas tanta, quantam Galenus & Paulus tradiderunt: nempe caliditas primi ordinis, quę guſtu vix percipiatur: ſiccitas, cuiuſmodi in ſemperuiuo: abſterſio, qualis ineſt farinæ fabarum & portulacæ, quæ videtur potiùs lenire glutinoſo ſucco, cum primo appulſu linguam tangit. Adhæc non ſolùm calfacientibus, exſiccantibus & detergentibus, telephia vlcera curantur, ſed etiam potionibus, pultibus, fomentis ex craſſula paratis, ad acrimoniam ſaniei erodentis, & opus naturæ impedientis rotundendam, ac cacochymiam corrigendam intus & foris. Plinius quantum ad vſum contra vitiliginem attinet, à Dioſcoride diſſentit: ſcribit enim. Illinitur lentigini, & cum inaruit, deteritur. Illinitur & vitiligini ternis ferè menſibus, ſenis horis noctis aut diei: poſtea farina hordeacea illinitur. Medetur & vulneribus & fiſtulis. Li.27.ca.13.

AVRICVLA MVRIS, CAP. LIIII.

MYOΣ ὦτα vel μυὸς ὦτις & μυὸς ὤτιον Græcis, Latinis Auricula muris, Gallis *Oreille de ſouris*, Italis *Orechia di topo*, Germanis *Menſzorlin*. Dioſc. vnius myoſotidos meminit. Recẽtiores plura fecerũt genera, omnia à foliorũ figura auri murinæ ſimili. Auricula muris, ita deſcribente Dioſc. caules emittit ab vna radice plures, infernè ſubrubẽtes, cauos: folia oblõga, anguſta, dorſo elato, nigricantia, ex interuallis gemina, in acutum deſinentia: tenues cauliculi ex alarum ſinu enaſcuntur, in quibus floſculi parui, cærulei, velut anagallidis: radix digitali eſt craſſitudine: cum multis adnatis. Similiter deſcripta eſt à Plinio his verbis. Myoſota ſiue Myoſotis læuis herba, caulibus pluribus ab vna radice, aliquatenus rubentibus, concauis ab imo: foliis anguſtis, oblongis, dorſo acuto, nigris, per interualla aſſiduè geminatis: & tenuibus cauliculis ex alis prodeuntibus, flore cæruleo: radix digitali craſſitudine, multis capillamentis

Nomina

Genera.

Li.2. c.179.

Forma.

Li.27. c.12.

AVRICVLA *Muris*, *Matthioli.*



AVRICVLA *Muris*, *altera*, *Dodon.*



fibrata. Quæ omnia aptissimè competunt in eam, quæ hîc ex Matthiolo appin-
In cap.179. lib.2. gitur. In pratis,agris,hortis,secus vias,& passim ferè copiosa, mense Maio floret.
Locus. Dodonæus alteram pinxit,quæ plerísque Auricula muris videtur. Est autem hu-
Tempus. milis herba, quæq; sæpius per terram serpit, lanugine delicata mollíque onusta,
Lib.1.ca.35. Auricula muris 2. cæterùm alsinæ mediæ satis similis:multos enim ab vna radice cauliculos profert,
ima parte rubescentes:folia longa,aspera,& hirsuta,Aures murinas apprime refe-
Forma. rentia:flosculos albos,siliquas longiusculas velut alsine: radicem fibratam. Hanc
periti quidam herbarij veram Dioscoridis Elatinen esse suspicantur satis con-
gruente historia. Nascitur enim in cultis & segetibus, ramulos quinos senósve
emittit è radice dodrantales,foliis plenos, gustu adstringentibus, helxinæ simili-
bus,hirsutis,rotundioribus. His tertiam adii-
Ibidem. cit, sed non depingit, idem Dodonæus, quæ
per terram minimè serpit,sed recta inter cæte-
ras herbas accrescit,aliis similis caulibus & fo-
liis, sed maior & candidior, lanugine operta,
ad tactũ glutinosa, & perinde digitis hærente,
ac si melle rigata foret. Flores ex capitulis
prodeunt vt in superiore, semen in siliquulis
concluditur. Hæc est Ocimoides minus albũ,
à nobis in Horto descriptum ac depictum.
Istæ duæ quibusdam vt diximus, Auriculæ mu-
ris species esse censentur, aliis potius alsines.
Est præterea Myosotis parua Dalechampio,
Myos.parua, Dalec. quæ in locis pinguibus,agris,secus vias gigni-
tur,radiculis paruis,breuibus, inutilibus:foliis
Forma. aizoi modo in orbem humi stratis, oblongis,
parum laciniatis,nonnihil hirsutis: caule tres
digitos albo, tenui,flore albo, quatuor foliolis
constante, sed sic diuisus vt octo esse videan-
tur:semine minutulo in exiguis loculis marsu-
pio similibus, saporis fatui. Floret statim Fe-
Tempus. bruario mense, cum alsine verna,& gramine
Temper. minimo. Refrigerat & humectat. Radix Auri-
Li.2.c.179. Li.7.simpl. Li.27.c.12. culæ muris illita ægilopas sanat, auctore Dio-
scoride, Desiccat ordine secundo,inquit Galenus,cæterùm nullam euidentem ca-
liditatem habet. A quibus dissentit Plinius, qui cum iisdem planè verbis quibus
Dioscorides Auriculam muris delineasset, vis ei septica, inquit, & exulceratrix,
ideóque ægilopas sanat.

MYOSOTIS Parua, Dalechampij.



VERONICA MAS, *CAP. LV.*

Nomina CELEBERRIMA est apud recentiores herba quæ Veronica mas ab
Vide Phytop. pag. 469. illis dicta est, Græcis & Latinis scriptoribus fortassis incognita, Gal-
lis *Veronique masle*, Germanis *Erenbreisz*, & *Grundheyl*, ob mirificam
Lib.1. c.17. sanandi vlcera ac vulnera facultatem. Dodonæus Betonicam Pauli
Forma. vocat. Herba est per terram serpens cauliculis dodrantalibus,gracilibus, purpura-
scentibus,villosis:foliis longiusculis nigricantibus,parum hirsutis, serratis:floscu-
li in summitate diluti purpurei sunt: semen in loculis minutum: radix tenuis, fi-
Locus. brata,breuis. In marginibus agrorum & siluarum prouenit. Iunio & Iulio mensi-
Tempus. bus,floribus & semine abundat.Veronicam maiorem Septentrion alium marem
Temper. Fuchs.& Dodon. Lobellius vocat. Amaritudinem quandam & vehementem
adstrictionem

VERONICA Mas, Fuchſ.



VERONICA Mas, Matth.



VERONICA Recta minima, Lobellij.



adſtrictionem guſtu præ ſe fert, vt hinc calidam ſiccámque eſſe coniicere liceat. Mirificè ad cruenta & vetera vlcera, & vulnera ſananda confert. Scabiei & omnibus cutis vitiis medetur. Tumores in quacumque corporis parte fuerint, potiſsimum autem in ceruice, diſcutere poteſt. Recẽtiores eius vſum ſummopere commendant in febribus peſtilentialibus, propinantes ſiccæ puluerem drachmarum duarum pondere cum theriace drachma ex vino meraco, ea tamen lege vt ſtatim ſudent ægri. Eadem datur potanda ex ſua ipſius ſtillatitia aqua vtiliter contra tuſsim & vitia omnia pectoris & pulmonis: nam tabidos & ſuppuratos iuuat. Præterea aperit iocinoris & lienis obſtructiones, vterum, renes & veſicam expurgat. Lobellius Veronicam marem, Matthioli Veronicam rectam appellat, foliis & flore in ſurrectis pedalibus cauliculis, aliis non diſsimilibus, ſed maioribus amœnioribúſque. Huic appingit Veronicam rectam minimam, quæ vix vnciam & ſeſquiunciam æquat, foliis Veronicæ noſtratis, aliquanto minoribus. Floſculi non diſsimiles, ſed denſiores comoſioréſque ſpicati, corniculis, crebris ſuccedentibus. Hæc Lobellius. *Vires.*

COCHLEA

COCHLEARIA, CAP. LVI.

Nomina Dod.lib.1. cap.78. *Forma.*

GERMANORVM *Leffelkraut*, & Belgarum *Lepelkraut*, ideſt, Herba Cochlearis huic herbæ cochleariæ nomen fecit, Gallicè *l'Herbe aux cuilliers*, à foliorum caua rotunditate, cochlearis connexam intimamq́; ſuperficiem exprimente. Hæc foliis eſt latiuſculis, craſsis, vmbilicatis, & nonnihil cauis, parui cochlearis more, ambitu interdum anguloſis, oxalidis rotundæ ferè ſimilibus, ſed nec tenera ſunt, nec candicantia, imo duriuſcula, & ex fuſco viridantia: cauliculi quadãtenus anguloſi, palmares aut pedales: floſculi candidi, ſemen paruũ, rubeſcens in ſiliquulis: radix tenuis, fibrata, albicans, guſtu acri. In Friſia & Holandia, frequentiſsima ſecus ſepes & in pratis. Aprili & Maio menſibus floret, per æſtatem ſemen fert. Calida ſiccáque eſt herba, guſtu acri, naſturtij, aut Sij cardamines. Quare ſunt hodie eruditiſsimi herbarij qui Britannicam Plinij eſſe cenſent, quod iiſdem locis reperiatur, iiſdemq́; viribus prædita eſſe comperiatur, quas Cæſaris milites, trans Rhenum promotis caſtris, aduerſus Stomacacen edocti, à Friſiis colonis experti ſunt, vt ex eodem Plinio fuſiùs alibi diximus. Verum cum hæc Plinianæ deſcriptioni minimè conueniat, & ſint multæ, vt naſturtia, & Sium cardamine eidem perſimiles guſtu, nec facie multum diſsimiles, ad eadem vtiles, nullum inde certum ſumi poteſt argumentum, quo Britanicam hanc eſſe probare quis poſsit. Quidam, inquit Dodonæus, hanc telephium Græcorum eſſe putant. Cochlearia in aqua decocta frequenti collutione, contra putrida oris vlcera, & cætera eius vitia ſummoperè efficax eſt. Singulari etiam remedio eſt aduerſus oris affectum, quem Plinius Stomacacen, Marcellus Oſcedinem, Holandi Friſiíque *Scicerbuych* nominant. Quod cum frequens experientia comprobarit, magno eſt apud Holãdos & Friſios in vſu, & commendatione. Iſti congener eſt vel ſimilis, quæ Cochlearia Anglica à Pena & Lobellio dicitur, flore, ſemine, & ſapore, ſed foliis non tam vmbilicatis, aut in Cochlear efformatis, potiùs Atriplicem aut Lapathum paruum referentibus, vnciam latis, & in ſeſquiunciæ aut vnciarum duarum longitudinem porrectis, craſsis, denſis, ſucculentis, guſtu & colore ſuperioris Cochleariæ: radice maiore. Æque vt ſuperior laudatur ad Stomacacen. In anglia ad Tameſis fluenta, & qua Londinum præterlapſus eſt, & in Briſtoiæ ſinu Occidui Occeani prouenit.

Locus. *Tempus.* *Temper.* Pena in Aduerſ.

COCHLEARIA, *Dodon.*



COCHLEARIA *Britãnica, Lob.*

Li.1.ca.178. *Vires.* Dod.ibid.



PERFO

PERFOLIATA, CAP. LVII.

Vix affirmare quis poſsit, fuerítne veteribus cognita deſcriptaq́; hæc herba, quæ Perfoliatum & Perfoliata hodie vocatur, quòd caulis ſingula eius folia perforet, & penetret, Gallis *Perſefeuille*, Germanis *Durchvvachſz*. Ambigitur hodie à nonnullis ſit ne Dioſcoridis Cacalia. Eiuſdem cotyledon à nonnullis crederetur, niſi radix obſtaret, quæ oliuæ inſtar rotunda non eſt. Perfoliata caulem mittit rotundum, gracilem, ramulis multis & tenuibus fruticantem, folia ſingula Perforantibus rotunda, in acutum tamen deſinentia, caua, tenera, læuia, colore ex glauco virentia: flores in ramulorum faſtigiis parui, inter foliola radiatim ſita ex aureo pallidi: ſemen fuſcum, radix vnica, candicans, fibrata. Inter ſegetes, in pratis, agrorum marginibus prouenit, & à Chirurgis in hortis colitur. Iulio & Auguſto mẽſibus floret, deinde ſemina producit. Amara modicè eſt, & adſtringens, ex quo intelligere licet, calidam ſiccamq́; eſſe. Decoctum eius in aqua aut vino, vulneribus medetur: quinetiam herbæ ipſius folia recentia trita, & impoſita, cera aut quopiam alio curandis vulneribus vtili vn-

Nomina

Dod. lib. 11. cap. 93. Fuchſ. cap. 242.

Forma.

Locus.
Tempus.
Temper. & Vires.

PERFOLIATA, *Dodonæi.*



PERFOLIATA *Longifolia*, *Dalechampij.*



guento excepta, ramices puerorum ſanant. Eadem herba trita & cum farina vinoq́; admota, prominentias vmbilici infantium reprimit. Plurimus huius apud Chirurgos vſus. Perfoliata alia longifolia cognominata, in cõuallibus altiſsimorũ Iurecacuminum denſis, vmbroſiſq; ſiluarum ſolitudinibus, hominis proceritate creſcit, radice nigra, craſſa, dura, ex quibuſdam tuberculis fibras mittente: caule ſimplici in virgas minimè diuiſo, foliis oblongis, caulem amplectentibus, non autem vt in altera & vulgari per medium traducentibus, craſsis, guſtu amaris, flore è rubro nigreſcente, non coronæ modo, vt in altero genere, caulis verticem ambiente, ſed ex eius faſtigio prodeunte pediculis ſubuecto.

COTY.

COTYLEDON SECVNDA, CAP. LVIII.

Nomina KOTYΛΗΔΩΝ ἑτέρα & κυμβάλιον, Latinè etiam Cotyledon altera & Cymbalium,& Vmbilicus veneris alter, & Acetabulum alterum, Gallis *Le petit nombril de Venus*. *Forma.* Folia habet vmbilico primo latiora, pinguia, densa circa radicem, veluti oculum medium describentia, quemadmodum Aizoon maius, gustu adstringentia, cauliculum tenuem, & in ipso flores & semina hyperico similia, radicem verò maiorem. Quæ hîc picta est, à doctis herbariis creditur esse verus ille vmbilicus Veneris alter, foliis latioribus, crassis, ferè rotundis, in orbẽ circa caulem latiùs sparsis, vt in Aizoo maiore: caulis medius eminet tener, flosculos ferens. *Locus.* Montosis locis crescit, & in hortis colitur ab herbariis. *Vires.* Facit ad eadem, ad quæ etiam semperuiuum, inquit Dioscorides. Qua in re ab eo dissentit Plinius, alioqui in delineatione magna ex parte consentiens, his verbis. Est aliud genus eiusdem (Cotyledonis) sordidis foliis, latioribus, densioribusq́; circa radicem velut oculum cingentibus, asperrimi gustus, longiore caule, sed pergracili. Vsus eius ad eadem, quæ iridis. Sic omnia exemplaria habent, quæ tamen ex Dioscoride emendanda videntur, & iridis voci aizoi vox substituenda, quæ cum rursus sequatur, eam videtur aliquis perperam mutasse: est enim iris calida siccaq́; facultate, Cotyledon altera refrigerante & humectante. Prætereà folia τῇ γεύσει στύφοντα vertit asperrimi gustus pro

Vide Phytop. pag. 554. et 615.

Matthi. in ca.88. li.4. Dod. lib.1. cap.25.

Lib.4.c.88.

Li.25. ca.13.

COTYLEDON II.
Matthioli.



COTYLEDON III.
Dalechampij.



CYMBALARIA,
Matthioli.



astringentis

astringentis gustus:& folia sordida dixit,perinde ac si ῥυπαρὰ pro λιπαρὰ legisset. Herbarij quidam Cotyledonem aliam siue Cymbalium diuersum à superiore depingunt:radice fibris multis nigrísque capillata, foliis multis, crassis, pinguibus, longo pediculo nixis,circa radicem in orbem circumiectis, & tanquam rotundũ oculi ambitum describentibus, venosis, in ambitu crenatis: caule palmum alto, villoso,tenui:flore hyperici, candido. Vmbrosis & opacis siluarum recessibus, & latebris gaudet. Refrigerat & humectat vt aizoum. Saxifragiæ maiori, seu albæ persimilis est, non tamen eadem: differt enim viribus potissimum, & radicibus. Est apud Insubres vulgaris herba,quæ cum Cymbalaria vocetur, à Cymbalio videtur illis nomen duxisse,verúsque esse veneris vmbilicus alter. Venetiis Patauij, & vicinis pagis passim ex parietinis & maceriis comæ modo dependet, cauliculis numerosis,tenuibus,lentis,tenerrimis,capillaceis,pedalibus & sesquipedalibus, è quibus folia prodeunt hederacea,laciniata,mollia,læuia, logis tenuibúsque petiolis nixa:flosculi ex luteo virentes, qui è tenuissimis quoque pediculis emergentes, claiuicularum modo sese implicant. Illic Pharmacopœi veri vmbilici Veneris penuria & ignoratione hac herba vtuntur,iisdémq; pollere facultatibus existimant. Valere eam ad alba vteri profluuia Matthiolus affirmat, si ipsa recens sæpius in acetariis deuoretur,vt Itali solent,prima mensa.

Cotyled. tertia. *Forma.* *Locus.* *Temper.* *Cymbalaria Matth. in cap. 88. lib. 4. Pet. Pen. in Ad.* *Forma.* *Vires.* *Ibidem.*

MVSCVS, CAP. LIX.

ὕπνον ὰ ὕπνος ē somnus ... ex musco ... inducat somnum.

BRYON & σπλάγχνον Græcis appellatur,qui Muscus Latinis, Arabibus *Axnec*,& *Vsnec*,Gallis *Mousse*,Italis *Mosco*, Germanis *Moosz*. Sphagnõ etiam Plinius vocat,item Ætius Sphagnum & Hypnum. Multiplex est Muscus: Arboreus, terrestris, saxatilis, marinus. De arboreo & terrestri hîc tractabimus. Est autem Muscus præsertim arboreus, nihil aliud quàm villi,seu foliola incana minutius & profundius incisa,nascentia, & pendentia ex arboribus sine radice,sine flore,sine semine. In cedro arbore,inquit Dioscorides, populo alba & quercu inuenitur. Optimum est cedrinum,proximum populneũ, in quo genere candidum & odoratius præstat, nigricans improbatur. Plinius de eadem scribit his verbis. Sphagnos in Syrenaica prouin-

Nomina. *Lib. 12. c. 23.* *Lib. 1.* *Genera.* *Forma.* *Lib. 1. c. 20.* *Li. 12. c. 23.*

MVSCVS *Arboreus.*



MVSCVS *I. Terrestris, Tragi.*



muscus ita uocat. à mosco quia habet maxima[m] conuenientia[m] cu[m] mosco odorato propter odoris suauitate[m] et muscu[s] odoratus dicit. à mure ... regione ex qua extrahit.

βρυον. βρυω. i. scaturio quia muscus ex lapidib. et ramis arbor. scaturire uidetur

muscus forte denio[m]i[n]a[tur] à ... uel ... recenter natus ... agnelli recenter nati

cia maximè probatur, alij Bryon vocant: ſecundum locum obtinet Cyprius, tertium phœnicius. Fertur & in Ægypto naſci: quin & in Gallia non dubitauerint. Sunt enim hoc nomine etiam arborum villi, quales in Græcia videmus, ſed odore præſtantes. Laus prima candidiſsimis atque altiſsimis, ſecunda rutilis, nulla nigris. Et in inſulis petríſque nati improbantur, omnéſque quibus palmarum atque non ſuus odor ineſt. Galenus his addit Muſcum, qui in picea arbore reperitur. Naſcitur etiam in abiete, & aliis arboribus. Cæterùm in eo genere quod in Italia prouenit, inquit Matthiolus, is nobilior & odoratior videtur, qui in larice naſcitur: quare & viribus fortaſſe præſtantior erit. Tragus aliud Muſci genus facit, idq́; vulgatiſsimum in pratis & hortis naſcens, villoſum, ſed reliquis generibus gracilius & tenuius, ex luteo viride. Idem & recentiores alij, Muſcum quoque terreſtrem appellant plantam quæ longis viticulis repit, numeroſiſsimis foliis obſitis, funiculos eſſe diceres, qui ſæpe ad ſeptem & octo vlnarum longitudinem protenduntur: multis vtrinq; adnatis ramulis, ſimilibus foliolis obſeptis, vt piceæ arboris ſummitates eſſe videantur. A Lobellio Muſcus clauatus dicitur, Pes leoninus, perpe-

Li.7.ſimpl. — In cap.20. lib.1. — Lib.3.ca.2. — Muſc.terrſt r.1. — *Forma.* — Muſc. terreſtris. 2. Trag.lib.1. cap.189. — *Forma.*

MVSCVS Terreſtris II.



MVSCVS Terreſtris III.



ram Chamæpeuce à Cordo. Tota planta ad tactum ſicca eſt & ſubaſpera, colore ex viridi palleſcente. Serpit humi & inter ſaxa Muſco ſcatentia, nititurq́; radicibus per interualla multis, capillaribus quæ ex viticulis obſequioſis prodeunt, vt in hedera, quibus ſeſe propagat, & gyros nectit, ſpiraſq́; an fractuoſas multas. Iunio verò emittit ex ramuſculorum faſtigiis iulos ferè corylaceos, ſubflauo colore. Naſcitur in ſiluis, ſabuloſis & inuiis locis, præſertim inter muſcoſos lapides. Terreſtri huic Muſco Tragus herbulã ſubiungit, quæ æſtate & hyeme virens omnino ſatiuã ſabinã refert, odore omni deſtituta, guſtu planè amara, Muſci terreſtris ſuperioris inſtar, luteos in cacumine iulos ferẽs, qui & ipſi nullo poſt ſe relicto fructu, protinus pereũt. Quidã Plinij Selaginẽ eſſe volũt Sabinę ſimilẽ, Gallorũ Druidis ſummoperè laudatã cõtra omnia vitia oculorũ, & omnem perniciem. Muſco terreſtri non abſurdè ſubiungetur herba Græcis Latiníſq; veteribus forte ignota, quibuſdam

Locus. — Muſc.terreſtr.3. Lib.1.c.189. — *Forma.* — Lycopod. Dodon.

MVSCVS Alius terrestris Lycopodium, Dodon.



MVSCVS Fœniculaceus.



MVSCVS Terrestris denticulatus, Lobellij.



quibusdam Officinis pro spica celtica non sine graui errore vsurpata, vulgi appellationẽ secutus Dodonæus λυκοπόδιον nominat, idest, Lib.3 ca.71.
Pedem lupinum, Gallicè *Pied de loup*, vel *Patte de loup*, Germanicè *Beerlap*, *Gurtelkraut*, & Musci quintum genus facit. Viticulis per humum serpit, foliolis veluti pilis densis admodum vestitis, radiculis in quibusdam partibus terræ infixis, & inhærentibus. Ex his enascuntur aliæ in tres quatuórve particulas fissæ, in apices candidos desinentes, lupinos vngues satis aptè referentes, producentésque cauliculos rectos, tenues, candicantes, rarioribus pilis hirtos, tenues veluti spicas ferentes, foliolis plenas, quæ flosculis candidis similes sunt.
Vdis locis, & siluis vmbrosis, crescit. Muscum *Locus.*
alium fœniculaceum vocant herbarij, quem Musc.fœn.
gignunt arbores in frigidissimo Allobrogum tractu, locis asperrimis, & maximè saxosis educatæ, præsertim quercus & fagi. Nascitur
is non alterius Musci arborei modo, sed spar- *Forma.*
sim in variis arborũ partibus, trunco, ramis surculis, fruticátque singulis priuatim quasi plantis: plurimi ex vna tanquam radice nigra ramuli prodeunt, duos digitos alti, exiles, in tenuissimos villos fœniculo similes diuisi. candidi, iucundum quidpiam olentes, vasculis multis lacunatis, inanibus, ramulorum vertici affixis, in ambitu hirsutis, quæ ad seminis conceptaculum natura formasse videtur, vt in Androsace, licet vacua perpetuo sint. Quasdam alias Musci varietates tradidit Lobellius. Quædam enim denticulis, & viticulis paruis sarmentosis pinnatis, compressis, arguta naturæ solertia elaborata, rependo, serpendóque innumeris flexibus implicatur. Huic alia non dissimilis ortu & modo, sed ramuli toti densissimis foliorũ quasi denticulis compressis, vel squamulis. Illecebræ multò minoribus, attrectatu sericeis cõferti sunt. Est Clusij Muscus terrestris, repẽs, Lusitanicus. Herbula, inquit, dodrantalibus aut interdum pedalibus repens, viticulis filo tenuioribus, numerosis, vtrinque adnatis ramulis in obliquũ expansis & capillaribus, terræ inhærentibus quibusdam suis fibris. Tota integitur numerosissimis foliolis, siue squamulis potiùs tenuissimis, pulcherrima serie digestis, dilutiore & pallescẽte virore, & tactu mollibus quidam, sed veluti siccis, gustu adstringente, cum

MVSCVS Terrestris denticulatus, alter Muscus terrestris repẽs, Clus.



MVSCVS Scoparius, Lob.



quadam tamen grata dulcedine. Nusquam hoc Musci genus se conspexisse ait Clusius, quàm in aggeribus vmbrosis oliuetorum, ad Colibriam vrbem Lusitaniæ, trans flumen Mãdego, Latinis Munda nuncupatum. Lobellius Sommerseti Angliæ sterilibus montibus (Mendip vernacule) vbi plumbũ effoditur, nõnusquam magna prouenit copia, in aggeribus & saxis. Est & Lobellij alius Muscus Scoparius cognominatus, Muscidorum & vdorum Belgij & Frisiæ Orientalis sectator, multis dodrantalibus, pedalibus, atque etiam amplioribus ramulis, purpura aurea nitentibus, innumero cirrorum tenuium sobole comosis, è quibus singulis oriuntur capitula Lini, Ericæ aut Selaginis minora. Hæc Lobellius. Muscus arboreus vim habet adstringendi, vt tradit Dioscorides. Facit ad vteri affectus in decoctis ad insessus. Sic & Galenus. Vim habet adstringentem, inquit, inualidam: nec enim multùm est frigidum, sed propinquum ferè mediis: quia videlicet & digerendi, & emolliendi facultatis est particeps, maximè quòd in cedrinis lignis reperitur. Scribit Serapio, vinum epotum in quo diebus aliquot Muscus is maduerit, altum somnum inducere, ventriculum roborare, vomitiones compescere, & aluum sistere. Muscus, inquit Auicenna, vtiliter cordis medicamentis inseritur, quòd odoris fragrantia defectus animi iuuet. Muscus terrestris ad calculi affectus maximè commendatur: nam si vino incoquatur, eo epoto, renum calculi franguntur, pelluntúrque certissimo experimento. Nonnulli etiam aquam ex eo destillant ad eandem affectionem. Idem contusus & ex aqua decoctus, inflammationes & dolores, à calida causa exortos, mulcet: quare à multis vsurpatur ad podagram à calore prouenientem. In vinum vappescens pendulus impositus, breui restituit. Tantum autem Musci accipiendum, quantum vas ipsum siue paruum, siue magnum postulare videbitur.


Vires. Lib.1.c.20. Li.6.simpl. Cap.93. Trag lib.1. cap.189.

PVLMONARIA, CAP. LX.

Nomina. Genera. Forma. Matth. in ca.48.li.4. Dod lib.3. cap.71. Vide Phytop. pag. 501.

QVI pulmonariæ nomen audit, statim aliquã cum pulmonibus similitudinem, vel insignem quãdam ad iuuandos pulmones facultatem animo concipit. Plantas tres huius nominis describemus. Prima est, quæ Gallis *l'Herbe aux poumons*, Germanis ***Lingenkraut*** nominatur, Licheni herbæ quadãtenus similis, in quercuum aliarumq; siluestrium arborum caudicibus

PVLMONARIA *Fungosa.*



caudicibus naſcitur opacis præſertim ſiluis, aridior, ambitu latiore, supernè vireſcens, infernè palleſcens, maculis frequentibus ita conſperſa, vt effigiem pulmonis præbeat, quæ cauſa nominis fuit. *Vires.* Vtuntur hac quidã magis fortaſſe nomine quàm viriũ experientia inducti ad tabem, pulmonum vlcera, & cruenta ſputa. Nec deſunt qui eam commendent ad vulnera ſananda, ad pudendorum vlcera, & ad vtrúmque muliebre profluuium. Præterea dyſentericis eam exhibent, & bilioſa vomentibus. Sunt quoque qui ea vtuntur ad ſuſpirioſos, aſthmaticos cum glycyrrhizæ ſucco, hyſſopo, helenij radice, & ſcillino oxymelite. Valet ad ouium & cæterorũ quadrupedum tuſsim, & reſpirandi difficultatem: quamobrem paſtores eam tundunt, morboſiſq; ouibus mane cum ſale propinant. Huic multum diſsimilis eſt recentioribus herbariis & medicis dicta Pulmonaria, ſiue pulmonalis, Gallis *l'Herbe aux poumons*, & *l'Herbe de cœur*, folio bugloſsi, latiuſculo, hirſuto, nigricante, maculis lacteis, & quibuſdam nigris aſperſo, quibuſdam in regionibus ſine maculis: inter hæc cauliculi erumpunt molliores, guſtu oleraceo, palmares & ſeſquipalmares, qui in vertice flores ferunt purpureos, & capitula in quibus nigra ſemina: radix longa, craſſa, viſcida, fibrata nigricat, guſtu ingrato. Montoſis, humidis opacis gaudet. Primo vere floret, mox: ſemen eius maturum eſt. Huic plantæ herbarij magnas vires tribuunt ad pulmonis vlcera ſananda. Qua in re & ſanguinis reiectione mirabili ſucceſſu exhiberi prædicant, ſi decoquatur ad medias, deturq; decoctum potandum addito ſaccharo, vel ſi ſuccus ex ea expreſſus in ſerapiũ cum ſaccharo coquatur. Iuſculis miſcent folia mulierculæ, aut tuſa cum ouis in placentas formant, & ad pulmonis vitia, cordiſque affectus conferre prædicant. Pulmonariam minorem herbarij quidam plantam hanc vocant, alij Echium primum Plinij. Gignitur in ſepibus & dumis collium, nonnunquam & in nemoribus, ſolo pingui, radice longa, nigra, modice fibrata: caulibus multis ex radice ima prodeuntibus, ferè cubitalibus, ro-

Pulmon. maior.
Nomina
Forma.
Locus.
Matthi. in ca. 48. li. 4.
Vires.
Pulmo. minor.
Li. 25. ca. 9.
Locus.

PVLMONARIA *Maior.*



PVLMONARIA *Minor, Dalechampij.*



PVLMONARIA *Gallorum: siue Auricula muris maior, Tragi.*



figura Pulmonarię Gallor. d. eadem sub nomine Corchoros Dalech. pag. 565.

tundis, hirsutis, & subasperis: foliis per interualla ex caulibus exortis, longis, mucronatis, senis aut septenis in singulis caulibus, nec ferè pluribus: flore in caulium vertice coaceruato, priusquam recludatur ex cæruleo rubente, cùm apertus est prorsus purpureo, pulmonariæ simillimo. Alia est Pulmonaria Gallorum, quæ quamuis eo nomine donata sit, propior tamen videtur in tubaceo generi, inquit Pena, flore luteo Hieracij, in parietibus & dirutis musco obsitis, Lugduni & Monspelij, tenello cauliculo, intubaceo, palmari & sesquipalmari, gracili, è radice exiliore, betonicæ, nonnihil fibrata. Scribit Lobellius esse Auriculam maiorẽ Tragi. Eius tamen icon villos nullos repræsentat, quos habet pictura Tragi, qui tradit folia humi sparsa iacere, singula Auriculam muris alpini, seu leporis exprimere, pilosa, & leuiter per ambitum incisa.

CAVDA MVRIS, CAP. LXI.



Nomina Dod. lib. 1. cap. 63. Pet. Pen. in Aduer.

ARECENTIORIBVS perappositè μυοσοῦρος vocatur hæc herba, Latinè Cauda muris, Gallicè *Queue de souris*, Germanis *Tausent korn*. Humilis est herba, foliis angustis, gramineis, pollicem & sesquipollicem altis, rigidis, gustu plantaginis: inter quæ è radice proueniunt cauliculi tenues, flosculis albicantibus, palmaribus, breui marcescentibus vestiti, qui in falcatum mucronem desinunt: teretem, oblongum, muris caudæ haud absimilem, in quo semina exigua, nigricantia. Pinguibus agris & pratis gaudet. Aprili mense floret: Maio semen maturum est. Refrigerat, nec multum à plantagine viribus differt. Gustu plantaginis esse scribit Pena, Lobellius legit gustu hydropiperis.

Forma. etymũ. *Locus. Tempus. Vires.*

RVBIA

RVBIA, CAP. LXII.

ΕΡΥΘΡΟΔΑΝΟΝ Græcè, quod etiam Erythrodanum & Rubia Latinè, *Paue & fuealsabagin* Arabicè, *Erythrodano, & Rubbia* Italicè, *ferberroet* Germanicè, *Ruuia* Hiſpanicè, *Garance* Gallicè, Officinis Rubia tinctorum. A' rubore radicis quo lanæ & coria tinguntur: factum eſt illi Græcum Latinúmque nomen. Dioſcoridi & aliis duo ſunt rubiæ genera. Vna ſatiua eſt, altera agreſtis. Satiuæ caules ſunt quadranguli, longi, aſperi, aparinæ caulibus ſimiles, ſed per omnia maiores & robuſtiores, folia per interualla in ſingulis geniculis ſtellarum modo in orbem circumia centia: flores in caulium vertici bus, ex pallido lutei: fructus rotundus per initia viridis, mox ruber, poſtea cum maturuit, niger: radix longa, tenuis, rubra. Agreſtis illi ſimilis eſt, ſed minor, & minus aſpera tota, folia minora, numeroſiora, genicula crebriora ſtellatim ambientia: floſculi candicant. Sic Plinius etiam deſcribit. Sunt etiamnum duo genera, non niſi ſordido nota vulgo, quum quæſtu multo polleant. Imprimis Rubia tingendis lanis & coriis neceſſaria. Laudatiſsima Italica, & maximè ſuburbana, etſi omnes penè prouinciæ ſcateāt ea. Sponte prouenit, ſeritúrque ſimilitudine eruiliæ. Verū ſpinoſus ei caulis, ac geniculatus eſt, ſic enim legendum ex vetuſto codice, quinis circa articulos in orbem foliis, ſemen eius rubrum eſt. Pingui fertiliq; ſolo ſeritur, multis regionibus, magni prouentus & quæſtus gratia. Silueſtris vbique ferè prouenit ſponte in agris, & in ſepibus. Floret vtráque æſtate, eiuſque tum etiam radix effoditur. Rubiam minimam addit Lobellius, quam in rupibus Vincentij nō procul Briſtolio Angliæ enatam legit, foliis eſt Herniari-paribus mucronatis, poſitu rubiæ, cauliculis repentibus, ſeſquiunſciam altis, in quibus floſcul luteoli. Radix exilis rubræ, corallio concollor. Pinxit etiam Rubiam læuem Taurinenſiū, cui Aſperulæ ritu ſummis cauliculis, flores cādidi, ſtellati, verticillatim prodeunt. Folia quaterna decuſſatim poſita, cacubalo Plinij paria, Solano tetraphyllo minora, in cauliculis ſeſquipedalibus, & bicubitalibus, ex interuallis geniculatis. Frequens hæc in Pedemōtium collibus Taurino finitimis. Quot in medicina vſus habet rubia, tradit Dioſcor. his verbis. Radix vrinā ciet, quamobrē morbo regio laborātibus, cum aqua mulſa, auxiliatur. Itē iſchiadicis, & reſolutis. Ducit vrinā multā & craſſam, nōnumquam etiam

Nomina

Genera.

Forma.


Rubia ſilueſt.

Lib. 19. c. 3.


Lib. 3. c. 145.

Vires.

RVBIA SATIVA.



RVBIA, *Silueſtris.*



ſanguinẽ, bibentes quidẽ quotidie lauari oportet, & excremẽtorum quæ redduntur differẽtiam ſpectare. Aduerſus venenatorũ morſus ſuccũ cum foliis bibere prodeſt. Semẽ exoymelite potũ, lienẽ abſumit. Appoſita radix fœtus, menſes, & ſecũdas educit. Albas vitiligines ex aceto illita ſanat. Plinius his multũ lucis adfert de medico eiuſdem vſu ſcribens. Alia res Erythrodanum, quam aliqui Ereuthodanum vocant nos Rubiam, qua tinguntur lanæ, pelléſque perficiuntur. In medicina vrinam ciet, regium morbum ſanat ex aqua mulſa, & lichenas ex aceto illita, & iſchiadicos & paralyticos, ita vt bibentes lauentur quotidie. Radix ſeménque trahunt menſes,

Lib.24.c.11

RVBIA Minima, Lobellij.



RVBIA Læuis Taurinenſium, Lobellij.



aluum ſiſtunt, & collectiones diſcutiunt. Contra ſerpentes rami cum foliis imponuntur. Folia & capillum inficiunt. Inuenio apud quoſdam morbum regium ſanari hoc frutice, etiã ſi adalligatus ſpectetur tãtum. In hoc duntaxat Plinius à Dioſcoride diſſidet, quod contra ſerpentes ramos cum foliis imponi ſcripſit. Dioſcorides contra venenatorum morſus ſuccum cum foliis bibi, vt videatur, in Dioſcor. non legiſſe θηριοδηλήτοις τε βοηθεῖ ὁ χυλὸς μετὰ τῶν φύλλων ποθεὶς, ſed θηριοδηλήτοις τε βοηθεῖ καυλὸς μετὰ τῶν φύλλων ἐπιτιθεὶς. Rubiæ radix, inquit Galenus, acerba eſt, & guſtu amara. Itaque quæcumque agere dictæ ſunt vbi eiuſmodi coierint qualitates, ea omnia in hac radice luculenter conſpicies: quippe cum & lienem & iecur expurget, & vrinas craſſas, multáſque moueat. Quin & menſes ciet, & mediocriter, quæ extersionem poſtulant, extergit, quare vitiligines albas, cum aceto illita iuuat. Sunt qui eam iſchiadicis & reſolutis, in potu cum melicrato exhibeant.

Lib.6.ſim.

APARINE, CAP. LXIII.

Nomina

VALDE affinis eſt erythrodano quæ ἀπαρίνη Græcis dicitur & φιλάνθρωπος, Gallis *Grateron*, Italis *Speronella*, Germanis *Klebkraut*. φιλάνθρωπος hominis amans, quòd caulium foliorumq; aſperitate prætereuntium veſtes apprehendat, perinde ac ſi comitatis & humanitatis gratia retinere vellet. ὀμφαλόκαρπος ab vmbilici ſimilitudine, quam ſemẽ eius in medio cauũ refert.

APARINE.



refert. Ex quo intelligere licet in Galeni, Pauli, Aetij, Plinij exemplaribus ὀμφακόκαρπον: mēdosè legi, pro ὀμφαλόκαρπον, vt rectè legimus in Dioscoride. Aparine, inquit ille, ramos habet multos, paruos, quadrangulos, asperos: folia ex interuallis in orbē circumposita vt in erythrodano: flores albos, semen durum, album, rotundum, à medio vmbilici modo leuiter concauū. Herba ipsa vestibus adhærescit. Ab his diuersa non sunt quæ Plinius de eadē prodidit, his verbis. Aparinen aliqui omphacocarpū (omphalocarpum legendū esse diximus) alij philanthropon vocant, ramosam, hirsutam, quinis senisve in orbem circa ramos foliis per interualla. Semē rotundum, durum, cōcauum, subdulce. Nascitur in frumentario agro, aut hortis pratisve, asperitate etiam vestium tenaci. Hæc est omnium cōsensu nostra Aparine, quę, vt Theophratus scribit, nascitur pręsertim inter lentes, nobis passim circa sepes, dumos, macerias, & in hortis. Tota æstate floret & semen producit. Calidæ siccæq; est temperaturæ. Succus huius, inquit Dioscorides, ex semine, caulibus & foliis expressus, phalangij & vipere morsibus auxiliatur: si bibatur cum vino, aurium dolores infusus succus sanat. Herba ipsa axungia trita excepta, strumas discutit. Eadem ferè Plinius habet. Efficax cōtra serpentes semine ex vino poto drachma, & contra phalangia. Sanguinis abundantiam ex vulneribus reprimūt folia imposita. Succus auribꝰ infunditur. Galeno verò modice extergit & desiccat, habetq; nōnihil subtiliū partiū. Huius succū, inquit Matth. valde cōmendant aliqui ad recētia vulnera glutinanda, & ad papillarū rimas. Stillatitia eius aqua datur vtiliter potanda dysentericis, siccæ farina vulnera glutinat, & vlcera sanat.

Omphalocarpos | *Forma.* Lib.3.c.88. | Lib.27.c.5. | *Locus.* | *Tempus.* | *Temper. & Vires.* | Lib.25.c.5. | Lib.6.sim. In cap.88. lib.3.

SPERGVLA,

CAP. LXIIII.



A Dodonaeo & aliis Spergula dicitur ad imitationē Spurry Belgarum & Anglorū, hanc herbam sic nominantium, Officinis, & fortassis antiquis incognitā. Cauliculos edit rotundos, graciles, geniculatos, palmum altos, crebrioribus quàm in aparine, circa ipsa genicula, foliis angustioribus, stellæ modo radiatis, galij foliis similibus, in summis cauliculis flosculi multi candidi spectantur, & caliculi siue capitula sicut in lino, in quibus semen nigricans continetur, radix gracilis est, digitum longa. Vmbrosis locis gaudet, seritur etiam in agris. Maio & Iunio mensibus floret. Saginādis bubus & vaccis vtilissima. Quade causa Brabanti hac vere agros cōserunt, quòd eius pabulo mirificè vaccas saginari, lactisq; copiam augeri longa experientia compertum habeant. Semen vomitu pituitosos humores educere

Nomina Lib.1.c.37. | *Forma.* Dodo. ibi. Pena in Adu. | *Locus.* | *Tempus,* | *Vsus.*

cere plerique referunt, inquit Dodonæus: estur tamen à Gallinis & columbis, & hoc pastu oua plura & citius excludere creduntur.

LINARIA, CAP. LXV.

Nomina Fuch. cap. 206. hist. Dodo. lib. 1. cap 53. Per.Pen.in Adu.

LINARIA Officinis dicta, quod caule & foliis linum referat, à nonnullis Vrinalis, & Vrinaria, nominatur à vi diuretica, à qua etiã ὄσυρις dicta. Vrina enim Græcis est ὀρὸς, ὀῤῥὸς & ὗρὸς & οὖρον & συρῶ traho. quare cum linaria insigni facultate ducendi vrinas prædita quemadmodum Osyris, eíque figura maximè similis sit, minimè dubitandum est, quin illa vera sit Dioscoridis Osyris, quæ vt tradit Dioscorides, fruticulus est niger, tenues habens virgas, ægrè fragiles, in quibus foliola terna quaternáve, aut quina, aut sena, ceu lini, nigra initio, deinde mutato colore, subrubescentia.

Forma.

Vide Phytop. pag. 400.

OSYRIS, Linaria.



Lib. 27. c. 12

Plinius Dioscoridi nõ omnino consentit, hęc de eadem scribens. Osyris ramulos fert nigros, tenues, lentos, & in his folia nigra ceu lini, semenq; in ramulis nigrum initio, deinde colore mutato, rubescens. Hîc semini coloris mutationem tribuit Plinius, Dioscorides foliis, de semine nullum verbum facit. Quæ si diligentiùs expendas, nullam delineationis Osyridis notam in Linaria desiderabis. Linaria enim cauliculis fruticat tenuibus, lentis, nigricantibus, in quibus folia numerosa, longiuscula, & angusta lini facie, siue Esulam minorem adeo aptè referẽtia, vt herbarij isto versiculo vtramque distinxerint alioqui valde affines,

Esula lactescit, sine lacte Linaria crescit.

Flores in summis caulibus elegantes, lutei, à fronte latiusculi clausiq;, os ranæ imitantes, cauda angusta & inflexa, vt in consolida regali: semen quoque in siliquulis rotundis, inclusum nigricat tantisper dum maturescit, postquam maturuerit, rubescit, senescentes quoque ramuli nigrorem in ruborẽ vertunt.

Locus. Passim locis incultis, circa sepes, & in agrorum marginibus.

Tempus. Floret potissimum Iunio & Augusto mensibus.

Temper. & Vires Lib. 4. c. 138. Lib. 27. c. 12.

Amara est: quare qualida, vim inesse vrinas mouendi scribunt herbarij, & stranguriæ renumq; ac vesicæ obstructionibus, singulari esse remedio, quibus facultatibus prædictam esse Osyridem veteres testantur. Decoctum enim eius potum, inquit Dioscorides, morbo regio laborantibus auxiliatur. Plinius Smegmata mulieribus faciunt ex his radicum decoctum potum sanat arquatos. Eædem, priusquam maturescat semen, concisæ, & sole siccatæ, aluum sistunt, post maturitatem verò collectæ, & in sorbitione decoctæ, rheumatismis ventris medentur, & per se tritæ ex aqua cælesti, bibuntur. Dioscorides radicum non meminit, quibus tum alia tum illud attribuit, quod Dioscor. toti frutici. Sed & smegmata mulieribus fieri ex ramulis Dioscorides prorsus omisit. Osyridi herbæ, inquit Galen. ex qua fiunt & coremata, amara inest qualitas, & obstructiones impediendi facultas, quare & in iecore consistentes adiuuat obstructiones. Quæ autem hîc Galenus, & eum secuti Paulus & Aetius κορήματα vocant, alij scopas interpretantur, à verbo κορεῖν, quod cum non solum verrere significet, sed etiam κοσμεῖν & καλλωπίζειν, id est, ornare siue purgare & venustare, alij κορήματα intelligunt κόσμηθα Suida & Phauorino auctoribus, id est,


Cor. Emb. 124. lib. 4.

Lib. 8. sim.

Fuch. cap. 206.

id eſt, comptoria, & venuſtantia facię̃ medicamenta, è quorum ſanè numero Oſyris eſt, quæ cum amara ſit, extergere etiam, faciei potiſſimum maculas poteſt, vt illi κορήματα dixerint, quæ Plinius ſmegmata dixit. Ex eo autem quod ex Oſyride κορήματα id eſt, ſcopas fieri illi ſcripſerint, colligunt nõnulli reiecta Linaria veram Oſy- Scoparia.

LINARIA Magna, Belueder.



SCOPARIA, Belueder.



LINARIA Valentina, Cluſij.



ridem Italorum eſſe *Beluedere*, quod ad verendum ſit aptior, quòd foliis creſcat lini ſimilibus amplioribus numeroſiorib⁹: caule ſingulari, anguloſo, cubito maiore, ſurculis plurimis fructicante: flore exiguo, rubro, ſemine minutulo, rotundo, è cinereo nigreſcente: radicibus numeroſis, denſis, cappillaceis, nigricantibus. Qui formoſarum plantarum aſpectu delectantur, hanc ſerunt, & adultam alunt in ædiũ feneſtris, denſa eius coma vmbram captantes, & nitido virore oculos recreantes, ob foliorum venuſtatem Itali *Beluedere* nominarunt. In aridis potiùs quàm pinguibus luxuriat, tamẽ voluptatis gratia pridem coli cępit etiam in hortis noſtris. Seritur & à multis ad ſcopas ex ea cõficiendas, vnde Scoparia à quibuſdã nominata eſt. Quòd ſi eam propius inſpicias, videbis folia eſſe longiora quàm Linariæ, numeroſiora, non amara, qualem tamẽ Galenus & Paulus voluerunt eſſe Oſyridem, nec iotericis ac hydropicis perutilẽ, vt eſt Linaria. Quòd ſi ex Oſyride κορήματα id eſt, ſcopas fieri voluit Galenus, non protinus hæc ſcopis accommodatiſſima, Oſyris fuerit, Forma cum

cum ſint plurimi alij frutices, ex quibus ſcopæ optimæ parari poſſunt, qui tamen Oſyrides non ſunt. A Cluſio Linaria alia exhibetur quam Valentinam vocat. Circa Valentiam, inquit, in pratis & locis vmbroſis. Lunariæ genus creſcit, vulgari multò lætius & craſſius, ternos quaternóſque caules ab vna radice proferens, ſingulares, pedales, interdum ampliores, quos folia centaurij minoris ambiunt, inferiore parte iuxta terram terno ordine diſpoſita plerúmque, ſuperiore verò parte ſparſim & nullo ordine: extremis ramis veluti ſpicam profert, florum luteorum Linariæ vulgari ſimilium, quibus tamen rictus lanuginoſus eſt, cauda verò ſeu corniculum purpuraſcentis coloris, hos ſequuntur capitula, exiguis loculis ſimilia: radice eſt ſingulari, alba. Floret Martio. Hanc appellauit Linariam, non à foliorum ſimilitudine, quæ non conueniunt, ſed quod eius flores vulgari forma ſimiles, & eiuſdem ferè ſint temperamenti. Nam præmanſa manifeſtam acrimoniam cum aliquo amarore coniunctam exerit.

Lib. ſtirp. Hiſpa. 2. cap. 32.

VERBENACA, CAP. LXVII.

Nomina

ΠΕΡΙΣΤΕΡΕΩΝ Græcis, Latinis Verbena & Verbenaca, herba ſagminalis, Columbaris, Columbaria, ſeu Columbina, ferraria, herbariis & officinis Verbena, Gallis *Verueine*, Italis *Berbena*, *Verminacola*, Germanis *Eiſenkraut & Eiſeinhart*, id eſt, ferraria à ferri duritia. Periſtereon auctore Dioſcoride, quod columbæ in ea libenter verſentur. Verbena quaſi herbena teſte Donato. vel potius quod ea verrendis iouis aris vterentur, aliiſque pacis & bellique ritibus, vnde ſagminalis nomen. Plinius. Sagmina in remediis publicis fuere, & in ſacris legationibúſque Verbenæ, certè vtròque nomine idem ſignificatur, hoc eſt gramen ex arce cum ſua terra euulſum: hoc ſemper & legati vſi cum ad hoſtes, clarigatùmque mitterentur, id eſt, res raptas clare repetitum. Vnus itaque Verbenarius vocabatur. Dioſcorides herbas duas περιστερεῶνος nomine, quamquã diuerſis capitibus comprehendit. Vnam, quæ iam dicta eſt: alteram quæ ἱερὰ βοτάνη nominatur, Latinè ſacra herba, compoſitáque voce hierabotane, & Verbenaca teſte Plinio, ſacra quidem herba, quod ea olim apud Romanos domus purgabantur, familiæ luſtrabantur, Iouis menſa ad ſacrificium & epulas verrebatur, & fæcialis in ſacris legationibus illa coronabatur, vel, vt Dioſcorides inquit, quod in expiationibus ſuſpenſa & illigata mire vtilis ſit. Herbarij hanc περιστερεῶνα ὕπτιον, id eſt, Verbenacam ſupinam, quòd ſemper humi ſupinè procumbat, illam ſuperiorem περιστερεῶνα ὄρθιον, id eſt, Verbenacam rectam nominarunt, quòd rectis ramulis ſemper aſſurgat, cum contra hæc ſupina ſiue ſtrata & humilis potiùs dicenda ſit, illa veriùs recta, quod rectis ramulis & pluribus adoleſcat. Plinius à ſexu duo genera conſtituit, marem, rectam, vt aiunt fœminam ſupinam vocans. Verba eius hæc ſunt. Nulla Romanæ nobilitatis plus habet quàm hierabotane, aliqui periſtereona, noſtri Verbenacam vocant. Hæc eſt quam legatos ferre ad hoſtes indicauimus, hac Iouis menſa verritur, domus purgantur, luſtrantúrque. Genera eius duo ſunt, folioſa, quam fœminam putant: mas, rarioribus foliis. Ramuli vtriuſque plures, tenues, cubitales, anguloſi: folia minora quàm quercus anguſtioraque, diuiſuris maioribus, colos glaucus, radix longa, tenuis. Naſcitur vbique in planis aquoſis. Quidam non diſtingunt, ſed vnum omnino genus faciunt: quoniam vtráque eoſdem effectus habet. Hæc Plinius. Fuchſius duo Verbenacæ ponit genera, Verbenacam rectam ſiue marem, Verbenacam ſupinam ſiue fœminam. Dodonæus etiam rectam & ſupinam, ſed hanc duplicem, marem ſcilicet & fœminam. Matthiolus cum duo itidem genera poſuiſſet, ſupinam, vulgarem Verbenacam, & legitimam Dioſcoridis ἱερὰν βοτάνην eſſe affirmat, rectam verò quæ periſtereon

Lib. 4. c. 55.
In And. Terent.
Lib. 22. c. 2.
Lib. 4. c. 55. & 56.
Genera.
Lib. 25. c. 9.
Lib. 25. c. 9.
Cap. 225. hiſt.
Lib. 1. c. 84.
In cap. 55. & 56. lib. 4.

ristereon prior est Dioscoridis, quæq; vnico tantùm caule, & vnica radice constat: nusquam se vidisse ingenuè fatetur, quæ notis omnibus legitimam referat, etsi nō desint qui eam esse velint quam inter sideritidas primo loco depinxit. At quum hæc ab vna radice plures edat caules, etiam sesquicubitales, folia haud subalbicantia, flores in caule verticillatim prodeuntes vt in marrubio, denique cum nihil habeat Verbenacis simile, eorum sententiæ minimè subscribit. Idem ait à se obseruasse iis in locis quæ Verbenacæ plurimum sunt feraces, quasdam plantas, quæ caules rectos edere, quasdam humi ferè procumbere, vt hinc fortasse differentiam sumpserint ij, qui Verbenacam in rectã & supinam diuiserunt, Plinio quoque his suffragante, qui à quibusdam hanc non distingui, vnúmque omnino genus esse scripsit, quoniam vtráque eosdem effectus habeat, Id quod est à Dioscoridis sententia alienissimum, qui alteram ab altera figura, natalibus, nomenclatura, facultatibus distinxit, vt facilè perspiciet qui vtriusque historiam diligentius expenderit, his verbis explicatam.

VERBENACA vulgaris Matth.



VERBENACA Recta siue mas, Fuchsij.



Peristereon siue Verbenaca nascitur in aquosis locis. *Dios. lib. 4. cap. 55.* Ex eo nominata esse videtur, quod columbæ in ea libenter versentur. *Locus.* Herba est palmi altitudine, aut etiam maior: *Forma.* folia incisa subalbida è caule prodeunt: singulari plerúmque ramo, ac radice reperitur. Sacra herba quam *Dios. Ibid. cap. 56.* peristereona vocant, virgas emittit cubitales aut etiam maiores, angulosas, circa quas folia sunt ex interuallis, similia quernis, sed angustiora & minora, per ambitum incisa, subglauca, radicem habet oblongam, tenuem: flores purpureos, tenues. Hæc igitur ramulos multos producit, cubitales aut maiores, folia subglauca. Illi dodrantalis est & vnus è singulari radice caulis, folia ὑπόλευκα, natales aquatici. Iam verò si vires ab auctoribus traditas perscruteris, eas diuersas esse comperies. Peristereonis folia cum rosaceo aut adipe suillo recenti imposita, *Vires & Temper.* inquit Dioscorides, vteri dolorem eximant. *Lib. 4. c. 55.* Herba cum aceto imposita erysipelata reprimit, putredines coercet, vulnera glutinat, & vetera cum melle ad cicatricem perducit. Hæc autem efficere siccando & adstringendo auctor est Galenus, scribens, peristereona *Lib. 8. sim.* vim habere adeò desiccantem, vt vulnera glutinet, assentiente etiam Paulo his verbis. Peristereon *Lib. 7.* adeò desiccat & adstringit, vt vulnera glutinet, & sanguinis profluuium sistat. At communis Verbenacæ siue Sacræ herbæ folia, & radix pota cum vino, aduersus ser-

pentes valent. Eadem drachmæ pondere cum thuris obolis tribus in vini veteris, hemina quadragenis diebus ieiunis bibuntur, contra regium morbum. Veteres tumores & inflammationes imposita mitigant, & sordida vlcera purgant. Tota in vino decocta, tonsillarum crustas abrumpit: oris nomas gargarissatu sistit. Aiunt si aqua spargatur triclinium qua maduerit, lætiores compotores fieri. Datur in tertiana bibendum tertium à terra geniculum cum circumpositis foliis, in quartana quartũ. Hæc igitur Verbenaca siue sacra herba non modo œdemata antiqua & tumores non sistit, vt illa, & mitigat, sed & tonsillarum crustas abrumpit & exsiccat, nimirum calfaciente vi, qua etiam capitis dolores chronicos discutere ex frigiditate & crassis humoribus tradidit Galenus, his verbis. Omnium verò longe maximè discutit, & perfectè corroborat, Verbenaca recta, maximè viridis, imò & arida cum radicibus, & simul cum serpillo oleo incocta. Coniicienda etiam ad ea crocodiliadis, maximè iuxta aquas nascentis radix. Quin & ipsam per se Verbenacam si oleo incoxeris, oleóque inde rigaueris, omni capitis dolori antiquo, ex frigiditate aut ex crassis humoribus oborto medebe-

Lib. 2. com po. ph. loca

HERBA SACRA Quorundam, Dalechampij.



VERBENACA Recta, Dodonæi.



Sacra herba alia.

ris. Herbarij quidam pro Sacra herba aliam exhibent, quæ in nemoribus & filuis prouenit, radice tenui, longa, multifida: caulibus ternis, aut quaternis, angulosis: foliis per interualla vtrinque æqualiter dispositis, quercui similibus, minoribus, pariter incisis, ex quorum alis pediculi nonnumquam exeunt terna gerentes folia minora: flos ruber, candicans, ad tres vel quatuor superiores foliorum sinus, emicat ex calice virente oblongior, amœnus, Lamij lutei, semen in oblongo loculo affixum, vt in Ormino. Hanc pro Melissophyllo Fuchsij Lobellius pinxit, sed fallitur, opinor, nam Fuchsius pro Melissophyllo ostendit Calaminthamn montanam præstantiorem eiusdem Lobellij, quemadmodum in Libro de Odoratis cap. De Melissa monuimus. Verbenaca recta Dodonæi caule est recto, pedali & maiore, ramulis multis fruticante, in quibus flosculi cærulei: folia viridantia, crenata,

Forma.

Lib. 1. c. 84.

Forma.

crenata, & quadantenus incisa: radix breuis, multum fibrata. Ea videtur esse Verbenaca supina siue fœmina à Fuchsio depicta. Verbenaca supina mas & Hierabotane eiusdem Dodonæi cauliculos fert teneros, hirsutos, angulosos, humi repentes, pedem longos, atque eo longiores: folia quadantenus rotunda, in am- Cap. 225. hist. Sacra her. mas Dod. *Forma.*

HIERABOTANE Mas, Dodonæi.



HIERABOTANE Fœmina, Dodonæi.



VERBENACA Supina & tenuifolia, Clusij.



bitu crenata, quercus aut chamædryos foliis similia, his maiora, illis minora: flores elegantes, cæruleos in ramulis: folliculos latiusculos, radicem fibratam. Fuchsius hanc nomine chamædrios vulgaris fœminæ depinxit. Altera Dodonæi Verbenaca supina, siue Hierabotane fœmina, superiorem valde refert cauliculis, foliis, floribus, sed huius cauliculi rotundiores, folia paulò minora, ramuli plures ex vna radice, flores magis coaceruati. Fuchsius pro chamædry vulgari mare depinxit. Clusio alia est ἱερὰ βοτάνη id est, Sacra herba, & περιστερεὼν ὕπτιος id est, Verbenaca supina, cui quaterni aut quini sunt cauliculi, angulosi siue quadranguli, vti in vulgari Verbenaca, tenuiores tamen, supini & in terram procumbentes: folia vulgari colore similia, & ex viridi cæsia, sed magis incisa & multifida: flos in summis virgis vulgari similis ex cæruleo purpureus, minor tamen: semen idem: radix tenuis & vulgari similis. Agro Salmaticensi frequens, & quibusdam aliis Castellæ locis, vbi minor & exsucca: & decliuibus fluminúmque ripis,

Cap. 333. hi. Sacra her. fœmina Dodon. *Forma.*

Ibidem. Lib. 2. stir. Hispa. c. 45

præſertim verè ad flumen Thormini quod Salmanticam, & Albam vrbes alluit, vbi maior & vegetior. Florebat iſtic Iulio & Auguſto: deinde ſemen ferebat. Eiuſdem eſt cum vulgari, temperamenti, quare ad eadem vtilis, & aliquanto forte efficacior.

CIRCAEA, CAP. LXVIII.

Nomina. ΚΙΡΚΑΊΑ & διρκαία Græcis, Circæa & Dircæa Latinis dicitur. Circæa fortaſſe quadam cum mandragora virium ſimilitudine: nam

Pena in Ad. mandragoras Circæa nominata fuit, & forſan vtriuſque ad amatoria vſus, id quod de mandragora Dioſcorides ſcripſit. Circæa, inquit

Lib.3.c.117. *Forma.* idem, folia habet hortenſi ſolano ſimilia, propagines multas, flores nigros, multos, ſemen milij ſpecie, in quibuſdam veluti corniculis, radices dodrantales tres aut quatuor, al-

Locus. *Lib.27.c.8.* bas, odoratas, excalfacientes. Naſcitur in quibuſdam petroſis locis, apricis, & perflatis. Eadem ferè Plinius tradit, Circæa ſtrychno ſatiuo ſimilis eſt, flore nigro, puſillo, paruo ſemine vt milij, naſcente in quibuſdam corniculis, radice ſemipedali, triplici ferme aut quadruplici, alba, odorata, guſtus calidi. Hæc Plinius, qui radices guſtus calidi dixit, quas Dioſcorides θερμαντικάς, id eſt, calfaciendi vi præditas. Quænam verò hanc Dioſcoridis Circæam referat non parum ambigunt herbarij. Sunt & ij quidem perdocti, qui hîc depictam pro Circæa proponunt, quæ in perflatis & aſperis gignitur, radice dodrantali, candida, odorata, ... ueas & molliuſculas propagines quotannis mittente, ex tuberculis quibuſdam exeuntes: caule cubitali, folio ſolani maiore, acutiore: crebris agnatis: flore exiguo, copioſo, priuſquam pandatur nigro, cum apertus fuerit è rubro candicante: ſemine puſillo in corniculis oblongis, hirſutis. Alij Circæam

Pena in Adu. eſſe putant quod ſalanum lignoſum à quibuſdam herbariis dicitur, & Dulcamara, & Amara dulcis,

CIRCAEA, Dalech.



Vires. *Lib 3.c.117.* Germanis *Gelenger ioleber*, de quo alio in loco. Circææ radix minarum quatuor pondere tuſa, inquit Dioſcorides, & diem & noctem macerata in vini dulcis heminis ſex, & triduum pota vterum expurgat. Semen in ſorbitionibus ſumptum,

Lib.27.c.8. lac attrahit. Plinius. Diluitur in vino, bibiturque ad dolorem vuluæ, & vitia. Macerari oportet in ſextariis tribus quadrantem radicis tuſæ, per noctem & diem. Detrahit eadem potio & ſecundas. Semine lac minuitur in vino, aut mulſa aqua poto. Sed in hoc is à Dioſcoride diſſentit, quod quadrantem radicis tuſæ macerari iubet, Dioſcorides quatuor minarum pondus, quod fortaſſe etiam æquo maius eſt. Quod verò ſemen lac minuere dixit, planè contrarium eſt ei quod

Lib.7. *Lib.7. ſim.* Dioſcorides habet. γάλα κατάσπᾷ, lac attrahit, hoc eſt γάλα γεννᾷ vt Paulus ait. Et Galenus ex Dioſcoride ſcribit ſemen Circææ in ſorbitione exhibitum ad lactis generationem conducere. Quidam Plinij locum hunc ſic legunt, ſemine lac mouet, vino aut mulſa aqua pota.

HERBA

HERBA MORA,



CAP. LXIX.

ITALI plantam istam herbam moram vocant, quæ secus vias nascitur, folio absinthij, tenuiore, nigriore: flore in summis ramis & caulibus exiguo, luteo, copioso, folia trita & imposita vlceribus inueteratis mirificè mederi aiunt. *Forma.* *Vires.*

CHAMAEROPS, CAP. LXX.

CHAMAEROPS hęc videtur esse, quę in siluosis gignitur, radice crassa & multiplici, caulibus multis & cubitalibus, foliis myrti circa caulem geminis: flore copioso, è foliorum sinibus nascente, semine in oblongis vasculis. Eosdem effectus lateris doloribus habet Chamærops, inquit Plinius, myrtes circa caulem geminis foliis, capitulis Græculæ rosæ ex vino pota. *Forma.* Li.26.c.7.

CHAMAEROPS, Plinij.



ANTIRRHINVM, CAP. LXXI.

ANτίῤῥινον & Ἀνάῤῥινον, Græcis, Theophrasto etiam ἀντίῤῥιζον, nisi locus mendosus sit, Latinis similiter Antirrhinum, Cynocephalis Apuleij, Germanis *Orant*, Gallis *Mouron violet*, cuius insignis nota, nempe narium vituli similitudo quam semen refert, fecit vt hæc herba innotuerit. Sed cùm aliquot sint plantæ quarum semina aut potus caliculi seu capitula quibus semina includuntur, vitulinam faciem aut quid simile exprimant, herbarij diuersa fecerũt antirrhina. Matthiolus scribit se quatuor obseruasse antirrhini genera, quibus omnibus capita nascuntur, quæ semen minutum continent, vitulinis admodum similia, quæ non nisi magnitudine differunt: Dodonæus duo, vnum maiùs alterum minus. Et sanè varia est apud veteres antirrhini historia. Theophrastus aparinæ simile facit, Dioscorides anagallidi, quædam eius exẽplaria lychnidi, vnde lychnis siluestris nuncupetur, Plinius lino, nisi mendosi sint codices. Antirrhinum, inquit Dioscorides, alij anarrhinum, quidam lychnida siluestrem vocant. Herba est caule & foliis anagallidi similis, flores sunt purpurei, similes leucoio, minores tamẽ, ideoque siluestris lychnis nominata est, semen fert vituli naribus simile, russeum aspectu. Græca enim exemplaria habent ῥούσιον ἰδεῖν, quod ab interpretibus omnibus omissum fuit. Est autem ῥούσιον idem quod rursseum & russum Latina voce Græcis vsurpata. Sic Paulus anagallidem ῥούσιον ἄνθος ἔχουσαν dixit. Plinius, Antirrhinum vocatur siue anarrhinum,

Nomina Lib.9. hist. cap.21. *Genera.* In cap. 128. lib. 4. Lib.2. c.17. Lib.9. hist. cap.21. Lib.4.c.128 Lib.25.c.10 Ibid. *Forma.* Lib. 7. c.11. Lid.25.c.10.

ANTIRRHINVM, Matth.



siue lychnis agria, similis lino, radice nulla, flore hyacinthi, semine vituli narium. Ex hoc perunctos venustiores fieri, nec vllo malo medicamento lędi posse, aut veneno, si quis in brachiali habeat, arbitrantur magi. Similiter ea quam Eupleam vocant, traduntque ea perunctos commendatioris esse famæ. Theophrastus, (Lib. 9. hist. cap. 12.) εὔκλειαν γὰρ φασὶν ἀεὶ ποιεῖν δ' ἀντίρρινον καλούμενον. τοῦτο δὲ ὅμοιον ἐστὶ τῇ ἀπαρίνῃ ῥίζα δὲ οὐκ ὕπεστιν. ὁ δὲ καρπὸς ὥσπερ μόσχου ῥῖνας ἔχει. τὸν δὲ ἀπὸ τούτου ἀλειφόμενον εὐδοξεῖν. Id est, Aiunt Antirrhinum gloriam perpetuo parere, id aparinæ simile est, radicem non habet: semen vituli naribus simile, eo perunctos gloriam consequi. Qui locus à Plinio conuersus est, & corruptus, quoniã mendosè Euplea pro Euclea legitur, & εὔκλειαν non herbam facit Theophrastus, sed Antirrhinum ad εὔκλειαν conducere ait, & eo perunctos εὐδοξεῖν, Dioscorides ἐπίχαριν ποιεῖν, quod Plinius dixit venustiores fieri. Antirrhinum magnum Dodon. (Antirrh. mag. Dod. lib. 2 c. 27.) cauliculos fert rectos, rotundos, ramosos, folia nigricantia, longiuscula & latiuscula, à foliis anagallidis non multum distantia,

Forma.

bina semper ex aduerso vt in Anagallide. Circa summos ramulos flores spectantur longiusculi, & parte anteriore lati oris, ramæ figura, linariæ floribus non multùm dissimiles, sed maiores, & pediculos carentes, in pallido lutei, quibus suboriuntur calices longi & rotundi, caput, oculos, nares, deníque hiatum oris vitulini exprimentes;

ANTIRRHINIMA II. Matth.



ANTIRRHINVM III. Matth.



mentes;

ANTIRRHINVM IIII. Matthioli.



ANTIRRHINVM Magnum, Dodon.



mentes, quibus semen concluditur. Est & aliud magnum Antirrhinum, foliis longis & angustis, osyridis ferè similibus, floribus roseis, aliquando candidis, cætera præcedenti simile. Antirrhinum paruum eiusdem, caput simiæ quorũdam, cauliculos habet tenues, teneros, non ita ramosos: folia longa, angusta: inter hæc & cauliculos flosculi oriuntur rubri, superioris similes, multò tamen minores, deinde capitula rotunda, membranacea, vituli aut simiæ caluariæ prorsus similia, quæ semen continent. Quartum est Antirrhinum Matthioli. Istud Archigenis ὀρόντιον esse multis creditur, cuius meminit Galenus, pharmaca recensens ab Archigene ad ictericos conscripta. Herbam orontium, inquit, coquito, & cum decocto lauato, & decoctum confestim viride reddes. Qui locus Cornario diu suspectus fuit, donec tandem in eam opinionem venerit, orontium herbam nullam aliam esse quàm origanum, & fortasse etiam ὀρίγανον pro ὀρόντιον esse legendum. Antirrhinum vtrumque in cultis & incultis nascitur, colitur etiam in hortis. Magnum Iulio & Augusto mensibus, paruum Iulio floret. Narrant id appensum, inquit Dioscorides, veneficiis aduersari. Galenus similis esse cum bubonio facultatis scribit. Auctor est Matthiolus illini Antirrhini folia, flores etiam & semen cum

ANTIRRHINVM paruum, Dod. siue Orontium.



Antirrhi. paruum, Dod. ibid.

Forma.

Lib. 9. ph. local. ca. 9.

In cõmen.

Locus.

Tempus.

Vires.

Li. 4. c. 128. Li. 6. simpl. In cap. 128. lib. 4.

rosaceo & melle ad vteri præfocationes, & mensium difficultates. Herbam scorpionibus adeò contrariam esse, vt illico ea visa torpescant, eandem fronti alligatam præstare ad delendas oculorum albugines. Tragus pro Antirrhino Resedæ speciem depinxit & descripsit, his verbis. Id incultis, areis, limitibus agrorum, & secus itinera nascitur.

Antir. Tra. Lib.1.c.118.

ANTIRRHINVM, *Tragi.*



Primo quidem vere nullum emittit ex se caulem, sed folia eius quæ habet oblonga, angusta, nigricantia, & quasi corrugata humi procumbunt, è quibus altero demum anno proceri, teretes & concaui exiliunt caules, nonnunquam bicubitales, multísque ramulis & surculis brachiati. Caules ipsi infernè angustissimis & prælongis foliis circumuestiuntur. Folia violarum candidarum vel lutearum foliis similia sunt, sed longiora, viridiora, & corugata, ac plicata. Floribus caules quamplurimis luteis ex ordine collocatis vndique ornantur, non aliter quam verbascorum genera. Ex iis flosculis suboriuntur folliculi instar crucis dissecti, ac quadripartita distinctione hiantes, quorum singuli vitulinas imitantur nares. In his ipsis, vt ita dicam, naribus semina nigra & perexigua latent, minora portulacæ. Porrò sponte sua hæc herba seritur, radicem habens mediocris magnitudinis, albam, rectámque, ac fœniculo similem. Hac herba non nisi linimentis lectorum luteo colore tingendis vtuntur, & calidæ humidæq; esse temperaturæ iudicat Tragus. Quidam herbarij herbam istam phyteuma esse volunt.

Temper.

LEONTOPODIVM, CAP. LXXII.

Nomina

ΛΕΟΝΤΟΠΟΔΙΟΝ Græcis, similiter Latinis Leontopodium dicitur, & pes Leoninus, propter villosam foliorũ & florũ effigiem: crus pedi annexum aliquatenus referentem, & κήμος, Cemos vt inter Dioscoridis supposititia habetur. Sic autem videtur appellari auctore Hermolao, ex floris siue calicis figura, quoniam pyxidula Athenis ita nominabatur, per quam suffragia in subiectum vasculum quod cadiscum vocabant, demitti consueuerant. Duûm digitorum herbula est, inquit Dioscorides, folia ferens angusta, longitudine ternûm quaternúmve digitorum, hirsuta, ad radicem lanosiora, & subalbida. In summis caulibus capitula sunt velut perforata, in quibus flores nigri: semen autem eius vix conspici potest ob circũfusam ipsi lanuginem: radix subest parua. Leontopodium istud non est herba quæ vulgo herbariorum Pes Leonis, Planta & Pata Leonis, Alchimilla & stellaria dicitur, sed auctore Lonicero quæ hîc depicta est, quam Ruellius, inquit, vulgo cruciatam vocari putat, diuersam tamen ab ea cruciata de qua diximus. Humi dicit eam serpere, digitali longitudine, folio angusto, lõgo ternos ferè digitos, hirsuto, ab radice lanoso, & canescẽte: in cauliculorũ cacuminibus capitula tanquã pertusa, in quibus flosculi dehiscũt nigricantes: semen spissa occulitur lanugine, vt vix conspici queat, radice exili. Aliud Leontopodiũ exhibuit Matth. herbulã duûm ternúmve digitorum, fo-

In Coroll. 132. lib. 4.

Li. 4. c. 126.

Forma.

T. 2. c 49. Li. 3. ca. 130.

LEONTOPODIVM Loniceri.



rum, foliis angustis, hirsutis, auersa parte canescentibus, iis præsertim quæ circa radicem sunt: capitulis in summo caule quasi foraminibus distinctis, floribus nigricantibus, semine densa, lanugine obuoluto. Ex Baldo monte misit Calzolarius. Idem opinor pinxit Lobellius, nonnihil tamen diuersum videtur, qui paruum Leontopodium adiecit, effigie totoq; habitu superiori simile, singulari dodrãtali caulicũlo, & folio Gnaphalij montani, densa lanugine incanis: flosculis summo caule in luteo pallentibus, Gnaphalij montani, exili ligneaq; radice. Hæc Lobellius. Aiunt hanc ad amatoria philtra commodam esse, inquit Dioscorides. Eam ob causam Cemos Plinij Leontopodium Dioscoridis esse creditur à doctis: sic enim ille. Eadem ex causa & Cemos silebitur nobis. Dixerat autem antea catanancen describi superuacuum esse, quum sit eius vsus ad amatoria tantum. Eadem fortasse de causa neque Galenus, neque posteriores eius meminerũt. Affirmat Marcellus Vergilius vidisse se antiquissimos & optimos Græcorũ Codices, in quibus nõ Leontopodium, sed Camos huius capitis titulus erat. Et habere se vetustissimũ Longobardis literis scriptum Latinum Dioscoridem, in quo pariter non Leontopodiũ, sed Camos est, eadem vniuersa prorsus historia. Sola in Græcis & Latinis tituli capitis, & plantæ appellationis diuersitas est, magno argumento non

Vires.

Li.27. ca.8.

LEONTOPODIVM, Matthioli,



LEONTOPODIVM paruum, Lobel.



differre

PSEVDOLEONTOpodium, Matthioli.



differre Leontopodium à Camo, niſi ſola appellatione. Ac vt idem ſit Cemos Plinij & Leontopodium Dioſcoridis, certè Leontopodium huius ab illius Leontopodio plurimùm diſtat. Sic enim ſcribit Plinius. Leontopodium alij Leuceoron, alij Doripetron, alij Thorybetron vocant. Cuius radix aluum ſiſtit, purgátque bilem in aquam mulſam, addito pondere denariorum duûm. Naſcitur in campeſtri & gracili ſolo. Semen eius potum lymphatica ſomnia facere dicitur. Et rurſus. Leontopodij ſemen tritum in aqua, & cum polenta illitum, ſpicula ſagittarum extrahit. Et alio in loco. Omnia corpori infixa extrahunt, folia tuſsilaginis, daucum, ſemen Leontopodij tritum in aqua cum polenta. A ſuperioribus differt planta quam ex Matthiolo hîc exhibemus, paſsim in Bohemia proueniens, quæ etſi longiore ſit caule, omnes tamen Leontopodij notas habet, inquit Matthiolus. Ideo Pſeudoleontopodium appellat. Lobellio eſt Chryſocome Germanica, Heliochryſos ſilueſtris Trago.

Li.26.ca.8.

Ibid.ca.14.

Ibid.ca.12.

CHAMAEMELVM SILVESTRE, CAP. LXXIII.

Nomina.

ἈΝΘΕΜΙΣ vulgaris ſiue ſilueſtris, & χαμαίμηλον vulgare ſiue ſilueſtre dicitur ab herbariis, vt diſcernatur ab Anthemide vera & quę ſeritur in hortis. Vulgo & Officinis Camomilla, Gallis *Camomille vulgaire*, Germanis *Chamill* & *Chamillen*. Eius genera aliquot ab herbariis obſeruata ſunt, quorum tria hîc ponemus ex Dodon. Primum Chamæmelum vulgare ſiue ſilueſtre albũ, cauliculis tenuibus, duris, lentis, foliolis teneris, minutim inciſis: floribus in ſingulorum ſummitatibus, luteis in medio, foris foliolis candidis in orbem adiacentibus, veri hortenſis Chamæmeli leucanthemi prorſus ſimilibus, odoris iucundi, non tamen adeo ſuauiter, neque adeo vehementer fragrantis atque in hortenſi Chamæmelo. Secundum genus eſt quæ hodie herbariis & Officinis Cotula fœtida nominatur, Thuſcis Cauta, vnde diminutiuum Cautula, tandem corrupta voce Cotula, fœtida autem à graui eius odore, quibuſdam Camomilla fœtida, & Græcè κυνάνθεμις, & κυνοβοτάνη, id eſt, Camomilla canina, Germanis *Krottendill*. Cauliculis eſt craſsioribus, viridibus, ſuccoſis, teneris: foliis latioribus & viridioribus quam Chamæmeli vulgaris: floribus illi valde ſimilibus, niſi quod media depreſsiora ſunt & latiora. Tota herba inſuaui ingratóq; eſt odore, guſtu amaricante. Hanc parthenium eſſe

Genera.

CHAMAEMELVM Silueſtre, Matth. ſiue Anthemis.

Lib.2.c.30.

Forma.



Cotula fœtida.

Nomina

Forma.

CHAMAEMELVM Siluestre, Dodon.



esse Leptophyllum doctiores censent, cuius meminit Hippocrates, & de præputio pustulas thymiave deducere scribit. Tertium genus Cotula non fœtida vocatur, & Camomilla fatua, & Camomilla seu Cotula inodora, cauliculis gracilibus, teneris, lentis, multis ex vna radice prodeuntibus: foliis longioribus, maioribus, & candidioribus quam chamæmeli vulgaris, inodoris: radice crassa, multùm fibrata, quæ hyeme non deperit, sed quotannis regerminat. Hanc pro buphthalmo depinxit ac descripsit Fuchsius. Hæc tria genera in agris luxuriant, iuxta semitas, & in hortorum sepibus. Iunio mense totáque æstate florent. Chamæmelum vulgare ad calidum & humidum vergit, & à chamæmeli veri temperamento parùm differt. Cotulam fœtidam calidam siccámque esse, odor sapórque demonstrant. Cotula inodora moderatè calida est, & ad chamæmeli vulgaris temperaturam quadamtenus accedit. Quemadmodum autem chamæmelum vulgare temperie, ita facultatibus & viribus simile est, nisi quod illius imbecilliores sunt, nec adeò efficaces. Experientia tamen docuit aduersus colicum dolorem, & renum calculum plurimùm valere, lotium ciere, eodem modo quo chamæmelum hortense vsurpatum. Quod ex eo oleum conficitur, dolores omnes, attrita, contractiones, duritias sanat, non aliter quàm oleum ex chamæmelo hortēsi paratum, eóque vtilius

Lib. de Vlcerib.
Cotula nō fœtida.
Nomina
Forma.
Cap. 52. histor.
Locus.
Tempus.
Temper.

COTVLA Fœtida, Dodonæi.



COTVLA Non fœtida, Buphthalmum Fuchsij.



febris

febricitantium enematis immiscetur. Cotula fœtida vtero prolapso, aut in alteram partem conuerso mirè succurrit, si eius decocto ægrotæ pedes lauentur: item vteri præfocationi si aut edenda, aut odoranda præbeatur, in hoc muliebri malo castorij viribus proxima.

CEPAEA, CAP. LXXIIII.

Nomina Lib.3.c.150. *Forma.* *Vires.* Li.26. ca 8. Embl. 151. lib.3.

ΚΗΠΑΙ´Α sic Latinis Cepæa dicitur. Portulacæ similis est, inquit Dioscorides, sed nigriora habet folia, & radicem tenuem. Folia in vino pota vrinæ stillicidio & scabiosæ vesicæ auxiliantur: maximè autem hoc faciunt, si cum decocto asparagi myacanthini bibantur. Eadem ferè Plinius tradit, sed locus in vulgatis exemplaribus corruptus est, sic enim habet. Vel magis cepæa similis portulacæ: quē ex veteris codicis vestigiis sic emendat Cornarius. Vesicæ malis medetur cepæa, similis portulacæ, nigriore radice, sed inutili, nascens in litoribus arenosis, gustu amara. In vino cum asparagi radice vesicæ plurimū prodest. Plantam hîc positam Matthiolus cepæam esse asseuerat, Venetiis ad se missam, nulla tamen adscripta nota vel figuræ, vel facultatum, vel locorum, vt Cepææ Dioscoridis adamussim conuenire probet. Dodonæus pro Cepæa anagallidem aquaticam seu Germanorum *Becabungam* exhibuit. Aliis videtur Cepæa nihil aliud esse quàm hortensis portulacæ species, id quod vel κηπαία testatur & eadem hortensis portulacæ figura, vna aut altera nota radicis & coloris foliorum additis. Præterea eædem quæ satiuæ portulacæ facultates. Lobellius accuratius Cepæam pinxit, & descripsit. Teretibus pedalibus & sesquipedalibus, numerosis, reptantibus surculis fruticat, Semperuiui minoris stellatis flosculis albis confertis. Foliola minora, portulacæ agrestis, angustiora & longiora, tenera, carnosa, succo prægnantia. Radix exilis. In Belgij viretis luxuriat, Patauio delata. Hæc Lobellius.

Lib.5. c.22.

CEPAEA, *Matthioli.*



ASTRAGALUS, CAP. LXXV.

Li.4. ca.57. *Forma.* *Locus.* *Vires.* Li.6.simpl.

ΑΣΤΡΑ´ΓΑΛΟΣ Latinè etiā Astragalus: paruus est, inquit Dioscorides, à terra frutex, foliis & ramis ciceri similis: flores sunt purpurei, parui, radix rotunda, raphani modo grandis, propagines habens solidas, nigras, duras veluti cornua, inter se implicatas, gustu adstringentes. Nascitur in locis ventosis, vmbrosis & niuosis: multa in Phæneo Arcadiæ, (ita legunt Galenus, Paulus, Oribasius, Plinius, vt corrupta sint Dioscoridis exemplaria, in quibus pro ἐν φαινεῷ legitur ἐν μεμφίδι τῆς ἀρκαδίας.) Radix in vino pota aluum sistit, vrinam mouet: facit & ad vetera vlcera, arida inspersa: sanguinem supprimit. Difficile tunditur propter soliditatem. Hæc Dioscorides. Galeno frutex est paruus, radices habens adstrictorias: quamobrem etiam ex numero est non instrenuè desiccantium: vlcera vetera glutinat, aluum fluidam sistit, si quis in vino decoctam radicem bibat. Plurimus huius prouentus est in Phæneo Arcadiæ. Eadem Paulus & Oribasius

& Oribasius habent, Galenum ſecuti. Plinius aliter quidem deſcribit, ſed eaſdem vires attribuit his verbis. Aſtragalus folia habet longa, inciſuris multis, obliquis circa radicem: caules tres aut quatuor foliorum plenos: florem hyacinthi, radices villoſas, implicatas, rubras, præduras. Naſcitur in petroſis apricis, & iiſdem niualibus, ſicut Phæneo Arcadiæ. Vis ei ad ſpiſſanda corpora: aluum ſiſtit radix in vino pota, quo fit vt moueat vrinam repercuſſo liquore, ſicut pleraq; quæ aluum ſiſtunt: ſanat & dyſentericos in vino rubro tuſa. Difficile autem tunditur. Eadem gingiuarum ſuppurationi vtiliſſima eſt fotu: colligitur exitu Autumni, cùm folia amiſerit. Siccatur in vmbra. Pro Aſtragalo plantam hîc appictam Matthiolus olim propoſuit, quæ frequens naſcitur in agro Tridentino, in vallis Ananiæ montibus, folio ciceris maiore, floribus purpureis, radice rhaphani æmula, adnatis appendicibus firmis, nigris, præduris, inter ſeſe implicatis, & guſtu adſtringentibus. In vltimis verò editionibus planta diligentiùs inſpecta, cùm quædam in ea deſiderari perſpexiſſet, quæ Aſtragali ſunt propria, ſententiam retractauit. Herba ij quidam Aſtragalum purpureum eſſe ſtatuunt hîc expreſſum, qui in Iuræ montis ſaxoſis collibus prouenit, radice grādi, craſſa, nigra, lignoſa, longa, ſurculoſa: caulibus multis, lanuginoſis, humi repentibus: foliis ciceris ſilueſtris, in vno pediculo multis ordine collocatis, villoſis, guſtu adſtringētibus: flore ex albo purpuraſcente, velut in capitulis coaceruato: ſemine in ſiliquis. Pena Aſtragali deſcriptionem, niſi apud Dioſcoridem corrupta foret, videri ait aptiſſimè quadrare ei plantæ quam Germani *Ak.er*, *Rychel*, & *Grund rychel*, id eſt, Balanum terreſtrem vocant, Galli *Gland de terre*, Sequani *Des Tarnotes*. Spargit humi tres quatuórve ramulos in imo rubellos, ciceris aut piſi folio & clauiculis donatos, quibus, ſi adſint, proximas quáſque plantas amplectitur: flores item purpurei piſi ſunt, & in ſiliquis paruis exiguum ſemen: radices verò oblongæ, oliuarum vel glandium inſtar, foris nigris, intus albidæ, multis quaſi traiectæ vel appenſæ veluti funiculis, variæ inuicem implexis, & latè fuſis. Germaniæ, Angliæ, Normaniæ ſiluoſis opacis iuxta ſepes, Narbonæ, Italiæ, cæteriſque æſtuoſis regionibus, non niſi in arduis & niuoſis eruitur. Sapor illis ſubdulcis, glandis, aut caſtaneæ adſtringēs. Siccatæ multùm dureſcunt. Hanc in libro de Bulboſis pinximus ex Dodonæo Chamæbalani nomine. Primū Dioſcoridis deſcriptionem

Lib. 26. c. 8.

ASTRAGALVS Matthioli.



In cap. 57. lib. 4.

Aſtragalus purpur.

Forma.

ASTRAGALVS Purpureus.



vitiosam esse diximus, qua in memphi Arcadiæ pro in Phæneo nasci dicitur. Deinde Plinius paulùm diuersam descriptionem tradit. Adhæc Galenus & Paulus scripsêre Astragalum paruum esse fruticem ἔχοντα τὰς ῥίζας adstingentes, quasi plures, nec raphani meminerunt. Quare vbi in Dioscoride habetur στρογγύλη ὥσπερ ῥάφανος, legendum fortassè ὥσπερ βάλανος, id est veluti glans. Clusius plantam

Li.2. Stirp. Hisp. c.86.

aliam elegantem & à nemine fortasse ex recentioribus cognitam depinxit, quam si facultates non refragarentur, legitimũ Astragalum esse cẽseret, quòd eius descriptioni plurimis notis conueniat. Cubitales & ampliores sunt illi caules, minimi ferè digiti crassitudine, pentagoni siue angulosi, duri, subrubentes, & lanuginosi: folia lanuginosa & incana, in longa costa ex aduerso semper inter se opposita, vti in vicia & cicere, gustu primùm adstringente, deinde feruido: flores copiosi, lupini aut fabæ, secundum obliquos pediculos ex alarum sinu prodeũtes, ordine digesti, albi omnino, sed antequam aperiantur: ex luteo foris nigricantes. Fructum ferre dicitur in siliquis faselo minori Dodonæi similem, qui gustatus fauces, os, & linguam inflammatione torqueat: radix pro stirpis magnitudine amplissima, brachiali interdum crassitie, palmari longitudine, deinde in duos aut tres ramos sese

ASTRAGALVS Forte, Clusij.



ASTRAGALVS Syriacus, Lobellij.



findens, foris nigra, rugosa, intus candida, dura & lignosa, ingrato sapore, quæ arefacta, cornu duritie superat. Primũ eam in collibus quibusdam supra Vlyssiponẽ, quos Tagus alluit, inter vepres se obseruasse, Clusius ait, deinde frequẽtiorem siluosis locis nõ procul Hispali. Lusitani *Alfabeca* vocant, Baëtici *Garauancillos*, quasi Cicer exiguũ dicas. Videtur ea quam Amatus Lusitanus Apocynon facit, & Lusitanis *Atramoços de can*, hoc est Lupinos caninos vocari ait. Perelegantẽ aliam leguminosam plantam Lobellio debemus, quæ Astragalis sanè cõgener est. Etenim foliorum & cauliculorum similitudine, & implexu radicum proreptantiũ Astragalon refert. Sed florum denso exortu congestorum decore, effigie, elegantia, magnitudine & rubore ornatur amœnissimo. Ex Alepo Syriæ hanc plantam primũ nactus est, postea in Vrceis pensilibus Brancionis ex Italo semine natam vidit.

ASTER

ASTER LVTEVS, CAP. LXXVI.

OCVLVS Christi dicitur ab herbariis, qui à quibusdã lutei asteris genus habetur. In agris pinguibus Monspeliaci soli prouenit, radice crassa, fibrata: caule sesquipedali, anguloso, ramoso, nigricante: foliis longis, angustis, lapatho hortensi vtcúmque similibus: flore aureo in squamosis capitulis micante, ramulorum verticem occupantibus, substrata foliorum nouenûm ferè aut denûm ambientium corona, vt in Astere: quã ob causam *Nomina* *Forma.*

OCVLVS Christi.



BELLIS Lutea, Dalechamp.



Asterem luteum nuncuparunt. Aliud Asteris lutei genus, pratis, vdisq; locis gaudet. Quorundam sententia hæc est Bellis lutea: alij oculum Christi vocant. Radice nititur valde fibrata, nigra: caules multos emittit, cubitales, foliis vestitos paucis, longis, acuminatis, venosis, in ambitu, nec serratis, nec insectis. Flos caulium verticibus insidet aureus, chrysanthemo similis. *Bellis lutea.* *Forma.*

HELIOTROPIVM, CAP. LXXVII.

ETSI multæ sint stirpes quæ Heliotropiæ & Helioscopiæ meritò dici possunt, quòd ad Solem semper conuertantur, & cum eo circumagantur, tamẽ hîc particulatim de Dioscoridis Heliotropio dicemus, quod vt Græcis ἡλιοτρόπιον, & σκορπίουρον, ita Latinis Heliotropium & Verrucaria nominatur, Gazæ Solaris recentioribus Herba cancri, Gallis *Tournesol*, & *l'Herbe au chancre*, Germanis *Creesteruyt*. Heliotropium verò quod, vt Dioscorides ait, folia vna cum solis inclinatione circumagantur, vel quod auctore Theophrasto, solstitio tantum floreat. ὅσα δὲ, inquit, τὰς ἀνθήσεις βλαστάνουσιν ἀκολουθοῦντα τοῖς ἀγρίοις, οἷον τὸ ἡλιοτρόπιον καλούμενον, καὶ ὁ σκόλυμος (ἅμα γὰρ ταῖς τροπαῖς καὶ οὗτος.) Quæ cum mendosa sint in vulgatis exemplaribus, ex Gazæ conuersione sic emendãda videntur. ὅσα δὲ ἢ ἀνθεῖ, ἢ βλαστάνει, ὡς ἀκολουθοῦντα τοῖς ἄλλοις. Idest. Quæ verò ita florẽt vel germinãt, vt alia sequãtur, velut Heliotropiũ & Carduus, nam id quoq; solstitio floret. Et aliquãto ante Heliotropiũ in iis numerat, quæ particulatim & diu *Nomina* *Lib.4.c.185.* *Lib.7. hist. cap.14.*

florent his verbis. Τούτων δὲ ἔνια κατὰ μέρος, ὥσπερ ἐλέχθη καὶ περὶ τοῦ ὠκίμου. διὸ καὶ πολὺν χρόνον ἀνθεῖ καθάπερ ἄλλά τε πολλὰ, καὶ τὸ ἡλιοτρόπιον, καὶ τὸ κιχώριον. Id eſt, Quædam particulatim florent, vt de Ocimo diximus: quare diutius florent ſicut alia multa, & Heliotropium & Cichorium. Scorpiuron vocarunt à floris effigie: inſtar caudę Scorpionis inflexi: à tollendis verrucis, Verrucariam. Eius genera duo aſsignat Dioſcorides, maius & minus. Plinius duo itidem genera: vnum Tricoccum, alterum Heliotropium. Sed Tricoccum cum maiore Heliotropio Dioſcoridis, confundere videtur, vt dicemus. Dioſcorides vero omiſſum tricoccũ, videtur ſub Heliotropio minore cõprehendiſſe. Heliotropiũ maius vt deſcribit Dioſcorides, folia habet ocimi, ſed hirſutiora, candidiora (Græcè tamen legitur μελάντερα, nigriora, & ita Oribaſius habet) & maiora: ramulos à radice ternos, quaternos, quinósve, & in his alas multas: in cacuminibus florem album, ſubfuluum (legitur enim in vulgatis ὑπο πυῤῥον, in vetere ὑπο πόρφυρον, id eſt ſubpurpureum) incuruum veluti ſcorpionis cauda: radix eſt tenuis & inutilis. Naſcitur in aſperis locis. Heliotropium minus folia habet ſimilia antedicto, ſed rotũdiora: ſemen rotundum, depẽdens vt penſiles verrucæ. Naſcitur in locis paluſtribus & iuxta ſtagna. Plinius Heliotropij miraculum ſæpius diximus cum ſole ſe circumagentis etiam nubilo die: tantus

Genera.
Ibidem.
Li.22. c.21.

HELIOTROPIVM
Maius, Matthioli.



Li.4. c.185.
Forma.

Locus.
Heliotro. minus.
Forma.

Li.22. c.21.

HELIOTROPIVM
Alterum, Matth.



HELIOTROPIVM
Minus, Matth.



sideris amor est. Noctu velut desiderio contrahit cæruleum florem. Genera eius duo. Tricoccum & Heliotropium: hoc altius, quamquã vtrũq; semipedalem altitudinem non excedat, ab ima radice ramosum: semen in folliculo mesŝibus colligitur. Nascitur non nisi in pingui solo, cultoq; maxime, tricoccum vbiq;. Et paulò post. Alterum genus quod tricoccum appellauimus, & alio nomine Scorpiuron vocatur, foliis non solùm minoribus, sed etiam in terram vergentibus. Semen ei est effigie scorpionis caudæ: quare ei nomẽ. Heliotropij magni fasciculus, vt scribit Dioscor. cum aqua coctus ac potus, pituitam & bilem per aluũ ducit. Vtile est & ictis à scorpione cum vino potum & impositum. Adalligatur ad conceptus arcendos. Tradunt seminis grana quatuor cum vino pota hora vna ante accesŝionẽ, quartanas finire, tria verò, tertianas. Illitum semen formicãtes verrucas pensilésq; & thymos, & epinyctidas exsiccat. Folia podagris & luxatis, & pueris siriasi, idest, partium, circa cerebrum & membranas eius inflammatione laborantibus, vtiliter imponũtur. Menses cient, fœtus ducunt trita apposita. Minoris vero Heliotropij vires hæ sunt ex eodem. Herba cum semine addito nitro, hyssopo & nasturtio ex aqua pota, latas tineas & teretes expellit. Tollit & pensiles verrucas cum sale illita. Plinius genera confundit, & vni tribuit quod Dioscorides ad alterum refert. Sic enim ille. Si decoquantur, inuenio cibis placere. Et in lacte iucundius aluum mollire. Et si decocti succus bibatur, efficacisŝime exinaniri. Maioris succus excapitur æstate hora sexta: miscetur cum vino, sic firmior. Capitis dolores sedat rosaceo admixto. Verrucas cum sale tollit succus è folio: vnde nostri Verrucariam herbam appellauere, aliis cognominari effectibus digniorem. Et paulò post de tricocco.

Ibidem. *Vires.* *Ibid. c.186.* *Li.22. c.22.*

VERRVCARIA *Alia Minor.*



Vis ad omnia venenata & phalangia, & cõtra scorpiones præcipuè illita, non feriuntur habentes. Et si terram surculo Heliotropij circumscribat aliquis, negant scorpiones egredi. Imposita verò herba, aut inde omnino respersum protinus mori. Seminis grana quatuor pota quartanis prodesse dicũtur, tria verò tertianis, &c. Galenus Heliotropium in simpliciũ medicamentorum catalogo præteriit. Paulus Heliotropium magnum, inquit, quod & scorpiuron vocãt, calidam & siccam, & extergentẽ facultatem habet. Deinde cætera ex Dioscoride transscribit. Heliotropiũ aliud minus, siue Verrucaria minor, est quorumdã sentẽtia quæ hîc appicta est. Nascitur in quibusdã pinguibus & humidis locis Mõspeliaci agri, ramulis, folio, flore, fructúque maiori similibus, tametsi minoribus, nisi quod surculorũ supremæ parti, in exiles virgulas attenuatę, fructus ordine collocatus, insidet. Ad eadẽ valet ad quæ & Myrmecias maior. Clusius Heliotropij maioris genus pinxit, quod χαμαίκισσον, vel χαμαιπετὲς iure dici potest. Heliotropium supinũ ille vocat. Maiori Heliotropio perquam simile est, minus tamen. Etenim ramulos fert graciliores, multis alis concauos, aliquantum lanuginosos, humi stratos: folia maiori cum sapore, tum colore & forma similia, minora tamen, & ocimi foliis proxima: extremi ramuli scorpionis caudæ modo etiam incuruantur, eísque ordine insident, vti in maiore, flosculi candidi, quibus succedit semen, non quadrifariam

Li.7. simpl. Lib.7. *Forma.*

HELIOTROPIVM Humi ſparſum, Cluſij.



vti in altero diuiſum, aut quaterna ſemina iuncta, ſed vnicũ ferè ſemper, quandóq; geminũ, illo maius & oblongius, fuſcumq́; , cortice quodam & veluti pericarpio incluſum:latent etiam interdum parui pediculi, cũ tribus aut quatuor ſeminibus duntaxat:radix parua,foris nigricans:hyeme perit,& ſemine deciduo ſingulis annis renaſcitur. In marginibus quorũdam agrorum, præſertim , vbi melopepones ſeri ſolent,Salmanticæ reperitur. Floret ſub finem Iulij,& Auguſto, quo menſe & & interdum Septembri ſemen perficit. Vt eiuſdem cum maiore eſt temperamẽti, ita eiſdem pollere viribus veriſimile eſt. Idem Cluſius Heliotropium minus Tricoccum pictum dedit, quod vnico aſſurgit caule, pedali , multis ramis brachiato: folia ſuperiori haud ſimilia, ſed ad Xanthij nonnihil, ſolani verò ſomnifici folia plurimum accedunt , mollia & candicantia : flos exiguus , racematim compactus, luteolus, inutilis, quippe qui ſine ſemine perit, vt in quibuſdam aliis plantis, quæ non ex floribus ſemina ſua proferunt : ex alarum tamen cauis dependent è longis pediculis, & foliis quaſi occultãtur ſine flore enatæ ſiliquæ triangulæ, vti tithymalorum, ſed aſperiuſculæ, ſcabræ & nigricantes, in quibus ſemen cinerei coloris. Hæ ſiliquæ pannis affricatæ viuaci virídique inficiunt colore , qui mox in cæruleum elegantémque mutetur colorem:radix inutilis & minime viuax. Salmanticenci agro frequentiſsimam eſſe hanc plantam ait Cluſius , multíſque aliis Hiſpaniæ locis. Naſcitur & copioſe in Narbonenſi Gallia. Iulio & Auguſto floret : deinde ſemẽ ad maturitatẽ perducit. Hoc Plinij Heliotropion Tricoccũ Galli vernacula lingua *Tourneſol* appellant, heliotropiis proculdubio adnumerandũ, tametſi à Dioſcor. videatur præteritũ , inquit Pena, aut minoris heliotropij deſcriptione cõprehenſum, vt diximus. Semina eius Tricocca capſula tithymali aut chamælææ proxima includuntur, ſed ſcabra, ex viridi nigricãte, affrictaq́; pãnis aut chartis, virorẽ viuacẽ impartiũtur, qui mox in cæruleũ hilarẽ & purpureũ mutatur:quæ magno quæſtu colligunt ruſtici Lunellæ, Maſsiliargues, aliíſq; Narbonæ tractibus, in oliuetis, vbi plurima maturaq́; ſunt ſeptẽbri, quę vendũt infectoribus. Romani agri vinetis etiã familiaria, Belgis, Frãcis, Germanis, Anglis in hortis coluntur. Pãnoſæ laciniæ quæ in Officinis nomine *Tourneſol* vęneunt, ad gelatinas aliaq́; medicamẽta coloranda, pereleganti purpura huius ſucco vinóque remiſto creduntur imbutæ.

HELIOTROPIVM Tricoccum, Cluſij.



SCORPI

SCORPIOIDES, CAP. LXXVIII.

Sicvt Scorpioides Græcis, ita Scorpioides Latinis dicitur, Plinio Scorpius. Herbula eſt, inquit Dioſcorides, folia habens pauca, ſemina caudæ ſcorpionum ſimilia. Ita Plinius. Ex argumento nomen accepit Scorpius herba: ſemen enim habet ad ſimilitudinẽ caudæ ſcorpionis, folia pauca. Quæ breuis apud veteres delineatio fecit, vt aliam atque aliam *Nomina* Lib. 22. c. 15 lib. 4. c. 18. *Forma* Lib. 22. c. 15.

SCORPIOIDES, Dodonæi.



SCORPIOIDES, Matth.



herbam pro Scorpioide herbarij exhibeant. Dodonæi Scorpioides herbula hæc eſt humilis, palmi altitudinem non excedens, cauliculis tenuibus, in quibus quina ſenáve folia anguſta: floſculi lutei: ſemina aſpera & hirſuta, terna quaternáve cohærentia, nodis diſtincta, & inflexa inſtar caudæ ſcorpionis. Lobellius Scorpioides repens bupleuri folio vocat. Matthiolus Scorpioides aliud depinxit, quod ſiliquata fert cornicula, ſcorpionis caudæ inſtar reflexa, & articulis diſtincta: docti quidam telephij genus eſſe non ſine magna ratione ſuſpicãtur: eſt enim folio portulacæ, flore luteo, guſtu & facultatibus non multùm diuerſis. Monſpelienſibus cum ſatis tum viretis Lattenſis portæ admodum familiare, non eſt colutea Scorpioides de qua diximus. Scorpioides, inquit Dioſcorides, impoſitum ictis à ſcorpione ſummoperè auxiliatur, Plinius. Scorpius valet & aduerſus animal nominis ſui. Galenus verò excalfacere ordine tertio, deſiccare ſecundo ſcribit. Lib. 1. c. 42. In cap. 187 lib. 4. Ibidem. *Vires.* Lib. 22. c. 15. Lib. 8. ſim.

TRIPHYLLVM, CAP. LXXIX.

De Triphyllis quibuſdam in Agro diximus, nunc de aliis quæ vdis locis gaudent, primùm de eo quod τρίφυλλον ἐν χορτοκοπείοις γεννώμενον dicitur, Latinè Trifolium pratenſe, Gallicè *Treffle des pres & Triolet*, Germanice *Vuyſſenkler*. Caulem gerit rotundum, tenerum, ramulos exiles, folia quadantenus rotunda, terna ſemper in vno pediculo, flores in ſummo ferè purpureos, velut in breuem ſpicam coagmentatos, deinde ſemen rotundum in paruulis ſiliquis, radicem longam & fibratam. Trifolium pratenſe alterum, ſupe- *Nomina* *Forma.* Trif. prat. alterum. *Forma.*

Locus. Vires. Fuch.cap. 315.hist. riori proximum est, nisi quod cauliculos paulò asperiores & hirsutiores habet, folia longiora & angustiora, in quorum medio nonnumquam macula alba apparet, crescentis lunæ figura: flores candidos, cætera superiori similes. Scatent iis prata ferè omnia. Maio & Iunio mensibus florent. Adstrictoriæ cuiusdam qualitatis sensum

TRIFOLIVM Pratense, I. Matth.



TRIFOLIVM Pratense alterum, Matth.



TRIFOLIVM Luteum minimum Penæ, & Lobellij.



in gustu præ se ferunt, non tamen multum admodum, vt nihilominus sint tenuium partium & exsiccatoria, quādoquidē etiam exigua quasi acrimonia prædita videantur. Quare haud dubie mediocriter concoquendi & exsiccādi vim habent, vt non temerè quidam ex recentioribus herbariis tradant trifolia hæc albo mulierum profluuio mirificè conferre. Eadem etiam inflammationibus imposita, eas cōcoquunt, & ad maturationem perducunt. Est Trifolium luteum omnium minimum, & non ita vbiq; obuium, inquit Pena, gracilibus pusillis, cauliculis reptantibus, iunceis folio terno, aliquātum crenato, luteolis floribus in orbem compactis. In pratis & cultis reperitur. Antuerpiano agro frequentissimum esse ait Lobellius. Est trifoliis adnumeranda planta, quæ à vulgaribus herbariis panis cuculi vocatur, vel quòd cuculus auis ea vescatur, vel quia hac erumpēte, cuculus vocem suam edere incipiat, & Alleluya, in Officinis Trifolium acetosum ab acido sapore, à Plinio Oxys eandem ob causam, Gallicè *Pain de Cocu*, Germanicè *Saurerkler*. Cauliculos siue potius

Forma

TRIFOLIVM Pratense luteum, Fuchsij.



TRIFOLIVM, Acetosum.



tius longos pediculos ab radice fundit per multos, quorum singuli in summitate terna folia sustinent perinde atque Trifolium, cordis figura, & in pediculū fungi modo plerúmque reflexa, mollia, acido gustu. Flores edit albicantes, in quinque diuisos apices, stellæ figura, qui peculiares pediculos habent ex eadem radice enatos, singuliq; singulos flores sustinent. Radicem habet subrufam, veluti squamis contectam, quæ nucamenti speciem referunt. Opacis locis maximè prouenit, & in siluis. Aprili & Maio mensibus floret. Obseruasse autem sese scribit Fuchsius, atque adeò multorum experientia cognitum, quod eius herbæ copiosi flores crebras illius anni pluuias, & aquarum inundationes certo portendunt, pauci contra siccitatem. Tota planta auctore Matthiolo, refrigerat oxalidis modo. Quare deuorata, sitim & ventriculi ardores extinguit, iecur refrigerat & cor corroborat. Stillatitia huius aqua datur vtiliter potanda acuta febre laborantibus, sed multò magis præstat succus ex saccaro potus. Illinitur idem per se erysipelatis & inflāmatis locis: osque eo colluitur, cū lingua, palatum, faucésque calida fluxione laborant. De ea hæc Plinius. Oxys folia terna habet. Datur ad stomachum dissolutum. Edunt & qui euterocelen habent. Diuersum ab his Trifolium pratēse protulit Clusius, quod non

Locus.

In cap.106. lib.3.

Vires & Temper.

Oξος est acetum hinc oxys quasi acetosus

Lib.27.c.12

Lib.2.stirp. Hispa.cap. 89.

OXYS LVTEA CORNICVLATA Repens, Oxys lutea, Clusij.



TRIFOLIVM PRATENSE
Salamanticum, Clusij.



nõ multum à nostro vulgari distat, hoc passim in pratis circa Salmanticam nascitur, cauliculis pedalibus quinis aut senis, humi sparsis, folia in iis terna sunt simul iuncta, vti in nostro, minora tamen, in ambitu serrata, quod tamen in icone non repræsentatur: petioli ex alarum sinibus prodeunt, sustinentes capitula flosculorum elegantissima purpura rubentium, quibus succedunt membranei folliculi, & in his semen exiguum, subrufum; radix vti vulgaris trifolij. Tota æstate floret. Hispani *Trebol de prados*, & simpliciter etiam *Trebol* quemadmodum alia omnia Trifolij genera vocant. Oxys alia à superiore & eius veluti genus allusio ostenditur, ramulis dodrantalibus, interdum longioribus, gracilibus, rotundis, rubentibus, per terram repentibus, & ad singula internodia radices proferentibus, nouósque inde surculos & ramulos: folia illi Oxys vulgaris, terna in singulis petiolis, sed minora & pallidius virentia, sapore acido, quæ sub vesperam aut imminente imbre complicantur, & veluti vmbonem quendam faciunt: flores in oblongis petiolis terni aut quaterni simul nascuntur, quinque foliolis stellatim decussatis conspicui, vulgari minores, lutei: oblongiora deinde mucronataque capitula, semine exiguo, rufo plena: radix tenuis & capillata. Vmbrosis quibusdam circa Hispalim locis nascitur, atque etiam Monspelij, Hec Clusius.

BETONICA AQVATICA,
CAP. LXXX.



Nomina BETONICA Aquatica Septentrionalium, quibusdam Clymenum Dioscoridis, Scrophularia secunda Dodonæi lib. 1. Hist. stirp. non picta quidem sed descripta Terebintharia Dilloij, à Terebenthinæ dote similis Ocimastrum alterum Tragi, Belgis *Breck scuym cruyt*, *& S. Antueus cruyt*, id est, S. Antonij Herba, Anglis *Vvater Betony*. *Forma.* Caulem edit quadratum, fuscum, bicubitalem, geniculatum, cauum, rectum & crassum: folia ex viridi nigricantia, ambitu, figura & crenis Betonicæ, aut Scrophulariæ, sed maiora: alis nonnullis in summo, floribus nigricãtibus purpureis, pusillas cassides emulantibus: seminibus pusillis in lagenulis pusillis Blattariæ, aut digitalis purpureæ: radice fusca, multum fibrata. *Locus.* Amat, quemadmodum Betonica, vmbrosa & frigida, sed magis humida, vt margines fossarum qui hac scatent in Nortmannia & Anglia. Hanc summopere celebrauit Vigonus Chirurgus,

gus: miſcetur enim vtiliter medicamentis vulnerariis & rypticis ad ſordida vlcera deſtergenda, & propter inſignes dotes quidam Clymenum eſſe putauerunt. *Vires.*

SERRATVLA, CAP. LXXXI.



EST & alia à Betonica quæ Serratula dicitur, à foliis minutim ſerratis. *Nomina* Caule conſtat purpuraſcente, *Forma.* tenui, & in multos ramulos diuiſo: folia habet antequam in caulem euadat, betonicæ ſimilia, toto ambitu tenuiter ſerrata, ſed cum caulem protulit, faciem immutantia: nam exortis multò profundioribus inciſuris, maioris Phu ſimilia fiunt: quæ verò in caule ſunt, multò minora & breuiora viſuntur: flores in ramulorum ſummitatibus, ex ſquamoſis capitulis purpurei. In ſiluoſis Bohemiæ & pratis naſci ſcripſit Matthiolus. *Locus.* Pena etiam in nemoroſis & decliuibus Pedemontis & Septentrionalium Nortmanniæ & Angliæ. *Vires.* Ad vulnera & enterocelas commendatur.

CLYMENVM MINVS, CAP. LXXXII.

CLYMENVM Minus, Dalechampij.



CLYMENVM minus ab Herbariis dicitur planta hæc, quæ in humidis, riguis & opacis gignitur, radice geniculata, modicè craſſa, in plures fibras diuiſa, caulibus tribus aut quatuor, pede altioribus, quadrangulis, foliis Clymeni maioris, anguſtioribus, venoſis, grauiter olentibus, auſteri ſaporis: flore in pallido purpuraſcente, ſuperne ſpicato, betonicæ modo, infra cacumen foliis binis, veluti alis vtrinque erumpentibus.

ALOPECVRVS MONTANA, CAP. LXXXIII.

HANC plantam, Alopecurum mõtanam vocant herbarij, à fructus villoſi quadam ſimilitudine: cum eius animalis cauda. Naſcitur in altorum montium opacis conuallibus, arborum frequentia vmbroſis, & illapſu aquarum vdis: radice nigra, tuberoſa, fibrata: caulibus multis, cubitalibus, rotundis, ima parte veſtitis, corticis quibuſdam extantibus, veluti laciniis, partim viren

cauda vulpis

ALOPECVRI, Genus.



tim virentibus, partim è nigro rufis denſius cõgeſtis, deſinentibus in cuſpidem: foliis betonicæ, rotundioribus, breuioribus, latioribus, venoſis, qua medius neruus protenditur, nigris, ad extremam oræ marginẽ valde crenatis, magnis interuallis per caules prodeuntibus, geminis, ex aduerſo poſitis: in caulium vertice ex geminorum foliorum tanquam ala caput exoritur, oblongum, metæ figura, innumeris villis hiſpidis, denſiſſimè ſtipatis, candicãtibus, eleganti prorſus huius congeriei figura, emicanti omni ex parte illa pilorum cæſariæ: quorum ſitus, ordo, & denſitas, vtcúmque Vulpinæ caudæ ſpeciem æmulatur, vnde nomen impoſitum eſt: qua facultate prædita ſit, & ad quas ægritudines valeat, nobis compertum nondum eſt.

CHRYSANTHEMVM Latifolium, Dodonæi.



uid Chryſ. pag 520.

CHRYSANTHEMVM Latifolium, CAP. LXXXIIII.

LATIFOLIVM Chryſanthemũ mox à radice folia promit oblõga, lata, virentia, ſuperiore parte aliquãtulum aſpera, inferiore verò læuiora, dilutiúſque colorata, inter quæ ſcapi exeunt tenues, cubitales, aliquantulum hirſuti, duobus aut tribus geniculis articulati, à quorum ſingulis bina contra ſe poſita folia, atque ſubinde pediculi exeunt, in quorum faſtigiis ampli orbiculati flores, Bupthalmi aut Chryſanthemi æmuli, ſed maiores coloratioreſq́; , & medio Diſco, & circumambiẽtibus foliolis, luteo reſplendentes colore, quorum medius diſcus tandem in pappos vaneſcens, oblonga, tenuia, nigricantiaq́; ſemina mittit, radix fibroſa eſt. In Germaniæ incultis ac ſyluoſis locis frequenter reperitur. Iunio menſe in hortis Belgij cum flore conſpici poteſt: ſequenti menſe ſemen cum pappis à vento rapitur. Germanis *Vvaldiblum* dicitur. Sunt qui Aliſma Dioſcoridis eſſe velint: Sed vbi Plantaginis ſimilia ſunt folia, & caulis? Alimatis ſiquidem, quod Damaſonium etiam dicitur, Plantaginis ſimilia ſunt folia, & caulis thyrſo ſimilis, quæ huic nõ adſunt. Chryſanthemum idcirco Latifolium citiùs appellandum, quàm temerè Aliſmatis nomen ei tribuendum.

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM LIBER DVODECIMVS,

In quo omnes plantæ, quæ ad Mare & in ipso Mari nascuntur, ad viuum depinguntur.

PLANTAGO MARITIMA, CAP. I.

DE PLANTARVM quæ in aquis ipsis proueniunt, ac earum quæ locis aquosis, & sui natura, aut quauis alia de causa vdis ac vliginosis gaudent, historia, satis multa fortasse dixerimus, si ad illas de quibus iam tractauimus, has quæ ad mare, vel in ipso etiam mari nascuntur adiunxerimus, ab iis more nostro exordientes, quæ frequentius illic sunc obuiæ, atque eam ob causam multis notiores. Maritimas verò plantas omnes nobis cognitas breui hac tractatione non complectimur, quòd harum quædam aut consecutionis ordine, aut tanta affinitate aliis minimè maritimis ita coniunctæ sunt, vt ab iis disiungi minimè possint, vt cum catharticis non possumus non empetron, alypon, scammonium, peplium recensere. Inter olera cum brassicis hortensibus & siluestri, brassica, atriplex, portulaca, marinæ sedem occuparunt: vmbelliferis crithmum, bulbosis pseudomoly, spinosis, Tragus Matthioli, hippophaes, hippophaestum, eryngium sese sociarunt. De plantagine marina primùm dicam, quæ Græcis Ἀρνόγλωσσον θαλάσσιον, Gallis *Plantain de mer* nominari potest. Radice est crassiuscula, fibrata, ex qua folia crebra, longa, angusta, spissa proueniunt, porraceis tum colore, tum consistentia similia: cauliculi palmum alti à medio sui floribus & semine spicatis, plantagini vulgatissimæ notionis simillima. Litoreis Narbonæ, Angliæ, Zelandiæ frequens.

PLANTAGO *Maritima.*



Nomina

Dodo. lib. 1. cap 61. Pet. Pen. in Adu.

Forma.

Locus.

LEVCOIVM MARITIMVM, CAP. II.



Forma.

LEVCOIVM maritimum maius, in litoribus mediterraneis Narbonēſis prouinciæ frequens, folia longa, anguſta, humi ſpargit, ad cichorij vel erucæ modum diuiſa, craſſa, albida, paria hortenſis, ſed magis lanuginoſa, & guſtu acriora, florem puniceum edit leucoiis ſimilem, ſemē minutum in ſiliquis.

Leuc.mar. minus.

Forma.

Iiſdem in locis Leucoium multò minus prouenit, radice parua, breui, cādida, foliis multis humi procumbentibus, Leucoio purpereo ſimilibus, minoribus, anguſtioribus: caule humilis, flore puniceo: ſemine paruo in ſiliquis. Niuea lanugine tota planta operta eſt, vehemētiore acrimonia linguam vellicante. Eſt Heſperis Theophraſti quibuſdam. Aliud Leucoium marinum latifolium protulit Lobellius, non ita diuerſis foliis, ſed latioribus, rigidioribus, hirſutioribus, flores excęruleo purpuraſcunt in palmaribus & ſeſquipalmaribus cauliculis. Semen in ſiliquis minoribus multò Leucoij lutei.

LEVCOIVM Maritimum, minus.



LEVCOIVM Marinum alterum, latifolium, Lobellij.



CISTVS

CISTVS MARINVS, CAP. III.



AFLORIS ſpecie dicitur Ciſtus frutex hîc, in maritimis proueniens, cubitalis, nonnúmquam altior, denſis, numeroſiſque radicibus, caulibus multis, ſurculoſis, cortice ex rufo rubente, foliis longis, in ambitu laciniatis, acuminatis, ſupernè obſcuriùs virentibus, infernè candicantibus, & parùm lanuginoſis, flore Ciſti, roſæ've ſilueſtris, albo, vel ex albo purpuraſcente.

LYCHNIS MARINA, CAP. IIII.

LYCHNIDEM marinam Anglicam pictam dedit Pena, in aggeribus maritimis Vectis inſulæ Angliæ, totóque illo tractu frequentem. Herbula eſt ab ima radice multis foliis cincta, craſſis, minoribus & anguſtioribus quàm portulacæ marinæ, caules creberrimi, flexiles, humi fuſi, cubitales & ſeſquicubitales, in quorũ ſummo caliculus albus ocimaſtri aut Lychnidis eſt, cui hęrent floſculi candidi, perquam elegantes, ocimaſtri non diſſimiles, apiculis intus nigris. Semen in folliculis fuſcum, Lychnidis aut ocimaſtri. Salſo eſt guſtu non tamen inſuaui, eſu tenera, non niſi inter ſilices & braſſicas marinas qua ferme vndæ alluant, naſcitur. Floret menſe Iunio, Iulio, Auguſto & Septembri.

LYCHNIS Marina Anglica, Penæ.



ANDROSACES, CAP. V.

LATINIS Androſaces vt Græcis ἀνδρόσακες dicitur, forte, vt putare quis poſſit ὑδρόσακες, ab vrina & hydropicorum aquis educendis. *Nomen.* Vide Phytop. pag. 561. ὕδωρ aqua


Herba eſt, inquit Dioſcorides, alba (legendum in Dioſcoride λευκὴ pro λεπτὴ, Oribaſio & Plinio auctoribus) tenui ramulo, amara, ſine foliis, folliculum in capite habens, quo ſemen cõtinetur. Naſcitur in Syria in maritimis locis. Plinius accuratius hãc hiſtoriam quàm quamuis aliam ex Dioſcoride, vel alio herbario exſcripſiſſe videtur, his verbis. Androſaces herba eſt alba, amara, ſine foliis, folliculos in cirris habens, & in his ſemen. Naſcitur in maritimis Syriæ maximè. Verum Androſaces Piſis à doctiſsimo Ghino ad ſe miſſum Matthiolus in cõmẽtariis depinxit. Ghino doctiſsimi herbarij aſſentiuntur. Sed in illis commentariis quadruplo maior

Lid. 3. c. 133. *Forma.* Lib. 11. Lib. 27. cap. 4. Lib. 27. c. 4. In cap. 133. lib. 3. Pet. Pen. in Adu.

quam viua planta sit, depicta est, per pusilla etenim & perelegans est planta, vmbilicata, è fundo in ipsa aqua, ideo à Dioscoride proximè nymphæas descripta, non in aëre crescẽs & viuens, sæpius chamæ conchæ quæ humi obuoluta sit, dorso striato innascens, pediculis, cirrísve glabris, nitidis, exilibus, crebris, rectis, binos pollices altis, singulis singulos clypeolos medio cẽtro sustinentibus, circinatum vmbilicum vrachis appensis referẽtibus: quam ob caussam Monspelienses vmbilicum marinum nominarunt. Viret primùm in aqua exsqualido cinereoq́; postea eiectũ vndis, & litore exceptum, albescit, gustu subsalso, & amaro. In illis vmbilicis quos θυλάκια vocat Dioscorides, Plinius folliculos, semen vix vnquã reperias, qui cum petiolorũ siue simpliciũ & sine vllo capitulo summitati inhæreant, videtur Plinius legisse in Dioscoride, vel in eo auctore ex quo vterque transcripsit, θυλάκιον non ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, sed ἀντὶ τῆς κεφαλῆς, id est, folliculum pro capitulo. Vim habet hæc herba, inquit Dioscorides, duarum drachmarum pondere in vino pota, vt vrinas multas in hydropicis educat, sed & herbæ decoctum & semen potum idem facit (legitur tamen in vetere codice, καὶ τὸ ἀφέψημα δὲ τῆς πόας, καὶ ὁ καρπὸς αὐλάρκης μεθ' οἴνου πινόμενος, τὸ αὐτὸ ποιεῖ. Id est, Ipsius etiam herbæ decoctum, semenq́; abunde potum cum, vino eundem effectum præstant) Imponitur etiam vtiliter podagricis. Eadem planè Plinius habet. Datur hydropicis drachmis duabus tusa, aut decocta in aqua, vel aceto, vel vino: vehementer enim vrinas ciet. Datur & podagricis, illiniturq́;. Idem effectus est & seminis. Galenus, Androsaces, inquit, humida & acris est herba, potest autem siccata & pota tum ipsa tum semẽ eius vrinas abunde ciere, & discutere, ac siccare. Sed Paulus & Oribasius pro voce ὑγρὰ, id est, humida, habent πικρὰ, id est, amara, quo modo etiam id Dioscor. & Plinius descripsêre, reipsa etiam id comprobante, est enim plantula siccior actu & tactu quàm calidior, & multùm diu retica, vt in Galeno πικρὰ quoque legendum esse vt intelligatur & non ὑγρὰ, nisi ὑγρὰν recentem intelligat, eamq́; τῇ ξηρανθείσῃ, id est, siccatæ opponat. Matthiolus in iisdem commentariis aliam plantam à superiore longè diuersam à Cortuso missam pro Androsace altero exhibuit, quæ minimè androsaces, sed morsus gallinæ, vel alsines potius species est, non ex Syria, sed ex vetere quadam macerie decerpta.

ANDROSACES.

Forma.



Lib.3.c.133.

ANDROSACES Alterum, Matthioli.

Lib.27.c.4.



Lib.6.sim.

CNEORVM.

CNEORVM, CAP. VI.

CNEORVM de multis dici plantis testis est Plinius, qui thymelæam Cneorum à quibusdam appellari scripsit. Et alio in loco Cneorium casiam ab Hygino vocari, & mox, Cneori duo genera sunt, inquit, nigri atque candidi, hoc & odoratum, ramosa ambo, florent post æquinoctium Autumni. Quæ ex Theophrasto trãslata sunt, de Cneoro à thymelæa longè diuerso hæc scribẽte. δύο δὲ εἴδη τοῦ κνεώρου. ὁ μὲν γὰρ λευκός, ὁ δὲ μέλας. ἔχει δὲ ὁ μὲν λευκὸς τὸ φύλλον δερματῶδες, πρόμηκες, ὁμοιόσχημον τρόπον τινὰ τῇ ἐλαίᾳ. ὁ δὲ μέλας οἷον ἡ μυρίκη, σαρκῶδες. ἐπίγειος δὲ μᾶλλον ὁ λευκός. ἔστι δὲ ὀσμώδης, ὁ δὲ μέλας εὔοσμος. τὴν δὲ ῥίζαν τὴν εἰς βάθος ἄμφω μεγάλην ἔχουσι, καὶ ἀκρέμονας πολλοὺς καὶ παχεῖς, καὶ ξυλώδεις ἀπ' αὐτῆς τῆς γῆς ἢ μικρὸν ἄνω σχιζομένους. ξυλωδεστάτην δὲ, γλίσχρον δὲ σφόδρα. διὸ καὶ χρῶνται πρὸς τὸ καλαδεῖν, καὶ προλαμβάνειν, ὥσπερ τῷ οἴσῳ. βλαστάνει δὲ καὶ ἀνθεῖ μετ' ἰσημερίαν μετοπωρινήν, καὶ ἀνθεῖ πολὺν χρόνον: Quæ sic cõuertit Gaza, Cneoron casiã interpretatus. Casiæ quoq; duo genera: alia enim cãdida, alia nigra. Candidæ folium modo cutis oblongum, figura quodãmodo oleagineo simile: nigræ, quale tamarici, carnosum. Cãdida magis se humi spargit, odorataq; est: nigra odore caret. Radix ambabus quæ altè descendit, grãdis, ramíque permulti, crassi, surculosiq; ab ipsa protinus Tellure aut paulò superius sparsi, lenti admodum constant, quamobrem hisce ad colligandum iunci modo vtuntur. Germinant floréntque post æquinoctium autumni, & multum denique temporis florent. Quæ sic emendatiùs legi possunt. Cneori genera duo. Vnum album, alterum nigrum. Albo folium est cutaceum, oblongum, figura oleæ quodammodo simile, nigro quale tamaricis, carnosum. Album supra terrã minùs se attollit, & parum quid olet, nigrum valde odoratum est (vt legatur, ὁ δὲ μέλας εὔοσμος, nõ vt legit Gaza ἄοσμος) radix vtriúsque in profundum descendit magna: rami multi, breues & lignosi, qui à terra vel paulò supra diuiduntur, lenti admodũ (nam Græcè legendum βραχεῖς καὶ ξυλώδεις. ἀπ' αὐτῆς τῆς γῆς, ἢ μικρὸν ἄνω σχιζομένους, γλίσχρους σφόδρα, &c. voce ξυλωδεστάτην expuncta, quam etiam omisit Gaza) Quam ob causam hisce ad colligandum & comprehendendum (προσλαμβάνειν, non προλαμβάνειν, vt in vulgatis legitur) vtuntur vitilium modo ὥσπερ τῷ οἴσῳ, non τῷ σχοίνῳ. Germinant florẽtq; post æquinoctium autumnale, multóque tempore florent. Hæc à Theophrasto tradita Cneori albi delineatio plãtæ hîc appictæ quadrat, quorumdam herbariorum sententia. Locis lapidiosis & saxosis maritimis prouenit, radice grandi in profundũ subeunte, folio argenteo, cutis modo crasso, oblongo, angusto, oleæ simili, interdum longiore. In ramos multos, breues, lignosos statim ab ipsa terra diuiditur, eosq; valde flexiles, quamobrem ad ligandum & nectẽdum iis vti licet, amerinæ modo. Germinat & floret post æquinoctiũ autumnale, florisq; prouentũ in multos dies prorogat, flos autem in summo ramorũ vertice velut in corymbos aceruatus emicat, semen nigrũ, crassum, in folliculo tãquam gluma reconditũ. Matthiolus plantam aliam se obseruasse ait in Bohemiæ siluis, cuius iconem hîc expressimus,

Nomina. *Lib.13.c.21.* *Lib.21.c.9.* *Lib.6. hist. cap.2.* *Locus.* *Forma.*

CNEORVM Album, Dalechampij.



CNEORVM Album, Matthioli.



Lib.2.c.30.

CNEORVM Nigrum, Myconi,



quæ omnibus notis Cneorum candidũ referat, quia cutaneum illi folium est, oblongum, rami flexiles, lenti, surculosi, ab ipsa protinus terra aut paulò superius emergentes, & per humum sese diffundentes: flores in surculorũ cacuminibus purpurei, odorati testiculi odore: radix altè descendens, non tenuis. Sed vere floret. Franciscus Myconus medicus Barcinonensis, rei herbariæ studiosissimus, istud Matthioli Cneorum albũ fructicem esse ait, quem in Pyrenæis montibus frequẽtem obseruauit, ab incolis Gauechs nuncupatum, notis omnibus Matthiolus non meminit ei adstipulantibus, dempto fructu, qui in hoc frutice rubet, cuius Cneorũ tamen esse non arbitratur, sed Auicennæ alteram oleandri speciem, quam siluestrem vocat. Siluestris, inquit, folia sunt sicut folia portulacæ (vel alcannæ vt Bellunẽsis) sed sunt strictiora, & eius thyrsi sunt longi, expansi super terram, & apud folia sunt spinæ, & nascitur in domibus desertis. Hæc Auicenna. Quæ si quis, inquit Myconus, cum Matthioli Cneoro modo descripto cõferat, oleandrum siluestrem Auicẽnæ esse comperiet. Præterea nascitur in desertis locis, & summis montium iugis, foliis myrti maioris, acutis, quæ non multùm à foliis portulacæ vel alcannæ distant: item per terram frequẽter serpit, aut non multũ attollitur. Ad hæc flore, forma, colore, odore ad oleandrum vulgarem accedit. Est verò id notatũ dignũ, quod obseruaui Myconus à nullis animãtibus, fruticem hunc attingi aut arradi. Et cùm mille huiusmodi plantas foliis & floribus onustas viderit, nullam vnquam reperire potuisse asserit, in qua pręcisum aut arrosum aliquid fuisset. Sed nigrũ Cneorũ multò est ignotius. Quidam id non sine probabili coniectura herbam eam esse suspicãtur, quæ herbariis præsertim Monspeliensibus Cãphorata maior nominatur, quòd radice magna altè descendit, vt è terra prodiit, statim in ramos finditur, vitilium modo lentos, folio est carnoso, tamarici simili, validum spirat odorem, qualis ferè est caphuræ, vnde & Caphuratæ nomen. Quæ omnia in Cneoro nigro Theophrastus adnotauit. Alij selaginem Plinij esse volunt, alij ericæ prius genus, alij hyssopum nemorensem, alij musci terrestris genus depictũ à Trago, cuius alibi meminimus. Lib. quę in Vmbros. cap. 59. & lib. quæ in Asperis cap. 71. Frãciscus Myconus plantam aliam Pala marina vulgo dictam, à Barcinonensibus ad nos misit pro Cneoro nigro depictam, vt videtis, & descriptam his ferè verbis. Frutex est duorum cubitorum altitudine cum multum adoleuit,

Cneorum nigrum.

Nomina

Lib.24.c.11.

Lib.1.c.189.

adoleuit, caule rotundo, flexili, aliquantum aſpero, & fere nodoſo, qualis in Aizoo foliis detractis cernitur, ramulis multis ſimiliter nodoſis brachiato, in quibus folia minuta, perpetuò virentia, quæ quò fruticis ſummitati propiora, eò minora conſpiciuntur, vt quæ in ſummitate ſunt cupreſſi foliis ſimilia ſint, paulò tamen latiora: omnia nonnihil craſſa ſunt, carnoſa, incana, caulem complectentia. Flores in viridi lutei: radices craſſæ, digitales, lignoſæ, albo cortice veſtitæ, ſatis in terram deſcendentes. Totus frutex & maximè cortex manu tritus, grauis eſt odoris: ſed vigente canicula folia, ſi confricentur, zibeti odorem quadamtenus ſpirant. Barcinone naſcitur locis arenoſis, & maritimis, aut non multum à mari diſtantibus. Floret Autumno, & floris prouentum ad Maium vſque producit, foliis aliis decidentibus, aliis renaſcentibus. Foliorum ſapor cum lentore ſubadſtringit. Fotu huius herbæ hæmorrhoidum inflammationem ſedari aſſerunt: quod & ſuffitu præſtatur. Hanc plantam Cneori deſcriptioni à Theophraſto traditæ optimè quadrare putat Myconus. Ea eſſe videtur quam libro de catharticis nomine Seſamoidis minoris depinximus. Cluſius Sanam vndam ſecundam fecit. Anguillara Lauandulam vulgò vocatam Cneorum album eſſe arbitratur: nigrum verò roſmarinum coronarium à Theopraſtro nuſquam memoratas plantas, quamuis tota Peloponneſo & Hellade, vtráque copioſa gignatur. Eius opinionem pluribus refellit Matthiolus, quod Cneorum vtrúmque floret poſt æquinoctium Autumni, roſmarinum bis anno, nempe poſt æquinoctium vernum, & ante æquinoctium Autumni. Lauandula æſtate tantùm. Præterea vtriq; Cneoro Theophraſti radix eſt grandis, altè deſcendens, Lauandula & roſmarino minimè, cùm per ſumma ferè ceſpitum mediocres radices fundant, & ob id frigoris impatientes plantæ. Ad hæc vtriúſque Cneori rami lenti flexiléſque ſunt, & ad ligandum apti, cuiuſmodi non ſunt lauandulæ, nec roſmarini. Idem Matthiolus in poſtrema commentariorum Latinorum editione ſcribit, Cneorum Theophraſti Roma ad ſe miſſum nullis deficientibus notis: ſed eas nec deſcribit, nec addit ſit ne candidum, an nigrum Theophraſti Cneorum, quod hîc expreſsimus.

Li.24.ca.11.

In cōmen. ca.12. lib.1.

In cap.167. lib.4.

CNEORVM Aliud Theophraſti, Matthioli.



CONIZA MARINA, CAP. VII.



Locus. IN MARITIMIS creſcit hoc Conyzæ genus, quod à foliorũ longitudine macrophyllũ cognominarunt, radice ſicca duráque, *Forma.* caule dodrantali, ſurculoſo, foliis in eo multis, longis inſtar plantaginis anguſtifoliæ, aut etiam anguſtioribus, guſtu fatuis ſimul & nonnihil amaris: flore luteo in luteis corymbis, ſurculorum vertici inſidentibus, qui in pappos tandem abit.

CATANANCE, DODON. CAP. VIII.

Nomina *Lib.4.c.49.* KATANAΓKH Græcorum, & Latinorum Catanance, quaſi coactrici, à vi & neceſsitate adigen- *Forma.* gi ad amorem, Dodonæi ſententia valde affinis hæc eſt: foliis anguſtis, longis, gramineis, ſed minoribus, quæ areſcentia in terram recuruantur: cauliculos fert teneros, graciles, breues, in quibus floſculi & ſiliquæ rotundæ, tenues, longiuſculæ, ſemine rufeſcente refertæ. Eiuſdem generis eſt altera, quæ non rotundas ſiliquas ſed compreſſas & latiuſculas habet, cætera ſuperiori ſimillima. *Locus.* Hæc in litoribus marinis reperitur, illa etiã quádoque in agris. Videtur, inquit idem Dodon. prior eſſe Catanances ſpecies à Dioſcoride deſcripta, *Li.4.c.129.* quæ folia Coronopi habet longa, radicẽ iunci modo prætenuem, capitula ſena ſeptenáve, in quibus erui ſemen ineſt: areſcens in terram flectitur, & milui exanimati vnguibus ſimilis euadit. Eruũ ſilueſtre Dodonæus in frument. Hiſtoria. Lobellius & alij Herbarij faciunt. Vt vt res habeat, hanc noſſe minimè neceſſe eſt, ſatiuſq́; eſt de hac amatoriis tantùm illecebris dicata ſilere, quàm diligentiùs de ea inquirere, ſicuti Plinius conſuluit, & Dioſcorides non vires, ſed alienam duntaxat hiſtoriam citat, nec Galenus poſterioréſque medici de hac quicquã tradiderunt, eadem fortè ratione ducti quã

κατανάγκη est violentior amoris illecebra deriuat enim ab ἀνάγκη necessitas hinc ἀναγκάζω cogo et compello hinc καταναγκάζω hinc herba eiusd. nominis quia ad amoris illecebras faciat.

CATANANCE, *Dodon.*



Li.27.ca.8. Plinius, qui de ea hæc literis mandauit. Catanancen Theſſaliam herbam qualis ſit, à uobis deſcribi ſuperuacuum eſt, quum ſit eius vſus ad amatoria tantùm. Illud non abs re eſt dixiſſe, ad detegendas magicas vanitates, electam ad hunc vſum coniectura, quoniam areſcens contraheret ſe ad ſpeciem vnguium milui exanimati.

TRIBVLVS MARINVS. CAP. IX.

TRIBVLVM Marinum plantam hanc quidam vocant, alij pastinacã marinam, alij Hippophaes Dioscoridis esse contendunt. In sabulosis & maritimis nascitur, radice crassa, molli, cortice rugoso & subatro cõtecta, saporis amari, caulibus multis, angulosis, latè dispersis: foliis longis, oleæ similibus, verùm angustioribus & longioribus, qualia floribus substrata cernuntur, albis, spinosis, spinarum aculeis, sicuti & caulis, angulosis: flore corymbis hederæ non dissimili, ac veluti racemoso, minusculo, candido, leuiusculè rubente. Quæ ferè omnia Hippophais historiæ respondere videntur: sic enim Dioscorides illud descripsit. Hippophaes nascitur in maritimis & arenosis locis. Frutex est surculosus, densus, vndiq; amplus, folia habens longa, ad oleæ folia accedentia, sed angustiora, tenuiora, & inter ea spinas siccas candicantes, angulosas, inter se distãtes: flores corymbis hederæ similes, & racematim inter se cohęrentes, sed minores, & molles, & cum candore punicei ex parte coloris: radix crassa, mollis, succi plena, gustu amara. At huic Dioscorides non folia spinosa, sed præter folia, spinas siccas, albas, angulosa tribuit. Præterea eius succo vim purgandi biliosa, aquosa ac pituitosa deorsum, quod de superioris succo neminem adhuc experientia comprobasse arbitror. Quare sit ne hæc Dioscoridis hippophaes, lectoribus, & maritimis locis vicinis, diligentius disquirendum relinquimus.

Nomina / Li.4. c.156. / *Locus.* / *Forma.* / Li.4. c.156.

TRIBVLVS Marinus quorumdam.



MVSCVS MARINVS, CAP. X.

BRYON θαλάσσιον, Latinis Muscus marinus vocatur, *Thahabel*, siue *Thaleb* Arabibus, Gallis *Mousse de mer*, Germanis *Mermiesz*. Nascitur, inquit Dioscorides, in lapidibus & testis iuxta mare, capillaceus, gracilis, sine caule. Plinius eundem Muscum ita describit, vt in quibusdam à Dioscoride dissentiat. Bryon marinum, inquit, herba sine dubitatione est, lactucæ foliis similis, rugosa, veluti contracta, sine caule, ab vna radice (nõ ab ima, vt in vulgatis codicibus habetur) exeuntibus foliis. Nascitur in scopulis maximè testisq; terra comprehensis. Idem alio in loco. Aliud genus fruticum Bryon vocatur, folio lactucæ, rugosiore tantùm iam hoc interius nascens. Plinius itaque Muscũ herbam & fruticem facit, ipsiq; lactucæ folia attribuit. Dioscorides pilos pro foliis: dicit enim esse τριχῶδες, quod fortasis Plinius θριδακῶδες legit, & lactucę folio conuertit, in cæteris notis, præsertim in viribus consentiens, nisi fortè Muscum marinum cum Fuco marino, siue alga Theophrasti confuderit, de qua mox dicemus. Plinio veterẽ codicem suffragari scribit Andr. Lacuna, in quo θριδακῶδες legitur, etsi Muscus marinus, inquit Lacuna, capillorum quã lactucæ maiorem similitudinem referat. Matthiolus eorum probat sententiam qui Muscum marinum veterum plantam eam esse censent, quæ hodie Corallina vocatur, & ab iis frequentius reperitur, qui corallia piscantur, coralliis, sicuti scopulis, & piscium testis,

Nomina / Lib.4.c.94. / *Locus.* / *Forma.* / Li.27. ca.8. / Lib.13.c.25. / Cornar. Embl.84. lib.4. / In cap.94. lib.4.

MVSCVS Marinus Plinij, Matthioli.




MVSCVS Marinus, siue Corallina, Dodon.



Lib.3.ca.71.

MVSCVS Marinus vulgatissimus, Muscus marinus candidus Coralloides.



testis eodem modo quo Muscus arboribus innascens cæteris ea prefertur quæ coralliis (vnde ei corallinæ nomen) inhæret: quæ saxis, secundo loco probatur, colore rubescente: cinerea improbatur. In eadē est sententia Dodonæus, qui Corallinam Officinarum pro Musco marino pinxit, & descripsit. Constantinus accuratius ista perscrutatus perspicuè demonstrauit Bryon thalassion siue Muscum marinum Corallinam non esse quam depinxit Matthiolus. Fruticosa enim planta & surculosa est Corallina: Muscus verò marinus herbula capillacea, & veluti villosa instar Musci arborum: congener siquidem huic est, & forma non tantùm nomine similis: albicante autem colore est aut rufescente, non autem herbaceo, aliquando etiam glauco: scopulis qui mari alluuntur concrescit, radice nulla notabili, & sæpe ostreorū, gammarorum aut mytulorum testis atque operculis cùm inueterauerint, adhærescere firmiter obductus conspicitur: cùm exaruit, facile confringitur, & friabilis est, quod è diuerso in fuco marino accidit. Corallina autem frutex est, & genus fuci marini, de quo proximo capite tractabimus. Matthiolus Musci marini à Plinio descripti, effigiem hanc pictam dedit, eíque perbellè notis omnibus respondere scribit. Dodonæus Βρύον θαλάσσιον Theophrasti esse putat, viderique primam speciem esse fusci marini siue Algæ, à Dioscoride descriptæ. Lobellius appellat Bryon lactucæ foliis Plinij, Muscum Intybaceum crispum marinum, fuci primam speciem Dioscor. Lactucam marinam herbariorum. Idem Lobellius Muscum vulgatissimum exhibuit, intybaceum, cristatis oris, fruticosum, surculosum: item Muscum candidum, Coralloidem, squamulis loricatum. Muscus marinus multùm adstringit, vt scribit Dioscorides, facit ad inflammationes & podagras quæ adstrictione opus habent: nam in excusis omnibus legitur,

Vires. Li.4.ca.94.

legitur, τὰς τύψεως δεομένας: tamen Ruellius vertit quæ refrigerare opus ſit: perinde ac ſi ψύξεως legiſſet pro τύψεως, vt & Plinius legiſſe videtur, qui eaſdem omnino vires huic Muſco tribuit. Præcipua ſiccandi ei ſpiſſandiq́; vis, inquit, & collectiones omnes inflammationesq́; cohibendi, pręcipuè podagræ, & quicquid refrigerare opus ſit. Ab eadem ſententia minimè alienus eſt Galenus, ſcribens Muſcum marinum ex terrea & aquea eſſentia compoſitum eſſe, vtráque frigida: in guſtu enim adſtringere, & calidis quibuſuis impoſitum, refrigerare & adiuuare. Lib.17.c.8. Li.6.ſimpl.

PHVCVS MARINVS, CAP. XI.

ΦΥΚΟΣ θαλάσσιον, Latinè Fucus ſiue Phucus marinus & Alga, vt etiam in Theophraſto rectè Gaza vertit, quicquid dicat Plinius non habere lingua alia nomen, quod Græci vocant Phycos, quoniam Alga herbarum magis vocabulum ſit, Phycos autem frutex. Nam ipſemet alibi Phycos algã conuertit & Fucum marinum, vt oſtendemus. In Oceano Normanico *Bray*, aut *Brac* vocatur, à voce Græca βρύον. Dioſcorides tria Fuci marini genera ponit. Fucus marinus, inquit, naſcitur partim latus, partim oblongus & puniceus, partim albus, qui in Creta ad terram naſcitur, valde floridus, & nõ putreſcens. Plinius de eadem re ſcribens, tria quoque genera facit. Præcipuè verò liberat, eo malo Phycos thalaſsion, id eſt Phucus marinus, lactucæ ſimilis, qui conchyliis ſubſternitur, nõ podagræ modo, ſed omnibus articulorum morbis impoſitis priuſquam areſiat. Tria autem genera eius, latum: & alterum longius quadamtenus: rubens: tertium criſpis foliis, quo in Creta veſtes tingunt: omnia eiuſdem vſus. Nicander ea & aduerſus ſerpentes in vino dedit. Hæc ita ferè etiam Dioſcorides tradit, niſi quod Plinius lactucæ folia huic, veluti etiam muſco marino attribuit, & ſimiliter conchyliorũ teſtis inſterni dicit. Idem Plinius. Non habet lingua alia nomẽ, inquit, quod Græci vocant Phycos: quoniam alga herbarum magis vocabulum intelligitur, hic autem eſt frutex: folia lata, colore viridi gignit, quod quidam Praſon vocant, alij Zoſtera. Alterum genus eiuſdem capillaceo folio, ſimile fœniculo, in ſaxis naſcitur: ſuperius in vadis, haud procul litore: vere vtrúmque, & interit Autumno. Circa Cretam inſulam nato in petris, purpuras quóque inficiunt, laudatiſsimo à parte Aquilonis, aut cum ſpõgiis. Tertium eſt gramini ſimile, radice geniculata, & caule qualiter calami. Aliud genus fruticum Bryon vocatur, folio lactucæ, rugoſiore tamen, iam hoc interius naſcens. Et alio in loco. Et Algam, inquit, maris theriacẽ eſſe Nicander tradit. Plura eius genera vti diximus, longo folio, & latiore, rubẽte, aliáque criſpo. Laudatiſsima quæ in Creta inſula, iuxta terram in petris naſcitur, tingendis etiam lanis ita colorem alligans, vt elui poſtea non poſsit: è vino iubet eam dari. Nicander autem quem Dioſcorides & Plinius citant, in Theriacis aduerſus Trygonis venenum inter cætera remedia Algam marinam rubentem numerat hoc verſu.

Nomina. Lib.13.c.25. Lib.4.c.95. Forma. Li.26.c.10. Lib.13.c.25. Lib.32.c.6.

Ἠὲ καὶ φοινίσσον δὴ καταβάλλεο φῦκος.

Sed ad Plinium reuertamur. Is indiſtinctè & inconſtanter Fuci marini genera tradidit, vt facilè perſpiciet qui locos ſupra citatos, item eum quem capite de Muſco marino protulimus, inter ſe conferet. Præterea aperte Phycos thalaſsion algam vertit, quod tamen alibi in alia lingua nomen habere negat, modoq́; herbam vocat, modo fruticem. Adde quod βρύον, id eſt Muſcum, & φῦκος cõfundit. Quæ omnia ex Theophraſto transſcripſit, qui tamen multò clarius & diffuſius eadem explicauit, non tria duntaxat, ſed quinque Fuci marini genera aſsignans, his verbis. Τοῦ δὲ φύκους τὸ μὲν ἐστι πλατύφυλλον, ταινιοειδὲς, χρῶμα ποῶδες ἔχον, ὃ δὴ καὶ πράσον καλοῦσί τινες, οἱ δὲ ζωστῆρα. ῥίζαν δ' ἔχει δασεῖαν ἔξωθεν, ἄνωθεν δὲ λεπυρίαν (legendum ex conuerſione Gazæ ἔσωθεν, ſiue ἔνδοθεν δὲ λεπυρίαν) μακρὰν δὲ ἐπιεικῶς καὶ εὐπαχῆ, παρό Li.27.c.10. Lib.4. hiſt. cap.7.

παρόμοιαν τοῖς κρομμυογηθύοις. τὸ δὲ τριχόφυλλον ὥσπερ τὸ μάραθρον, οὐ ποῶδες, οὐδ' ἔξωχρον, οὐδ' ἔχον καυλὸν, ἀλλ' ὀρθόν πως ἐν αὐτῷ. φύεται δὲ τοῦτο ἐπὶ τῶν ὀστράκων, καὶ ἐπὶ τῶν λίθων, οὐχ ὥσπερ θάτερον πρὸς τῇ γῇ (mendose pro ἐπὶ τῆς γῆς) πρόσγεια δὲ ἄμφω, καὶ τὸ μὲν τριχόφυλλον πρὸς αὐτῇ γῇ, πολλάκις δὲ ὥσπερ ἐπικλύζεται μόνον ὑπὸ τῆς θαλάττης. θάτερον δὲ ἀνωτέρω. γίνεται δὲ ἐν μὲν τῇ ἔξω, τῇ περὶ ἡρακλείας στήλας, θαυμαστόν τι τὸ μέγεθος, ὥς φασι, καὶ τὸ πλάτος μεῖζον ὡς παλαιστιαῖον. φέρεται δὲ τοῦτο εἰς τὴν ἔσω θάλατταν τῷ ῥῷ τῇ ἔξωθεν. καλοῦσι δὲ αὐτὸ πράσον. ἐν ταύτῃ δὲ, ἔν τισι τόποις ὥστ' ἐπάνω τοῦ ὀμφαλοῦ. λέγεται δὲ ἐπέτειον εἶναι, καὶ φύεσθαι μὲν τοῦ ἦρος λήγοντος, ἀκμάζειν δὲ τοῦ θέρους, τοῦ μετοπώρου δὲ φθίνειν. κατὰ δὲ τὸν χειμῶνα ἀπόλλυσθαι καὶ ἐκπίπτειν. ἅπαντα δὲ καὶ ἄλλα φυόμενα χείρω καὶ ἀμαυρότερα γίνεσθαι τοῦ χειμῶνος. ταῦτα μὲν οὖν οἷον πρόσγεια, περί γε τὴν θάλατταν. τὸ δὲ πόντιον φῦκος ὃ οἱ σπογγεῖς ἀνακολυμβῶσι πελάγιον, καὶ ἐν κρήτῃ δὲ φύεται, πρὸς τῇ γῇ ἐπὶ τῶν πετρῶν, πλεῖστον, καὶ κάλλιστον. ᾗ βάπτουσιν οὐ μόνον τὰς ταινίας, ἀλλὰ καὶ ἔρια καὶ ἱμάτια. καὶ ἕως ἂν ᾖ πρόσφατος ἡ βαφὴ, πολὺ καλλίων ἡ χρόα τῆς πορφύρας. γίνεται δὲ καὶ ἐν τῇ προσβόρρῳ καὶ πλεῖον καὶ καλλίον (ἡ χρόα subaud. non καλὸν, vt in excusis legitur) ὥσπερ αἱ σπογγεῖαι καὶ ἄλλα τοιαῦτα. ἄλλο γάρ ἐστιν ὅμοιον τῇ ἀγρώστει (perperam codices vulgati habent, ἄλλα γάρ ἐστιν ὅμοια) καὶ γὰρ τὸ φύλλον παραπλήσιον ἔχει, καὶ τὴν ῥίζαν γονατώδη, καὶ πεφυκυῖαν πλαγίαν ὥσπερ ἡ (non τῇ) τῆς ἀγρώστιδος. ἔχει δὲ καὶ καυλὸν καλαμώδη καθάπερ ἡ ἄγρωστις, μεγέθει δὲ ἔλαττον πολὺ τοῦ φύκους. ἄλλο δὲ βρύον (sic Plinius & Gaza legunt: quare mendosa sunt exemplaria quæ βότρυον habent.) ὃ φύλλον ἔχει ποῶδες τῇ χρόᾳ, πλατὺ δὲ καὶ οὐκ ἀνόμοιον ταῖς θριδακίναις, πλὴν ῥυσιωδέστερον, καὶ ὥσπερ συνεσπασμένον. καυλὸν δὲ οὐκ ἔχει, ἀλλ' ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς πλείω τὰ τοιαῦτα, καὶ πάλιν ἀπ' ἄλλης. φύεται δὲ ἐπὶ τῶν λίθων τὰ τοιαῦτα πρὸς τῇ γῇ, καὶ τῶν ὀστράκων, καὶ τὰ μὲν ἐλάττω σχεδὸν ταῦτ' ἐστιν. Id est Gaza interprete. Nam Algæ quoddam genus folio lato (addendum ex Græco τεταινοειδὲς, id est distento, pro quo fortasse legendum ταινιοειδὲς, id est tæniæ modo exporrectum) colore herbido est, quod (πράσον) porrum quidam appellant, alij (ζωστῆρα) cingulum, radice hirta extrinsecus, squamata intrinsecus, longa admodum crassaq; plene, cepigethyis non absimili (melius, longa modice & bene crassa, crommygethyis, &c.) Aliud folio crinito, terræ ipsi adhærens, fereq; à mari tantùm alluitur, alterum altius degit. Hic multa omisit Gaza ex Græco sic reponenda. Aliud folio capillaceo fœniculi modo, colore nec herbaceo, nec valde pallido, caule caret, sed per seipsum quodammodo subrigitur: ostreorum testis innascitur & saxis, non quemadmodum alterum, zoster scilicet, in terra ipsa defixum. Terræ quidem siue litori vicinũ vtrumque, sed capillaceum terræ siue litori ita propinquum est, vt à mari alluatur tantùm, alterum à litore longius distat. Sic pergit Gaza. Nascitur quidem in mari extero circa Herculis columnas, mira magnitudine, latitudineq;, vt ferunt, amplius quam vt manu apprehendi possit. Fertur hoc ad mare internum fluxu extrinsecus, porrumq; id appellant: annuum esse, &c. Quæ fidelius sic verti possunt. Nascitur quidem fucus fœniculaceus circa Herculis columnas in externo Occeano, mira proceritate, maioréque latitudine quàm palmæ vnius: ad internum verò siue mediterraneum mare externi siue Occeani influxu defertur: porrum id vocãt. Ibidem & aliis quibusdam in locis tam altè surgit, vt hominum vmbilicum magnitudine superet. Annuum esse aiunt (vertit Gaza,) & nasci vere desinente, vigere æstate, minui (languescere fortè melius) Autumno, interire atque decidere Hyeme. Quin & reliqua omnia nascentia deteriora, obscurioraq; (flaccidiora melius) hyeme fieri. Hæc itaque ceu terrena circa mare deprehenduntur (vel potius, Hæc igitur circa mare prope litus seu terram crescunt) Alga verò proueniens in alto, quam spongiarij pelagicam deferunt, in Creta insula iuxta terram super saxa, plurima optimaq; prouenit, qua non solùm vittas, sed etiam lanas vestesq; inficiunt, & quãdiu recens infectio sit, color longè purpuræ præstat. Gignitur parte Aquilonia tum copiosior, tum melior, vt etiam spongiæ, reliquáque similia. Sunt alia gramini

graminibus proxima, &c. Dilucidiùs sic reddi possunt. Alga verò marina quam spongiarij vrinantes referunt ex alto, in Creta quoque iuxta terram, super saxa, plurima optimaq; prouenit, qua non solùm vittas, sed etiam lanas vestésque inficiunt, & quamdiu recens tinctura sit, color longè est præstantior purpura. Gignitur parte Aquilonia tum copiosior, tum melior, vt etiam spongiæ, reliquáque similia. Est alius fucus gramini similis, quippe folio simili, radice geniculata, lõga, obliquè adhærente modo graminis, & caule calamaceo (arundinaceo) vt gramen, magnitudine alga multò minora (minor.) Est aliud Bryon dictum, folio coloris herbidi, amplo, nec lactucis dissimili, rugosiore tamen, & velut contracto, caret caule: sed ab vno initio plura folia huiusmodi exeunt, & rursus ab alio. Nascitur super lapides fictiliáque iuxta terrã. Et minora quidem hæc ferme traduntur. Hac oratione, vt diximus, luculenter Theophrastus quinque Fuci marini genera declarauit: Zostera siue Proson capillaceum, siue fœniculaceum, Tinctorium spongiariorũ, siue Pelagicũ, Gramineum, Lactucaceum. Præterea ex eodem facilè est intelligere Plinium non rectè scripsisse Fucum zostera & capillaceum vere nasci, & inter ire Autumno, cum de capillaceo solo scribat Theophrastus, vere desinente prodire, & non Autumno, sed hyeme perire. Zoster idem quod ζώνη, id est cingulum, siue baltheus, vbi vis in litore maris Nortmannici visitur, lõgitudine vlnæ, aut etiã maiore, quamuis abruptus, digiti crassitudine, & trium digitorum latitudine, coriaceis mulionum baltheis similis, ambitu, præsertim cũ inario, sic crispus, vt laciniatus videatur. Nortmannici Oceani litus hac algæ specie virosum grauémque odorem spirante etiam si longius absis, constratum fere est. Fucum capillaceum siue fœniculaceum qui saxis & ostreorum testis innascitur, nostram Corallinam esse doctiores censent: vt enim ille, ita hæc frutex est, folio capillaceo, fœniculo simili, similiter saxis & ostreorum testis innascitur. Longe aliam Corallinam Britannicam exhibuit Pena, scribẽs se in Angliæ litore mediterraneo insulæ Portlandiæ, ex aduerso Nortmanniæ inter fluitantes Algas reperisse plantæ quoddam rudimẽtum, cuius si spectes & attrectes surculos palmares, & sesquipalmares, pustulatos, molles, flexiles, spongiam prorsus dicas, cui etiam cõcolor est, & viuere putes: sin habitum & ortũ ramis brachiatum, corallinis affiniorem dicas: vnde quidam coniecerũt esse Plocamon Isidos, de quo sic Plinius. Circa Troglodytarum insulas fruticem vocari in alto Isidos Plocamon, Corallio similem, sine foliis, præcisum, mutato colore in

Li.13. ca.25.

Fucus Zoster. *Locus.* *Forma.*

Fucus capillaceus. *Locus.* *Forma.*

Li.13. c.24.

FVCVS Capillaceus, siue Corallina.



CORALLINA Britannica, Penæ.



Hec figura conuenit cum Conferua 1372. sed sola magnitudine differt.

CONFERVÆ Marinæ genus, Lobel.



Fucus tinctor.

Locus.

nigrum, durescere, cùm cadat frangi. Hæc Plinius. Ea tamẽ, inquit Lobellius, videtur esse Antipathes Dioscoridis, de quo capite proximo. Fucus quem πόντιον vocat Theophrastus, quem etiam Tinctoriũ nominare possumus, in scopulis & petris nascitur, vnde auulsum vrinantes spongiarij referunt, foliis etiã est tenuibus, fœniculo similibus, rubris, sic tamen vt quędam intermixta spectentur adhuc albicantia. Huic similis est, fortasse idem Muscus marinus, foliis Abrotoni maris, Lobellij, folliculis non dissimilibus, sed nonnunquã triplo maioribus, radicem Asphodeli æquantibus, colore quadãtenus rubentibus, vel ferrugineis. Fucus alius gramineus dici potest, quod folio sit graminis siue arundinis minoris, sed æqualiter lato, ac molliore, nec mucronato, vel acuto, quale est agrostis, pollicari latitudine, vlnæ longitudine, vndis innatãte, figura ligulæ, aut tæniæ vittatę. In vadis nascitur, vt & Zoster. Hæc est alga quã rustici litoribus eiectam & dispersam æstate, vt fœniseces (hoc enim fœnũ est marinum, & Monspeliẽsium vulgus Paleam marinam vocat) rastellis accumulant, & in cãpo expositã furcillis versant quoad perarescat: deinde probè siccatam fœni instar in metas construunt, aut important in fœnilia vel pafearia: eaq; sunt quæ tum præparant pecorum & boum hybernæ stabulationi stramenta. Ex eo qui hinc cõficitur fimo, agros nimia defrugatione emaciatos, & exinanitos stercorant, læto segetũ prouentu. Hac pocula & cætera vasa vitrea qui procul asportare volunt, inuoluunt & circũtegunt, ne mutuo collisu confringantur. Eadem siccata rustici tomenti loco culcitras suas infarciunt: Quæ olim consimiliter cognita ipsius cõmoditas in farciendis centonibus in castris locum habuit,

Lib.10.c.2.

quod intelligitur ex Vitruuio de testudinis constructione hæc scribente. Circũ tabulata collocentur crates ex tenuibus virgis creberrimè textis, maximeq; recentibus percrudis coriis duplicibus consutis, farctis Alga, aut paleis in aceto maceratis

Lib.5.c.97.

circa tegatur machina tota. Hæc Algula est, cui Dioscorides in odore corallia comparat, vt mox dicemus, cùm ait: ἔτι δὲ ὄσμην βρυώδη, καὶ φυκίοις ἐμφερῆ ἔχον. de qua etiam intelligit Nicander cùm scribit: βρύα λεπτὰ πολυφλοίσβοιο θαλάσσης. qui etiam scitè admodũ dixit φυκιόεντας ἐγμοὺς, algosas vias, id est litora. Huic iungendus Fucus ferulaceus Lobellij, sic dictus ob folia ferulacea, minutius diuisa. Scapum emittit pedalem, in quo Corallina candida sæpius innascitur. Hæc Lobellius.

FVCVS, Siue Alga Tinctoria.



Fucus lact.

Forma.

In cap.94. lib.4.

Lib.3.ca.71.

Quintum Algæ siue Fuci marini genus Lactucaceũ, in litore aut vadis sicuti superiora prouenit, sed scopulis & saxis inhæret, foliis lactucæ latis, crispis, siue rugosis, virentibus, ex vno principio multis, nullo caule. Hanc Algam pro Musco altero pictam esse à Matthiolo postremis Commentar. editionibus supra diximus; à Dodonæo βρύον θαλάσσιον Theophrasti appellari videríque primam speciem esse Fuci marini,


Lib.12.c.35.

siue Algæ à Dioscoridæ descriptæ. Aetius Lactucam marinam vocat de curatione eorum scribens, qui obtenuem fluxionem articulari morbo laborant. Et quoque, inquit, quæ in mari nascuntur plerúmque talia sunt, vtpotè quæ Lactucæ appellantur. Sunt autem germina lata, & oblonga, ac viridiora, tenuia, & subrugosa, ac velut

FVCVS, siue Alga marina graminea.




FVCVS, seu Alga marina, Lobellij.



Alga forte nomen [illegible] ab algore aque, vel quia alliget pedes

FVCVS Ferulaceus, Lobellij.



veluti cōduplicata,
ad litora maris per
fluctus eiecta: præ-
stātiores autē fiunt
cum posca decoctæ.
Viridia itē, quæ in
Fuco siue Alga tin-
ctoria ad radices si-
ta sunt. Hæc de Fu-
ci marini generi-
bus. Nūc vires eorū *Temper.*
explicandæ. Omnia *& Vires.*
vim habent refri-

FVCVS, Siue Alga Intybacea.




gerandi, inquit Dioscorides, vtilem in cataplasmatis Lib.4.c.95.
non podagræ modo, sed etiam inflammationibus: ve-
rùm iis humidis vti oportet priusquam siccentur.
Nicander Puniceum aduersus bestias venenatas vale-
re dicit, eo versu quem suprà citauimus. Et Galenus, Li.8 simpl.
Fucus, inquit, humens adhuc & virens ex mari exem-
ptus, desiccat & refrigerat ordine secūdo: habet enim
quiddam modicè acerbum. And. Lacuna scribit in
veteri Dioscoridis codice pro ψυκτικὴν legi στυπτικὴν, id
est adstringentem pro refrigerantem, eámque lectio-
nem rationi esse consentaneam, quod herbæ omnes
marinæ ob salsuginem insitam, non tam refrigerare
quàm adstringere cogeréque videantur. Fucum

capillaceum siue fœniculáceum, id est, Officinarum Corallinam recentiores ad necandos lumbricos maximopere commendant, cæterísque medicamentis præferunt, quod eos non modo interficiat, sed etiam eodem die expellat, magna sæpe spectantium admiratione: qua virtute muscum aut Fucum marinum pollere veterum nullus, quod sciam, memoriæ prodidit.

CORALLII FRVTEX, CAP. XII.


Nomina ΚΟΡΑ'ΛΛΙΟΝ, Latinè Corallium similiter, dicitur frutex marinus, cuius natura non ita omnibus est perspecta, vt ipsum vulgò est notissimum. Aliqui λιθόδενδρον vocant, inquit Dioscor. quasi lapideam
Lib. 5. c. 97. arborem dixeris, Arabes *Bassad*, *Mergen*, *Besd*, siue *Morgian*, Galli *Coral*, Itali & Hispani *Corallo*, Germani *Coraln*. Genera eius rubens, candidum, nigrum.
Genera. Candidi tamen neque Dioscorides, neque Plinius meminere, nisi hoc fuerit quod Dioscorides ex quorumdam interpretatione colore pallidum dixit, & vt vitiosum improbauit. Corallium, inquit idem Dioscor. planta marina videtur esse, du-
Li. 5. ca. 97. *Forma.* rari autem cum ex alto extracta fuerit, extra mare posita, & tingitur, siue compin-
Lib. 5. c. 97. gitur tanquam à circũfuso nobis aëre: quibus verbis expressa sunt hæc Dioscoridis Græca. Κοράλλιον δοκεῖ μὲν εἶναι φυτὸν ἐνάλιον. στερροποιεῖσθαι δὲ ὅταν ἐκ τῶν βυθῶν ἑλκυσθῇ, ἔξαλον γινόμενον, καὶ βαπτόμενον ἤτοι πηγνύμενον ὥσπερ ὑπὸ τοῦ περικεχυμένου ἡμῖν ἀέρος.
Embl. 103. lib. 5. In quibus voces duas deesse putat Cornarius, ὕδατι σίδηρος, vt sit legendum, ἔξαλον γινόμενον καὶ βαπτόμενον, ἤτοι πηγνύμενον ὥσπερ ὕδατι σίδηρος ὑπὸ τοῦ περικεχυμένου, &c. quæ sic conuertit, & extra mare posita, vt quæ à circunfuso nobis aëre velut ferrum ab aqua tingitur, siue compingitur. Cuius emendationis occasionem illi dedit, opinor, vox βαπτόμενον. Cum enim βάπτειν tingere, intingere, immergere significet, inde suspicatus est Dioscoridem intelligere Corallium in aquis molle, inde extractum, ab ambiente aëre statim solidari, quemadmodum ferrum igni emollitum in aquam immersum, statim durescere. Et certe vox βαπτόμενον à Ruellio omissa est, qui sic locum hunc conuertit. Corallium marinum esse fruticem constat, qui alto extractus, duratur statim atque emergit, tanquam offuso aëre protinus cõcrescat. Idem Dioscorides locum,
Ibidem. delectum, odorem & effigiem Corallij sic describit. Plurimum inuenitur ad Syracusas, in promontorio, cui pachyno nomen est. Optimum est, colore rubẽs, & colore simile antherico, aut sandyci saturatæ, quodq; facilè teritur, æquabiléque est toto concremento: præterea quod odore est musci marini, & simili algulæ siue Fuci marini. Ad hæc quod ramosissimum est, & forma cinnamomum fruticem refert: quod verò concremento lapidosum est, scrupulosum (sic Ruellius interpretatur τῇ χρόᾳ ψωρὸν, id est scabrum, Plinium opinor imitatus, qui scabrosum conuertisse videtur. Cornarius legit ὠχρὸν, cùm nullus color, inquit, ψωρὸς dictus, vertitq; colore pallidum) cauernosumq; ac inane vitiosum esse putandum est, Plinius de eodẽ ita tractat. Quantum
Lib. 32. c. 2. apud nos Indicis margaritis precium est, tantum apud Indos Corallio: namq; ista persuasio

CORALLII Frutex.




persuasione gentium constant. Gignitur quidem & in rubro mari, sed nigrius: item in Persico vocatur *Iace*. Laudatissimum in Gallico sinu, circa Stœchadas insulas, & in Siculo, circa Heliam ac Drepanum (Cornarius Æolias pro Heliam emendat) Nascitur & apud Grauiscas, & ante Neapolim Campaniæ, maximéque rubés, sed molle, & ideo vtilissimum Erythris (vox Erythris planè supposititia est, & delenda, eodem Cornario auctore) forma est ei fruticis, color viridis. Baccæ eius candidæ sub aqua ac molles: exemptæ confestim durantur & rubescunt, quasi (legendum qua, eodem emendatore) corna satiua specie atque magnitudine. Aiunt tactu protinus lapidescere, si viuat. Itaque occupari euelliq; retibus, aut acri ferramẽto præcidi. Hac de causa curallium vocitatum interpretantur: probatissimum quàm maximè rubens, & quàm ramosissimum, nec scabrosum, aut lapideum, vel rursus inane aut concauum. Auctoritas baccarum eius, non minùs Indorum viris quóque pretiosa est, quàm fœminis nostris vniones indici. Aruspices eorum vateq; imprimis religiosum, id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudent. Priusquam hoc innotesceret, Galli gladios, scuta, galeas, adornabant eo. Nunc tanta penuria est vendibili merce, vt perquã rarò cernatur in hoc orbe. Hæc Plinius de Corallio: quod in mari Ligustico circa Stœchadas Massilienses insulas nasci Solinus etiam testatur: atque hodie quoque nascitur, ac in mari Siculo ac Tyrrheno magna copia, cùm Plinius de eius penuria conqueratur. Quod verò is de baccis tradit, falsum esse aiunt, quod nullæ omnino in Corallio baccæ nascantur, sed ex ramis eius ab artificibus torno & lima effingantur pro materia, & vt quibusuis visum fuerit in vsum aliquem efformare. Ad hæc Corallia cum ex mari extrahuntur, muscosa sunt vndiquaq;, nec rubent: deinde artificibus tradita ita poliuntur, vt nitescant & rubeant. Præterea quod dixit Plinius, quod euellatur retibus, aut acri ferramento præcidatur dictum esse Corallium, id intelligendum dici Corallium, quasi curallium, ἀπὸ τῆς κουρᾶς, vel quasi τῇ κουρᾷ ἁλῶσον, id est tonsura & præsectione captum: nec aliter Theophrastus quàm curallium appellat, à radendo, scilicet. Certe Corallium in mari ex succo lapidescente concrescere, & priusquam extrahatur sub aquis, molle esse, ac virescere, cùm extractum est, aliàs rubere, aliàs niueo candore albescere, aliàs atrum esse constat. Iisdem in locis candidũ reperitur, non tam cõpactum, neque tam ponderosum, quàm rubrum, sed leuius ac rarum, & spõgiarum modo inane, sub iisdem Thyrrheni maris vndis euellitur. Appingitur etiam à Lobellio Coralloides, siue Corallij albi varietas, stipite longè crassiore, brachium æquante, & materia magis fungosa, multis acetabulis insculpta, aut inscripta. Vniuersa planta pedem vnum longa est, vixque curbitum proceritate superat. Is verò Corallij frutex quem depictum proponimus saxo adhuc inhærentem, altera sui parte & surculosiore candicabat, minutísque foraminibus pertusus erat, altera in pauciores virgulas diuisa rubebat, & tubercula quædam, veluti baccas tuberosas ferebat, cornis satiuis non dissimiles. Quare immerito reprehenditur Plinius, quòd huic frutici baccas tribuerit, vt aliis arboribus

CORALLIVM *Album & rubrum, Lobel.*




πάθος i. affectio morbus passio à verbo πάσχω patior, hinc ἀντιπάθης habens [illegible] affectionem [illegible] remedium [illegible] [illegible]

CORALLOIDES, Siue Corallij albi varietas.



ANTIPATHES, Siue Corallium nigrum.



Ibidem. ſuos fructus. Quod verò Antipathes vocant, inquit Dioſcorides, Corallium eſſe putandum eſt,ſpecie ſolùm differens. Eſt autem colore nigro, arboris figura, ra-

In cap.97. lib.5. moſum magis. Tale ſe Neapoli vidiſſe affirmat Matthiolus, ebenum colore referens:plantam eius aliam poſtea ſibi dono datam,propè radices brachij ferè craſsitudine,à medio trunco in ramos ſeſe diffundentem,rem quidem raram,& aſpectu

[illegible] pulcherrimam. Maſsiliæ inter Corallia occurrit,inſigni læuore perpolitum, co-

Vires & Temper. lore nigerrimo. Deinceps de Corallij vſu & viribus dicendum. Coralliũ adſtringit & refrigerat moderatè,auctore Dioſcoride,reprimit extuberantia,& cicatrices

Ibidem. Embl. lib.5. in oculis exterit:replet etiam caua(redundant hîc voces duæ καὶ ὅλκας ex præcedente verſu repetitæ Cornarij ſententia. Ruellius eas retinet:vertit enim, vlcerum caua & cicatrices explet.) Ad ſanguinis reiectiones maximè efficax eſt, & in vrinæ difficultate conuenit. Splenem quoque liquat cum aqua potum. Antipathes eandem vim habet. Hæc Dioſcorides. Candidum creditur longè magis quàm rubrũ

Lib.32. c.2. refrigerare. Plinius de eiuſdem vſu partim etiam hodie vulgò nota, partim eadem quæ Dioſcorides habet. Surculi, inquit, infantiæ adalligati, tutelam habere creduntur,contraq; torminum, ac veſicæ & calculorum mala in puluerem igne redacti,potíque cum aqua auxiliantur. Simili modo ex vino poti,aut ſi febris ſit, ex aqua ſomnum adferunt. Ignibus diu repugnant. Sed eodem medicamine ſæpius poto tradunt,lienem quoque abſumi ſanguinem reiicientibus, excreãtibúſve medentur. Cinis eorum miſcetur oculorũ medicamentis: ſpiſſat enim ac refrigerat: vlcerũ caua explet,cicatrices extenuat. Hæc Plinius. Coralliũ,inquit Matthiolus,

In cap.97. lib.5. comitialibus commodè adalligatur,hauriendúmque præbetur. Ædes, vt aiunt, à fulminum iniuria tuetur: menſium abundãtiam cohibet,dentes cõmotos firmat, deſquamatas gingiuas emendat,oris vlcera ſanat:potu dyſentericos iuuat, ſeminis profluuiũ in viris,in fœminis alba vteri profluuia reprimit. Recẽſetur ab Auicenna inter ea quæ cordi hilaritatẽ adferũt. Corallij Galenus in lib.ſimpl.medica.non meminit,ſed lib.7.de compoſ.medicam.local.multa deſcribit medicamenta ad incipientem phthiſim,ad hæmoptoicos,ad ſuppuratos,quæ Corallium recipiunt.

KALI

KALI, *CAP. XIII.*

MAVRITANI plantas quasdam Kali & Alkali vocant, ex quibus vstis sal fit, Salkali ab iisdem dictum. Tres huiuscemodi cōgeneres & maritimas recenset Pena, quæ crithmum, inquit, representare quibusdam videri possent, nulla tamen antiquis videtur nota fuisse aut descripta: tātum abest vt Salkali, quod vocāt, ex vna istarum vsta, & quod magis mirum est, fusa fieri nouerint, vix tacituri si sciuissent. Quare vt nomen, sic & plātam ipsam, & modum salis istius parandi videmur Græcis recētioribus, aut philosophis Arabicis, Chymistis & Hyalurgis debere. Prima species hîc picta notior est in maritimis Galliæ Narbonensis, vbi tum sponte, tum sata campos maritimos frequenti caulium rubentium operit purpura, fruticat caule cubitali & sesquicubitali, carnoso, portulacæ concolori, foliis densis, angustis, semperuiui medij siue minoris, teretifolij duplo lōgioribus, acutioribus, inter quæ semina limacē pusillum vel spiram imitantia, colore fusca, folliculis maluæ seminis ritu occlusa. Hanc dudum sic depinximus. Minus obuia hæc Septentrionalibus, imo nuspiam ferè. Istius copia per initia Autumni coaceruatur metæ instar, super scrobe cui ligna insunt decussatim instructa, quibus accēsis herba vritur, & biquatur, & in profundum scrobis defluit, vbi cogitur in glebam coloris nigricantis vel cinerei, quod Kali & Alkali sicuti & herbam nominant, Galli *Soude*, ad vitrum conflandum, quod in Italiam & Septētrionem ex Gallia Narbonensi & Aquitania defertur. Vrit non secus ac Causticum. Eosdē ad vsus sedulo colligūt maritimi coloni Narbonenses secundam hîc pictam, iisdem natalibus, sed foliis & caulibus minoribus multo, minusque carnosis, angustioribus, nec ita rubentibus, sed ex pallido virentibus, vnde vulgo *blanchette* quasi Kali album vocatur. Semen exiguum, nigrum, vrticæ aut acetosæ. Non solum calidioribus regionibus, sed etiam ad Septentrionem, Angliæ, Nortmanniæ, Belgio familiaris. Multo frequentissima est in quibuslibet maritimis oris tū Oceani tum mediterranei maris, quæ Salicornia vulgo vocatur, siue Kali geniculatum, sed effigie multum diuersa, & cuius folia videntur esse teneri turiones ramulorum. Sunt enim è radice fibrosiore permulti cauliculi cubitales, recti, densius geniculati, extremis quasi foliis crassis, pinguibus, carnosis, teretibus, rubentibus, per

KALI Magnum, Pœnæ.



KALI Maius, Penæ.



KALI, *Geniculatum Pœnæ.*



KALI, *Dalech.*



Vide Phytogr. pag. 566.

SALICORNIA, *siue* Kali, *Matthioli.*



crebra genicula insertis, & pyxidatim quasi paruorum alabastrorum instrar, quadã equiseti similitudine, & cornua recta, obtusius mucronata imitantibus, gustu non insulso, nec temperamento aut vsu à cæteris dispari, sed vbique neglecta. Semen nullum profert. Dodonæus tria (Lib.1.c.76.) Kali assignat genera. Primum est, secunda Anthyllis, secundũ, Tragus Dioscoridis, Tertium, Salicornia, cuius picturam dat ab ea quam hîc ex Pena expressimus, plurimum distantem. Amatus Lusitanus scribit omnem cinerem qui (Enarr. 150. in lib. 3. Diosco.) ex Syria aduehitur ad conficiendum saponem, & vitrum, ex herba anthyllide combusta fieri, hodiéque multos ignorare cinerem istum Alkali esse: omnes istas herbas abstergendi vires habere, ac stigmata & maculas faciei delere. Quod ex istis dum vruntur, liquatur & tãquam plumbum fluit, cum refrigeratum est, concrescere, & veluti cineres conglobatos esse, quos etiam Alumen Catinum vocant, ex quo vitra conficiuntur. Hos si quis an veri sint experiri voluerit, in ignem coniiciat: quod si eliquantur ac ebullierint, verum Kali esse dicet, sin minus, contra. Ex horum cinerum lixiuio sal Alkali cõfici, & ex vitri materia fluit & cogitur, axungia vitri hodie nuncupatur, Gallicè *Sein de verre*. Matthiolus duas (In cap. 112. lib. 2.) Kali species tum sua deliniatione, tum pictura, in vnam cõfundit, scilicet Kali magnum sedi minoris folio, Gallis *Soude* nuncupatum, & id quo de hîc agitur, quod salicornia vel Kali geniculatum nominatur. Pictura hîc videtur, delineatio eius est eiusmodi.

eiusmodi. Cum primum, inquit, è terra emergit, folium est tereti forma, minori sedi non absimile, atque deinde crescens caule erecto, geniculato, non multo post tempore in digitalem ferme longitudinem attollitur, cum verò amplius adoleuerit, è geniculis folia mittit pinguia ac crassa, in medio caua, & ex lata origine mucronata, vbi denique planta adulta senescit, folia in caulium cacuminibus longe minora exilioráque conspiciuntur colore rufo: ex quorum ortu pilulæ prodeunt rotundæ ac paruæ, quibus exile semen includitur. Caules habet pingues & rufos. Hæc Matthiolus.

CRITHMI SPECIES, *Matthioli.* CAP. XIIII.

Illis subiungenda tertia Crithmi species à Matthiolo tradita, quæ in maritimis prouenit, & ab vna radice multos emittit caules rectos, circa quos folia habentur, per interualla tamen plura ex vna origine aceruatim prodeuntia, longiuscula, crassa, & salso etiam gustu, sub horum exortu peculiare quoddam erumpit folium, cæteris duplo longius, vnde prope caulis cauitatem pediculus exit, è quo sex, septémve folia breuiora prodeunt, vt eius appicta effigies ostendit, flores fert in cacumine orbiculatos villosósque, colore pallido. Radice nititur longa, tereti, non sine adnatis. Hæc est ex Matthiolo huius herbæ delineatio, quæ nihil prorsus cum Dioscoridis Crithmo similitudinis habet. Crithmum enim foliis fruticat pinguibus, longioribus & latioribus

In cap. 112. lib. 2.

Forma

CRITHMI SPECIES *Tertia, Matth.*



CRITHMVM *Chrysanthemum, Dodonæi.*



quàm portulacæ, salsis, floribus candidis, &c. Quare alij herbarij minimè Crithmum esse censent. Lobellius litoreum Chrysanthemum appellat, Asterem Atticum marinum. Crithmum Chrysanthemum Dodonæus exhibet huic simile, si non idem, sed flore quantum ex Micone perspicere licet, differens: habet enim in cacumine ramulorum florem Chrysanthemi æmulum, & medio videlicet disco, & orbiculato ambitu luteum, & Crithmum verò tertium Matthiolus scribit habere orbiculatum, villosúmque, colore pallido.

ANTHYL

ANTHYLLIS, *CAP. XV.*

Nomina. ΑΝΘΥΛΛΙΣ Græcis dicitur, & Latinis Anthyllis, Plinio Anthyllion quam alij Anticellion vocant, inquit. Videtur autem ἀνθυλλὶς ἀπὸ τοῦ ἀνθεῖν dicta, nempe à florescendo, quasi florida, à lanugine cana qua pubet: vel à flosculorum elegantium copia. *Genera.* (Dios. lib.3. cap.136.) Anthyllidis genera duo sunt Dioscoridi, Plinio, Galeno. *Forma.* Quædam enim folia lenti similia habet, ramulos palmi altitudine, rectos, folia mollia, radicem tenuem, & paruam. Nascitur in salsuginosis locis & apricis, gustanti subsalsuginosa. Altera foliis & ramulis chamæpityi similis est, hirsutioribus tamen, breuioribus & asperioribus, flos est purpureus, vehementer grauis odoris, radix velut cichorij. (Lib.21.c.29) Plinius in paucis à Dioscoride dissentit. Est & herba anthyllion, inquit, quam alij anticellion vocant, duorum generum, foliis & ramis lenticulæ similis, palmi altitudine, sabulosis, apricis nascens, subsalsa gustanti. Altera chamæpithyi similis breuior & hirsutior, purpurei floris, odoris grauis. Hîc sabulosis dixit, quod Discorides ὑφαλμύροις, id est, salsuginosis. (Lib.1.c.7.) Anthyllidem priorem hîc depictam Dodonæus esse putat, à lente foliis & caule parùm distantem, nisi candidior, mollior, & minor esset. Caulis est pedis altitudine, albus, tangenti suauis, folia explicata, mollia & alba, minora & densiora quam in lente flosculi: in caulis summitate congesti, palliduli aut lutei: semen in paruis siliquis: radix tenuis & lignosa. Perquam affinis est aut eadem hîc appicta Medica

ANTHYLLIS Prior, Dodonæi.



ANTHYLLIS Altera, Dodonæi.



marina à quibusdã dicta. Anthyllis altera Dodonæi à recẽtioribus quibusdã Borda dicta Kali species, vt multi existimant, quinos, senos, plurésve ramulos emittit, graciles, per humũ repentes, foliolis vestitos, angustis, densis, inter quæ & ramulos flosculi emergunt purpurei, deinde semen, radix gracilis est, digitali lõgitudine. Tota succo plena est, eoq; salso. *Locus.* Salsuginosis sabulosisq; locis & litoribus marinis Zelandiæ frequens. Iunio mẽse floret: Iulio semen maturum est. Desiccat, & vulneribus glutinandis

glutinandis est vtilis. Anthyllides alias Pena exhibuit: primam quæ in Angliæ insulis australibus, ea præsertim quæ Portlandia vocatur, litore Normanniæ obuerso plurima & pusilla prouenit in sabuletis & arenosis vadis depressis & apricis, ramulis palmum trésve vncias longis, angulosis, pallentibus, foliis lenticulam vel alsinem minorem referentibus, flosculi cauliculis summis insunt ex buxeo herbacei, dentatim stellati sedi minoris Iunio & Iulio: semen tithymali in perexiguis & triquetris thecis alit, radix prolixior est, exilis, geniculata, sabulo altè infossa soldanellæ modo. Tota salsa est, gustanti amaricat, & parum quiddam calfacientis indicat. Alteram quæ in maritimis agri Nitrobrigum ad vicum Peraus dictum, & Latera passim reptat vti superior, ramulis compluribus, sesquipalmaribus, foliolis al-

ANTHYLLIS Portlandiæ lentifolia, Penæ.



ANTHYLLIS Marina Narbonens. Alsines folio, Penæ.



ANTHYLLIS Valentina, Clusij.



sinæ, aut potius lenticulæ, sed per interualla quædam, quasi circũ genicula exortis, numerosis: copiosissimis item flosculis, in summo aggestis, muscosis, albidis, floridum quasi nomen Anthyllidis ostentantibus & testãtibus, seminis etiã pusilli feracissimis, gustu amaricante, subsalso, nitroso, calidiusculo. Tertiam quæ iisdem locis maritimis repit, cæteris multò salsior, foliis & facie est herniariæ aut chamæsycæ, flosculis pusillis subter foliola ex albo purpurascẽtibus: semina in florum calyculis quàm

clinopodij

clinopodij min oribus multò occluduntur. Tota gustu ſalſo, acidulo, lactei ſucci expers & exuccas, nec proinde Chamæſycæ ſtatuenda, vt quidam prodiderunt. Ad hanc accedit, aut eadem eſt Anthyllis Valentina à Cluſio deſcripta & picta, quæ cauliculos multos ex vna radice profert, dodrantales, ramoſos, humi ſtratos, ſubrubentes: foliola Lentis exigua, ſeu potius Chamæſyces, ſalſo guſtu, & plerúmq; cum ſuis ramis veluti quadam ſalſugine reſperſa: flores inter ipſa folia puſilli, quatuor foliolis conſtantes, ex albo purpuraſcentes: radix ſingularis, nigricans. Tota chamæſycæ adeò ſimilis eſt, vt primo aſpectu Chamæſycen putarit, lacte tamen caret. Hanc nuſquam ſe vidiſſe meminit, quàm ad foſſas vrbis Valentiæ in Hiſpania. Illic Anthyllidem D. Placa vocabat, & ad primum genus à Dioſcoride deſcriptum referebat: cui Cluſius non aſſentitur. Etſi enim reuera inter Anthyllidas recenſenda ſit, prima tamen eſſe non poteſt quæ rectis ramulis aſſurgit, cum hæc repentes habeat ramulos, totáque facie Chamæſycem propemodum referat. Hæc auctore Lobellio, conſimili facie cum Herniaria & Chamæſyce in vinetis & oliuetis Boutonetum verſus, & Caſtrum nouum fuſè humi ſpargitur, cauliculis palmaribus & dodrantalibus, floſculi ex albo purpuraſcunt, quatuor foliis conflati. Hanc olim cum aliis Chamæſycen alteram putauit, ſed non lacteſcit, guſtu ſalſo, præſicco. Anthyllides, vt ſcribit Dioſcorides, potæ drachmis quatuor vrinæ difficultati, & nephriticis plurimum auxiliantur. Tritæ vuluæ pituitas emolliunt cum roſaceo & lacte impoſitæ (Sic Ruellius ex mendoſo codice vertit. Legendum verò ἐκμαλάσσουσι φλεγμονὰς ἐν ὑστέρᾳ λεῖαι, id eſt, tuſæ emolliunt vteri phlegmonas, &c. Quæ lectio rationi magis conſentanea eſt. nam pituitæ expurgantur, phlegmonæ emolliuntur) vulneribus medentur. Quæ chamæpityi ſimilis eſt, præter alia etiam comitiales ſanat cum aceto mulſo pota. Plinius ampliorem eius vſum medicum deſcripſit, & nonnihil à Dioſcoride diſſentit. Prior Anthyllis, inquit, vuluis aptiſſima, & ex roſaceo & lacte impoſita etiam vulneribus. Bibitur in ſtranguria, renumq; doloribus tribus drachmis. Altera bibitur in duritia vuluarum, & in torminibus, & in comitiali morbo, cum melle & aceto quatuor drachmis. Repetit eadem alio in loco. Anthyllion eſt lenti ſimillima, quæ in vino veſicas vitiis liberat, ſanguinem ſiſtit. Altera eſt Anthyllis chamæpityos ſimilis, &c. Scribit & idem Anthyllides duas eſſe vuluis vtiliſſimas, torminibus, & more ſecundarum in vino potas. Dioſcoridi Galenus aſſentitur. Cæterùm Anthyllis, inquit, duplex eſt, ſed vtráque modice deſiccat, vt & vlcera glutinet. Cæterùm altera chamæpityi ſimilis quadantenus ſubtiliorum eſt partium, adeò vt & comitialibus competat. Quin & ipſa magis quam altera extergere poteſt.

ANTHYLLIS Marina altera Narbonenſ. Pena.



Lid.3.c.136.

Lacun.

Lib.21.c.29

Li.26.c.8.

Lib.26.vlt.

Lib.6.ſim.

ERVCA CINEREA, CAP. XVI.



A Foliorum similitudine & odore hæc ab herbariis Eruca vel Artemisia cinerea nuncupata est, quę in maritimis Corcicæ prope Aiaceam gignitur, radice modicè fibrata, crassa, caule sesquipedali, anguloso, lanugine candida, & molli contecto: foliis Erucæ siluestris, aut Artemisiæ minoris profundiùs incisis, auersa parte candicantibus, aduersa cinereis, lanuginosis, densis: flore in vertice caulium, & ad superiorum foliorum exortum velut racematim congesto, spissa lanugine, incano, nigris punctis maculoso, odore & sapore Artemisiæ, cui similes vires habere putatur.

Nomina. Locus. Forma.

CINERARIA, CAP. XVII.

A Totius plantæ colore cinereo vocata Cineraria, in maritimis prouenit, procera, surculosa, & ramis multis fruticante, lignosis, duris, folio Artemisiæ, sed crassiore & ampliore: flore luteo, senecioni simili, copioso, virgulis insidente, in quas caulis fastigium diuiditur. Qui procul hanc plantã aspexerit è Cinereo candicantem, & tanquam lanugine opertam, eam cinere totam conspersam de industria obductamq; iudicauerit, non iniucundo spectaculo, quare Cinerariæ nomen ei ab herbariis inditum est. Vnicum eius ramulum depinximus, Pena plãtam integram, rariorem, & littorum marinorum indigenã, maiorem fru-

Nomen. Locus. Forma.

CINERARIA.



IACOBAEA Maritima, Penæ.



IACOBAEA Marina, Dodonæi.



ticosiorémq; senecione, pluribus virgis duris, & foliis maioribus, profundiúsq; incisis & sinuatis vt Artemisiæ rigidioribus, crassio ribus, cinereo tomento obductis, vti & reliquæ partes. Flores sunt melini, Iacobææ senecionis pappis diffluentes. Exsiccat valde, digerit, & inodora est, sed plãtarum maxima pars quę in littore maris, aut non ita procul crescunt & aluntur, eum ferè colorem cõtrahunt, siue salsi vaporis afflatu quem mare allidit, siue alimenti salsugine id fiat: pereunte, non solum languescẽte colore illo cum in hortos translatæ coluntur, vt in absinthio seriphio marinóve obseruare licet, quod in littore maris albicat, in hortis educatum mutato colore, herbaceo virore pallet. Alius est Senetio marinus quorundam, Iacobæa marina Dodonæi, quæ & Artemisia marina à nonnullis dicitur, Iacobææ maiori quadantenus similis est, sed huic cauliculi non rubent: foliis est minoribus, cãdidioribus, profundius & minutius insectis, flores etiam similes, tamen pallidiores: radix est longa, fibrata, serpítque surculos multos producens. Locis mari proximis crescit.

ASTERIAS SIVE STELLARIA, CAP. XVIII.

Nomina



Lib.22.c.17

Locus.

Forma.

ASTERIAS siue Stellaria nomen est multis plantis commune. Hoc enim nomine donantur Bubonium, Coronopus, Alchimilla, Cardui genus Theophrasti Myachantha, perdicij quoque alterum genus à Plinio Astericum quasi stellare nominatum. Præter omnes alias sua est Monspeliensibus Asterias siue Stellaria hîc depicta herbula, haud procul à mari in salsis sabuletis prouenieus, radice superuacua, pilo vix crassiore: caule dodrantali, tribus aut quatuor exiguis ramulis surculoso: foliis galij, breuioribus & angustioribus, stellatim per interualla caulem ambientibus, vt in aparine: flore rubro, minimo, in stellulis hirsutis micante. Siue foliorum ordinem, siue florem intuearis, vbique stellarum effigies occurrit. Quapropter Asteriam siue Stellariam nuncuparunt.

SPERG

SPERGVLA MARINA, CAP. XIX.



Nomen. Locus. Forma.

SIMILITVDO quæ huic herbæ est cum Spergula vulgari locis vmbrosis, incultis, atque etiam aliquando cultis nascente, fecit vt Spergula marina diceretur, quòd in maritimis proueniat, hoc illi dissimilis, quod ad caulium articulos pauciora, breuiora, & candidiora folia ferat, quodque gustu salso sit, vt cæteræ plantæ quæ marinam aquam proliciunt.

CASSIA LIGNEA MARITIMA, CAP. XX.

Nomen. Locus. Forma.

CASSIAM ligneam herbarij plantam istam vocant, cuius nominis causa mihi adhuc est incognita. In maritimis crescit, radicibus copiosis, densis: caulibus multis ex vna radice prodeuntibus, surculosis, lentis, fractúque contumacibus, virgatis: foliis lenticulę numerosis, per surculos inæqualiter dispositis, gustu adstringentibus. In ramulorum & surculorum verticibus fructus exiguus eminet, oblongus, niger, vmbilicatus, ita gustu adstringens, vt acerbitatis nonnihil habeat. Quidam genistæ marinæ genus esse putant, licet siliquas nullas edat.

CASSIA Lignea, Maritima.



ERYTHRODANVM Marinum, CAP. XXI.

Nomen. Locus. Forma.

SIMILITVDINE etiam erythrodanum marinū nominatur, quod in litoribus arenosis gignitur, radice prælonga, è rufo rubescente, lignosa, surculosa: ramulis multis in orbem humi stratis: foliis rubiæ minoris, ex interuallis ramulos verticillatim ambientibus, rigidis: flore pusillo, herbaceo, ex foliorum aceruo prodeunte, filis tenuissimis subnixo.

ERYTHRODANVM Marinum, Dalech.



POLYGONVM MARINVM, CAP. XXII.

Nomen. MARINVM Polygonum ab herbariis planta hæc vocatur, quòd rami vt in Polygono alio per terram spargantur, foliísque Polygonum

Locus. vbiuis nascens imitetur. In littoribus & locis

Forma. quæ maris fluctus alluit, gignitur, radice è rubro nigricante, crassa, lignosa, paucissimis fibris capillatata, sensim gracilescente: caulibus multis, humi stratis, in orbem diffusis: foliis densis, nigricantibus, interuallo dispari caules ambiẽtibus, Polygono affinibus, sed myrto proximioribus, singulorum foliorum exortum mẽbranosus cortex & candicans cõtegit, quasi decidui aut renascẽtis foliis folliculosa squama. Semen nõdum mihi visum. Aliud Polygonum in maritimis fruticat, radice lignosa, nigricãte, mordicè fibrata, caulibus multis, vnọ & altero cubito proceriorib⁹, cortice subrubro vestitis, ramosis: foliis admodũ densis, ramos & surculos operientibus, Polygono mari similibus nõnihil angustioribus & longioribus, gustu in maritimis

POLYGONVM Marinum prius, Dalecham.



POLYGONVM Marinum alterum, Dalecham.



salso, alioqui adstringẽte. Herbarij quidam Polygonum siluestre à Plinio descriptũ

Lib.27.c.12 esse putant. Quartũ genus, inquit, siluestre appellatur, penè arboris modo frutex, radice lignosa, stirpe cedri rubicundo: ramis sparti binûm palmorum, nigris geniculorum ternis quaternísve articulis, fuere qui Aizoum marinum vocauerint.


GNAPH

GNAPHALIVM MARINVM, CAP. XXIII.

GNaphalii nomine plantas aliquot donarunt herbarij, ob densam lanuginem qua operta sunt earum folia, cuiusmodi hæc est quæ in litoreis sabuletis prouenit, radice lignosa, subatra, crassiuscula: caulibus multis, palmum altis, foliis satis densis, gracilibus, longis, angustis, acuminatis, rarisrmarini ferè aspectu, incanis. In caulium singulorum verticibus capitula emicant squamatim compacta, turbinata: flos luteus, in pappos abit prolixos, densos, pictorum penicillis similes. Num hæc impia herba Plinij potius fuerit? Sic enim ille: Herba impia vocatur incana, rorismarini aspectu, thyrsi modo vestita, atque capitata: inde alij ramuli exurgũt sua capitella gerentes: ob id Impiam appellauere, quoniã liberi super parentem excellant. Alij potius ita appellatam, quod nullũ animal eam attingat, existimauere. Est aliud Gnaphalij genus in

Nomen. *Locus.* *Forma.* Lib. 24. c. 19

GNAPHALIVM *Marinum, Dalechampij.*



GNAPHALIVM *Marinum Tomentosum.*



maritimis quoque proueniens, tomentosum ab herbariis cognominatũ à densiore lanugine qua totum obsitum est, vt si qua alia plãta, certè hæc Gnaphalij nomine sit dignissima. Radice nititur crassa, longa, lignosa, sæpius exesa: caules edit multos, sesquipedales, foliis circũtectos mollissimis, albis, rutaceis, verùm paulò amplioribus, cana lanugine contectis, gustu adstringenti: flores in summis caulibus congestos, luteos, corymborum specie. Ad dysenteriam vtiliter folia trita ex austero vino bibuntur.

Forma. *Vires.*

TRAGVS SIVE SCORPIO MARITIMVS, CAP. XXIIII.

TRagvm & scorpionem de multis plantis dici ex Plinio intelligere licet scribente, In totum spina est asparagus, scorpio, nullum enim folium habet, quod de scorpione Theophrasti accipiendum, qui Nepa Latinè à Gaza dicitur. Et alio in loco. Tragon & Asia fert (vulgati

Nomina Lib. 21. c. 15. Lib. 6. hist. cap. 1. Lib. 13. c. 21.

codices Tragion habẽt) ſiue ſcorpionem, veprem ſine foliis, racemis rubentibus
Lib.27.c.13 ad medicinę vſum. Et rurſus. Eſt & alia herba Tragos, quam aliqui ſcorpium vocãt,
ſemipedem alta, fruticoſa, ſine foliis, puſillis racemis rubentibus, grano tritici, acu-
to cacumine, & ipſa in maritimis naſcẽs. Quib⁹ in locis de Trago loquitur de quo

TRAGVS ſiue Scorpio maritimus, Dalechampij.



TRAGON, Matthioli & Lobellio.



hîc agimus. Item, Ex argumento nomẽ accepit
Lib.22.c.15. Scorpius herba. Semen enim habet ad ſimili-
tudinem caudæ Scorpionis, fólia pauca. Eſt &
alia eiuſdem nominis affectúſq; ſine foliis, aſpa
ragi caule, in cacumine aculeum habens, & in-
de nomen. Vbi prioris ſcorpij nomine heliotro
pium magnum intelligit, quod tamen Dioſco-
rides non Scorpium, ſed Scorpiurum vocat, &
florem habere ad ſimilitudinem caudæ Scor-
pionis, non ſemen ſcribit, vt ipſius etiam rei in-
Lib.25.c.10. ſpectio demonſtrat. Poſtremò Thelyphonon
etiam Scorpium vocat. Thelyphonon, inquit,
ab aliis ſcorpio vocatur, propter ſimilitudinem
Lib.9.hist. cap.19. radicis, &c. Quod de Theophraſto mutuatus
eſt. Eſt & Tragos cerealis, de quo Dioſcorides
Cap.86. lib. 2. Hîc verò de Trago tractamus maritimo,
Cap.46. de quo idem lib.4. quem aliqui, inquit, Scorpiũ
vocant. Dicitur autem Tragos vt & cerealis ille,
non ab hirci aut odore, aut aliqua alia ſimilitu-
dine, ſed ἀπό τȣ̃ ζωγῶν, id eſt, à comedendo, vn-
Lib.4.c.46. de & troganon vocari teſtatur Dioſcorides, id
eſt, edule, vnde etiam τραγήματα Latinis Bellaria
dicta, Gallis *Dragee*. Eſt autem Tragus verus pri-
dem à Dalechampio cognitus, & amicis com-
municatus, atque ita deſcriptus antequam re-
centiorũ vllus de eo quicquam literis mandaſ-
Locus. ſet. Herba maritima in arenoſis tumulis & lito-
ribus gignitur, fluctu maris allidi & obrui ſali-
Forma. tis, radice craſſa, lignoſa, longa, cortice fuſco ve-
ſtita: foliis nullis, ramulis quamplurimis, palmo
altioribus, geniſtæ modo læuibus, & gracilibus,
inſtar equiſeti geniculatis, cacumine pungenti-
bus, adnatis multis, vertice quoq; ſubulæ inſtar
tractantium manus perfodientibus: flore minu-
tulo, candido, in oblongum ſertum coaceruato:
ſemine grano tritici magnitudine pari, angu-
loſo, principio rufo, poſtea nigreſcente, in ſin-
gulis loculis herbaceis gemino, pediculo ad ra-
mulorũ alas ſubnixis, guſtu adſtringente. Quæ
omnino cum Dioſcoridis delineatione conue-
Lib.4.c.46 niunt. Tragus, inquit, naſcitur maximè iuxta
mare, frutex paruus, per terram oblongus, non
magnus, palmi altitudine, aut maior, foliis ca-
ret. Verùm in ramis adhærent veluti acini par-
ui, rufi, magnitudine tritici, cacumine acuti,
multi, guſtu valde adſtringẽtes. Plinius iis quos
ſupra

ſupra citauimus locis ſimiliter ferè depingit, niſi quod veprem eſſe ait, & rubẽtes racemos edere, cum veteres, nec ſentibus nec vepribus adnumerarint, licet extremo cacumine pungat, nec rubentem fructum ferat, ſed πυῤῥὸν, id eſt rufum. Huius fructus acini nimirum decem, inquit Dioſcorides, in vino poti, cœliacis & fœminis fluxione vuluæ laborantibus auxiliantur. Quidam ipſos tundunt, & paſtillos ex ipſis fingunt, quos reponunt, & ſic vtuntur. Plinius ramorum cacuminibus, quod Dioſcorides acinis, tribuit ſcribens. Huius ramorum decem aut duodecim cacumina trita ex vino pota, cœliacis, dyſentericis, ſanguinem excreantibus, menſium abundantiæ auxiliantur. Matthiolus Tragum hunc maritimum, ſiue Scorpium Dioſcoridis eũdem cum ſcorpio facit, de quo hæc Theophraſtus. Ergo aculeatorum âlia ex toto aculei ſunt, ceu corruda & ſcorpius (nepam reddidit Gaza) hæc enim nullum præter aculeum folium habent. Similiter de eodem ſcorpio Plinium loquentem, citat duobus locis, videlicet. Eſt & herba Tragos quam aliqui ſcorpium, &c. Et ſpinoſarum multæ ſpecies, &c. Cùm hic de ſcorpio Theophraſti intelligendus ſit, ille de hoc Dioſcoridis ſcorpio, ſiue Trago longe diuerſo. Tragus autem quem Matthiolus depinxit, (de quo in lib. De Spinoſis) Dioſcoridis Tragus non eſt, ſed Kali ſpinoſum propiùs ad eam ſpeciem accedens, quam crithmum alterum faciunt: eſt enim ſurculenta herba, nullos acinos ruffos habet, tritico pares, ſupernè acutos, numeroſos, magnopere adſtringentes: quæ omnia Dioſcoridis Trago inſunt, quem ſine foliis & ſpinis ille deſcripſit. At Tragon Matthioli folia Aizoi carnoſa habet, ſpinis horrida, aſtrictionem penitus nullam. Hoc ſic expreſsit Lobellius, figura à Matthioli pictura & ſatis diuerſa.

Vires. *Ibidem.* *Li.27.ca.13.* *In cap.46.* *ca.4.* *Lib. hiſt.6.* *lib.1.* *Li.27. c.13.* *Lib.21. c.15.* *Lib.6. hiſt.* *cap.1.*

TRIPOLIVM DODON. CAP. XXV.

TΡΙΠΟ'ΛΙΟΝ Græcis, ſimiliter Tripolium Latinis, Serapioni *Turbith* dicitur, non illud quidem Meſues & Auicennæ *Turbith*, ſed aliud quod ab illo plurimùm diſtat. Vulgare eius nomen nullum, quod ſciam, niſi quod nonnulli *Camomille bleüe*, vel *Marguerite bleue*, non recte vocant, cùm neque in chamæmeli, neque in bellidum generibus ſit: ferunt autem vocatum Tripolium, quod flores ter die colorem mutẽt. Hîc ex Dodonæo depingitur, & deſcribitur ab eodem foliis longis, latis, viridibus, læuibus & lubricis, glaſti foliorum effigie, inter quæ caulis erigitur rotundus, ſeſquipedalis & maior, ſimilibus foliis veſtitus, niſi minora eſſent, circa ſummum in multos ramulos fiſſus, in quo flores venuſti, purpurei antequam dehiſcant, hiantes verò luteam intus coronam oſtentant, foliolis cæruleis eam ambientibus, effigie chamæmeli floribus ſimiles: quibus depereuntibus ſuccedit ſemen hirſutũ, candidum, quod in auras abit: radix longa eſt, craſſa, craſsiuſculo cortice amicta. In littoribus maris mediterranei & Oceani copioſè prouenit, quæ æſtus maris reciprocus ſæpe alluit, vt aliquando aquis obruatur, aliquando in ſicco hæreat. In Zelandia magna copia inuenitur. Tripolium vulgare, & Tripoliũ littoreũ vocãt Lobellius & Pena. Iulio & Auguſto menſibus

c.330. ſimp. *Lib.3.ca.33.* *Forma.* *Locus.* *Tempus.*

TRIPOLIVM, Dodon.



TRIPOLIVM Vulgare, Lobellij.

Li.4. c.130.



Vires.

Li.26. ca.7.

Lib.21. c.7.

TRIPOLIVM Minus, Lobellij.



Lib.9. hist. cap.21.

Li.13. c.20.

floret. Quæ omnia ſatis apte Dioſcor. Tripolio congruunt, ſic ſcribentis. Tripoliũ naſcitur in maritimis locis, quos alluit mare, & refluit, neq; in ſicco, neque in mari. Folia habet, ſatidi ſimilia, craſsiora tamẽ, caulem palmi altitudine, ſuperne diuiſum. Narrant huius florem ter die colorem mutare, mane album, meridie purpureum, veſpere Phœniceum. Radix alba eſt, odorata, calidi guſtus. Hæc pota in vino drachmarum duarum pondere, per aluum aquam ducit, & vrinas. Secatur etiam in alexipharmaca. Plinius, Tripolium, inquit, in maritimis naſcitur ſaxis, vbi allidit vnda, neque in mari, neque in ſicco, folio ſatis craſsiore, caule palmo alto, in mucrone diuiſo: radice alba, odorata, craſſa, calidi guſtus. Datur hepaticis in farre decocta. Hæc herba eadem videtur quibuſdam quæ polium, de qua ſuo loco diximus. Hęc Plinius. Qui ſanè & ipſe ex iis eſt qui polium cum Tripolio cõfundunt. Quod enim Theophraſtus de Tripolio, id Plinius de polio ſcripſit, Muſæum & Heſiodum citans his verbis, Saliuncã veſtibus interponi gratiſsimum, ſicut apud Græcos polium herbam, inclytam Muſæi & Heſiodi laudibus, ad omnia vtilem prædicantium, ſuperq; cætera ad famam etiam ac dignitates prorſusq; miram, ſi modo, vt tradũt, folia eius mane candida, meridie purpurea, ſole occidente cærulea aſpiciũtur. Duo genera eius, campeſtre maius, ſilueſtre quod minus eſt. Quidam Teuthrion vocant. Folia canis hominis ſimilia à radice protinus, nunquam palmo altiora. Theophraſtus verò. Καὶ ὡς δὴ φασὶ, inquit, τὸ τριπόλιον καθ' ἡσίοδον καὶ μουσαῖον, εἰς πᾶν πρᾶγμα σπουδαῖον χρήσιμον εἶναι. διὸ καὶ ὀρύττουσιν αὐτὸ νύκτωρ, σκηνὴν πηξάμενοι. Id eſt, Et, vt aiunt, Tripolium Heſiodo & Muſæo auctoribus, ad omnẽ rem ſeriam peragendam vtile: quare id effodiunt noctu tabernaculo ſtructo. Sic apertè Plinius poliũ pro Tripolio conuertit. Gaza tamen Plinium fortaſſe ſecutus polium etiam reddidit. Quod autem Plinius adiicit, ſuperq; cætera ad famam etiam ac dignitates, &c. Et quod rurſus aliquanto poſt ad idem poliũ refert, Polio, inquit, Muſæus & Heſiodus perungi iubent dignationis gratia, gloriæq; auidos polium tractare, colere. Id, inquam, male intellectum, neque ad polium pertinens ex Theophraſto peruertit, vt declarãt ipſius Theophraſti verba, quæ modo citata proximè conſequũtur.

Cornar. Embl 117. lib.4.

Καὶ τὰ περὶ τῆς εὐκλείας δὲ καὶ εὐδοξίας ὁμοίως, καὶ μᾶλλον. εὔκλειαν γάρ φασιν ἀεὶ ποιεῖν δ' ἀντίρρινον, &c. Qui locus vt rectiùs intelligatur, ſcire licet Theophraſtum de œnothera

thera cuius radices è vino datæ mores mitiores hilarioréſque efficiunt locutum, ſubiungere. Non videtur autem hoc abſurdum. Nam velut aſſumptio quædã fit eius quod vinoſam vim habet. Verum ſtolidiora illa & magis incredibilia (legendum enim εὐηθέστερα καὶ ἀπιθανώτερα) & amuleta, & omnino alexipharmaca, & quæ corporibus, & quæ domibus adhibentur: &, vt aiunt, Tripoliũ ex Heſiodi & Muſæi ſententia, ad omnem rem grauem aggrediendam vtile eſſe. Quare etiam noctu tentorio fixo ipſum effodiunt. Sed & ea quę ad bonam famam, ac exiſtimationem pertinent ſimiliter, & adhuc magis. Bonam enim famam dicunt facere antirrhinum, &c. Præterea foliorum polij colorem ter die mutari ſcribit Plinius, quod de Tripolij floribus tradidit Dioſcorides. Tripolij breuiſsime meminit Galenus his verbis. Tripolij radix guſtanti acris eſt, & facultate calida in tertio exceſſu. Hęc ille. Recentiorum quidam aiunt huius herbæ folia vulneribus omnibus perutilia eſſe: eorúmque ſuccum inſtillatum, aut ipſa contuſa & impoſita, ea conglutinare. Aliud Tripolium Lobellius pinxit, ad Padi oſtia proueniens, longè minus Monſpeliaco, minorem Conyſam folio, radice, & flore vix æquans. Li. 8. ſimpl.

GRAMEN, OXYAGROSTIS MARI, CAP. XXVI.

GRAMEN hoc in maritimis prouenit, radice longa, rufa, geniculata, lignoſa: foliis graminis, circa radicem multis: caule pedali, iunceo, læui, tereti, enodi, foliis nudo, corticoſo, ac ſquamoſo capite, ex luteo rufeſcente, foliolis duobus vtrimq; ſubiectis, & veluti cornua prominentibus. Eſt & graminis marini ſpecies ſecundo loco picta, Oxyagroſtis marina meritò dicenda: in maritimis enim creſcit, radice non geniculata, vt in ſuperiore *Locus.* *Forma.*

GRAMEN *Maritimum, Dalechampij.*



OXYAGROSTIS *Maritima, Dalechampij.*



Gramine, ſed fibris multis capillata: caule pedali, ſurculoſo, nodoſo, foliis ad ſingulos nodos geminis prodeuntibus, longis, anguſtis, gramini ſimilibus, atrociter prætereuntes pungentibus.

XYRIS MARITIMA, CAP. XXVII.



INter permulta & varia purgamēta quæ in littora fluctus eiiciūt, planta hæc ſepius reperitur, quam Xyrim marinam vocant herbarij.
Forma. Radice eſt longa, craſſa, geniculata, cortice rufo obducta, multum fibrata: caule pedali, foliis vndiq; aggeſtis operto, longis, virgatis, in cacumine mucronatis. In caulis faſtigio tres quatuórve ſiliquæ prominent, & ipſæ rufeſcentes, anguloſæ, ſeminibus farctæ velut compreſſu dilatatis, rufa membrana contectis, perſpicua tamē vtrinq; macula in medio nigra, cum manduntur lignoſis & duris, guſtu ſubadſtringentibus.

CICHORIVM BVLBOSVM. CAP. XXVIII.

Nomina
Locus.
Forma.

EST & hæc planta maritima, quæ à foliorum effigie & à radice bulboſa Cichorium bulboſum iure dicitur, in arena maris prouenies, radice bulboſa, articulorum veluti cingulis diſtincta, ſuperiore & inferiore parte exilibus fibris villoſa, oblongum, geniculatum, & craſiuſculum caulem ex ſe emittente, terræ inſtratum, quamplurimis, ac valde exilibus fibris ex geniculorum nodis huc illuc ſe ſpargentibus, & arenis ſe infigentibus: foliis Cichorij in ambitu diſſectis, paucis, lacte manantibus, guſtu non inſuaui, flore luteo, hieracio ſimili in pappos abeunte. Quidam perdicium eſſe ſuſpicantur à Theophraſto memoratum his verbis.

CICHORIVM Bulboſum, Dalechampij.



Lib.1. hiſt. cap.11.

Καὶ τὸ περδίκιον καλούμενον, καὶ γὰρ τοῦτο παχείας τε καὶ πλείους ἔχει τὰς ῥίζας, ἢ φύλλα. καλεῖται δὲ τὸ περδίκιον, διὰ τὸ τοὺς πέρδικας ἐγκυλίεσθαι καὶ ὀρύττειν. Id eſt, Et perdicium. Etenim id craſſas & multas habet radices, aut folia: vocatur autem perdicium, quod perdices ad id ſe volutent, & id effodiant. De quo Theophraſti perdicio (hoc enim nomine diuerſi auctores diuerſas plantas nuncuparunt) ſtatim poſt Cichorium vulgare loquitur Plinius. Cichoriū & ſimilia circa terram

Li.21.ca.17.

folia habent, germinātibus ab radice poſt Vergilias. Perdicium & aliæ gentes quàm Ægyptij edunt: nomen dedit auis id maximè eruens. Craſſas plurimáſque habet radices. Quæ ex Theophraſto Plinium conuertiſſe perſpicuum eſt, niſi quòd ab Ægyptiis, aut ab aliis gētibus edi Theophraſtus non ſcripſit. Sic noſtrū illud Cichorium craſſas habet radices, nempe bulboſas, & non ſolùm plurimas, vt ait Plinius, ſed & folia, vt ſcribit Theophraſtus, ſi quis radiculas innumeras ex caulis humi iacentis nodis prodeuntes intelligat.

NAST

NASTVRTIVM MARITIMVM, CAP. XXIX.



THLASPI Maritimum, Dalechampij.

NASTVRTIVM marinum in sabulosis maritimis prouenit, radice candicante, multiplici, caule pedali, folio Nasturtij hortensis, acri: flore purpureo, copioso, semine in loculis hastæ auspidi similibus, rara mirabilíque figura, & huic plantæ penè dixerim peculiari. *Locus. Forma.*

THLASPI MARITIMVM, CAP. XXX.

THLASPI marinum idq; minimũ in maritimis prosilit, radice lignosa, longiuscula, in surculos diuisa, candida: caulibus multis, dodrantalibus, simplicibus, foliosis: foliis multis, exiguis, angustis, longis: flore in summis caulibus copioso: semine flauo, lato, thlaspi simili, acri in loculis turbinatis concluso. *Locus. Forma.*

CHAMAEMELVM Maritimum, CAP. XXXI.



IN LITORIBVS & arenis maritimis gignitur, radice nigra, crassiuscula, in fibras multas diuisa: caulibus multis, humi sparsis: foliis cotulæ grandioris, in caulibus vtrínque dispari situ dispositis: flore leucanthemi. Quidam cotulam marinam vocant.

CHAMAEPEVCE Maritima, CAP. XXXII.

IN MARITIMIS quoque nascitur, radice crassa, obliquè exporrecta, tota inferiore sui parte radiculas multas mittente, carnosas, superiore verò caules multos propè radicem, velut tubis in sese mutuo farctis coagmentatos, surculosos, foliis piceæ aut asparagi, disparibus interuallis ex caule prodeuntibus, vno coalitu multis, & tanquam in penicilli comam congestis: flore paruo, purpureo, ex surculorum alis emergente. Sunt qui asparagi marini speciem esse contendant.

CHAMAEMELVM *maritimum, Dalech.*



CHAMAEPEVCE *maritima, Dalech.*



ERVCA MARITIMA, CAP. XXXIII

Nomina PLANTAM hanc Doct. Myconus Erucam marinam vocat, quod ſapore Erucam æmuletur, & nõ niſi in maritimis naſcatur. Cathalani etiam *Rucas de mar*, id eſt, Erucam marinam, appellãt. *Forma.* Ad cubitalem altitudinem attollitur, folia habet craſſa, læuia, laciniata, ad ſenecionis folia accedentia, pinguia, ſuccoſa, humi repentia, infernè quandóque rubeſcentia: ex quorum medio cauliculi tres, quandóque plures prodeunt, ab imo rubeſcentes, rotundi, ſtriati, ſurculoſi, læues, ſolidi, modo recti, modo humi iacentes: in quorum verticibus floſculi emicant purpuraſcentes, raphani floribus ſimiles: ſemen in ſiliquis triquetris concluditur minutum: radices longæ, tenues, candidæ, intus lignoſæ, per ſumma arenæ ſparſæ, guſtu aliquantum acres. *Locus.* Naſcitur in arenoſis maritimis, vt diximus, floret Aprili & Maio. *Vires.* Foliorum, caulis, deníque totius plantæ ſapor acris eſt, cum quadam amaritudine, & medius inter Erucam & ſinapi. Hæc fere Myconus. Qui præterea ſcripſit ſe frequenti experimento obſeruaſſe & compertum habere, aquam huius plantæ ſtillatitiam tepidam, quatuor vnciarum pondere mane potam, colicis doloribus, nephriticis, calculoſis, mirè conferre. Eadem planè, vel certè ſimilis huic eſt planta quæ à Lobellio & Pena Cakile

ERVCA *Maritima.*



Serapion

CAKILE Serapionis, Lobel.



Serapionis Erucæ folio, napi flore, vulgo Eruca marina dicitur, quia non nisi in littoribus maritimis, aut inde in hortos translata reperiatur: plurima autem prope Venetias & Magalonam, foliis laciniatis, diuisura crebra senetionem, vel Erucam, nisi crassiora, & candidiora essent, referens. Flores autem purpureos iuxta caulium ramulos sparsos, magnitudine & similitudine napi habet: semen oblongum, mucronatum, fungosum, ex singulis floribus secundum caulem binos, sibíq; mutuo apicum duntaxat cohæsu iunctos, gustu Erucæ aut napi, salso: radicem lignosam. Strenuè purgare asserit Anguillara.

PARTHENIVM *Maritimum.*

CAP. XXXIIII.

PARTHENIVM Maritimum minimum.



MARITIMVM & minimum Parthenium siue Cotulam exhibuit Pena: quæ ad Cestij Narbonensis radices non procul à piscatorum attegiis oritur, & cichorio bulboso lubens associatur. Exilibus palmaribus cauliculis humi sternitur, quibus folia insunt Caphthalmi vulgaris paria, diuisura bellidis maioris, carnosa, odore feriente, putidulo, cotulæ vulgaris, floribus non ita dissimilibus. Vires autem nec inferiores, nec dispares. Permultæ sunt aliæ plantæ maris accolæ, vt diximus, sed aliis eiusdem generis ita affines, vt ab iis disiungi, ac diuelli commodè non possint. Quare non hac, sed eadem cum illis tractatione comprehenduntur.

IVNCVS MARINVS,

CAP. XXXV.

IVNCVS marinus gramineus Pseudoschœnanthum etiam dicitur, quod specie, magnitudine, culmo, colore vero schœnantho similis sit, adeo vt illius congenerem esse quidam dixerint. Sed viribus quàm maximè differunt. Præterea Iuncus marinus foliis est gramineis, flore multum dissimili, nimirum specioso, papposo, densè congesto in vulpinam caudam quincuncialem & sex vncias longam, sericeo argenteóve nitore alopecuri ritu fastigiato. In Adriaticis littoribus frequens occurrit, & aliis mediterraneis, vt in litore mediterraneo

MARINVS Gramineus Iuncus, Lobell.



PASTINACA marina Pen. & Lob. Crithmum II. Matth.



agri Monſpelienſis pone aquas marinas. Hæc ex Lobellio. Maritimum alium depinxit Pena, qui tantum in littoribus, & arenoſis Narbonæ & Galloprouinciæ reperitur, vix ſeſquipalmum & pedem æquans, foliis multis, tenuibus, candicantibus, anguſtis, & caule ſeſquipalmari duplo longioribus, lentis, ſparſis, inflexis, è radice nigra, ſimpliciore cyperi longi modo, geniculata, longius ſerpente, multis fibris capillata, ſapore grato. In ſummo caule foliola plurimùm terna conſpiciuntur, tres pollices longa, flos globoſus, Iunceis ſeminibus glumoſis ſtipatis, aſperiuſculus, ex fuſco & purpureo pallidulus, ampeloprasi magnitudine & figura.

PASTINACA MARINA,

CAP. XXXVI.

CRITHMVM ſecundum Matthiolus facit plantam hîc appictam, à Cortuſo miſſam, quæ fœniculo marino, Crithmo primo eiuſdem, ferè ſimilis eſt, niſi foliis eſſet anguſtioribus, & cacumine mucronatis, atque pungentibus, falſo & acuto ſapore: caulibus magis ſuccoſis, vegetioribúſque, in quorum cacumine ramuli exeunt bini, terni, quaternívе, ſinguli ſingulas vmbellas ferentes, albis floſculis refertas, è quibus ſemen oritur fœniculo quadamtenus ſimile, ſpinulis obſitum: cui ſimilem quoque radicem profert. Dodonæus, qui etiam fœniculum marinum Crithmum primum eſſe arbitratur, & hanc plantam Crithmum ſecundum ſtatuit, Crithmum ſpinoſum vocat. Rectiùs, opinor, Pena & Lobellius Paſtinacam marinam, quia in maritimis ſabuletis Narbonenſis Prouinciæ, inter eryngia naſcitur, cuius radices erutas plebecula eſitat, & Paſtinacam marinam vocat: ſunt enim prorſus eodem ſapore, nec longè à figura abſunt. De tertio Chrithmi genere à Matthiolo tradito diximus hoc libro.

LENTICVLA *Marina Serapionis,* CAP. XXXVII.

SERAPIO Lenticulæ marinæ meminit, quam ex Lobellio hîc repræsentamus. Tyrrheni maris & Adriatici indigena est, inquit, foliis angustis Osyridis scopariæ dictæ, in flexilibus loricatis petiolis sesquipalmaribus refertis & onustis, copiosis baccis, vacuis, mēbranaceis, Cap 235. simp.

LENTICVLA *marina Serapionis, & Vua marina quorundam.*



LENTICVLA *marina serratis foliis, Lobell.*



teretibus, lenticulis similibus & paribus, vnde ei nomen. Est huic persimilis & eadem, nisi latiora & breuiora, nonnihil ambitu serrata essent folia.

EX SVRCVLIS ARBORVM CONCHAE ANATIFERAE, CAP. XXXVIII.

MVLTA à veteribus Historicis literis mandata fuere, falsi suspecta, imo fabulosa & risu digna credita, quæ tandem à verò non abhorrere cogimur fateri, à natura magis stupenda miracula nobis ob oculos ponente. Quid enim admirabilius quam ex putridis nauium lignis, aut ex arborum stipitibus surculísve in littus proiectis, & maris alluuionibus perpetuò irrigatis conchas, & ex iis aues generari? At id verissimum esse non solùm testantur Septentrionalium rerum Historici, sed etiam harum rerum studiosi & curiosi viri, qui viderunt non solùm in Scotia, vt illi narrant, aut Orcadibus maris Caledonij Arctici, olim à Romanis classe deuictis, sed etiam in Anglia, & Galliæ Britannia. Scribunt Pena & Lobellius se ad Tamesim amnem, qua Londinum præterfluit, conchas pediculo rugoso, crassiore, è nauis annosæ carina auulsas habere. Sunt eæ conchæ pusillæ, circinatæ ferè rotunditatis, foris albidæ, lucidæ, leues, tenuitatémque testæ ouaceæ fragilem, biforem Mytuli modo præferentes,

EX Surculis Arborum Conchæ Anatiferæ.



nuci Amygdalæ compressæ pares. Pendulæ autem hæ erant foris ad imum ventricosæ nauium carinæ, cui musco & limo semiputridæ innati erant, quasi fungi pediculi, quos fere vrachum vmbilici parui dixisses, cuius extremum, fructuum ritu inserebatur latiusculæ basi conchæ, quasi vitam alimoniamq; inde suggerent auiculæ, quarum auicularum rudimenta è summa parte conchæ hiantis conspiciuntur. Pediculos istos ferunt Historici, primum è vermiculis concreari, quod non potuerunt illi scire, neque adhuc credere. Præterea certò asserunt, easdem conchas elegantissimè efformatas è surculis arborum temerè quà maris æstus alluit, proiectarum enasci. Earũ conchas quæ humi & in sicco manent, emori. Ex iis quæ in maris alluuionibus rapiuntur, aues excludi, & in Anatem, aut ei congenerem auem adolescere. Has Angli, & Britanni Galli *Barnacles* vocant, Scoti *Clakis*, qui his auiculis abundant, & capiuntur dum per brumam gelu concreuerunt paludes. Sapit nobis hesitantibus, inquit Lobellius Anatem, aut Anserem siluestrem.

LIGNA LAPIDEA, CAP. XXXIX.



EST & id permirum, sed verum, quod & vidi, & tradunt Pena & Lobellius, esse amnes & riuulos in quibus mersi pali lignei, ridicæ, contive, aliquot mensibus lapidescunt, imo secontive, aliquot mensibus lapidescunt, imo fere in ferri naturam abeunt, eadem perstante superficie, situ striarum, & fibrarum ductu pristino: & quas eminus assulas ligni diceres, attrectando & lapidi illidendo, dicas esse lapidem ferri metallo immixtum, soliditate, grauitate, duritie, & duratione lapidea, nec flammis obnoxia.

PHALLVS HOLLADICVS, CAP. XL.


PHALLVS, in maritimis Hollandiæ, ac Zelandiæ arenosis gignitur, hominis pudendo suo præputio contecto adeò similis, vt inde nomen sit tributum. Siue integrum, & partibus adhuc suis constantem, ac compactum, minimè diuisis, siue in partes è quibus componitur, iam discissum inspiciamus, ad verendorum hominis figuram sic accedit, vt in eo generando lusisse natura videatur lasciuius, succo in arenis frigidis siccis

ſiccíſque reperto, è quo penem hominis fingere meditata ſit, afflatu etiam maris fortaſsis adiuta, cuius vim maximè genitalem eſſe periti rerum naturalium omnes teſtantur, & ſuis Poëtæ fabulis indicant, τὴν ἀναδυομένην ἀφροδίτην verſibus celebrantes, nempè Venerem è maris fluctibus exorientem, ac emergentem. Poſteriore parte velut inter duas prominulas nates, cauum patet: (malo enim cum podice comparare, quàm cum muliebri vulua.) In id cauum, tanquam in Scroti fundum, tenue filum ſubit, bifidum, quo tanquàm radice, in arenoſo ſolo defigitur. Quod terræ proximum eſt, Bulgæ figura, inferiora Phalli operit, extremaq; ora laciniata, in apices extantes diducta, vndíque illum amplectitur, rugoſi Scroti quadam imagine. Bulga detracta ſubeſt aliud inuolucrum, tanquam elytroeides tunica in hominis teſticulis. Superiore anguſtius, ac minus, Phallum circundans orbe ſim-

PHALLVS Batauicus integer.



PHALLI Batauici ſeparatæ partes.



φαλλος. S. penis ligneus uel coriaceus siue ligneus oblongus in summo habens penem ligneus uel coriaceum

plici linea circumeunte, non tamen continuato, ſed interrupto rima, quæ veluti duorum teſtium interuallum, ac interſtitium oſtendit. In tuberculum ſubrotundum id deſinit, radici vicinum, cui radix inſeritur. Inde penis in longum porrigitur, mentulæ ſpecie, punctis quibuſdam notatus, in ſummo, ſub præputio, pertuſus, rotundo foramine, quod in extremo hominis veretro fiſſuram imitatur, qua vrina profluit. Munit ſummum illud faſtigium, & veſtit præputium, (ſic enim aptiſsimè vocari poteſt,) vndíque circumuolutum, cutis plicatilis modo. Extrema parte præputij. carnoſi oſculi rotundus. velut apex eminet, fiſtuloſus, pelle circum criſpata, humani præputij corrugato fini ſimilis. Raræ huius & admirabilis plantæ exactiorem & ampliorem hiſtoriam tradidit, vulgato de eius forma libello, Belga quidam, vir huius tractationis ſtudioſiſsimus, ac imprimis diligens.

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM

LIBER DECIMVS-TERTIVS,

In quo omnes plantæ, quæ non nisi aliis innixæ scandunt, describuntur.

VITIS, CAP. I.

STIRPIVM quidem plurimarum erecta est ad cœlum natura, nostræ perfectionis æmula, cœli appetens, longe quàm nos fœliciùs, qui frustra spectamus ipsum, nec nisi terram sapimus, vt ait Scaliger, tamen nonnullæ sunt natura tam imbecilles & caducæ, vt nisi ridicis & pedamentis fulciantur, vel nisi pergulis, sepibus, arboribus, fruticibus adnascantur, aut prope ista serantur, vel iis veluti adminiculis nixæ attollantur, & adolescant, per humum repentes aut aridæ & exuccæ permaneant, imperfectéque frutificent, aut breui emoriantur. Quæ res differentiam perspicuam parit, qua stirpes istæ ab aliis secernuntur, quæ nullius fulcri ope sese attollunt, adolescunt, vigent, florent, & fructus perfectos edunt. In illorum genere vitis habetur, quæ sursum versus serpit, omnibus tum facie, tum liquore suauissimo quem fundit, notissima. Eam hîc intelligimus quæ Græcis ἄμπελος οἰνοφόρος, & ἄμπελος ἥμερος, Latinis Vitis vinifera, & satiua seu culta nominatur, Arabibus *Harin, karin* seu *karni*, Italis *Vite vinifera*, Germanis *Vueinreb*, Gallis *Vigne*. Dicitur autem ἄμπελος quasi ἔμπηλος, vinea, quia πηλὸς olim vinum significabat. Vitis verò à vino, vel, vt scribit Ruellius, quoniam inuitetur ad vuas pariendas. Innumera vitium reperiuntur genera. Quare singula persequi superuacaneum fuerit: quandoquidem varietatem accipiunt multiplicem à soli conditione, moréque, & solis ab æquatore inclinatione. Si quis tamen illa disquirere desiderat, rei rusticę scriptores Pliniúmque legat, qui profecto non omnia, sed maximè insignia persecutus est: quippe quæ totidem pene sunt, inquit, quot agri. Hoc tantum dicam, vites quasdam esse simplices in prouinciis quibusdam, quæ per se sine vllo pedamento, vt ait Plinius, artus suos colligunt, & breuitate crassitudinem pascunt: alias arbustinas, quæ Græcis ἀναδενδράδες, & δενδρίτιδες dicuntur, ipsa verò arbusta quibus maritatæ fulciuntur, eisdem nominantur vocibus. In Campaniæ agro, vt ait Plinius, populis nubunt, maritásque complexæ, atq; per ramos earũ procacibus brachiis geniculato cursu scandẽtes, cacumina æquant, in tantum sublimes, vt vindemiator authoratus rogum ac tumulum excipiat. A`radice vitis caudex vnus contortus exit, qui in ramos frequentes scinditur. Multiplici cortice vestitur, rimoso, membranaceo, flagellis longe latéque vagantibus, sarmentorum foliis latis, multifidis, platani aut aceris diuisura, & per extremum

Nomina.

Genera.

Lib.14. c.2. & 3.

Lib.14. c.1.

Ibidem.

Forma.

VITIS Vinifera.



ſerratis, quæ ex longo pediculo pendula laſci-
uiunt: floribus fructum ambientibus, lanugi-
neis. Vua compluribus aciuis aceruata, ſemini-
bus tunica clauſis. Acini numeroſi, qui magni-
tudine, colore, ſaporibus multiplicantur in vi-
no, hîc purpureo lucentes colore, illic fulgentes
roſeo, nitentéſque viridi. Candidæ enim vuę
nigræque vulgares. Tument verò mamma-
Lib. 14. c. 1. rum modo Bumaſti, vt ſcribit Plinius: prælon-
gis dactyli porriguntur acinis. Eſt & alia natu-
ræ laſciuia, vt pręgrandibus adhæreant pergulis
parui, mites, & ſuauitate certantes, Leptoragas
vocant. Vini omnes in vniuerſum facultates ex
Dioſcoride, Plinio, Galeno, commemorare ſu-
peruacaneum & tædio plenum foret. Quare
aliarum vitis partium vſum medicum expone-
Vires & Tempor. Lib. 5. c. 1. mus. Vitis viniferæ folia capriolíque trita & il-
lita, inquit Dioſcorides, capitis dolores ſtoma-
chique inflãmationes & ardorem cum polenta
mitigant, folia etiam per ſe impoſita, vt pote
quæ refrigerant & adſtringunt. Succus ex ipſis
potus dyſentericis, ſanguinem expuentibus,
ſtomachicis, & citta laborantibus mulieribus prodeſt. Madefacti in aqua capredi
& poti eadem efficiunt. Lachryma verò eius quæ veluti gummi in eius caudicibus
concreſcit, pota cum vino calculos pellit. Illita lichenas, ſcabies & lepras ſanat.
Oportet autem locum nitro antea confricaſſe. Eadem cum oleo frequenter inun-
cta pilos denudat: potiſſimum aquoſus humor, qui ex incenſis viridibus ſarmentis
exudat. Hîc etiam myrmecias inunctus eiicit. Cinis ſarmentorum & vinaceorum
circa ſedem quæ antea ablata amputatáve ſint codylomata & thymia, cum aceto
illitus ſanat. Confert luxatis & viperarum morſibus, lienis inflammationibus cum
Lib. 23. proem. roſaceo & ruta & aceto illitus. Plinius ea ex Dioſcoride referens, in paucis ab eo
diſſentit, folia vitium, inquit, & pampini capitis dolores, inflammationéſque cor-
porum mitigant cum polenta, folia per ſe ardores ſtomachi ex aqua frigida: cum
farina verò hordei articularios morbos. Pampini triti & impoſiti, tumorem om-
nem ſiccãt. Succus eorum dyſentericis infuſus medetur. Lachryma vitium, quæ ve-
luti gammi eſt, lepras & lichenas, & pſoras nitro ante præparatas, ſanat. Eadem
cum oleo ſæpius pilis illitis, pſilothri effectum habet, maximéque aqua, quam vi-
rides accenſæ vites exudant: qua & verrucæ tolluntur. Pampini ſanguinem excreã-
tibus, & mulierum à conceptu defectioni diluti potu proſunt. Cortex vitium & fo-
lia arida vulnerum ſanguinem ſiſtunt, ipſúmque vulnus conglutinant. Vitis albæ
viridis tuſæ ſucco & thuræ, impetigines tolluntur. Cinis ſarmentorum vitiúmque
& vinaceorum condylomatis & ſedis vitiis medetur ex aceto: item luxatis & am-
buſtis, & lienis tumori, cum roſaceo & ruta & aceto. Item igni ſacro ex vino citra
oleum aſpergitur: & intertrigines & pilos abſumit. Dant & bibendum cinerem
ſarmentorum ad lienis remedia aceto cõſperſum, ita vt bini cyathi in tepida aqua
bibantur, vtque qui biberit in lienem iaceat. Clauiculæ ipſæ quibus repunt vites,
tritæ ex aqua potæ, ſiſtunt vomitionum conſuetudinem. Cinis vitium cum axun-
gia vetere, contra tumores proficit, fiſtulas purgat, mox & perſanat: item & neruo-
rum dolores frigore ortos, contractionéſque: contuſas verò partes cum oleo: car-
nes excreſcentes in oſsibus cum aceto & nitro: ſcorpionum & canum plagas cum
oleo.

oleo. Corticis per se cinis combustis pilos reddit. Quas mulieres Dioscorides κισσώσας dixit, Plinius mulierum à conceptu defectionem interpretatur. Id malum κίττα dicitur, quod vitium auctore Paulo, accidere cõsueuit: tertio à conceptu mense potissimum, varia & à natura aliena mulieribus appetẽtibus, veluti carbones extinctos, cretam cimoliam, aliáque complura, ob vitiosa quæ in ventriculi tunicis continentur excrementa. Plinius Malaciam stomachi vocauit. Præterea cinerem vinaceorum dixit τέφραν τῶν στεμφύλλων. Sunt enim στέμφυλα Galeno auctore, τὰ στερεὰ λείψανα τῆς σταφυλῆς, ἐπειδὰν ἐν τοῖς ληνοῖς ἐκθλιβῇ πᾶς ὁ χυλὸς αὐτῶν. ἃ καὶ αὐτὰ συντιθέασιν ἐν πίθοις οἱ ἄνθρωποι, σφίγγοντές τε καὶ πιλοῦντες ἰσχυρῶς, ὀνομάζοντές τε τρύγα αὐτὸ τοῦτο, ὅπερ ἐγὼ στέμφυλον ἐκάλεσα. τὴν δὲ τοῦ στεμφύλου προσηγορίαν ἐπιφέρουσιν αὐτῷ τῶν κλημάτων ἐκπεφυκότι ῥιζώματι τῶν ῥαγῶν. Id est, Sunt enim stemphyla id est vinacea, solidæ vuæ reliquiæ, quum in torculari succus ipsius omnis prorsus expressus fuerit, quas etiam homines in doliis componunt, stipantes ipsas valde atque constringentes: appellántque idipsum τρύγα, id est, fæcem, quod ego στέμφυλον, id est, vinaceos appellaui. Nomine autem στεμφύλου id est, vinaceorum, acinorum radicem quę ex palmite enascitur, appellant. Plinius sarmenta vuarum in quibus acini fuêre nuncupauit: Columella, pedem & Scipionem acinorum: fructus verò vitis facultates hæ sunt ex Dioscoride. Vua (Græci σταφυλὴν à Staphylo liberi patris filio appellant) recens quæuis aluum turbat, & stomachum inflat. Minus horum particeps quæ aliquandiu decerpta pependit, quod in ea copia humoris exaruerit. Stomacho accommodata est, appetentiámque cibi excitat, & imbecillis conuenit. Quæ autem in vinaceis aut vinario vase seruatæ sunt, ori & stomacho gratæ sunt. Aluum sistunt, vesicam tamen & caput tentant. Prosunt sanguinem expuentibus. Similes iis sunt quæ in mustum coniectæ sunt. Sapa verò aut musto conditæ stomachum magis infestant. Reponuntur & cælesti cum aqua, prius passæ factæ, minúsque vinosæ fiunt, siticulosis, ardentibus & longis febribus vtiles. Vinaceorum reconditi inflammatis, duris, turgentibúsque mammis cum sale illinuntur. Vinaceorum decoctum dysentericis, cœliacis, & fluxui muliebri infusum confert. Ad insesiones quoque ac clysmata assumitur. Nuclei acinorum adstringunt, stomacho grati. Testi autem & triti, & pro farina illiti, dysentericis, cœliacis, & stomacho resolutis prosunt. Plinius de iisdem eadem ferè tradit. Recentes vuæ stomachum & spiritum inflant, aluumq; turbant: itaque in febri damnantur, vtique largiores. Grauedinem enim capitis, morbúmque lethargicum faciunt. Innocentiores quæ decerptæ diu pependere: qua ventilatione etiam vtiles fiunt stomacho ægrísque: Nam & refrigerant leuiter, & fastidium auferunt. Quæ autem in vino dulci conditæ fuere, caput tentant (Alij legunt, Quæ in vino aut dulci conditæ fuere &c.) Proximæ pensilibus palea seruatæ. Nam in vinaceis seruatæ & caput, & vesicam, & stomachum infestant. Sistunt tamẽ aluum, sanguinem exercreantibus vtilissimæ. Quæ verò in musto fuere, peiorem vim etiam habent, quàm quæ in vinaceis. Sapa quoque stomacho inutiles facit: saluberrimas putant medici in cælesti aqua seruatas, etiam si minimè iucundas: sed voluptatem earum in stomachi ardore sentiri, & in amaritudine iecoris, fellísque vomitione in choleris, hydropicis cum ardore febrium ægrotantibus (Alias, fellísque vomitione, & in choleris, ac hydropicis cum ardore febrium. At in ollis &c.) At in olla seruatæ & os & stomachum & auiditatem excitant (in aliis exemplaribus scriptum est, & in os & stomachum auiditatem &c.) Paulò tamen grauiores existimantur fieri vinaceorum halitu. Vuæ florem in cibis si edere gallinacei, vuas non attingunt. Sarmenta earum in quibus acini fuere, adstringendi vim habent, efficaciora ex ollis. Nuclei acinorum eandem vim obtinent. Hi sunt qui in vino capitis dolorem faciunt. Tosti tritíque stomacho vtiles sunt. Inspergitur farina eorum, polentæ modo, potioni,

Lib.28.c.7.

Lib.2 Ali.

Lib.23.c.1.

Lib.23.c.1.

potioni, dyſentericis, cœliacis, & diſſolutis ſtomacho. Decocto etiam eorum fo- uere pſoras & pruritum vtile eſt. Vinacei per ſe minus capiti aut veſicæ nocent quàm nuclei : mammarum inflammationi triti cum ſale vtiles. Decoctum eorum veteres dyſentericos & cœliacos iuuat, & potione, & fotu. Hoc Plinius à Dioſcori- de diſſidet, quod in ollis ſeruatas ſtomachum infeſtare dixit, Dioſcorides εὐστομάχους, id eſt, ſtomacho gratas. Interim varij ſeruandarum vuarum modi ab vtróque indi-
Lib.2. Ali. cantur, quos & declarat Galenus his verbis. In vinacea ollas nouas vuis refertas condunt, operculis exactè obturantes, ne alicunde difflentur, & qua operculum cum olla committitur, pice illinunt, perſpiratus omnes obſtruentes. Huiuſmodi vua ventriculum diſſolutum roborans, hominibus cibum faſtidientibus appeten- tiam excitat, non tamen per aluum ſubſides : & ſi ſumpta largius fuerit, caput ferit. Quæ in muſto conditur, magis adhuc quam hæc caput infeſtat. Penſilis verò nihil prorſus caput lædit, ventrem autem nec ſiſtit, nec ad deiectionem irritat. Sic Dio- ſcorides κρεμασθείσας habet, & Plinius pẽſiles, & τὰς ἐκ τῶν στεμφύλων, καὶ ἐκ τῶν βρυτῶν. Plinius primum in vinaceis, deinde in ollis ſeruatas appellat, addens has grauiores exiſtimari vinaceorum halitu, vt in ollis ſeruatas eaſdem eſſe oſtenderet, quæ & in vinaceis ſeruantur. Vinacea autem vocat στέμφυλα, id eſt, vuarum expreſſarum reli- quias, vt ex Galeno expoſuimus : in ollis conditas & ſeruatas Cœlius Aurelianus
Lib. 14.c.1. Ollares nuncupat, in palea, Paleares. Hunc modum ſeruandarum vuarum Plinius ſic declarat. Durant aliæ per hyemem, penſili concameratæ nodo. Aliæ in ſua tan- tum continentur anima, ollis fictilibus, & inſuper doliis incluſæ, ſtipatæ vinaceis circumſudantibus. Hîc tamen annotat Hermolaus in codicibus vetuſtis legi foliis
Lib.15.c.17. non doliis ex Plinij ipſius auctoritate ſic ſcribentis. Liguria maritima Alpibus pro- xima vuas ſole ſiccatas iunci foliis inuoluit, cadíſque conditas gypſo includit. Hoc idem Græci platani foliis, aut vitis ipſius, aut fici, vno die in vmbra ſiccatis, atq; in cado vinaceis interpoſitis. Sunt & alij ſeruandarum vuarum modi præter hos tres, quorum Dioſcorides & Plinius meminêre. Nam & ſapa aut paſſo condiebantur, & in aqua pluuia componebantur. Eſt & id annotandum à Plinio ſarmẽta vitium in quibus acini fuere στέμφολα dici, & nucleos acinorũ, γίγαρτα Dioſcoridi, Latinis vinacea, rurſus vinaceos στέμφυλα, quorum decoctum dyſentericos & cœliacos iuua- re tantum dixit, Dioſcorides addit καὶ ῥοικὰς, ſubaudiendo γυναῖκας, Ruellius fœmi- nas fluxione vuluæ laborantes interpretatus eſt, nec id abſurde, iis enim vinaceo- rum decoctum aptiſſimum eſt remedium. Cornarius tamen ῥοικὰ legit, & ῥοικὰ τὰ πάθη intelligit, quæ & fluidas alui affectiones conuertit, quod & cõfirmare videtur
Lib.6.ſim. Galenus ſcribens. Vinacea ſecundo ordine ſiccant, refrigerant primo. Subſtantia eorum craſſa eſt, & terrea, quod guſtus indicat : nam omnibus ventris cum proflu- uio iunctis affectibus cõferunt. Eſt & Vua quæ Græcis σταφὶς & ἀσταφὶς vocatur, paſſa
Lib.14.c.1. latinis. À patientia nomen acinis datur paſsis, inquit Plinius. Aliis placet paſſum eſſe quod in rugas eſt contractum, vnde vua paſſa dicta, quod ſit rugis implicita, cum in ſole ſuſpenſa fuerit, vt paſſa frons, & caperata, rugis exaſperata. Sic myrtus nigra Catoni in vmbra perareſcit, dum erit paſſa. Vuæ paſſæ facultates hæ ſunt ex
Lib.5.c.4. Dioſcoride. Vua paſſa alba adſtringentior eſt. Prodeſt caro earum eſitata arteriæ, tuſsi, renibus, & veſicæ. Item dyſenteriæ, ſi per ſe cum vinaceis edatur, & cum milij & hordei farina, & ouo commixta, cum melle in ſartagine fricta. Valet & ad pitui- tam è capite detrahendam per ſe, & cum pipere commanducata. Sedat teſtium in- flammationes, impoſita cum farina fabacea, & cumino. Epinyctidas, carbunculos, fauos, & putredines circa articulos, & gangrænas, ſine vinaceis trita & cũm ruta impoſita, ſanat. Podagræ conuenienter cum panacis ſucco illinitur : mobiles vn-
Lib.23.c.1. gues illita celerius extrahit. À quibus non diſcrepat Plinius niſi in paucis duntaxat. Vua paſſa quam Aſtaphida vocant, ſtomachum, ventrem, interanea tentaret, niſi pro

pro remedio in ipsis acinis nuclei essentiis exemptis vesicæ vtilis habetur, & tussi
alba vtilior. Vtilis & arteris & renibus, sicut ex his passum, priuatim & serpẽtibus,
contra hæmorrhoida potens. Testium inflammationi cum farina cumini aut co-
riãdri imponuntur: item carbunculis, articularibus morbis, siue nucleis tritæ cum
ruta: fouere ante vino vlcera oportet. Sanant epinyctidas, & ceria, & dysente-
riam cum nucleis. Et in oleo coctæ gangrænis illinuntur cum cortice raphani, &
melle. Podagris & vnguium mobilibus cum panace, & per se ad purgandum os,
capútque, cum pipere commanducantur. Vitis satiuæ facultas, inquit Galenus, ad- Lib.6. sim.
similis est agresti, sed ad omnia imbecillior. De eadem Symeon Sethi ex eodem fu-
siùs hæc prodidit. Vuæ plus nutriunt reliquis operis, minùs tamen ficis: neque
mali succi sunt, si maturæ fuerint exquisite. Tamen his non robusta nec densa, sed
laxa & flaccida caro gignitur. Maximum quidem horum bonum, inquit Galenus,
quod celeriter subeunt, atque adeo si retinentur, lædunt: neque enim tunc probè
concoquũtur, sed crudum gignunt humorem, qui non facile in sanguinem trans-
mutetur. Nucleorum natura sicca, & quodammodo adstringens est. Pertranseunt
igitur omnia intestina non alterati. Pensiles verò vuæ neque sistunt ventrem, neq;
proritant, cæteris autem facilius concoquuntur. Neque vuarum parua est in dul-
cedine, & austeritate, & acore & aciditate differentia. Dulces quidẽ calidiorem ha-
bent succum, austeræ verò & acidæ frigidum. Aluum subducunt dulces, & maximè
quando humidæ fuerint. Omnium itaque tutissimus vsus est quando carnosæ fue-
rint, & maturæ, & mediocriter quis ipsas sumat. Vuæ albæ magis subducunt aluum
quàm nigræ. Omnes autem ciborum appetentiam excitant, & ventrem. Conue-
nit, cum eduntur, membranam & nucleos expuere, quod difficulter conficiantur.
Quæ immaturæ sunt, ventrem sistunt, at stomacho bonæ. Caliditatem à flaua bile
ortam, sedant, minus verò nutriunt. Oportet autem non solum vuas, sed etiam om-
nes fructus molli cortice præditos ante reliquos cibos apponere. Vua passa, au- Lib.6. sim.
ctore Galeno, satiua quidem concoquendi, adstringendi, & leuiter digerendi fa-
cultate prædita est. At agrestis vehementer acrem obtinet, adeo vt ex capite pur-
get, abstergátque valenter. Itaque ad psoram accommoda est: sed & vrendi vim
habet. Idem vini vsum medicum breuiter perstringit his verbis. Vinum ex secun-
do est ordine excalfacientium: sed quod admodum vetus est, ex tertio: sicut mu- Lib.8. [illegible]
stum quod vocant, ex primo. Caliditati eius proportione respondet siccitas. Vina
vetusta neruos lædunt, inquit Dioscorides, & reliqua sensuum instrumenta: gustu
tamen iucundiora sunt. Quare ab iis qui partem aliquam internam debilem ha- Lib.5.c.7.
bent, cauenda sunt. Attamen in secunda valetudine paucum, aqua dilutum innoxiè
sumitur. Nonum inflat, ægrè concoquitur, grauia somnia inducit, vrinam ciet.
Aetate medium vtráque vitia effugit. Quare ad victus sanorum ægrorúmque vsur-
patur. De eodem & hæc Plinius tradit. Vino aluntur vires, sanguis colósque homi- Lib.23. c.1.
num. Et mox, Vino modico nerui iuuantur, copiosiore læduntur, sic & oculi. Sto-
machus recreatur, appetentia ciborum inuitatur, tristitia & cura hebetatur, vrina
& algor expellitur, somnus conciliatur. Præterea vomitiones sistit, collectiones
extra lanis humidis impositis, mitigat. Asclepiades vtilitatem vini æquari vix Deo-
rum potentia posse pronuntiauit. Et alibi, Vino natura est hausto accedendi ca- Lib.14. c.5.
lore viscera intus, foris infuso refrigerandi. Nec alienum fuerit cõmemorare hoc
loco, quod Androcydes sapientia clarus ad Alexandrum magnum scripsit, intem-
perantiam eius cohibens. Vinum potaturus Rex, memento te bibere sanguinem
terræ. Sicut cicuta homini venenum est, sic cicutæ vinum. Quibus præceptis si ille
obtemperasset, profecto amicos in temulentia non interemisset. Prorsus vt iure
dici possit, neque viribus corporis vtilius aliud, neque aliud voluptatibus pernicio-
sius, si modus absit. Sunt in regno Menin oppidi Syriæ nobilissimæ magnitudinis

tum

tum acini, tum racemi, quos ipsi lingua patria priuatim vocant *Alzibib*: nam ge-
neri commune est nomen *Haneb*, nos à succo vuam. Illius vocis imitatione suas
grandiores vuas corrupto vocabulo Prouinciales dicunt *Augibim*. Sunt & vuæ
quædam ἀπύρηνοι, id est, sine nucleis, quæ *Corinthiæ* vulgo vocantur, in Italicis &
Pedemontanis hortis. Effigie nihil planè differunt à communibus: sed algidioris
cœli impatiẽtes, gracilitate tantum racemorum, & exilitate acinorum superantur,
qui piperina aut sambucina tantum æquant. In Madera quoque vuæ sunt sine gra-
nis vllis. Theophrastus auctor est ad Elephantinen & circa Memphim vites per-
petua fronde virere, tametsi annuas tantum proferant vuas. Vites quidem & trife-
Lib. 16 c. 27 ras esse Plinius tradit, quas ob id insanas vocant: quoniam in iis alia maturescunt,
alia turgescũt, alia florent. Varro auctor est vitẽ fuisse Smyrnæ apud mare biferam.

LABRVSCA, CAP. II.

Nomen. GRAECIS ἄμπελος ἀγρία, Latinis Vitis siluestris, & Labrusca propriè
dicitur, Gallis *Vigne sauuage*, Italis *Lambrusca*, Germanis *Vuilduueinreb.*
Vide Phytop. pag. 594. Labruscam dici putant, quod in marginibus terræ ceu labris quibus-
dam nascatur. Sed ne quem hominymia in errorem inducat, admo-
nendus est lector aliam esse plantam quæ ἄμπελος ἀγρία Græcis, Latinis vitis silue-
Forma & Genera. stris nominata est, de qua proxime dicetur. Labrusca viti satiuæ sarmentis, foliis &
capreolis similis, Dioscoridi duplex est. Altera vuam ad maturitatem non perdu-
cit, sed ad florẽ tantum vsq;: œnanthen verò quam vocant, gignit: altera quę fructũ
Lib. 5. c. 2. perficit, sed paruos acinos habet, nigros, & astringentes. Oenanthe, vt idem paulo
post inquit, vitis siluestris quæ fructum fert, flos est. Sic enim restitui debet vterq;
locus ille vitiosus. Recondi oportet in fictili non picato cum collecta est, & subie-
Lib. 12. c. 28 cto linteo in vmbra siccata. Optima est in Syria, Cilicia, & Phœnice. Plinius huius
Oenanthes historiam fusius exponit his verbis. Eodem & Oenanthe pertinet. Est
autem vitis Labruscæ vua. Colligitur cum floret, id est, cum optime olet. Siccatur
in vmbra substrato linteo, atq; in cados conditur. Præcipua ex Parapotamia, secun-
da ab Anthiochia, atq; Laodicea Syriæ, tertia ex montibus Medicis. Hæc vtilior
medicinæ. Quidã omnibus iis præferunt eam, quæ in Cypro insula nascitur. Nam
Vires. quæ in Africa fit ad medicos tantum pertinet, vocatúrque Massaris. Omnis autem
Lib. 5. c. 2. ex alba labrusca præstantior, quàm è nigra. Labruscæ folia, caules, & capreoli aucto-
re Dioscoride, vim habent viti satiuæ similem, quemadmodum contra Galenus di-
xit, vitis satiuæ vires siluestris viribus similes esse. Quæ verba ad vitem siluestrem,
de qua proxime dixerat, referenda non sunt, vt mox dicemus, sed ad labruscam.
Lib. 5. c. 5. Oenanthe autem eodem Dioscoride auctore, vim habet adstringẽdi. Quare pota
stomacho vtilis est. Ciet vrinam, aluum sistit, & sanguinis sputum. Sicca verò im-
posita contra fastidia & acorem stomachi efficax est. Capitis doloribus tam viridis
quàm sicca ex aceto & rosaceo infunditur. Cataplasma ex ea fit, cum melle, croco,
rosaceo & myrrha trita ad inflammationes arcendas in cruentis vulneribus, oris
vlceribus, incipientibus ægilopis, & pudendorum nomis. Pessis miscetur adsisten-
dum sanguinem. Illinitur & contra oculorum fluxiones & æstuantem stomachum
cum polentæ polline & vino. Vsta verò intesta ad prunas, facit ad ocularia medi-
camenta. Reduuias & pterygia, & abscedentes gingiuas cruentasque cum melle
Lib. 23. c. 1. sanat. Eundem vsum medicum Plinius exponit his verbis, quæ multum lucis Dio-
scoridi afferunt. Omphacio cohæret œnanthe, quam vites siluestres ferunt, dicta à
nobis in vnguenti ratione. Laudatissima in Syria, maximè circa Antiochiæ & Lao-
diceæ montes, & ex alba vite. Refrigerat, adstringit, vulneribus inspergitur, stoma-
cho illinitur. Vtilis vrinæ, iocinori, capitis doloribus, dysentericis, cœliacis, chole-
ricis.

ricis. Contra fastidia obolo ex aceto pota. Siccat manantes capitis eruptiones, efficacissima ad vitia quę sunt in humidis: ideóque & oris vlceribus, & verendis ac sedi. Cum melle & croco aluum sistit. Genarum scabiem, vel, vt in manuscripto legitur, scabritiem, emendat, oculorúmque lacrymationes: ex vino stomachi dissolutionem: ex aqua frigida pota sanguinis excreationem. Cinis eius ad collyria, & ad vlcera purganda, & paronychias & pterygia probatur. Vritur in furno donec panis percoquatur. Massaris odoribus tantum gignitur.

VITIS SILVESTRIS, CAP. III.

VItis siluestris Græcis ἄμπελος ἀγρία nominatur vt & labrusca, quam- **Nomina.**
uis hæc ab illa plurimum discrepet. Est enim labrusca viti viniferę tam
similis, vt solo cultu differat., At vitis siluestris sarmenta quidem vitis **Forma.**
modo producit longa, vt describit Dioscorides, sed aspera, cortice in Lib.4.c.175
rimas dehiscente: folia hortensi solano similia, sed latiora & longiora: florem ve-
lut capillos muscosos: fructum paruis vuis similem, cum maturuit, rubentem, ro-
tunda acinorum figura. De eadem vite hæc Plinius, Labrusca quoque œnanthen Lib.23.c.1.
fert, satis dictam. Quæ à Græcis ἄμπελος ἀγρία nominatur, spissis & candicantibus
foliis, geniculata, rimoso cortice, fert vuas rubentes cocci modo &c. Quibus verbis
labruscam quæ etiam ἄμπελος ἀγρία vocatur, cum vite siluestri confundere videtur,
nisi ita contextum distinguamus, vt verba hæc, Quæ à Græcis ἄμπελος ἀγρία nomi-
natur & cętera, ad præcedentia non referantur, sicuti reuera referri non debent, sed
ea velut à nouo principio legamus, vt de duabus stirpibus Plinium hîc loqui acci-
piamus, priore labrusca, altera vite siluestri, quæ etiam ἄμπελος ἀγρία appellatur. Idē Li.16.c.40.
alibi vitem siluestrem aliam esse à labrusca prodidit his verbis. Probatur & vitis sil-
uestris alia quam labrusca, & ipsa hederæ modo arborem scandens. Matthiolus pro
vite siluestri herbā pingit ab Herbariis Dulcamaroni & Solanum lignosum nun-
cupatam. Eam Theophrasti μήλωθρον esse Dalechampius & quidam alij periti esse Lib.3. hist.
coniiciunt, cuius fructus solano similis est. Sed cum repugnet florum figura, quod cap.18.
muscosi non sint, nec capillacei, verum racematim cohærentes, ex Oribasio non
βρυώδεις, id est, muscosos, sed βοτρυώδεις id est, racemosos legendum arbitratur.
Præterea cum hæc planta rimoso cortice non sit, vocem φλοιοῤῥαγοῦντα in Diosco-
ride expungēdam esse, quod in Oribasio non legatur. Quæ omnia refelli possunt. Lib.11.
Primum quod vel diuersum à nostro Oribasium nactus est, vel βρυώδεις flores le-
git non βοτρυώδεις. Sic enim ex Dioscoride vitem agrestem delineauit. Vitis agre-
stis sarmenta vitis viniferæ modo longa emittit, lignosa, aspera: folia hortensi so-
lano similia, longiora tamen, & latiora: florem habet vt capillos muscosos: fructum
fert exiguis vuis similem, cum maturuit rubrum. Rotunda est acinorum figura.
Deinde tantum abest vt vox φλοιοῤῥαγοῦντα in Dioscoride delenda sit, vt Oribasij
descriptioni adscribenda sit potius: quoniam vitem siluestrem rimoso cortice esse
scripserit Plinius, item Serapio Dioscoridis verba transscribens. Planta est cuius ra- cap.35. sim.
mi longe protēduntur, similes palmitibus vitis viniferę, cuius lignum est grossum,
& cortex separabilis ab eo, & cætera. Hîc tamen monendi sunt studiosi Serapionē
eo loco, & Auicennam vitem hanc siluestrem cum labrusca siue vite siluestri tur- Lib.2.c.734
piter confudisse. Dodonæus vitem siluestrē depingit, & describit eam quam Mat- Lib.3.hist.
thiolus pro vite nigra proposuit, alij pro cyclamino altera. Dalechāpius diuersam cap.47.
ab his, Vitem siluestrem statuit, eam nimirum quæ hîc picta est, Vitalba nominata, L.4.c.177
Gallis *Viorne*, Germanis *Lynen* vel *Lenen*, quibusdam *Vualdreben*, quam Matthiolus
Clematidem tertiam facit, Dodonæus Clematidis alterius speciem tertiam, Fuch- Lib 2.c.7.
sius Vitem nigram. Nam ea sarmenta vitis modo prælonga emittit, aspera, lignosa, Lib.3.c.48.
Cap.33.hist.

VITIS Siluestris, Dalechampij.
Clematis III. Matth.



rimoſo cortice: folium ſolani hortenſis, longius latius: florem cādidum, odoratum, capillaceum, qui in muſcoſos villos & incuruos, auium pinnulis ſimiles tandem abit, ſemen rubrum, racematim congeſtū obtegentes, & exornantes criſtarum modo, quæ galeis militum præfiguntur. Denique nihil eſt quod viti ſiluestri Dioſcoridis non quadret aptiſſimè. Idem ſentit Pena ſcribens Viornam vocatam Gallis, nuſquam non frequentem & notam (forte quia viarum ſepes ornat) nulli aptiùs quàm viti ſilueſtri conuenire. Sarmēta quippe ei cæteris clematidibus prolixiora, duriora, craſſiora, rugoſiora, labruſcæ vel viniferæ vitis colori ſimiliora, folia etiam ſunt ſolani hortenſis, & maiora, & ſingulis clauiculis quina, quibus lubens obrepit arboribus, atque hederæ modo editiora fulcra ſcādit. Sed interdū ambitu ſuperne ſerrato, ternis aut quaternis dentibus, vt in ſolano nōnulla viſuntur, quæ laciniata pedem anſerinum, atriplicis ſpeciem, tam bellè referunt, vix vt diſcernātur ſintne ſolani, an triplicis. Flores radiati, puſilli, conferti, numeroſi, albidi, muſcoſi, & ſtamineis apiculis ornati, odori, Maio & Iunio, capillaceo tomento cinguntur carptæ lanuginis albidæ, læuis, quæ etiam in multam hyemem durat, foliis amiſsis. Acini etiā complures confertim ſtipantur ab vno pediculo apti, rotundi, rubentes ex fuſco, compreſsi tamen. Quare docti nonnulli vbi περιφερὲς τὸ σχῆμα τῶν κόκκων legitur, id eſt, ſphærica figura acinorum ſeu grauorum, πλατυφερὲς leuiuſcula immutatione &

Lib.23.c.1. commodiore ſenſu legi volunt, id eſt, rotundam ſed compreſſam figuram. Plinius. Idem ſtaphiſagriam Vuam Taminiam quibuſdam falſo vocatam fuiſſe ait,

Lib.26.c.13. tamen alio in loco ſcribit, Naſcuntur enim in ſanguine ipſo hominis animalia exeſura corpus. Reſiſtitur vuæ taminiæ ſucco, aut veratri, cum oleo perunctis corporibus. Taminia quoque in aceto decocta etiā veſtes eo tædio liberat: quæ

Lib.1.med. local.ca.7. Lib.23.c.1. Lib.5.hiſt. cap.10. de Staphide agria Galenus & ipſemet alibi tradidere, vt in hac re parum ſibi conſtare Plinius videatur, certe Cornelius Celſus Vuam Taminiā σταφίδα ἀγρίαν à Græcis nominari aperte dicit. Vitē ſilueſtrem Atragenam eſſe Theophraſti docti herbarij eſſe putant. Sic enim ille. Ἄριστον μὲν ἐκ τῆς ἀτραγένης καλουμένης ὑπό τινων. τοῦτο δὲ ἐστὶ τὸ δένδρον ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ καὶ τῇ οἰνάνθῃ τῇ ἀγρίᾳ. ὥσπερ ἐκεῖνα καὶ τοῦτο ἀναβαίνει πρὸς τὰ δένδρα. Id eſt, Igniarium optimum à quibuſdam fit ex Atragena. Arbor eſt viti ſimilis & labruſcæ, & illarum modo arbores ſcandit. Idem autor cap. vlt. lib. 3. hiſto. Similacis aſperæ fructum cum vitis Sylueſtris (τῆς σταφυλῆς ἀγρίας,) & Melothri vua comparat.

Vires ac tēperam. Vitis ſilueſtris radix feruefacta in aqua, auctore Dioſcoride, & cum vini aqua marina diluti cyathis duobus pota, purgat aquoſa. Sic enim Græca in vulgaribus exemplaribus deprauata, ſunt reſtituenda. ταύτης ἡ ῥίζα ἀποζεσθεῖσα ἐν ὕδατι, καὶ πινομένη μετ' οἴνου τεθαλασσωμένου κυάθων, β. & cætera. Aliter legit Cornarius, ἀποζεσθεῖσα ἐν οἴνῳ τεθαλασσωμένῳ, καὶ μεθ' ὕδατος πινομένη κυάθων. β. Id eſt, feruefacta in vino marinam aquam admixtā habente, & cum aquæ cyathis duobus pota, & cætera. Sed prior lectio melior, quam approbat Plinius, vt dicemus, itē Sera-

cap.35.ſim. pio his verbis. Radix huius vitis quando coquitur in aqua, & bibitur cum duobus cyathis vini quod fit cum aqua marina, laxat per vētrem humores aquoſos. Datur &

In Aduerſ.

& hydropicis, inquit Dioſcorides. Vuæ eius maculas cutis in facie à ſole cõtractas, & omnes alias expurgant. Recentes eius ramuli muria condiuntur in cibum. Plinius, Vitis ſilueſtris vuæ cutem in facie mulierum purgant, & variis coxendicũ & lumborum vitiis tuſæ cum foliis & ſucco proſunt. Radix decocta in aqua, pota in vini Coi cyathis duobus, humorẽ alui ciet: ideo hydropicis datur. In quibus perperam legimus in vulgatis exemplaribus, & variis coxendicum, pro & varos. Coxendicum & cætera. Eadẽ repetit Plinius alio in loco. Ampelas agria vocatur herba foliis duris, cineracei coloris, de qua nos ſatis diximus, viticulis longis, calloſis, rubentibus. Flos qualis eius quã Iouis flãmam appellauimus in violis: fert ſemen punici mali ſimile acinis. Radix eius decocta in aquæ cyathis ternis, additis vini Coi cyathis duobus, aluum ſoluit leuiter: ideòque hydropicis datur. Vuluæ vitia & cutis in facie mulierum emendat (Idem mendum locum hunc occupauit: legendum enim ex herbæ ipſius natura, Varos & vitia cutis in facie & cætera, pro quib⁹ Dioſcorides ἐφήλεις χὰ, πάντα σπίλον) Iſchiadicos quoq; vti hac herba prodeſt tuſa cum foliis, & illita cum ſucco ſuo. Hanc tamen Plinij deſcriptionẽ perſpicaciores herbarij conuenire putant non viti ſylueſtri, de qua hoc loco tractamus, ſed eiuſdem autoris Salicaſtro, quod cap. 1. 23. Viti ſylueſtri dixit eſſe ſimile, eoſdémque vſus habere. Huius enim plantæ cæruleus flos ſimilis eſt Aquilegiæ flori, quã Theophraſto vocatam fuiſſe Iouis florem plæríque omnes credunt, vitis autem ſylueſtris de qua hîc nos agimus, ſicut reliquarum omnium, flos albus eſt. Theophraſtus has etiam vires huic plantæ tribuit. θερμαντικὸν δὲ καὶ δριμὺ καὶ τῆς ἀμπέλου τῆς ἀγρίας ἡ ῥίζα. διὸ καὶ εἰς ψίλωθρον χρήσιμον, καὶ ἐφηλίδας ἐπάγειν (lege ἀπάγειν) τῷ δ' καρπῷ ψιλοῦσι τὰ δένδρα. (inepte δένδρα pro δέρματα legit Theodorus ſecutus vulgatos codices) τέμνεται δὲ πᾶσαν ὥραν, ὀπώρας δ' μάλιστα, Id eſt, Theodoro interprete. Radix quoque vitis ſilueſtris calfactoria, acríſque eſt: quamobrem ad pſilothri vſum idonea, & vitia cutis in facie emẽdat, Fructu eius defoliare arbores ſolent (Vertẽdum, fructu eius depilant coria) Succiditur omni tempore, ſed præcipuè Autumno. Vitis ſilueſtris racemi, inquit Galenus, cutem extergendi vim habẽt, vt ephelεις & næuos, & id genus omnia in extima cute vitia curare poſſint. Sed & adſtrictionem quandam extrema germina obtinent, quæ & ſale condiuntur.

Lib. 23. c. 1. / Lib. 27. c. 7. / Lib. 9. hiſt. cap. 22. / Lib. 6. ſim.

VITIS ALBA, CAP. IIII.

AMΠΕΛΟΣ λευκὴ Græcis, βρυωνία & ψίλωθρον, Latinis Vitis alba, & Bryonia, & Bryonias Columellæ, & Pſilothrũ, Officinis & Herbariis ſimiliter Bryonia dicitur. Vulgus Viticellã nominat, Mauritani *feſire, Alfeſire feſſera* ſeu *Alfeſcera, Hezargieſan, & Hezarchaſan*, Itali *Vite Bianca, & Zucca ſaluatica*, Germani *Stickuurtz*, Hiſpani *Nuexa & Anorca*, Galli *Couleuree*. Vitis alba dicta eſt, non quod vitis ſit, ſed quod ei ſimilis. Sic etiam Viticella Pſilothrũ quod ex eius acinis coria depilari ac confici poſſint. βρυωνία verò à βρύω forte, quod eſt pullulo, atque adeo extollo & exalto, quod in vicinos frutices ſcandens ſe extollat, atq; late pullulet. Hanc ſic deſcripſit Dioſcorides. Sarmenta, folia, capreolos ſatiuæ viti ſimilia habet, hirſutiora tamẽ omnia. Propinquis fructicibus ſe implicat capreolis apprehendens, fructum fert racemoſum, rubentem, quo coria depilant. Radix eſt alba, craſſa, magna, quam omiſit Dioſcorides, aut certe qui Dioſcoridem transſcripſerunt ante verba illa, ταύτης οἱ ἀσπάραγοι, vt ex radice exeuntes aſparagos intelligamus, ſicuti Plinius habet. Vitis alba eſt, inquit, quam Græci Ampeloleucen, alij Ophioſtaphylon, alij Melothron, alij Pſilothrum, alij Archezoſtin, alij Cedroſtin, alij Madon appellant. Huius ſarmenta longis & exilibus internodiis geniculata ſcandunt, folia pampinoſa, ad magnitudinem hederæ, diuiduntur vt vitium. Radix

Nomina / etymon / Lib. 4. c. 176 / Forma.

BRYONIA siue vitis alba, Matth.



alba, grãdis, raphano similis initio: ex ea caules asparagi similitudine exeunt. Hanc vulgi & Officinarum Bryoniam esse nullus inficiatur, quæ multas à radice teneras, graciles, & hirsutas viticulas emittit, quæ sese attollentes per sepes & fruteta, obuia quæq; scandunt, & suis capreolis quos multos habent, amplectuntur, folia vitis, aut balsaminæ magis incana, hirsutiora, asperiora, in quaternas aut quinas altiores incisuras fissa: flores pallidiores, stellati, multi simul aggesti: fructus acinos solani hortensis vel asparagorum magnitudinem æquant, succulẽti, acriores vti tota planta, primum virides, per maturitatẽ rubẽtes, quandoq; nigri, vt annotauit Matthiolus, qui tales acinos in Vngaria & Bohemia copiosos se vidisse ait, quod iis in locis nulla sit Bryonia cuius fructus rubescat. Semen in acinis delitescit, subrotundum ac parum acuminatum. Radix luculentæ est magnitudinis, tenera, raphani colore & concretione, ima parte diuaricata, succosa intus pulpa. Passim in sepibus ac senticetis nascitur, vicinos quósque frutices scādens, vt cecinit Columella.

In c. 176. lib. 4.

Locus.

Quæque tuas audax imitatur Nysie vites
Nec metuit sentes: nam vepribus improba surgens
Achrados, indomitas Bryonias alligat vlmos.

Tempus. Floret æstate, Autumno fructum producit. Bryoniæ, in prima germinatione asparagi, auctore Dioscoride, elixi manduntur: vrinam & aluum cientes, folia, fructus, & radix, acrem vim habent. Eapropter chironiis, gangrænicis, phagedænicis, & tibias putrefacientibus vlceribus cum sale illita, auxiliantur. Radix abstergit corpus, & erugat. Vitia faciei, varos, lentigines, & cicatrices nigras cum eruo, terrachia, & fœnogræco emendat. Ad eadem prodest decocta in oleo vsq; dum liquescat. Sugillata tollit, & digitorum pterygia compescit. Cum vino illita, inflãmationes discutit, & abscessus rumpit. Ossa extrahit trita & illita. Miscetur apte medicamentis quæ exedendo sunt. Bibitur comitialibus drachmæ pondere quotidie per annum. Attonitis & vertigine laborantibus consimiliter assumpta prodest. Contra viperarum ictus pota drachmis duabus prodest. Mentem aliquando subturbat. Cit vrinam pota. Eclegma ex ea fit cum melle, quod præfocatione oppresis, tussientibus, latera dolentibus, & ruptis datur. Apposita vtero fœtus & secũdas trahit. Lienem trium obolorum pondere ex aceto triginta diebus pota consumit. Illinitur eadem vtiliter cum fico ad eadem. Ad insessus decoquitur: vuluas siquidem purgat, & abortum facit. Vere ex radice eius extrahitur succus, bibiturq; cum mulsa ad eadem, pituitam ducens, fructus eius ad psoras & lepras illitus & inunctus facit. Lactis abundantiam efficit succus fructus eius, si cum tritico decocto sorbeatur. His satis consentanea sunt quæ Plinius de eadem re prodidit. Bryoniæ asparagi decocti in cibo, aluum & vrinam cient, folia & caules exulcerant corpus: vtíque vlcerum phagedænis, & gangrænis, tibiarúmque tædio cum sale illinuntur. Semen in vua raris acinis dependet, succo rubente, postea croci (vetus codex habet crocino) Nouere id qui coria perficiunt: illo enim vtuntur. Psoris & lepris illinitur: Lactis abundantiam facit coctum cum tritico potumq;. Radix numerosis

Li.4.c.176.

Vires & Temper.

Lib.23.c.1.

rosis vtilitatibus nobilis, contra ſerpẽtium ictus trita drachmis duabus bibitur. Vitia cutis in facie, varosq; & lentigines, & ſugillata emendat, & cicatrices. Eadémque præstat in oleo decocta, Decoctæ datur & comitialibus potus (Vetus codex habet, Datur & comitialibus in potu) item mẽte cõmotis, & vertigine laborãtibus, drachmæ pondere quotidie anno toto. Et ipſa autem largior aliquanto ſenſus purgat (turbat non purgat legẽdum eſſe ex Dioſcoride perſpicuum eſt, qui habet ὑποταράττει τὴν διάνοιαν) Illa vis præclara, quod oſſa infracta extrahit trita in aqua & impoſita (Sic enim legẽdum ex Dioſcoride) vt Bryonia: quare quidam hanc albam Bryoniã vocant. Alia verò nigra efficacior in eodem vſu cum melle & thure (In veteri exemplari legimus, albam Bryoniam vocant: aliam verò nigram efficaciorem in eodem vſu: cum melle & thure ſuppurationes &c.) Suppurationes incipientes diſcutit, veteres maturat & purgat. Ciet menſes & vrinam. Ecligma ex ea fit ſuſpirioſis, & cõtra lateris dolores, vulſis, ruptis. Splenem ternis obolis pota triginta diebus conſumit. Illinitur eadem cum fico, & pterygiis digitorum. Ex vino ſecũdas fœminarum appoſita trahit: & pituitam drachma pota ex aqua mulſa. Succus radicis colligi debet ante maturitatem ſeminis: qui illitus per ſe & cum eruo, lætiore quodam colore & cutis teneritate mangonizat corpora, ſerpentes fugat (Duæ poſtremæ voces in vulgatis codicibus redundant, nec in veteribus reperiuntur, nec huc pertinent) Tunditur ipſa radix cum pingui fico, erugatq; corpus, ſi ſtatim bina ſtadia ambulẽtur: alias vrit, niſi frigida abluatur. Iucũdius hoc idem præſtat nigra vitis: quoniam alba pruritũ adfert. Bryoniæ prima germina, inquit Galenus, ab omnibus pro more edi ſolent, vtpote edulium ſtomacho propter adſtrictionem gratum, ſed & ſubamaram & modice acrem adſtrictionem habent: quare & vrinam modice ciẽt. At radix & abſtergentem, & deſiccantem vim habet, & moderate calidam: quare & lienes induratos liquat tum epota, tum foris cum ficubus impoſita: & lepram & pſoram ſanat. Porro fructus eius racemoſus iis qui coria depſant, eſt vtilis. Lib. 6. ſim.

VITIS NIGRA, CAP. V.

ἌΜΠΕΛΟΣ μέλαινα Græcis, & Βρυώνια μέλαινα, & χειρώνεια ἄμπελος, Latinis Vitis nigra, & Bryonia nigra, & Vitis Chironia nominatur, Arabib⁹ *Feſire ſentanim*, Italis *Vite nera*, Gallis *Couleuree noire*. Nigra vero vitis dicta eſt ab acinis radiceq; nigris, & quod vitis ſimilitudinẽ habeat. *Nomina*

Vitem nigram deſcribit Dioſcorides foliis hederæ ſimilibus, magis tamen ad ſimilacis folia accedentibus, ſed maioribus, ita & caulibus ſimilibus. Clauiculis etiã hanc arbores amplecti, fructu eſſe racemoſo, initio viridi, cũ maturuit nigro: radice foris nigra, intus buxei coloris. Plinius cum de vite alba dixiſſet ſubiungit. Eſt ergo & nigra quam proprie Bryoniam vocant, alij Chironiam, alij Gynecanthen, aut Apronĩam, ſimilem priori, præterquam colore: huius enim nigrũ eſſe diximus. Radix foris nigra, intus buxeo colore. Fuchſius pro vite nigra Vitalbã ſeu Viornam Gallorum, Germanorum Lynen ſeu Lenem exhibuit, quam pro Vite ſilueſtri poſuimus. Matthiolus Italorum Tamaro, à tamo, ſiue à Tano, quam in Italia edulem eſſe Plinius ſcribit cap. 15. 21. vocabulo, Vitem nigram Dioſcoridis eſſe putat, quæ Herbariis & Officinis Sigillum beatæ Mariæ nuncupatur, Gallis *Signet de Noſtredame*, & *Couleuree ſauuage*, Dodonæo Vitis ſilueſtris, vt diximus. Illius ſententiæ duo maxime refragari videntur, quod vitis nigræ radix foris nigra ſit, intus buxei coloris, quodq; racemos nigros ferat: vnde Viti nigræ nomen. At ſigillum Mariæ ſi in pratis, aut humidis aut vliginoſis locis naſcatur, radice eſt craſſa Bryoniæ inſtar, foris ſubrufa, intus alba, tactu viſcida. Si in aſperis, ſaxoſis & opacis, tenuis, fibrata, perpetuò alba, fructu ſemper rubente, nõ nigro. Qui fructus color Matthiolum à ſen- Li. 4. c. 177. *Forma.* Lib. 23. c. 1. Cap. 33. hi. In cap. 1. 7. lib. 4.

VITIS NIGRA,
Matthioli.



tentia deducere non potuit, Nam in Vngaria & Bohemia, inquit, omnis Bryonia fructũ fert nigrum, quem Dioſcorides rubere tantum dixit: Quod & in Sambuco ſpectatur: eius enim ſi in mõtibus prouenit, fructus rubet, alterius ex purpura nigricat. Solanum quoq; hortenſe quibuſdam in locis vuas fert modo nigras, modo rubẽtes, modo croceas: natura plerumq́; in florum & fructuum colore ludere ſolita. Quantum ad ſolanum attinet, reſponderi poteſt fructus ſolani varietatem à Dioſcoride obſeruatã fuiſſe, nempe μέλανα ἢ κιῤῥὸν μετὰ τὸ πεπανθῆναι, id eſt, nigrũ aut fuluum poſt maturitatem. Quæ varietas ſi in vite nigra reperiretur, à Dioſcoride prætermiſſa nõ fuiſſet. Prætera color radicis intus buxeus, foris niger, tam inſignis eſt, tantiq́; ponderis, vt nec excuſari poſſit, nec diſſimulari. Quinetiam in hac plãta ſapor radicis diu mãſæ cum fatuo humore multo leuiuſculè tãtum mordet, & quod vix ſentias, at Bryoniæ radix, qua valentiorem longe eſſe Vitis nigræ radicem omnes prodiderunt, acris & amara eſt vehementer, vnde colligi poteſt hanc plantam à Vite nigra nõ parum diſtare. Vuam Taminiam Plinij, diuerſam à ſtaphiſagria, quã falsò quidam ita vocabant, hanc eſſe docti herbarij cenſent, rubentibus acinis, in apricis naſcentem, præſertim cum Tamaro Italicum vocabulum ad Vuæ Taminiæ ſonum accedat, ſiue ad Tamum, cuius vuam, Taminiam vocarunt. Vitem nigram ab alba tantũ illis duabus notis diſcrepãtem, quas expreſſit Dioſcorides in Vveſtphalia, Saxonia, Heſſia, Miſnia frequentem eſſe, è Germanorum ſcriptis ac epiſtolis cõpertum ſibi eſſe Dalechampius ait. Quare Sigillum Mariæ, non vitem nigram, ſed potius Dioſcoridis Cyclaminum Ciſſanthemon eſſe Ruellius & quidam alij docti Herbarij non temerè cenſent: Vitem verò nigrã nondum planè notam, in qua eſt ſententia
Lib.3.c.46. Dodonæus. Pena leuioris momenti eſſe ait, quod duę ſupradictæ notæ Sigillo Mariæ deſint, nẽpe color rubẽs in acinis, & buxeus internus radicis: quia alioqui folia ſunt hederacea, ſimilaci aſperæ quamſimillima, circa frutices & ſentes flexuoſi gyri, viticularum multiplici capreolo proxima quæq; amplectente, racemi multis aggeſti acinulis, virentibus primùm, deinde rubellis: demum ad maturitatẽ quaſi vietam progreſſis, ex fuſco rubore in fuſcedinem atram vergentibus. Cætera (vti radix quæ Bryoniam magnitudine, figura, efficacia & teneritudine inuitatur, foris nigra, intus alba) planè tam vera, quã vulgo notiſſima ſunt: etenim vbiq́; in Gallia & Germania ſiluoſis & aſperis dumetis arbores ſepéſque ſcandit, & vuis ſpecioſis, oblongis, floribúſq; muſcoſis labruſcæ, vel oleæ, pallentibus conueſtit. Hæc eſt Penæ ſen-
Lib.4.c.177 tẽtia: cui addit, vires etiã ſatis cõuenire. Scribit enim Dioſco. viticulas prima germi-
Vires & Temper. natione erũpentes olerum modo in cibi vſum venire, vrinas ciere, menſes pellere, ſplenẽ liquare: comitialibus vertiginoſis & reſolutis prodeſſe: radicẽ ſimilem albæ vitis radici vim habere ad eadem vtilẽ, ſed minus efficacẽ, folia cum vino exulcera-
Lib.23.c.1. tis iumentorũ ceruicibus, cõmodiſſimè illini, & luxatis ſimiliter imponi. Plinius Vitis nigræ aſparagos, inquit, Diocles prætulit veris aſparagis in cibo, ciendæ vrinæ, lieniq́; minuẽdo. In frutetis & arundinetis maximè naſcitur: radix foris nigra, intus buxeo colore. Oſſa infracta vel efficaciùs extrahit quàm ſupradicta. Cæterũ eidem

peculiare

peculiare est, quod iumētorū ceruicibus vnicè medetur. Aiunt si quis villā ea cinxerit, fugere accipitres, tutásque fieri villaticas alites. Eadem in iumēto homineq; phlegma, aut sanguinē qui se ad talos deiecerit, circūligata sanat. In aliis exēplaribus exaratū est, sanguinē qui screatur, talis circūligata sanat. Quā lectionē mēdosam esse & decurtatā putat Hermolaus. Id quod ipsa medicinæ indicat absurditas. Quid enim stultius, aut quæ'nā est hæc antipathia, vt adalligata hominis, aut iumēti talo herba, pituitā, aut sanguinē qui reiiciatur curet. Et sane codices vetustos longe aliter habere, etiam si corrosi & ipsi lacerı́q; sint: Dioscorides luxatos sanari circūligata ea scribit, vt fortasse legendū sit, Talos circūligata sanat, videlicet qui moti sunt. Priora autē verba separatū & facilē sensum habent. Vitis nigra, inquit Galenus, quæ propriè vocatur Bryonia, supradictæ ad omnia similis est, nisi quod imbecillior. Sic cōpertum est vel mulierculis, ait Pena, Sigillum mariæ vehementius vrinā, renumq; sabulū & mensiū saburram impellere potu. Verū quod scribit Matthiolus, Vitis nigræ radici vim præstantissimam inesse ad excitandam venerem, si sub feruētibus cineribus decocta deuoretur, id ille negat: quin potius quosdam suo malo expertos fuisse lumbos eneruare, sanguinem renésque inflammare. *Lib.6.simpl.*

DVLCIAMARA, CAP. VI.

Nomina

APeritis recētioribus Herbariis herba hæc quæ vt supra descriptæ, sepibus & fruticibus sese intorquet, & circūuoluit, γλυκύπικρον & γλυκύπικρος nominatur, Latinè Dulciamara, siue Amaradulcis, à studiosis Lutetiæ & Mōspelij præsertim, Solanū ligneū, vel lignosum, Germanis *Ieleger Ieleber*, id est dulciamara, & *Hinschkraut*, quod ad morbū pecorū, *Die Hinsc* appellatū faciat. Sarmētis multis, lōgis, gracilibus, teneris, rotundis, lignosis, fruticat, quibus vicinis arboribus, sepibus & dumis hęret. Folia ei sunt lōgiuscula, obscurè virentia, ferè hederæ, sed minora, siue solani, vel similacis, vel Sigilli mariæ, sensim acuminata, quorū nōnullis infernè vtrinq; foliolū vnū quasi appēdicula vel pinnula adnascitur, acetosę minoris, vel saluię nobilis modo: flores multi aggesti violaceis saturatiores, singuli in quina foliola mucronata, recurua, angusta, diuisi, è quorū medio luteus apiculus prominet, vnde succrescūt acini oblōgi, teretes, cōferti, primùm virides, cū maturuerint, rubri, coralli rubri modo, granulis intus miliaceis, cōpressis, ingrati planè saporis. Radix parua est & fibrata. Plantæ huius cortex primū quidē gustatu amarus est, & insuauis, deinde quo diutius māditur, eo dulcior & iucūdior redditur: vnde ei nomē. *Locus.* Secus sepes & dumos viasq; vliginosas luxuriat. Mōspelij etiā in ruderibus, maceriis & macilentis. *Tempus.* Floret Iulio mēse, Augusto semē maturū producit. Calida & sicca esse tēperie scribūt Herbarij. Quare decocti foliorū eius, siue sarmentorū & radicum in vino potu, hepar obstructionibus omnibus liberari, & regiū morbū inde sanari. Idē decoctū ex alto delapsis, cōtusis, luxatis, ruptis, vulneratis prodesse, quòd sanguinē concretum per vrinas vacuet. Hæc herba peritis quibusdā herbariis Theophrasti μήλωθρον, Penæ & Mōspeliensibus, circæa esse creditur, Dodonæo Cyclaminus altera, Matthiolo Vitis siluestris. Plinius, *Lib.3. hist. cap.18.*

DVLCIAMARA, siue Vitis siluestris, Matth.



quod antea monuimus, in Historia Vitis siluestris, Ampelon agriam in salictis nascentem, ideóque Salicastrum vocatam esse tradit.

LVPVLVS, *CAP. VII.*

BRYONIIS & Vitibus adiungenda hæc quæ in veterum Græcorum Latinorúmque monumentis non extat, nisi sit Plinij Lupus salictarius inter herbas sponte nascentes, quibus pleræq; gentium vtuntur in cibis, numeratus. Officinis Lupulus dicitur, Latinis recentioribus Lupulus salictarius, & Lupus salictarius, quia subit scandítque salices, & arbusta omnia circumuoluendo sese complectitur: hinc etiam Lupulus reptitius à nonnullis hodie nominatur, à Græcis hodie vernacule Βρυωνία, aliquot Italiæ rura ad Græcam appellationem alludentia Bruscandulam, quasi Bryon vel Bryoniã scaus*Genera.* silem vocant, Galli *Houbelon*, & *Houblon*, Germani *Hopffen*. Lupulus duûm est *Forma.* generum, siluestris & satiuus. Siluestris sarmenta producit longa, hirsuta, tactu aspera, multis capreolis virgulta & frutices vicinos amplectentia, folia vitis albæ, asperiora, triangula: flores pallidos, foliaceos, ac multis tenuibus foliculis structili serie compactiles, qui ferè allium vinúmque suboleant: semen compressum, pullũ, genistæ, sed minus: radicẽ nigram, longam, longiùs proreptantem & surculosam. Lupulum ex siluestri satiuum sedulo cultu fecêre septentrionales, multísque pedamentis ac ridicis tenellos eius capreolos fulciunt, quæ fulcra, quia ferè semper saligna sunt, ideo forte salictarium Lupulum vocarunt. Hic siluestri prolixis sarmentis foliis & floribus est per quam similis, sed lætior multò tota planta cultu euadit, florumq; thyrsis foliaceis & squamosis adultioribus, semine item multò maiore.

LVPVLVS, *Matthioli.*



Locus. Lupulus siluestris iuxta sepes & vepres prouenit: item in hortorum & agrorum marginibus. Satiuum colunt Germani & Flandri in hortis, atque in campis patentissimis vinetorum modo, solo humentiore, lætiore, pinguiore. *Tempus.* Augusto mense floret & Septembri. *Li. 2. simpl. cap. 24.* Lupulus auctore Mesue, temperatus est, vel potius frigidus, prin- *Temper. & Vires.* cipio ordinis primi. Sanguinem bile flaua purgat modicè, eúmque clarũ reddit, & sedato eius calore temperat, præsertim sero lactis infusus. Icterum syrupus ex eo sanat, febribúsq; biliosis & sanguineis prodest. Ipse quoque & succus eius cum hordei polẽta, cephalalgiam calidam sanat, & ventriculi ac hepatis intemperiem calidam. Cúmque tam efficax sit medicamẽtum, mirum subit cur à nostræ tempestatis medicis in vsu tam raro habeatur. Hæc Mesues. Quibus haud assentiuntur recentiores. Flores enim calidos & siccos esse, *Ca. 58. hist.* odoris grauitas & notabilis amaritudo testantur, inquit Fuchsius. Antiquus etiam *Lib. 3. c. 59. hist.* Herbarius calidum & siccum secundo ordine esse tradit. Denique constat radices quoque eius calidas esse. Item Dodonæus Lupulum, flores potissimũ calidos sic- *In cap. 140. lib. 4.* cosq; esse secundo ordine statuit. Matthiolus eiusdem flores, folliculos & radices calfacere, aperire, extenuare, abstergere & expurgare. Turiones verò quibus elixis vtimur in acetariis cùm plus humiditatis habeant, parũ tum excalfacere, tum siccare: esse sumentibus & cibum & medicamentum, quoniam sanguinem mũdant, ventrem soluunt, obstructiones aperiunt, palatóque grati sunt. Florum & folliculorum

lorum decoctum dari vtiliter potandũ contra hausta venena, scabiem, Hispanicã luem, aliaq́; huiusmodi vitia quæ extimam cutem inficiunt, veluti lichenas, serpigines, impetigines, alphos atque cætera id genus. Dari & in febribus diuturnis ab infarctu iocinoris prouenientibus: desessionibus additos, valere ad induratos & tumidos fœminarum locos, & ad eos qui difficulter vrinam reddunt: semẽ tritum & potui datum semidrachmæ pondere interaneorum animalia necare: mẽses prouocare, vrinã pellere. Fuchsius eiusdẽ vires ex recentioribus tradit. Bilem vtrámq; detrahit, inquit, abscessus discutit. Pituitam in aqua inter cutem per aluum ducit. Ca.58. hist.
Succus eius crudus haustus ventrẽ magis subducit, minus vero obstructiones aufert. Coctus vero magis ab obstructionibus liberat, minúsque ventrem subducit. Auribus instillatus eas à putredine vindicat, & à fœtore liberat. Radices obstructiones tollunt, lienis potissimum, & iocinoris. Ex his perspicuum est, diuersas lupuli partes diuerso esse temperamento: asparagos primo vere erumpentes, quos tam siluestres quam satiuos acetariis miscẽt, cichorij terra defossi, vt fit ab holitobus, sapore non ingrato, item folia, calore esse temperato, flores & folliculos atque semen tum calidiore, tum sicciore esse temperie. Flores Septentrionales regiones frigidiores decerpunt, ad Bieræ, siue Ceruisiæ confectionem.

HEDERA, CAP. VIII.

ΚΙΣΣΟΣ & Κίττος Græcis, Hedera Latinis, Mauritanis *Cussus*, Italis *Hedera*, Germanis *Epheuu*, Hispanis *Edera*, Gallis *Lierre*. Κίσσον autẽ dictum putant à Cisso, quem pusionem Liberi patris fuisse Græci fabulantur, & in nominis sui fruticem conuersum, dum minister cum eo Deo saliens, allisus terræ periit. Athenienses *Citton Bacchum* ipsum vocant, & apud se Acharnis vico, Hederam primo natam volunt. Hederam Dionysiam à Baccho, id est Bacchicam appellauit antiquitas, hoc honore Liberum patrem dignata, qui primus ex India in Græciam Hederam asportauit: itaque in tutela Liberi patris putabatur esse. Nam vt ille iuuenis semper, ita hæc perpetuò viret. Nec secus omnia, quàm ille mentes hominum illigat. Vel potius Κίσσος Hedera dicta est ἀπὸ τοῦ κίος, id est à verme siue curculione. Cis enim auctore Theophrasto, in hordeo & tritico nascitur, cui natura est semina illa cuspide potiùs, quàm ore, exiguis foraminibus terebrare: vnde & κισσηρὶς pumex ob fistulosas cauitates ita dicitur. Sic & κίσσος à textura porosa & spiraculis innumeris ferè peruia, qua vinum transmittit, Catonis experimento sic scribentis: Si voles scire an in vinum aqua addita sit, nec ne, vasculum facito de materia hederacea. Vinum id quod putabis aquam habere, eodem mittito. Si habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit: nam non continet vinum vas hederaceum. Inde & κισσύβιον Homero vas pastorale ex hedera factum. Hederam vero Pompeius dictam censet quòd hæreat, vel potius quòd edita petat, vel quia id cui adhęserit edat, & enecet. Plurimæ Dioscoride auctore, sunt hederæ species, sed maximè generales tantum tres, candida, nigra, quæ & vulgo Dionysia, & tertia Helix. Theophrasto quoque Hedera multiplex est, id quod fusiùs declarat his verbis. Πολυειδὴς δὲ ὁ κίττος. καὶ γὰρ ὁ μὲν ἐπίγειος, ὁ δὲ εἰς ὕψος αἰρόμενος. καὶ τῶν ἐν ὕψει πλείω γένη. τρία δ' οὖν φαίνεται τὰ μέγιστα. ὅ τε λευκὸς, καὶ ὁ μέλας, καὶ τρίτον ἡ ἕλιξ. εἴδη δὲ ἑκάστου τούτων πλείω. λευκὸς γὰρ, ὁ μὲν τῷ καρπῷ μόνῳ, ὁ δὲ καὶ τοῖς φύλλοις ἐστί. πάλιν δὲ τῶν λευκοκάρπων μόνον, ὁ μὲν ἁδρὸν καὶ πυκνὸν, καὶ συνεστηκότα λον (lege συνεστηκότα τὸν) καρπὸν ἔχει καθάπερ εἰς σφαῖραν, ὃν δὴ καλοῦσί τινες κορυμβίαν, οἱ δὲ Ἀθήνησιν ἀχαρνικὸν ἀδρωνόμενον: ὁ δὲ ἐλάττω, διακεχυμένον, ὥσπερ καὶ ὁ μέλας. ἔχει δὲ καὶ ὁ μέλας διαφορὰς, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως φανεράς. ἡ δὲ ἕλιξ ἐν μεγίσταις διαφοραῖς. καὶ γὰρ τοῖς φύλλοις πλεῖστον διαφέρει, τῇ τε μικρότητι, καὶ τῷ γωνοειδεῖ καὶ τῇ εὐθυμότερα εἶναι (emenda, γωνιοειδῆ καὶ εὐρυθμότερα) τὰ δὲ τοῦ κίττου περιφερέστερα καὶ ἁπλᾶ: καὶ τῷ μήκει τῶν κλημάτων, καὶ ἔτι τῷ ἄκαρπον εἶναι. διατείνονται γάρ τινες, τῷ μὴ ἀποκιττοῦσθαι τῇ φύσει τὴν ἕλικα, ἀλλὰ τῇ ἐκ τοῦ

κίττου

Nomina

Li.4.causs. ca.16.

Cap.III.

Li.2.ca.175.

Genera.

Lib.3. hist. cap.18.

κίττου τελουμένην. (Qui locus valde deprauatus sic restituendus videtur. καὶ ἔτι τῶν ἄκαρπον εἶναι τίνες ἀποκιττοῦσθαι μὲν φασὶ τὴν ἕλικα. ἀλλαγῇ εἰς τὸν κίττον τελουμένην.) εἰ δὲ πᾶς ἀποκιττοῦται, καθάπερ τινές φασιν, ἡλικίας ἂν εἴη καὶ διαθέσεως, οὐκ εἴδους ἡ διαφορά, καθάπερ καὶ τῆς ἀπίου πρὸς τὴν ἀχράδα. πλὴν τό γε φύλλον καὶ ταύτης πολὺ διαφέρει πρὸς τὸν κίττον. σπάνιον δὲ καὶ τοῦτο, καὶ ἐν ὀλίγοις ἐστιν, ὥστε παλαιούμενον μεταβάλλειν, ὥσπερ ἐπὶ τῆς λεύκης καὶ τοῦ κρότωνος. εἴδη δὲ ἐστὶ πλείω τῆς ἕλικος, ὡς μὲν τὰ προφανέστατα καὶ μέγιστα λαβεῖν τρία, ἥτε χλοερὰ καὶ ποώδης, ἥπερ καὶ πλείστη, καὶ ἑτέρα ἡ λευκή, καὶ τρίτη ἡ ποικίλη, ἣν δὴ καλοῦσί τινες Θρακίαν. ἑκάστη δὲ τούτων δοκεῖ διαφέρειν. καὶ γὰρ τῆς χλοώδους ἡ μὲν λεπτοτέρα, καὶ μακροφυλλοτέρα (Li.16.ca.34. Plinius legisse videtur τακτοφυλλοτέρα, id est, εὐρρυθμοφυλλοτέρα) καὶ ἔτι πυκνοφυλλοτέρα. ἡ δὲ ἧττον πάντα ταῦτ᾽ ἔχουσα. καὶ τῆς ποικίλης, ἡ μὲν μεῖζον, ἡ δὲ ἔλαττον τὸ φύλλον, καὶ κατὰ τὴν ποικιλίαν διαφέρονται. ὡσαύτως δὲ λευκῆς, καὶ τῷ μεγέθει καὶ τῇ χροιᾷ διαφέρουσιν. εὐαυξεστάτη δὲ ἡ ποώδης, καὶ ἐπὶ πλεῖστον προϊοῦσα. φανερὰν δὲ εἶναί φασι τὴν ἀποκιττουμένην, οὐ μόνον τοῖς φύλλοις, ὅτι μείζω καὶ πλατύτερα ἔχει, ἀλλὰ καὶ τοῖς βλαστοῖς. εὐθὺς γὰρ ὀρθοὺς ἔχει, καὶ οὐχ ὥσπερ ἄλλαι κατακεχυμένη (Gaza legit κατακεκλασμένους. Potest etiam legi κατακεκλιμένους) καὶ διὰ τὴν λεπτότητα, καὶ διὰ τὸ μῆκος. τῆς δὲ κιττώδους, καὶ βραχύτεροι καὶ παχύτεροι, (Gaza ποώδους legit) καὶ γὰρ πᾶς ὁ κίττος ὅταν ἄρχηται σπερμοῦχειν μετέωρον ἔχει καὶ ὀρθὸν τὸν βλαστόν. πολύρριζος μὲν οὖν ἅπας κίττος, καὶ πυκνόρριζος, συνεστραμμένος, ταῖς ῥίζαις δὲ ξυλώδεσι, καὶ παχείαις, καὶ οὐκ ἄγαν βαθυρρίζοις. καὶ μάλιστα δὲ μέλας, καὶ τοῦ λευκοῦ ὁ τραχύτατος καὶ ἀγριώτατος. διὸ καὶ χαλεπὸς παραφύεσθαι πᾶσι τοῖς δένδροις. ἀπόλλυσι γὰρ πάντα, καὶ ἀφαυαίνει παραιρούμενος τὴν τροφήν. λαμβάνει δὲ μάλιστα πάχος οὗτος, καὶ ἀποδενδροῦται, καὶ γίνεται αὐτὸ καθ᾽ αὑτὸ κιττόδενδρον. ὡς δὲ ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀεὶ πρὸς ἑτέρῳ φιλεῖ καὶ ζητεῖ (Lege φιλεῖ ζῆν) καὶ ὥσπερ ἐπαλλόκαυλόν ἐστιν. ἔχει δὲ εὐθὺς καὶ τῆς φύσεώς τι τοιοῦτον. καὶ γὰρ ἀπὸ τῶν βλαστῶν ἀφίησιν ἀεὶ ῥίζας ἀνὰ μέσον τῶν φύλλων, αἷς ὥσπερ ἐνδύεται τοῖς δένδροις, καὶ τοῖς τειχίοις, οἷον ἐξεπίτηδες πεποιημέναις ὑπὸ τῆς φύσεως, διὸ καὶ ἐξαιρούμενος τὴν ὑγρότητα, καὶ ἕλκων ἀφαυαίνει καὶ ἐὰν ὑποκοπῇ κάτωθεν δύναται διαμένειν καὶ ζῆν. ἔχει δὲ καὶ ἑτέραν διαφορὰν κατὰ τὸν καρπὸν οὐ μικράν. ὁ μὲν γὰρ ἐπίγλυκύς ἐστιν, ὁ δὲ σφόδρα πικρός, καὶ τοῦ λευκοῦ, καὶ τοῦ μέλανος. σημεῖον δὲ ὅτι τὸν μὲν ἐσθίουσιν αἱ ὄρνιθες, τὸν δὲ οὔ. τὰ μὲν οὖν περὶ τὸν κίττον οὕτως ἔχει.

Quæ dilucidius sic verti possunt quàm Gaza reddiderit. Hedera multiplex est: quædam enim humi repit, alia in altum attollitur. Atque excelsarum genera plura. Summa verò tria sunt, Candida, Nigra, & quæ Helix appellatur, (claviculã verbum è verbo Gaza interpretatus est, Plinius Græca voce vtitur.) Singularum item species multæ. Alia enim fructu solo, alia etiam foliis candida est. Rursus fructum tantum candidum ferentium, quædam grandiorem, densum, & veluti in orbem circumactum fructũ producit, quam nonnulli Corymbian vocant, Athenienses Acharnicam, quæ in riguis nascitur, quædam minorem, sparsiorem nigræ modo. Habet & nigra differentias, sed non ita perspicuas. At Helix maximis differentiis distinguitur. Etenim foliis plurimum differt, tum quòd minora, tum quòd angulosa & concinniora sint. (Sic Plinius & Gaza interpretati sunt γωνιοειδῆ καὶ εὐρρυθμότερα. Quare Cornarij non placet emendatio, qui in hac foliorum Helicis delineatione apud Dioscoridem, ἔχει τὰ φύλλα λεπτὰ, γωνιώδη καὶ ἐρυθρά, id est, folia habet tenuia, angulosa, & rubra, vocem ἐρυθρὰ falsò legi cum perspiceret, quòd nullus in foliis Helicis rubor conspiciatur, æquè falsò in vulgatis Theophrasti codicibus εὐθυμώτερα, quæ cõcinniora Plinius reddidit, hic εὐχυμότερα, id est succulētiora legit, in Dioscoride verò εὐτραφῆ eadem significatione, id est crassa, Hederis autem reliquis rotundiora, & simplicia. Differt etiam flagellorum longitudine, longius enim porriguntur: præterea quod sterilis sit. Quidam Helicem aiunt Hederæ naturam adipisci, mutaríque in eam, cùm perfecta iam adoleuerit. At si in eo genere omnes in Hederam adolescant (hederascere Gaza vertit) vt nonnulli volunt, ætate sanè & affectu, non genere constabit hæc differentia, qualis est piri à pirastro. Tamen eius Helicis folium ab Hederæ folio plurimum distat. Raro autem & in paucis

paucis euenit, vt vetustate cõmutentur, velut in populo alba, & Ricino. (Quæ sic expressisse videtur Plinius, Maximè foliorum vnitas in suo cuiq; genere permanet, præterquam populo, Hederæ, crotoni, quam & Cici vocari diximus) Sunt igitur Helicis genera multa, maximè verò nota & summa tria. Prima est virens siue herbacea, quæ plurima est, secunda candida, tertia versicolor, quam Thraciam quidam nominant. Et singularum differentiæ quædã sunt. Nam virẽtis alia tenuiore est, & longiore folio (Plinius habet, in ordinem digesto) densioréque. Alia minus hæc omnia habet. Et versicoloris alia maius, alia minus folium habet, & colorum varietatem in eo dissimilem. Similiter & magnitudine & colore distant candidæ folia. Facillimè augetur herbacea, & altissimè assurgit. Manifestum esse aiunt Helicen in Hederam transituram, non solùm foliis quæ maiora latioraq; gerit, sed etiam germinibus: protinus enim recta gerit, non inflexa vel inclinata, tum ob tenuitatem, tum ob longitudinem. Nam aliis hederis (Gaza legit ποώδεις, id est herbaceæ pro κιττώδεις) breuiora crassioraq; sunt germina. Nam Hedera cum semen parit, sublime & rectum germen edit. Est quidem Hedera omnis, radice numerosa, densa, intorta, lignosa, crassa, nec valdè in profundum acta, sed maximè nigra, & inter candidas quæ asperrima, maximeq; siluestris. Quare non sine damno arboribus adnascitur: omnes enim necat & arefacit, sublato ipsis alimento. Crassescit hæc maximè & arborescit, ipsaq; per se arborescit. Maiore autem ex parte super aliud viuere solet, caulibus suis vicinas arbores velut amplexando, tale quid statim habens sua natura. Etenim è germinibus assiduè radices per media folia emittit, quibus quasi de industria à natura datis, muros & arbores subit, & iis pertinacius hæret. Atque ita sublato humore, atque exhausto, ipsas tabefacit. Quod si inferius succidatur, durat, nec emoritur. Est & huius non parua differẽtia à fructu sumpta. Nam alius dulcis est, alius valdè amarus, tam candidæ, quam nigræ. Id demonstrãt aues, quæ alio vescuntur, alio minimè. Hæc de Hedera Theophrastus literis mandauit, cùm quibus Plinij locum in quo eadem genera distinxit, conferre, nec iniucundum, nec inutile fuerit. Duo genera Hederæ prima, inquit, vt reliquarum, Mas & fœmina. Maior traditur mas corpore, & folio duriore etiam ac pinguiore, & flore ad purpuram accedente. Vtriúsque autem flos similis est rosæ siluestri, nisi quod caret odore. Hæc scilicet Plinius quæ περὶ τοῦ κίστου sunt audienda, τῷ κιττῷ, id est Hederæ incogitanter tribuit.) Species horum generum tres. Est enim candida & nigra hedera, tertiáque quæ vocatur helix. Etiámnum hæ species diuiduntur in alias: quoniam est aliqua fructu tantum candida, alia & folio: fructum quoque candidum ferentium alius densus acinus, & grandior, racemis in orbem circumactis, qui vocantur Corymbi. Item selenitium, cuius est maior acinus, sparsior racemus (Hæc aliter legisse videtur Plinius quàm in Græcis nostris exemplaribus exaratum sit, in quibus selenitium vox deest, & hederam Corymbiam vocari legimus) Simili modo in nigra. Alicui & semen nigrum, alij crocatum, cuius coronis Poëtæ vtuntur, foliis minùs nigris, quam quidam Nysiam, alij Bachicam vocant, maximis inter nigras corymbis. Quidam apud Græcos etiámnũ duo genera huius faciunt, à colore acinorum Erythranum (rectius fortasse Erythrocarpum) & Chrysocarpum. Plurimas autem habet differentias helix, quoniam folio maximè distat. Parua sunt & angulosa, concinnioráque, cum reliquorum generũ simplicia sint. Distat & longitudine internodiorum, præcipuè tamen sterilitate, quoniam fructum non gignit. Quidam hoc ætatis esse, non generis, existimant: primoq; helicem esse, deinde fieri hederã vetustate. Horum error manifestus intelligitur. At enim helicis plura genera reperiuntur, sed tria maximè insignia. Herbacea ac virens, quæ plurima est, altera cãdido folio, tertia versicolor quæ Thracia vocatur. Etiámnũ herbaceæ tenuiora folia, in ordinem digesta, densioraq;. In alio

Li. 16. c. 22.

Li. 16. c. 34.

generε

genere diuersa omnia. Et in versicolori alia tenuioribus foliis, & similiter ordina-
tis, densioribúsque est: alteri generi neglecta hæc omnia. Maiora quoque, aut mi-
nora sunt folia, macularumq́; habitu constant: & in candidis alia sunt candidiora.
Adolescit in longitudinem maximé herbacea. Arbores autem necat candida: om-
nemq́; succũ auferẽdo tanta crassitudine augetur, vt ipsa arbor fiat. Signa eius, fo-
lia maxima, atque latissima ramos erigẽtis (non mãmas: nam μαςοὺς legisse videtur
pro βλαςοὺς) qui sunt cæteris inflexi: racemi stantes atque surrecti. Et quanquam
omnium hederarum generi radicosa brachia, huic tamen maximè ramosa, ac ro-
busta: ab ea nigræ. Sed proprium albæ, quod inter media folia emittit brachia
vtrínque semper amplectens arbores: hoc & in muros, quamuis ambire non pos-
sit. Itaque etiam pluribus locis inter cisa, viuit tamẽ duratq́; : & totidem initia ra-
dicum habet, quot brachia, quibus incolumis & solida arbores sugit, ac strangulat.
Est & in fructu differentia albæ nigræq́; hederæ: quoniam aliis tanta amaritudo
acini, vt aues non attingant. Est & rigens Hedera, quæ sine adminiculo stat, sola
In cap 175. ca.2. omnium generũ ob id vocata Cissos. Hactenus Plinius. Matthiolo duæ sunt præ-
cipuè Hederæ differentię, maior & minor. Maiorem vocat arboream, quę non
solum in siluis excelsas arbores scandit strangulatq́; arcto brachiorum complexu,
sed etiam antiquis ædificiis, vrbium mœnibus, sepulchrisq́; adeò pertinaciter hæ-
ret, vt tandem ea diruat, & vna cum iis collabatur. Minorem quæ sterilis est, helix
dicta, raro arbores scandens, sed aut humi repens, aut per saxa, macerias, sepes aut
In Aduers. aggeres serpens. Duo quoque Hederæ summa genera nostra ætate nota sunt. Pri-
mum genus est Hederæ vulgaris arboreę cunctis notę. Huius multæ varietates, in-
quit Pena, antiquis persuadere potuerunt, vt plures differentias, siue species sta-
tuerint: tametsi discrimen è baccis duntaxat Dioscorides accersat, vt in malis, nu-
cibus, & aliis fructibus vulgò fit. Quinetiam arborescit quædam, suopteq́; stat sti-
pite, nulli innixa pedamento, qualem in siluosis quibusdam Angliæ se vidisse ait.
Orthocisson antiqui dicunt. Interdum etiam quibusdam locis perampelino colo-

HEDERA Arborea, Matthioli.



re folia nitent. Pisis sibi demonstratas ab Her-
bariis corymbis cæsij & albicantis coloris: me-
linos subfuscos corymbos pleràsque plantas sa-
tas in hortis Italicis & Germanicis ex Campa-
nia & Apulia hodie maturare. Alterum genus
est humilis planè, minoris & infrequentioris
hederæ, quæ concinne Helix vocata fuit à
quamplurimis clauiculis capreolisq́; viticeis,
quibus serpit & propagatur. Duo ista genera
Lib.2.c.175. hîc appinximus, tertium ex Dalechampio hîc
adiecimus. Hedera alba, inquit Dioscorides, al-
bum fert fructum, nigra nigrum, aut crocei co-
loris. Helix nullum fert fructum, sed alba ha-
bet sarmenta (Antiquus codex habet λεπτὰ ἔχει
τὰ κλήματα, id est tenues viticulas habet) &
folia tenuia, angulosa & concinniora. Hedera
Forma. nigra vulgaris est nostra arborea fruticosa
stirps, quæ brachia fundit dura, lignosa, cortice
cinereo, spisso contecta, quibus arbores, parie-
tes, & quicquid nancisci potest, amplectitur.
Folia primùm cum pubescit, angulosa, quam-
plurimis in triangulam figuram exeuntia, quæ
cum vetustiora sunt, rotũdantur, pinguia, dura,
læuia,

læuia, etiam inuita bruma virentia: flores cōgerie muscarij glomerosi, pallidi, non inodori, quibus æstate de lapsis baccæ racemosæ, primum herbaceæ, deinde atræ ineunte hyeme maturescentes, ex longiore pediculo in vuæ modum dependent, ligustro similes, corymbos vocant. Radicem spargit numerosam, densam, flexuosam, contortam, ac surculosam, nec admodum profundam. Helix, vt describit Pena, ex sarmētis, seu viticulis capreolos emittit, qui humi panguntur, & propagatione quadam quasi in spiras & anfractus prouoluuntur: interdum etiā serpēdo muscidis truncis & caudicibus aduoluitur, gracilioribus sarmentis, folia minora, altius triquetra diuisura, sinuata edentibus, planè superioris, sed minora, minorísque vsus: nec enim vel folia eius decerpuntur, vel gummi vllum Officinæ ex hac colligunt. Quin nec fructus quidem vllus in ea obseruatur: vnde sterilis putatur. Hedera Chrysocarpos dicta ab acinorum colore aureo, Dionysia aut Bachica, quod coronis ex ea Poëtæ vterentur. Dionysiacos enim artifices Græci olim vocabant, qui aut cantu, aut musicis instrumentis scenæ ludísque publicis inseruirent, ex congeneribus nigris folium habet minùs atrum, minimè angulosum, crassum, carnosum, venosum, in acumen fastigiatum, nec admodum densum: in corymbis acinos luteos aureo nitore fulgentes, maximè ex congeneribus aspectu pulchros Hæc radicosis brachiis reliquarum modo vicinas arbores enecat, succo earum exhausto. Raro in Gallia prouenit. Helix in siluis humi serpit. Nigra & arborea vulgaris, circa vda, & circa ripas humentium regionum, frigidarū, & temperatiorum: nam calidissimarum impatiens est. *Locus.* Hedera omnis auctore Dioscoride, acris est, & adstringens, neruos tentat. *Li. 2. c. 172. Vires & Temper.* Flores trium digitorū captu in vino bis die poti, ad dysentericos faciunt. Ambustis cum cerato illiti prosunt. Tenera folia cum aceto cocta, aut cruda cum pane detrita, lienes sanant. Foliorum & corymborū succus cum irino vnguēto, melle, aut nitro, naribus infunditur. Et contra veteres capitis dolores valet, atque eo perfunditur caput cum aceto & rosaceo. Dolentibus & purulentis auribus cum oleo medetur. Nigræ Hederę succus, aut corymbi epoti imbecillitatē pariunt, mentémque turbant, largius sumpti. Pilulæ quinque corymborum tritæ calfactæq; in malicorio cū rosaceo, si instillentur in cōtrariam aurem, dolorem dentium mitigant. Denigrant capillos illiti corymbi. Folia in vino decocta, omnium

HEDERA Helix, Matthioli.



HEDERA Dionysias, Dalechampij.



vlcerum generi, etiamsi cacoethe sint, illinuntur: vitia cutis in facie, & ambusta, vt
iam diximus, decocta sanant. Mouent menses triti & subditi corymbi. Iidem poti
post purgationes fœminarum, sterilitatem faciunt. Pediculus foliorum melle irri-
gatus & vuluæ inditus, menstrua & fœtus extrahit. Succus instillatus naribus gra-
ueolétiam & putredines expurgat. Lachryma eius depilat, pediculósque illita, ne-
cat. Radicum succus cum aceto potus, phalangiorum morsibus succurrit. In vete-
ri codice habetur σὺν ὄξει ἑψηθεὶς καὶ ποθεὶς, id est, cum aceto potus coctusq;. Eun-
dem vsum medicum hederarum Plinius exposuit etiam prolixiùs his verbis. He-
Li.24.c.10. deræ genera viginti demonstrauimus. Natura omnium in medicina anceps.
Mentem turbat, & caput purgat. Largiùs pota, neruis intus nocet. Iisdem neruis
adhibita foris prodest. Eadem natura quæ aceto ei est. Omnia genera eius refri-
gerant. Vrinam cient potu, capitis dolorem sedant, præcipuè cerebro continen-
tiq; cerebrum membranæ vtiliter mollibus impositis foliis, cum aceto & rosaceo
tritis & decoctis, addito posteà rosaceo oleo. Illinuntur autem fronti: & decocto
eorum fouetur os, caputq; perungitur. Lieni & pota & illita, prosunt. Decoquun-
tur & contra horrores febrium, eruptionésque pituitæ, aut in vino teruntur. Co-
rymbi quoque poti vel illiti lienē sanant, iocinora autem illiti. Trahunt & men-
ses appositi. Succus hederæ tædia narium graueolentiámque emendat, præcipuè
albæ satiuæ. Idem infusus naribus caput purgat, efficaciùs addito nitro. Infunditur
autem purulentis auribus, aut dolentibus cum oleo. Cicatricibus quoque decorem
facit. Ad lienes efficacior albæ est, ferro calefactus, satisq; est acinos sex in vini
cyathis duobus sumi. Acini quoq; ex eadem alba terni, in aceto mulso poti, tineas
pellunt: in qua curatione ventri quoque imposuisse eos vtile est. Hederæ quam
Chrysocarpum appellauimus, baccis aurei coloris viginti, in vini sextario tritis,
ita vt terni cyathi petentur, aquam quæ cutem subierit, per vrinam educit. Erasi-
stratus. Eiusdem acinos quinque tritos in rosaceo oleo, calefactósq; in cortice pu-
nici, instillauit dentium dolori à contraria aure. Acini qui croci succum habent,

THLASPI Hederaceum, Lobell.



præsumpti potu, à crapula tutos præstant: item
sanguinem excreātes aut torminibus laboran-
tes. Hederæ nigræ candidiores Corymbi poti,
steriles etiam viros faciunt. Illinitur decocta in
vino omnium vlcerū generi, etiam si cacoethe
sint. Lachryma hederæ psilothrū est, phthiria-
simq; tollit. Flos cuiuscumq; generis trium di-
gitorum captu, dysentericos & aluum citam
emendat in vino austero bis die potus. Et am-
bustis vtiliter illinitur cum cera. Denigrant ca-
pillum Corymbi. Radicis succus in aceto potus
contra phalangia prodest. Huius quoque ligni
vase spleneticos bibentes sanari inuenio. Et acri-
nos terunt, móxque comburunt, & ita illinunt
ambusta, priùs perfusa aqua calida. Sunt qui &
incidant succi gratia, eóque vtantur ad dentes
erosos, frangíque tradunt, proximis cera muni-
tis, ne lædantur. Gummi etiam in hedera quæ-
runt, quod ex aceto vtilissimum dentibus pro-
mittunt. Hæc Plinius. Galenus easdem vires di-
Li.7.simpl. stinctiùs docet. Hedera, inquit, ex contrariis com-
posita est facultatibus. Habet enim quiddā ad-
stringentis substātiæ, quæ terrena & frigida est,
habetq;

habétq; etiam nonnihil acris, quæ calida. Nec deest tertia, aqueam námque substantiam quandam tepidam habet, si viridis sit. Cùm enim arescit, hæc prima exhalet necesse est, manétque quæ est terrena, frigida & adstringens, & ea quæ calida est, & acris. Viridis foliis in vino decoctis, vlcera grandia glutinat, quæq; maligna sunt, ad sanitatem reducit. Igne etiam factas exulcerationes, cicatrice includit. Cum aceto decocta folia lienosis prosunt. Flores autem quodammodo validiores sunt, vt ad læuorem redacti cum cerato ambustis conueniãt. Præterea succus medicamentum est, quod naribus infusum, capiti purgando idoneum est. Vetustas aurium fluxiones sanat. Adhæc vlcera vetera, tum in auribus, tum in naribus. Porrò si acrior appareat, aut rosaceo, aut dulci oleo miscetur. Lachryma eius pediculos interimit, pilis nudat, vsque adeò calidæ potestatis, vt obscurè adurat. Plantam aliam Hederaceam ex Lobellio pictam damus, Hederaceam Thlaspi vocat. In Portlandiæ peninsula, Cornubiæ vicino portu Plimmoavve, aliísque maritimis cautibus repit herbula, dodrãtalibus & spithameis gracilibúsque cauliculis, striatis, puniceis, foliis sinuosis Hederaceis, carnosis. Flosculi cãdidi & semen exile in folliculis gustu & habitu Thlaspi exprimunt. Hæc Lobellius.

SMILAX. CAP. IX

SMILACIS vox valde est ambigua, vt quæ quasdam cognatas vel similes plantas, significet, quasdam admodum discrepantes, & viribus planè cõtrariis pollentes, veluti taxũ venenatã, (σμῖλαξ enim Dioscoridi dicitur) & Smilacem asperam quæ venenis aduersatur, præterea Smilacem læuem, facultatis non admodum exploratæ, quandoquidem vtilitatem nullam, sed tantum incommodum turbulenti somnij parere Dioscorides scribit. De duabus hîc agimus, quarum prior σμῖλαξ τραχεῖα Græcis dicitur, μῖλαξ Galeno, Latinis Smilax aspera, & Hedera Cilissa, aliquibus volubilis aculeata, vel pungens, Italis *Hedera spinosa*, & *Rouo ceruino*, Gallis *Liset piquant*, Germanicè, inquit Fuchsius, *Stechendbuindt* ab aculeis quos habet apte nominari potest: σμῖλαξ vero λεία, siue μῖλαξ λεία Græcis altera vocatur, Latinis Smilax læuis vel leuis, Plinio Conuoluulus, Officinis & Herbariis Volubilis maior, nonnullis Campanella, & funis arborum, Italis *Vilucchio maggiore*, Gallis *Grand Liset*, vel *Liseron*, Germanis *Vvindenkraut*. Læuis porrò non alia ratione appellatur quàm quod aculeis careat. *Nomina* *Vide Phytogr. pag. 503.*

Smilax aspera vt describit Dioscorides, folia habet periclymeno similia, ramulos multos, tenues, paliuri, aut rubi modo aculeatos. Circumuoluitur arboribus sursum deorsum se circumagens: fructum fert racemosum, paruum, cũ maturuit rubentem, gustu leuiter mordentem: radicem duram, crassam. Smilax læuis hederæ folia similia habet molliora tamen, læuiora, & tenuiora: ramulos supradictæ similes, aculeis carentes. Conuoluitur & hæc arboribus vt prior. Fructum fert lupino similem, nigrum, paruum: flores circumquaque albi, copiosi, orbiculati per totam Smilacem exeunt. Æstate tabernacula ex ipsa fiunt: Autumno folia decidunt. *Li. 4. c. 139.* *Forma.*

Smilax aspera, vt Dioscorides ait, nascitur in palustribus & asperis, vt Plinius, in conuallibus opacis, at Smilax læuis amat culta, & in iis potissimum gignitur. Nascitur nobis passim per fruteta, & sepibus se aduoluit. De vtráque Smilace Plinius hæc prodidit. Similis est hederæ, è Cilicia quidem primum profecta, sed in Græcia frequentior quam vocant Smilacem, densis geniculata caulibus, spinosis, fruticosa, ramis & folio hederaceo, paruo, non anguloso, à pediculo emittente pampinos: flore candido, olente lilium. Fert racemos labruscæ modo, non hederæ, colore rubro, cõplexa acinis maioribus nucleos ternos, minoribus singulos, nigros, durosq;: infausta omnibus sacris, & coronis, quoniã sit ligubris, virgine eius nominis propter amorem iuuenis Croci mutata in hunc fruticem. Et mox. E Smilace fiunt *Locus.* *Lib. 16. c. 35.*

codicilli, propriúmque materiæ est, vt admota auribus leuem somnũ reddat. Quæ Lib 3. hist. cap. 18. Plinius ex Theophrasto sumpsit, sic scribente: ἡ δὲ σμίλαξ ἐστὶ μὲν ἐπαυλόκαρπον. ὁ δὲ καρπὸς ἀκανθώδης, καὶ ὥσπερ ὀρθόκανθον (mendosa hæc, sic enim legenda. ἐπαλλόκαυλος, ὁ δὲ καυλὸς ἀκανθώδης, καὶ ὥσπερ ὀρθάκανθος.) τὸ δὲ φύλλον κιττῶδες, μακρὸν, ἐγγώνιον, κατὰ τὴν μίσχου πρόσφυσιν, καὶ πλατύτερον. ἴδιον δὲ ὅτι τήν τε διὰ μέσου τεινομένην ὥσπερ ῥάχιν λεπτὴν ἔχει, καὶ τὰς στημνίους διαλήψεις (Rectius καὶ τὰς στιμνίων διαλήψεις) οὐκ ἀπὸ ταύτης, ὥσπερ τὰ τῶν ἄλλων, ἀλλὰ περὶ αὐτὴν περιφερεῖς, ἠγμένας ἀπὸ τῆς προσφύσεως τοῦ μίσχου τῶν φύλλων. παρὰ δὲ τὸν καυλὸν τὸν ἄτονον, καὶ παρὰ τὰς διαλήψεις τὰς φυλλικὰς, ἐκ τῶν αὐτῶν μισχῶν τοῖς φύλλοις παραπέφυκεν καυλὸς λεπτὸς, καὶ ἑλικτὸς, ἄνθος δὲ λευκόν, εὐῶδες ἠρινὸν (Repone ex Plinio λειρινόν) τὸν δὲ καρπὸν ἔχει προσεμφερῆ τῷ στρύχνῳ, καὶ τῷ μηλώθρῳ, καὶ μάλιστα τῇ καλουμένῃ σταφυλῇ ἀγρίᾳ, καταχρέμασοι δὲ οἱ βότρυες κιττοῦ τρόπον, παρεγγίζει δὲ μᾶλλον πρὸς τὴν σταφυλὴν, ἀπὸ γὰρ ἑνὸς σημείου οἱ μίσχοι οἱ ῥαγικοί. ὁ δὲ καρπὸς ἐρυθρὸς, ἔχων πυρῆνας, τοὺς μὲν ἐπίπαν δύο, ἐν τοῖς μείζοσι δὲ τρεῖς, ἐν δὲ τοῖς μικροῖς ἕνα. σκληρὸς δὲ ὁ πυρὴν εὖ μάλα, καὶ τῷ χρώματι μέλας ἔξωθεν. ἴδιον δὲ τῶν βοτρύων, ὅτι ἐκ πλαγίων τὸν καυλὸν περιθριγγίζουσι, καὶ κατ᾽ ἄκρον ὁ μέγιστος βότρυς τοῦ καυλοῦ, ὥσπερ ἐπὶ τῆς ῥάμνου, καὶ τῆς βάτου. τούτῳ δὲ δῆλον ὡς καὶ ἀκρόκαρπον καὶ πλαγιαπαλαιόκαρπον. mendosè pro πλαγιόκαρπον, vel, πλαγιοπλεόκαρπον. Id est, Smilax caulibus suis sese aliis implicat, & obuoluit. Caulis eius spinosus, veluti rectos aculeos gerit. Folium hederaceum, oblongum, angulosum, quà pediculo annectitur, & latius. Propriũ huic quod mediũ ipsum neruus, spinæ tenuis modo secat, & staminum diuisiones non ab ipsa spina, vt in aliis foliis, sed circa ipsam in orbem circumactas ducit ab ipso pediculi annexu. Ad caulem verò imbecillum, quà folia velut interstitio quodam ab ipso seiunguntur, ex eodẽ sinu enascitur cum foliis cauliculus gracilis & conuolutus: flos est albus, odoratus, lilium olens (Sic Plinius. Ex quo perspicuum est λειρινὸν legisse, Gazam verò ἠρινὸν, sicuti habent vulgata exemplaria: vertit enim, Verno proueniens tempore.) Fructus similis solano, aut melothro, & maximè viti siluestri, racemis vt hederæ pendentibus, propiùs tamen ad vuæ figuram accedentibus: quoniam ab eodem puncto pediculi acinorum exeunt. Fructus ruber sæpius quidem nucleos binos complexus, maior ternos, minimus singulos. Foris nigri sunt nuclei, & valde duri. Peculiare habent racemi, quod ex obliquo caulem sepiunt, & vnus omniũ maximus est in summo caule, velut in rhamno, atque rubo. Vnde liquet Smilacem & in summo, & in latere fructiferã esse. Hactenus Theophrastus. Smilacem asperam esse plantam hîc depictam censent Herbarij, quæ, inquit Pena, non nisi montosis collibusq; feruidiorum tractuum, Romaniæ, Hispaniæ, Lingagothiæ, prouenit. Vbi plurima horridis, aduncis, crebrísque spinis rubi ritu amplexatur proxima quæq;, assurgitq; vltra supraq; parietes, & sepes vicinas. Folia hederacea, longiora, bryoniæ nigræ ambitu, & superficie, non incisa, sed læuia, & in medio secundum strias neruulorum spinulas habentia, ex atro virentia. Fert acinos rubros racematim copiosos, ribes vulgaris magnitudine & modo: nec flores dissimiles ribes vtriusuis, racemosos, sed albos. Radices tametsi longiùs excurrant subter humum, ternis, aut quaternis vlnis longiores, non tantum tamen

SMILAX Aspera, Matth.



cum

cum Zarsa parilla similitudinis habent, quantum hactenus persuasum fuit doctis quibusdam, qui scripserunt Zarzam parillam, nihil aliud esse quàm Smilacis asperæ radices. Qua de re suo loco dicemus. Ab hac Smilace aspera, foliis, viticulis, spinosis, floribus, vuis, radice, viribus, deniq; natalibus differt Smilax læuis, ab Herbariis vulgò dicta Volubilis maior, Italis *Vilucchio maggiore*, Gallis *Liseron*, Germanis *vuidenkraut*.

SMILAX *Læuis*, *Matth.*



Consentiunt notæ omnes dempta collatione seminis huius, nigri & angulosi, cũ lupino cõpresso & rotundo. Quare suspicatur Pena pro θέρμυ legendum esse in Dioscoride nomẽ ἔρϐυ ex Latino Græcum factum. Suspitionem augẽt verba proximè sequentia, quæ neutiquam scitè cohærent, Semen veluti lupini, paruum, & nigrum. At semẽ lupini, nec paruũ est, nec nigrũ. Non est igitur quod quis conuoluulum reiiciat, inquit Pena. Est enim nõ modo sarmentis viticeis, mollioribus, longissimis, & aptissimis ad fornicatas opacationes, sed etiam foliis læuibus, hederaceis, flore albo, orbiculato, radice longa, sparsa, flexuosa. His accedit antiqui & manuscripti Herbarij testimonium, qui Smilacem læuem, Volubilem maiorẽ interpretatur. Quidam aptiùs pro re ipsa, nescio an veriùs, at meliùs, legũt apud Dioscoridem, καρπὸν δ' ἔχει ἐπὶ θυλάκυ, μέλανα, μικρὸν: alij verò, ἐπὶ τῦ ἔρκυς, id est, fructum nigrum & paruum habet, folliculi septo inclusum. Eius etiam pictura, Volubilem, quam maiorem appellauimus, penitus exprimit. Smilacis asperæ folia, auctore Dioscoride, si ante & pòst bibantur, cõtra lethalia venena efficacia sunt. Tradunt si tritum ex his aliquid nuper in lucem edito infanti bibendum detur, nullum illi postea venenum nociturũ. Conciditur etiam in Alexipharmaca. Smilacis læuis semen, eodem auctore, cum Dorycnio, & vtrúmq; trium obolorum pondere potum, somnia multa & turbulenta facere traditur. De vtriúsq; viribus hæc Plinius scripsit. Smilax quoque, quæ & Nicophoros cognominatur, similitudinem hederæ habet, tenuioribus foliis. Coronam ex eo factam impari foliorũ numero, aiunt capitis doloribus mederi. Quidam duo genera Smilacis dixere. Alterum immortalitati proximum, in conuallibus opacis, scandentis in arbores, comantibus acinorum corymbis, contra venenata omnia efficacissimis, in tantum, vt acinorũ succo infantibus instillato, nulla postea venena nocitura sint. Alterum genus culta amat, & in iis gignitur, nullius effectus. Illa est Smilax prior, cuius lignum ad aures sonare diximus. Galeno Milacis folia leniter acria gustu sunt, alioqui vrentibus calida: cui similes quodammodo vires Milax lęuis obtinet. Empirici hodie succo Volubilis maioris ad calidos vtuntur affectus, capitis potissimùm, & oculorum.

Li.4.ca.139.

Vires.

Li.24.c.

HELXINE CISSAMPELOS, CAP. X.

ἙΛξίνη κισσάμπελος Græcis, Helxine Cissampelos Latinis nominatur, Arabibus *Acsin*, vulgus Herbariorum & Officinæ Volubilem mediã, & vitealem appellant, Gallicè *Liseron de vigne*. Est autem dicta ἑλξίνη ἀπὸ τῦ ἕλκειν, quod significat trahere & arripere. Cissampelos autem, quòd tum folio sit hederæ, tum viticea propagine vicinis sese obuoluat, vnde

Nomina

Vide Phyt. pag. 197.

HELXINE Cissampelos, Matthioli.

L.4 ca.35.

Forma.

Locus.



Cap.274. histor.

HELXINE Cissampelos, Dodonæi.



Lib.3.ca.53. & Purg 3. cap.6.

Conuoluuli nomen, & q; in vineis potissimùm nascatur, vnde & Vitealis. Hæc, inquit Dioscorides, folia habet hederę similia, minora tamen, ramulos exiguos, circumplectentes quodcunq; contigerint. Nascitur in sepibus, vineis, & frumento. Hæc, inquit Matth. satis declarãt Helxinem Cissampelon eam esse quæ in aruis tũ segetes ipsas, tũ linũ, tum legumina irretit, ac vincit, & in vinetis, palis, ac vitibus circumuoluitur, quam Hetrusci *Vilucchio minore* appellant, Tridentina rura *Minutola*, Recentiores Volubilem minorem, & Conuoluulum minus, Galli *Petit Liseron*, Germani *Kleyn vuindekraut.* At Dodonæus & Lobellius Smilacis læuis speciem esse statuunt, & ad eam referunt. Ille Smilacem læuem minorem, hîc cum Pena Smilaci læui maiori subiungens, Conuoluulum minorem purpureum vocant. Maiorem Smilacem satis refert, sed humilior, tenerior, ac omnino minor est: tenues illi quoque & viticulosi cauliculi, quorum nonnulli humi repunt, alij herbas frugésque scandunt, & crebris eas voluminibus vinciunt: folia oblongiora, hederaceis minora, mollia, ac læuia: flos similiter calathi figura, nonnihil odoratus, magna ex parte candidus, relucente tamen in eo diluto rubentis purpuræ colore, & radiantis stellæ effigie: semen exiguum, radices tenues, candidæ, velut prioris sparguntur. Helxinem vero Cissampelon Dodonæus, tum in Stirpium, tum in Purgantium Historia eam esse censet, quæ ad Smilacis læuis genus quoq; pertinet, & Conuoluulum nigrum, & Volubilis nigra dicitur, à Democrito in Geoponicis μοιλᾳκόκιοσος, Latinè Mollis hedera, Officinis Volubilis media, Germanis *Schuuartz vuindt*, & *Mittel vuindt.* Huic prætenues multæ cirrorum instar subrubentes viticulæ, quibus fruti-cibus, & omnibus quæ contingit vicinis sese crebris circumuolutionibus implicat, ab imis ad summa proserpens: folia lata sunt, longa, acuminata, hederæ foliis molliora, tenuioráq;: flores exigui racematim cohærent, candiduli, semen triangulare, nigrum, tenuibus & subrubentibus membranis, veluti glumis integitur: radix exigua breuísq; est. Iuxta sepes & sæpius in vinetis reperitur. Vindemiæ tempore semen perficitur. Pena & Lobellius Helxinem Cissampelon alteram Atriplicis effigie nominant. Foliorum succus,

Vires. inquit Dioscorides, potu deiicit aluum. Et Galenus, Helxine, quæ Cissampelos

Li.6.simpl. nuncupatur, digerendi facultatem habet.


VOLVVLVS TERRESTRIS, CAP. XI.

VOLVVLVM terrestrem plantam istam nominarunt Herbarij, quòd florem Voluulo siue conuoluulo, siue volubili similem proferat, terrestrem, quòd caules perpetuò per humum spargat, nec conuoluulorum more in proxima adminicula scandat. *Nomina* Radice est crassiuscula, nigricante, modicè fibrata, caulibus multis, sesquipedalibus, humi iacentibus, villosis, *Forma.* cùm franguntur nullum lac emittentibus, quorundam Voluulorum modo, gustu subausteris: foliis longis, angustis, rugosis, non ita densis: flore Conuoluuli minoris, superiori capite descripti, è puniceo candicante, suauiter olēte, ex decem veluti foliolis constante, sed quæ à sese minimè disiuncta sunt, verùm lineolis tantùm discreta, alioqui cohærentia. Prouenit in aridis, macris, sabulosis, apricis. *Locus.* Alius est Voluulus siue Conuoluulus hederaceus, siue cæruleus, omnium huius classis rarissimus & pulcherrimus, inquit Pena, nec nisi hortis Italiæ, Galliæ, Belgij notus, vti amœna purpura porrectis attextísque secus parietes, & perticas, longis viticulis, gracilibus, vmbracula concinnat, aspectu periucundus: visendus quoq; floribus è pediculorum calice exeūtibus, Vincæperuincæ colore similibus, in ambitu quinis prominentibus angulis, Nolæ cæruleæ effigie: vnde Campana Lazura Italis dicitur. Folia ternis angulis singula, in teneriusculis pediculis Cyclaminū, hederámve annosam imitantia, nōnihil hirsuta: longa & gracilis radix. Nulla sui parte in vsum à Medicis assumitur. Serapio cap. 273. Granum Nil vocat, etiam ab Auicenna memoratum, & ita describit: Conuoluulo similem esse: flagellis duobus, aut tribus, applicare sese arboribus: virētibus ramis & foliis: purpureo flore, oblongo, calatho simili, ad exortū foliorum prodeunte: seminibus, flore delapso in suo capitulo tribus, nigris, lęuibus, minoribus quàm Staphysagriæ: quæ huic plantæ conueniunt omnia. Dodonæus esse putat Ligustrum nigrum Columellæ. Alij, quod non est contemnendum, censent Virgilij, Columellæq; vnum ac idem Ligustrum esse, album Virgilio dictum à colore floris, nigrum Columellæ à colore fructus. Quidam Pothon cæruleum Theophrasti esse credunt, ornamento & vmbraculis sepulchrorum laudatū antiquitus. Alij Pothon illum esse malunt Cōuoluulum purpureum duplicē Cortusij, illustris viri, laudandíque multis nominibus, caulibus prælongis sese vicinis perticis aduoluentem, in altero genere spinosis, in altero læuibus: folio lato, læui, minimè anguloso, in ea specie quæ caret spinis, prona parte candicante: flore eleganti purpura nitente: semine læui, nigro, splendido. Clusius Conuoluulum *Lib. 2. stir. Hispa. c. 50.*

VOLVVLVS Terrestris, Dalechampij.



VOLVVLVS Cæruleus, siue Cāpana Azura, Lobel.



CONVOLVVLVS *Folio Althææ, Clusij.*



alium peregrinum pinxit, qui vepribus atque fruticibus adnascitur, illísque aduoluitur, alioqui humi iacens, nec sese attollens, quòd viticulis seu clauiculis sit infirmiorib9, gracilibus, pedalib9 aut cubitalibus, subhirsutis. Folia illi hederæ, siue althææ minora, incana, per ambitum crispa, nonnunquam serrata, & nonnihil laciniata, gustatu gũmosa, subacria, & subamara. Flores ex alarum sinu promit, longis pediculis hærentes, conuoluuli floribus similes, qui ita complicantur, vt pluribus foliis constare videantur, ex purpureo candicantes, interdum omnino purpurascentes. Radix tenuis, exilis, fusca, per summos cespites repit, & alias plantas producit. In collibus iuxta Tagum læto solo, in Baetica, plurimísque aliis Hispaniæ locis frequẽtem esse
Lib.& c.22 ait, floreréque Martio & Aprili. Ad quam stirpem à veteribus descriptam referri possit, ignorat, nisi fortè Iasionem, cuius meminit Plinius, esse quis existimet. Valentini Conuoluulum folio althææ, Hispani vulgari nomine *Campanilla*, id est, Campanulam, Lusitani *Verdezilla* vocant, & ad vulnera curanda efficacissimam esse aiunt. Cõuoluulum peregrinum Clusij vocat Lobellius, & Conuoluulũ Scammonij facie, Helximnẽ Cissampelõ Dioscoridis. Aliam huic congenerem idem Clusius pinxit, quæ ad Voluulum terrestrem Dalechampij videtur accedere.

CONVOLVVLVS *Minimus, Clusij.*



Constat multis tenuibus iunceísque ramulis, ex eadem radice prodeuntibus, humi procumbentibus, pedali aut cubitali longitudine, duris, flexilibus tamen, & lanuginosis, qui in summo aliquot flores proferunt purpurascentes, inodoros, superiori similes, minores tamen, vnico folio constantes, sed ita implicato, vt quinque constare videatur, foris margine in totidem angulos prominente: folia per ramulos nullo ordine sparsa, oblonga, angusta, tenui lanugine obducta, salicis foliis haud absimilia, gustu gummosa, & aliquantulum amara: radix candicans, singularis, perennis, infima parte ramosa. Nascitur iisdem quibus superior locis, atque etiam in Gallia Narbonensi. Sunt qui Camtabricam Plinij esse putent. Conuoluulum minimum spicæfolium vocant Pena & Lobellius, cuius effigies minus scitè expressa est apud Penam, Scammonium tenue Plinij quorundam.

PERICLYMENVM, CAP. XII.

ΠΕΡΙΚΛΥΜΕΝΟΝ Græcis, Periclymenum Latinis, Scribonio Syluæ mater, Græcis hodiernis πεεκπλοκάδλα, vulgò, Officinis & Herbariis Caprifolium, Matrissylua, Volucrum maius, & Lilium inter spinas, Italis *Vincibosco*, Germanis *Geyszblalt, & Speck gilgen*, Gallis *Cheurefeuil*. Periclymenum autem dictum, quòd circumuoluendo ad se vicinas arbores aut frutices vocet, & ab Italis *Vincibosco*, quòd vicinas plantas vinciat. Periclymenum, vt describit Dioscorides, simplex frutex est, ex interuallis folia spargens ipsum amplectentia, subcandida, hederæ similia: iuxta folia erumpunt germina, in quibus est semen hederæ simile, flos albus, fabæ similis, subrotundus, quasi in folium procumbens: semen durum ægre euellitur: radix crassa, rotunda. Oribasius, qui stirpium delineationes ex Dioscoride transscripsit, sic depingit. Periclymenum frutex paruus est, simplex, caule quadrato, per interualla foliolis circundato, albicantibus, hederæ figura. Inter folia surculi exeunt, in quibus fructus est hederę similis, qui quasi in folium procumbit, durus, & qui difficulter auellitur: radix longa. Oritur in aruis & sepibus, sese fruticibus adstantibus inuoluens. Eodem ferè modo Plinius. Periclymenos fruticat & ipsa, ex interuallo duo folia habens, subcandida, mollia: in cacumine autem semen inter folia durum, & quod difficulter euellitur. Nascitur in aruis ac sepibus, conuoluens sese adminiculis quibuscunq;. Hanc Periclymenon Officinarum esse Caprifolium, & Herbariorum Matrissyluam censent periti: quibus minimè placet eorum opinio, qui hanc in dubium reuocant, negantq; esse Periclymenũ, quia radicem non habeat παχεῖαν, περιφερῆ, vt ait Dioscorides, id est, crassam, rotundam. At στρογγύλον is non dixit, nempe orbiculatam, siue tuberosam, sed περιφερῆ, id est, rotundam, non angulosam. Alij locum corruptum esse censent, atque ex Crateua & Oribasio restituunt, παχεῖαν καὶ μακρὰν, id est, crassam & longam, vt iam omnis dubitandi & rixandi occasio sublata sit. Sed in hoc frutice duplex obseruatur varietas foliorum, vt annotauit Pena. Nam folium Italicę & Narbonensis vulgatioris surculis vnũ cùm sit, ac continuum, gemini tamen speciem præbet, quasi vmbilico medio traiectum, vt in Centaurio luteo, Perfoliata, & Tithymalo serrato: ideóque Periclymenum perfoliatum dictum, quasi pertusum aut perforatum. Extremo verò cacumine viticularum folium acetabuli forma vel vmbilici circinatum, florum delitias continet, ex purpura niueo candore nitentes, & alicubi luteo aspersas, sensim in longitudinẽ porrectas, quasi promuscides elephantorum, aut lagenulas, floribus fabaceis figura multùm similes: semine rotundo, coccineo, bryoniæ, succulẽto. Istud Dalechampius Periclymenum grandius vocat. In septentrionalibus verò regionibus, vt in Germania, Gallia, Anglia, Belgio, frequentius vsitatiúsque est Periclymenum non perfoliatum. Longis, tenuibus, lignosis, & in ramulos diuisis sursum repit cauliculis, circa quæ ex interuallis folia bina ex aduerso sita, oblonga, mollia, dilutè virentia, infernè magis canescentia, non continua, nec à cauliculis pertusa: flores

Nomina


Lib. 4. c. 13.

Forma.

Lib. 27. c. 12.

Pena In Aduers.

PERICLYMENVM *perfoliatum.*



PERICLYMENVM, non perfoliatum, Lobellij.



ſa: flores in ſummis ramulis multi pariter emicant, oblongi, candidi, ſuaue olētes, interius caui, vna parte prominētiores, ſtaminibus aliquot è medio exeūtibus fructus acinis ſimilis in exiguarum vuarum modum compactus per maturitatem rubet, in quo ſemen duriuſculum: radix lignoſa cum multis adnatis. Periclymenum

Tempus. Iunio & Iulio menſibus floret: ſemen Auguſto & Septembri maturum eſt. Id poſtquam maturuit collectum & in vmbra ſiccatū datur

Vires & Temper. Dioſcoride auctore, drachmę pondere in vino quadraginta diebus, vt lienem minuat abſumatq;

Lib.4.c.13. & laſſitudinem diſcutiat. Orthopnœæ & ſingultui prodeſt. Vrinam cit à ſexto die cruētam. Partum accelerat. Habent eaſdem vires & folia, quę triginta ſeptem diebus pota ſterilitatem facere putantur. In periodicis febribus cum oleo inuncta, earum horrores mitigant. Quod interpretes verterunt, ſterilitatem facere putantur, Gręcè legitur ἀγόνους ῥίτορεῖται ποιεῖν, quod eſt interprete And. Lacuna, Impotentes facere viros ipſos produntur. Sterilitas enim, inquit, defectus eſt fœminarum, quas ἀλόκους perpetuo vocat Dioſcorides, dum ipſis notam ſterilitatis inurit: quemadmodum ἀλόκια medicamenta omnia illa, quæ vim concipiendi adimunt. E diuerſo autem ſolet vocare ἀγόνους eos viros, qui prolifico ſunt ſemine deſtituti, aut illud adeò frigidum, languidum, inefficax quæ habent, vt ex eo neutiquam gigni animal poſſit. Hanc

Lib.25.c.7. verò Periclymeni facultatem Plinius ad Clymenum retulit. Cum enim Clymenum deſcripſiſſet, ſubiungit. Quibus morbis pota medeatur, dicemus. Sed hîc indi-

Lib.9.c.19. candum eſt dum medetur, ſterilitatem potu etiam viris fieri. Qua in re Theophra-

9. ſtum Plinius ſcutus eſt ſcribentem. Ἀδυνατεῖν δὲ φάσι γεννᾶν, καὶ ἐάν τις τοῦ κλυμένου τὸν καρπὸν πίνῃ συνεχῶς τριάκοντα ἡμέρας ἐν οἴνῳ λευκῷ, συλλέξας ὅσον χοίνικα τὸ ἴσον ἀν' ἑκάστην ἡμέραν. ἐάν γὰρ ἐκτελέσῃ τὴν πόσιν, ἀγονεῖν τὸ ὅλον. Id eſt, Gignere nequaquam poſſe aiunt eum qui Clymeni fructum biberit continuo triginta diebus in vino albo, collectum ſextarij menſura, æqualibus quotidie portionibus, hac enim potione

Lib.27.c.12 abſoluta penitus ſterilem fieri homihem aiunt. Alias Periclymeni vires tradit Plinius parum à Dioſcoride diſſidens. Semen eius in vmbra ſiccatum tunditur, & in paſtillos digeritur. Hi reſoluti dantur in vini albi cyathis tribus, tricenis diebus ad lienem, eumq; vrina cruenta, aut per aluum abſumit. Quod intelligitur à decimo ſtatim die. Vrinā cient & folia decocta, quæ & orthopnoicis proſunt. Partum quoque adiuuant, ſecundáſque pellunt pota ſimili modo. Galenus Periclymeni tum

Lib.8. ſim. fructus, tum folia, inquit, adeò vehementer incidentis & excalfacientis ſunt facultatis, vt ſi pluſculum bibantur, vrinam ſanguinolentam efficiant, principio quidem vrinam duntaxat mouentia. Porro foris cum oleo illita excalfaciunt. Iuuant lienoſos & difficulter ſpirantes. Competens potionis menſura eſt drachmæ vnius cum vino. Porro deſiccat quoque ſemen: & quidam aiunt ſi copioſuis bibatur, ſterilitatem bibentibus adferre. Sed & ſunt qui certum dierum numerum ad talem potionem præfiniunt, vt Dioſcorides, qui ſeptem & triginta dies eos tradit referens. Hîc etiam vrinam cruentam reddi à ſexto die memorat. Matriſilua, inquit Fuch-

Cap. 249. histo. ſius, cum guſtu acrimoniam prę ſe ferat, omnia quæ veteres Periclymeno tribuunt præſtat.

præstat. Quibus accedit quod recentiores Herbarij suo Caprifolio easdem vires assignent. Exsiccare enim ipsum tradunt vlcera humida & sordida: sanare impetigines,& alias cutis fœditates, lienem absumere, difficultati spirandi conferre, partus celeritatem facere, calculos pellere, faciei maculas abstergere.

CVCVBALVS PLINII, *siue Ocimoides repens.* CAP. XIII.

PLANTAM istam Cucubalum esse Plinij siue Cacubulū quasi maleficum, quidam esse arbitrantur, quam alio nomine, inquit, Strumum appellant, alij Græcè Strychnum ob foliorum cum Solano similitudinem. Est Cyclaminus altera Lucæ Ghini, Clusij Alsine repens, aliis Ocimoides repens. Nascitur in sepibus radice cādida, crassa, ramosa: flagellis multis in vicina adminicula scandentibus: foliis Ocimi vel Solani, in ambitu minimè diuisis, candicantibus, per interualla semper geminis: flore candido, quinque foliolis constante, per medium fissis: baccis rotundis, nigris, fructui Solani similibus, quas foliola quinque herbacea sustinent & amplectuntur, fœtidi & ingratissimi saporis. Sunt qui hanc Clymenum herbam esse putent à Plinio descriptam foliis hederæ, ramosam, caule inani, articulis præcinctam, odore graui, & semine hederæ, siluestribus & montosis nascentem. Alij Cucubalum Plinij Solanum hortense

Lib.27.c.8.
Locus.
Forma.
Lib.25.c.7.

CVCVBALVS, Plinij.



OCIMOIDES Repens, Polygoni folio.



Græcorum esse credunt, nimirum cuius acini nigricant, quòd in quibusdam Dioscoridis exemplaribus legerunt, Solanum hortense à Romanis Strumum & Cucubalum vocari. Sed hæc & permulta alia huiusmodi notha esse, & Dioscoridi falsò adscripta, à viris doctis dudum obseruatum fuit. Præterea cùm Plinius aliis locis de Solano tractarit, credibile non est eum in vulgatissimæ herbæ cognitione lapsum fuisse. Cucubali folia trita cum aceto scribit Plinius serpentum ictibus & scorpionum mederi. Quidam hanc alio nomine Strumum appellant, alij Græcè Strychnum. Acinos habet nigros. Ex his cyathus succi cum mulsi duobus medetur lumbis:

Vires.
Lib.27.c.8.

bis: item capitis doloribus cum rosaceo infusus. Ipsa strumis illita. Aliud Ocimoides repens polygoni folio pictum dedit Lobellius, quod, vt describit Pena, è cauliculis gracilibus, geniculatis reptātibus, teneris, flexuosis, Alsines maioris folia profert bina iuxta genicula, oleæ siluestris, myrti, aut polygoni similia, sed paulo latiora: flores in caliculis oblongis, saponariæ concoloribus, multò minoribus: radicem exilem. In Taurinensium ad Padum collibus vmbrosis & siluosis & iuxta sepes frequens oritur, atque etiam in Veganij herbidis & vmbrosis marginibus, secus riuulos è saxorum commissuris.

IESEMINVM, CAP. XIIII.

Nomina Cap.176. ARABES vernacula lingua *Zambach & Sambach* appellant auctore Serapione, & Græcos imitari volentes Iesemin, à Iasme Græco nomine, quod violaceum significat. Qui cum Gelsemini siue Iasmini (sic enim plantam istam nominamus, Itali *Gelsimino*, Galli *Iosemin & Iasmin*, Recentiores quidam Apiariam, quod apes eius floribus plurimum delectentur) flores odoratos, albicantes albæ violæ modo conspicerent, ipsi violæ nomen indidere, quod est Iesemin Huius tria genera Serapio esse tradit. *Genera.* Vnum cui flos albus, alterum cui luteus, tertium cui cæruleus. Quartum adiecit Dalechampius flore puniceo. *Forma.* Ioseminum planta est pergularum ornamentis aptissima, & quæ industria & pedamentis ad fornices concinnè erigitur, à radice prolixissima fundens virgulta octo vel decem cubitorum longitudine, flexilia, viridia, ex quibus folia prodeunt, fere semper septena, ex atro virentia, mollia, oblonga, in mucronem sensim desinentia, superne acutiora quam lentisci, toto ambitu minimè crenata. Flores in virgultorum summitate racematim prodeunt, oblongi, suauiter olentes, albi, ex quibus rarissime semen oritur, in quibusdam tamen locis edere lupino si-

Apiaria.

IASMINVM Album, Matthioli.



POTHOS Cæruleus, Matthioli.



mile

mile scribit Matthiolus, quod à Cortuso ad se missum fuisse ait. Calidos & amœnos tractus amat, passimq́; habetur in hortis & viridariis. Flores Iulio & Augusto profert. De Iasmino luteo tractauimus in libro de iis quæ in asperis nascuntur. Tertium genus quibusdam Pothos Theophrasti purpureo flore, Clematis peregrina cærulea & purpurea Penæ & Lobellij, Clematis altera Matthiolo & Dodonæo & in Stirpium, & in Purgantium, Historia. Prolixis admodum, tenuibus, geniculatis & subrubentibus sarmentis, per arbores, frutices, perticas, pergulas, pedamenta scandendo in altum prorepit. Folia multa, prioris flammulæ modo diuisa, sed tamen maiora latioraq́;. Flores elegantes è tenuibus & longis dependent pediculis, expansis quaternis ex aduerso sitis foliolis constantes, sæpe cærulei, quandóque purpurei, staminibus aliquot mediis: semina plana, rotunda, lata, acuminata in globulum congeruntur. Radices prolixæ, tenues, in omnem partem sparguntur. In hortis colitur, nec vspiam alibi se vidisse Pena refert. Quare Dodonæo imposuerunt, qui in Anglia iuxta sepes & agrorum margines sponte prouenire persuaserunt. Plantam istam quidam inter Iosmini genera numerant. Sed cùm nec foliorum figura, nec positus, nec floris species Iasmino quadret, hanc ab illo diuersam esse multi credunt. Quartum Iosmini genus numerari potest, quod Galli *Iosmin rouge, & Iosmin large* appellant propter floris & colorem & amplitudinem. E Chio insula planta Genuam primùm aduecta, inde Lugdunum, fruticat recto proceróque caudice, sambuco non dissimili, fungoso, læui, non admodum crasso, eius cortice imâ parte rugoso, ramorum viridi & tenui. Flagellis multis luxuriat in cameras & pergulas hortorum scandentibus. Folia in ramulis alarum modo expansis septena aut nouena, ordine ex aduerso sita, extremo quod impar est longo, acuto, molli tamen cuspide, nec pungente, cæteris breuioribus & rotundioribus quàm in Iasmino albo, crassis, nigricantibus, minimè incisis: flore priusquàm dehiscat purpureo, cùm reclusus est, intus candicante, foris verò purpurascentibus foliolis duobus, qui priusquàm hiaret, florem candidum contegebant, quàm in albo latiore, ampliore, venosiore. Qui Byzantium profecti sunt, affirmant plãtam hanc in eo tractu, & multis Peloponnesi locis, à Græcis & Turcis coli studiosissimè, & vbiuis in hortis spectari. Sunt docti Herbarij, qui Pothon albũ, à Theophrasto memoratã inter coronarios æstiuos flores, Iasminum esse putant: cœruleum verò, plantam à nobis demonstratam, & explicatam suprà ad finem capitis vndecimi. ἔτι δὲ ὁ πόθος καλούμενος. οὗτος δὲ ἐστὶ διττός. ὁ μὲν ἔχων τὸ ἄνθος ὅμοιον τῷ ὑακίνθῳ. ὁ δ' ἕτερος ἄχρους, λευκός, ᾧ χρῶνται περὶ τοὺς τάφους, καὶ χρονιώτερος οὗτος. Quæ Plinius sic interpretatus est. Sed maximè spectabilis Pothos. (Desiderium vertit Gaza) Duo genera huius. Vnum cui flos hyacinthi est: alterum candidius, qui ferè nascitur in tumulis. (Rectiùs dixisset, quo circa sepulcra vtebantur, nimirùm prope ea serentes, vt eius vaga fronde contegerentur, deciduísque floribus conspergerentur: id enim apud veteres in religione positum fuit, vt vita defunctorum

In cap. 66. lib. 1.

Locus.

Tempus.

Lib. 3. c. 48.

In Aduers.

Lib. 6. hist. cap. 7.

IASMINVM Puniceum, Dalechampij.



busta, & sepulcra, manésque floribus & coronis ornarentur.) quoniam diuturnior est. Diutius florescentem Theophrastus intellexit ac viuaciorem, quia quotannis non moriatur, vt cœruleus. Pothon priorem vulgare Iasminum floribus albis, quod dixi, pleríque esse credunt. Alterum suprà descriptum, flore hyacintho simili, cœruleo, venustissimo: Iasminum album sicut odore fragrat, ita & viribus multis pollet. Serapio tradit calidum esse in principio secundi gradus, humores discutere, aduersus phlegma salsum valere, senibus frigidis vtile esse, doloribus à pituita viscida ortis & catarrhis prodesse: folia eius tam humida quàm sicca impetigines & lentigines abstergere: dolorem capitis facere iis qui calida sunt temperie. Ex floribus paratum oleum frigidis affectibus confert. Ex iisdem vnguentarij oleum conficiunt, quod Zambacinum siue Sambacinum vocatur, cum amygdalino oleo hominum barbæ odoris tantùm gratia affundendum, quod tamen temperie calidis caput adeò excalfacit, vt quandoque sanguinem è naribus eliciat. Flores Iasmini cum amygdalis dulcibus tamdiu & toties commiscent, quousque eorum humore odorato illæ imbutæ fuerint. Tundunt deinde eas in mortario lapideo, & calidas sacculo conclusas prelo committunt, vnde oleum exprimitur perquàm odoratum. Sunt qui vocum similitudine decepti Sambacinum oleum & Sambucinum à Sambuco dictum idem esse falsò credunt. Dioscorides apud Persas Iasminum oleũ fieri prodidit ex albis floribus Leucoij, quod inter epulandum odoris gratia vsurpabatur. Vnguentum hoc ex ea viola compositum intelligit Hermolaus, quæ vulgò Gelseminum vocatur, distinctiones & arundineos parietes in hortis opere topiario conuestiens. Nec de vllo alio violarum genere Iasminum Dioscoridis vnguentum intelligit Marcellus, Vergilius, quàm de vulgari Gelsemino: cuius vnum genus cùm sit flore cæruleo, quartum id violarum esse genus colore cæruleo à Dioscoride traditum is autumat. Quorum sententia ab omnibus doctis hodie improbatur. Nam Gelseminum viticulis, foliis, ramulis, flore, radicibus, totius denique plantæ habitu ab omni Leucoio differt. Præterea Iasminum vnguentum ex Gelsemini flore quod cæruleum Leucoium Dioscoridis Marcellus esse vult, non fit, sed ἐκ τῶν ἀνθῶν τῶν λευκῶν τοῦ ἴου, id est, ex floribus albis violæ. Ad hæc Iasminum grauius spirat Dioscoridi, quàm vt libenter à plerisque recipiatur, quod demonstrat ex nostro Ielsemino non fieri. Postremò Serapio Dioscoridis interpres, alterum ab altero diuersis capitibus distinxit, & seorsum de vtrisque tanquam de diuersis disseruit. Probabilius est quod existimant attentiores herbarij, vnguentum id parari ex Albæ violæ floribus, qui inter omnia τῶν λευκοίων genera iucundissimi & validissimi sunt odoris, vt suauitate & vehementia rubras, puniceas, cœruleas violas longè superent.

Vires & Temper. (margin, beside "multis pollet")

Lib. 1. c. 66. (margin, beside "num oleum & Sambucinum")

DE IASMINO RVBRO, *Dalechampij.*

CAP. XV.

QVAM plantam Iasminum rubrum vocant herbarij, in hortis colunt ac serunt olitores, floris gratia pulchritudinéque inuitati. Radice ea nititur crassa, longa, carnosa, fibrosa, inæquali ac verrucosa, foris nigra, intus alba, cùm manditur, sapore acri. Caulis ad altitudinem propè hominis surgit, iuxta radicem scabro & ruffo cortice tectus, suprà herbaceo, ac virenti, maluæ instar, quadrangulus, canaliculatus, medulla candida farctus, statim nodosus, nodis alternatim & sigillatim protuberantibus, non ex aduerso, alarum modo, sitis. E singulis nodis rami pro

DE IASMINO Rubro, Dalechampij.



mi prodeunt, bicubitales, quadranguli caulis modo, atque medulla pleni, canaliculo exculpto striati, nodis per interualla ad cacumen vsque prominentibus, è quibus minores surculi nascuntur. Folia Amaranthi purpurei, aut Bliti, sed in extremo acutiora, ordine sic digesta, vt perpetuò inuicem bina opponantur, neruo per media porrecto, venis hinc illinc ad medium neruum distentis, vel à neruo ad extremam oram folij pertinentibus: in summo fastigio, quà flos exoritur, sena, ampliora nempe duo, minora quatuor: saporis principiò fatui, deinde acris. Flos coccineus, coloris nitidissimi, Periclymeno similis, angustus infernè, suprà latiusculus, apicibus extantibus insignis, è quatuor decussatis granis emicat, compressis, quibus, delapso flore, semen continetur, rotundum, nigrum. Quod è sapore iudicare licet, aquosa & humida est quædam eius portio: ignea verò, calidáque, & sicca altera, quæ discutere valenter possit tumores frigidos. Alias eius facultates nondum cognitas esse intellexi, aut proditas. Senescente caule, addito stercore munitam, perferre hyemem aiunt, vêreque repullulascere.

CLEMATIS ALTERA BAETICA, CAP. XVI.

PEREGRINVM herbæ genus Clusij industria nacta est posteritas, quod sarmenta longa, lenta & ramosa habet, quæ binos per interualla capreolos contrariis semper inter se pediculis nascentes proferunt, quibus per vicinas arbores & frutices scandit: folia pyri ferè, minora, dura, viridia, & per ambitum incisa siue serrata, sapore acri & feruido, singula in singulis pediculis, sed plurima simul ex clauicularum alis prodeuntia: inter quæ ex vtroque sarmentorum latere pediculi exeunt calyculum sustinentes vt in tithymalis, ex cuius medio capitulum eminet è multis seminibus milio similibus congestum, quibus insident oblongi cincinni, villosæq; veluti plumulæ albæ. Hanc primùm se inuenisse ait Clusius inter Asindum (vulgò Medina Sidonia) & Calpen secundum fluenta, vicinas arbusculas operientem, & pondere suo deprimentem: deinde aliis Bæticæ locis, Ianuario iam suos cincinnos explicantem. Censet ad Clematida, cuius meminit Dioscorides, referendam esse, quia illi admodum similis est cùm forma, tum temperamento. Huic adiungenda Clematis altera minor, longifolia Lobellij, cui folia sunt flammulæ, siue Clematidis albæ, multò longiora, ex aduerso bina. Cubitales & bicubitales cauliculos humi spargit. Semen,

Forma. Vide Physiog. pag. 59

Locus.

Lib. 4.

CLEMATIS Bætica, Clusij.



CLEMATIS Altera minor longifolia, Lobellij.



radix, cæteróque facies non diuersa à Clematide vulgari. Hanc quidam Clymenum esse arbitrantur.

HISTO

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM LIBER DECIMVS-QVARTVS,

In quo omnes Cardui & aliæ spinosæ aculeatæq; plantæ describuntur, & ad viuum depinguntur.

SPINOSARVM PLANTARVM DIFFERENTIAE. CAP. I.

LONGE` diuersam à superioribus plantarum differentiam prosequimur, eámque admodum conspicuam, vt pote quæ nobis inuitis se prodat, nec inultos abire sinat eos qui paulò imprudentiùs plantas huius clasis vel colligant, vel cõtrectent. Hac differentia plantæ multæ ab aliis, spinis, sentibus, aculeis, muricibus, echinis discrepant. Eâdem spinosarum siue aculeatarum caulibus, surculis, foliis, flore, fructu, carduorum & acanaceorum genus constituitur. Spina (Ruell. lib. 1. cap. 1.) vocatur, quod prętenue in durum mucronem occalluit, sic vt vellicet, vel stimulo quodam lacessat, non aliter quàm si quamprimùm (*Spina.*) à tangentibus sentiatur, sentis consueuit nominari. Aculei, quæcunque duriuscula (*Sentis.*) in cuspidem turbinata punctionem infligunt spiculorum modo. Quicquid numerosa congerie aculeorum stipatur, siue tegmen, siue caput, siue cacumen, (*Aculeus.*) echinus est, sic dictus quòd globoso spinarum agmine marinum echinum siue (*Echinus.*) erinaceum imitetur. Nec longè secùs murer paucioribus sæuit aculeis. In istis autem producendis tantus fuit, & sic prodigus, vt ita dicam, naturæ luxus, vt ipsis (*Murex.*) etiam veteribus tam difficile fuerit omnes earum differentias nosse, quàm accuratè eas describere, & notis inter se discernere. Nobis verò qui multò plures spinosas plantas & carduos diligenti herbariorum cònquisitione notiores, quàm de eorum lectione habemus, & quibus hodie cardui innotuerunt longè admirabiliores nostratibus, nusquam à veteribus memorati, longè difficilius fuerit ex obscuris ipsorum delineationibus prisca nomina pasim obuiis accommodare, qualia sunt polyacanthos, onopyxos, myacanthos, tetralix, chalceios, leimonia, &c. atque iis quæ nominibus carent propria ponere. Præterea cùm inter sese dissidentes herbarij eandem plantam variis nominibus designarint, de hac controuersia iudicare arduum fuerit. Quare vt plantarum istius generis cognitionem capere possimus, primùm operæpretium est ipsas exquisitè nouisse: deinde eas quæ ad veterum cognitionem referri, & priscorum nominibus nuncupari possunt, ita expendere, alias ab iis aut præteritas, aut ignotas neutiquã omittere, sed & tum accuratis descriptionibus, tum aptè cõfictis appellationibus indicare. Quod vt rectè fiat, primùm ipsarum diuisionem vniuersè ponemus ex Theophrasto, deinde singulorũ tractatio- (Lib. 6. hist. cap. 3.) nẽ aggrediemur. Ἀκανθώδη igitur, id est, spinosa siue aculeata Theophrasto sunt,

τὰ μὲν ἀκανθώδη ὅλως, id est, in totum spinosa, alia non in totum. In totum spinosa, Corruda, Scorpio. Non in totum spinosa sunt φυλλάκανθα, id est, quę folia omni ex parte sic in spinas diuisa habent, vt tangenti præter spinas vndique nihil occurrat, vt acorna, drypis, acanacea, spinosa foliata Gaza vertit. Alia εἰς ὀξὺ προήκουσι καὶ παραγωνύζουσι. id est, mucronãtur, & habent latera angulosè dissecta, vt smilax, phellodrys, ilex: in acutũ producta, & in angulum depressa Gaza interpretatus est. Alia εἰς ὀξὺ προήκουσι, καὶ μὴ παραγωνύζουσι, vt ruscus, hippoglossum. Alia sunt ἀκανθώδη ἐκ τῶν ἄκρων, καὶ πριονώδη, καὶ εὐθύχιστα, id est, mucronata, & insecta pectinum modo,

Lib. 1. hist. cap. 16. vt abies, pinus, picea, cedrus, iuniperus. Alia παρακανθίζοντα ἐκ τοῦ ἄκρου καὶ πλαγίων,

Ibidem. id est, quæ spina foliis addita (id enim παρὰ significat) & mucrone pungunt & lateribus, vt ilex, phellodrys, smilax, agria, Gaza reddidit quæ cùm extremo tum late-

Lib. 1. hist. cap. 16. ribus sinuata cõcidunt. Alia παρὰ τὴν ἄκανθαν φύλλον ἔχοντα, id est, præter folium minimè spinosum aculeis horrentia, vt rhamnus, tribulus, ononis, stœbe. Gaza non rectè reddidit, quæ iuxta aculeum folium gerunt, cùm præter aculeum dicere debuisset. Alia ἐκ τῶν καυλῶν ἄκανθαν ἔχοντα καὶ φύλλον ἐπακανθίζον, id est, spinas caulibus enascentes habentia, foliumq; insuper aculeatum: hoc enim ἐπὶ significat, vt cappa-

Lib. 6. hist. cap. 3. ris Aegyptia Gaza reddidit quæ non solùm caulem aculeatum, sed etiam folium habent hispidum. Quædã ὀρθοάκανθα, id est, arrectis spinis muricata, vt smilax, quæ-

Lib. 3. hist. cap. 18. dã voce ex superiore conficta καμπυλάκανθα dicta, id est, vncinatis arcuatisq; spinis armata. Quæ Plinius sic expressit. Spinosarum multæ species. In totum spina est

Lib. 21. c. 15. asparagus, scorpio: nullum enim folium habent. Quędã spinosa foliata sunt, vt carduus, eryngium, glycyrrhizon, vrtica: iis enim omnibus foliis inest aculeata mordacitas. Aliqua & secundum spinam habent folium, vt tribulus, ononis, phleos, quod aliqui stœbẽ appellauêre: hippophaes spinis augulosis. Quædam in folio habent, & in caule, vt Capparis. Tribulo (non tribula, vt vulgati codices habent) proprietas, quod & fructum spinosum habet. Hæc Plinius ex Theophrasto, corrigéda, vt adnotauimus. At nos de spinosis omnibus hîc dicere non instituimus. Quædam enim superioribus libris sparsim sui similibus coniunctæ sunt, aliæ hîc explicabuntur, potissimùm cardui & acanacea, à vulgatioribus & notioribus ad alia minus nota progrediendo.

SCOLYMVS, CACTVS, CYNARA, CAP. II.

Nomina. ΣΚΟ'ΛΥΜΟΝ Græcorum, Latini Carduum interpretantur generatim. κινάραν autem à quibusdam per i, scriptam teste Galeno, ab aliis per ypsilon, quidam corrupta voce Articocum, alij Alcocalum vocant, nunc vulgus herbariorum Articocalum, Arabes *Raxos*, *Harxos*, Germani *Strobildorn*, Itali *Articoca*, *Carcioffo*, Hispani *Cardo de comer*, Alexander Trallianus ἀρτυτικὴν, Galli *Artichaut*. Cynaræ nomen dedit puella eiusdem nominis, quam in hanc herbam conuersam fuisse fabulantur. Sunt qui à cinere dictam velint, quo, vt Columella & Palladius aiunt, lætatur. Hoc etymũ Græcos nomẽ id à Latinis mutuo sumpsisse indicat, tametsi contra huius vocabuli notionem, ex Græcia venisse in Latium vetustissimi

Lib. 2. quique Græci tum Poetæ tum oratores demonstrent, qui apud Athenæum cynaræ spinæ meminerũt, Sophocles, Hecatæus Milesius, Callimachus, & alij. Sunt qui potiùs à cane dictam malunt κύναραν, quòd Apollinem consulenti Locro redditũ est oraculum, vrbem ibi conderet, vbi lignea cane morderetur, tandem in crure cyna-

Lib. 3. c. 14. ra vulneratus, oppidum cõstruxit. Sed Didymus apud Athenæum *Cynosbaton* potiùs, id est, canis sentem intellexit. Dioscorides de scolymo tãtùm egit, de cynara mini-

Genera. mè. Verùm ne ambiguitate significationis deceptus lector vel hallucinetur, vel fluctuet, hîc monendus, Scolymum Dioscoridis, alium esse quàm Theophrasti:

Lib. 20. c. 23 ambosque Plinium confudisse his verbis: Syluestrium genera sunt duo: vnum fruticosius

fruticosius à terra statim (Scolymus est Theophrasti) alterum vnicaule, crassius (Scolymus Dioscoridis iudicatur) vtrique folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus: sed alter (nempe Dioscoridis: nam alterius luteus flos est:) florem purpureum mittit inter medios aculeos, celeriter canescentem, & abeuntẽ cum aura. Scolymum Græci vocant. Idem cùm tradit Orientem Scolymum quoque in cibos recipere, & alio nomine Limonium vocare, fruticem nunquã cubitali altiorem, cristisque foliorum, ac radice nigra, sed dulci, Eratostheni quoque laudata in pauperis cœna, &c. de Scolymo Theophrasti illa sunt intelligenda, quamuis quod subiungit emedullatæ radicis vnciam vnam graueolentiam alarum emendare, & vitium id ex alis per vrinam effluere, petitum sit ex Dioscoride. Quod verò ibidem alio loco tradit, Scolymum quoque vocari Limonium, apud Theophr. legisse videtur σκόλυμος, ὃς καὶ λειμωνία, cùm tamen illic apertissimè Leimωnia Cardui genus à Scolymo discernatur. His ita distinctis priùs Scolymum Dioscoridis proponamus, deinde alterum Theophrasti. Scolymus Dioscoridi folia Chamæleonis habet, aut eius plantæ quam albam spinam vocant, nigriora, crassiora: longum caulem edit, foliis vndiq; plenum, cui spinosum caput inest: radix nigra, & crassa, cuius vis vtilis est iis quorum alæ & reliquum corpus grauiter olent, si illinatur, (Cornarius pro καταπλασσομένη, id est illita, legit καταπαττομένη, id est inspersa, cũ in puluillum detrita fuerit,) aut si bibatur in vino decocta: copiosa sic vrina & fœtida expellitur. Herba recens nata, asparagi modo elixa manditur vt olus. Scolymus hic circa Mõspelium in lætis agris secus vias prosilit, quem indigenæ vocant *Chardonnerette*, Officinę Chamæleontam, nulla prorsus nota ex iis quas Dioscorides memorat reclamante: partu etiam cùm adhuc tener est, in cibis grato, & germinibus, ac radicibus, quæ præsertim germinibus connectuntur (nam inferiores & altiùs depactas ob lignosam duritiem respuunt) esu suauissimis. Hanc plantam Pena Scolymum siluestrem, siue Cynaram siluestrem vocat: quia tota facie Cynaram aculeatam refert. Hoc tantũ interest, quòd foliis angustioribus, aridioribus, & multò densioribus spinis sit: flores item eleganti purpura multi, conferti lanugine. Huius delibratis caulibus teneriusculis & capitulis nõdum in flores erumpentibus victitare rusticos Italos ait Pena. Eius flore lac dẽsant in caseum: eiusdẽ florem vulgò credunt contra fœminarũ sterilitatem valere, & grauidarum partus ad iustum vsque tempus continere. Scolymo Theophrasti hoc proprium quod nõ solùm elixa radix vescendo est, sed etiam cruda: quod tum esu iucundissima est cùm planta floret: quòd durescens lactescit: sed maximè peculiare florescẽdi tempus, circa solstitium. In cibo grata est tumescentis capitis carnosa moles, oblonga, minimè aculeata, & omnino ei propria in illarum genere quibus spinosum folium, contrà quàm in Chamæleone, cui folium aculeatum, non autem spinosum caput. Scolymi flos senescens in pappos abit, velut Acornæ, ixines, & aliarum quæcumq; his similes. Ad æstatis vsque finem capita & florem parit indesinenter. Semini humoris & medullæ parum. Arescens folium elanguescit, desinitq; pungere. Hactenus Theophrastus.

Li. & c.22.

Lib.25. c.9.
Lib.6. hist. cap.3.

Lib.6. ca.4. hist.

SCOLYMVS Dioscoridis, Cynara siluestris, Penæ.



Plantam hanc Græci etiámnum hodie vocant Scolymum: Vegetius libro de Veterinaria Eryngium nominat. Eryngium luteum Monſpelienſes, & Itali Bononienſes appellant. Naſcitur prope Narbonam in maritimis: radici craſsities pollicis, rhaphani figura; color ſubflauus: ſucci lactei copia, vt denti leonis: eſtur illa cruda & cocta à perquammultis: ex ea caules numeroſi prodeunt, craſsitie digiti, cubiti altitudine, nonnunquam proceriores, folioſi: folia prope radicem maiora, longiora, obſcurè virentia, vt in aliis Carduis laciniata, albis maculis notata: per ſummos caules minora: flos luteus: ſemen compreſſum, in capitulis Cnico ſimilibus, magnitudine nucis moſchatæ, aculeis præduris adeò tota planta horret, vt vix tractari poſsit illęſa manu. Cluſius eandem plantam Scolymum Theophraſti eſſe cenſet, eóque nomine depinxit, quæ caules cubitales profert, admodum ramoſos, ad quorum alas ſingulas folia intenſiùs viridia, ſinuoſa, & albis ſpinis horrida: flos illi luteus Cnici ferè modo: ſemen in capitulis ſpinoſis latum, foliaceum, ſquamatim cohærens: radix longa, digiti craſsitudine, carnoſa, dulcis, qua libenter veſcuntur ſues, quemadmodum & Eryngij vulgaris radice, eáque de cauſa in agris vtramque roſtro eruunt. Tota planta dum recens eſt, lacteo ſucco manat. Salmanticenſi agro & tota Caſtella frequentiſsimam eſſe ait. Tota æſtate florere, & interdum etiam Autumno, deinde ſemen proferre. Similem etiam eſſe circa Monſpeliũ, ſed multò lætiorem, paucioribus ramis, & altiùs aſſurgente, neque flore adeò copioſo, & foliis veluti lacteis maculis inſignitis. Salmanticenſes Silybum nuncupant, vulgus *Cardon Lechal*, ſiue *Lecher*, id eſt Carduum lacteum. Iidem tenellam adhuc plantam & primùm germinãtem cum ipſa radice elotam, crudam aut cum carnibus coctam edunt: ipſius lacte omne lactis genus coagulãt, & flore crocum adulterant. De hoc Scolymo legimus apud Plinium, gulã, quæ portenta terrarum in ganeam vertit, etiam ea quæ refugiũt quadrupedes conſciæ, Scolymum in hortorum areas & puluinos tranſtuliſſe, vbi cultus mangonio domita feritate manſueſcit, licet quidam de Carduis altilibus & Cactis exponãt, ex agris in hortos tranſgreſsis, & ad hanc mitiorem naturam, qua hodie tantùm placent, olitorum diligẽtia perductis. Scolymorum caulibus adhuc teneris, & capitulis nondum florem oſtendentibus, Itali ruſtici etiámnum hodie veſcuntur, vt diximus. Præter vtrumq; hunc Scolymum, ſunt

SCOLYMVS Theophraſti, Cluſio.

Li. 2. Stirp. Hiſpa. cap. 78.



CACTVS, Matth.

Carduus Aculeatus.

Li. 19. ca. 8.



CYNARA Non aculeata, Matthioli.



CARDVVS Vulgaris, Matthioli.



ſunt in hortis frequentes Cacti, ac Cynaræ cũ cuius foliis albi Chamæleonis folia Dioſcorides confert. Galliæ vulgus Cactos appellat *Cardons*, Cynaras *Artichautz*, hac differentia quòd Cactorum capita non mandantur, ſed radicis pars ſuprema, foliorum ima, cũ tenellis germinibus, planta terra ſepulta per multos dies, quoad tenereſcat, albeſcat, dulceſcat, ídque ferè tota Hyeme, & Autũno iam progreſſo: contrà in Cynara nullus earum partium vſus eſt, ſed capitum ſolùm. Præterea Cactis & folia & capita nunquã nõ aculeata ſunt: Cynaræ verò cùm duplex genus ſit, alteri, pariter ea, vt & Cactis, ſpinis armantur, alteri ſpinis carent, diuerſo hac in re palatorum iudicio, quibuſdam eam magis commendantibus quæ ſpinoſa eſt, aliis contra eam quæ ſpinis nullis pungit, Theophraſtus vtrámque hanc plantam Cacti nomine indicauit, nulla facta Cynaræ mentione. Galenus, Paulus, Aëtius Scolymum ſtomacho prodeſſe adnotarunt. Cynaram autem vitioſum ſuccum gignere, præſertim, vt Galenus ait, cùm iam induruit, nempe melancholicum, aliàs verò bilioſum & tenuem, ideóq; elixam adiecto coriandro potiùs edendam, ex oleo, garo, & vino: vel abſq; iis, ſi in patinis, aut ſartagine cocta fuerit, quo modo eius ſtrobilos, ſiue capita multi præparant. De Cacto iam Theophraſtum audiamus ſic ſcribentem: ἡ δὲ κάκτος καλουμένη περὶ σικελίαν μόνον, ἐν τῇ ἑλλάδι δὲ οὐκ ἔστιν, ἴδιον δὲ παρὰ τὰ ἄλλα Lib. 6. hiſt. ca. 4.

CYNARA Non aculeata, Dodonæi.



CARDVVS Altilis, Cynara sine capitibus acuta, Dod.



τὰ ἄλλα τὸ φυτόν. ἀφίησι γὰρ εὐθὺς ἀπὸ τῆς ῥίζης καυλοὺς ἐπιγείους. τὸ δὲ φύλλον ἔχει (adde ex Gaza, Plinio, & Athenæo πλατὺ) καὶ ἀκανθῶδες. καλοῦσι δὲ καυλοὺς (deest vox κάκτους, ex Athenæo & Plinio addenda) ἐδώδιμοι δέ εἰσι περιλαμπόμενοι (emenda περιλεπόμενοι) μικρὸν ἐπίπικροι (lege ὑπόπικροι ex Athenæo) καὶ θησαυρίζουσιν αὐτοὺς ἐν ἄμη (mendose, pro ἐν ἅλμῃ) ἕτερον δὲ καυλὸν ὀρθὸν ἀφίησιν, ὃν καλοῦσι πτέρνικα. γίνεται δὲ καὶ οὗτος ἐδώδιμος, πλὴν ἀθησαύριστος. τὸ δὲ περικάρπιον ἐν ᾧ τὸ σπέρμα, τὴν μὲν μορφὴν ἀκανθῶδες (lege ἀκανῶδες) ἀφαιρεθέντων δὲ τῶν παππωδῶν σπερματίων, ἐδώδιμον καὶ τοῦτο, καὶ ἐμφερὲς τῷ τοῦ φοίνικος ἐγκεφάλῳ. καλοῦσι δὲ αὐτὸν σκαλίαν. (Ascaliam legit Plinius, Athenæus Ascaleron.) Id est, Cactos in Sicilia tantùm nascitur, in Græcia nusquam habetur: planta est suæ proprietatis: statim enim à radice caules emittit, non in terram repentes, vt Gaza interpretatus est, sed in terram vergentes, folium latum & spinosum: caules vocant Cactos, qui delibrati sunt edules, paulùm subamari, quos & muria seruant: caulem alium rectum edit, quem pternica appellant: is quoque vescendo est, sed seruari non potest. Fructus in quo semen acanaceam speciem gerit: sed detractis papposis seminibus, is quoque vescus est, & palmæ cerebro similis. Scaliam eum appellant. Plinius quoque hæc sic conuertit. Et Cactos quoque in Sicilia tantùm

Li.21. c.16. nascitur, suæ proprietatis & ipso, cuius in terra serpunt caules à radice emissi, lato folio & spinoso. Caules vocant Cactos: nec fastidiunt in cibis inueteratos quoque: vnum caulem rectum habent, quem vocant Pteruica, eiusdem suauitatis, sed vetustatis impatientem. Semen ei lanuginis, quam pappum vocant: quo detracto & cortice, teneritas similis cerebro palmæ est: vocant Ascaliam. Hæc cùm Theophrastus scriberet, Cacti in Sicilia tantùm, nusquam in Græcia, nec Italia fortasse colebantur. Sed cùm eò tandem colendi ratio manasset, nihilq́; essent aliud Siculi Cacti quàm carduorum genus, Græci Cactos & Cynaras, Itali Carduos nominarunt: quod auctoritate Athenæi comprobatur, sic scribentis: φαινίας δὲ ἐν πέμπτῳ

Lib.2 περὶ φυτῶν, κάκτον σικελικήν τινα καλεῖ ἀκανθῶδες φυτόν, ὡς καὶ Θεόφραστος ἐν ἕκτῳ περὶ φυτῶν. ἡ δὲ κάκτος καλουμένη, & cætera quæ modò citauimus ex Theophrasto: quibus subdit Athenæus. τοῖς δὲ τούτοις οὐχὶ πειθόμενος θαῤῥῶν ἂν εἴποι τὴν κάκτον εἶναι ταύτην τὴν ὑπὸ ῥωμαίων μὲν καλουμένην κάρδυον, οὐ μακρὰν ὄντων τῆς σικελίας, περιφανῶς δὲ ὑπὸ τῶν ἑλλήνων κινάραν ὀνομαζομένην, ἀλλαγῇ γὰρ δύο γραμμάτων κάρδος καὶ κάκτος ταυτὸν ἂν εἴη. Id est, Phænias lib. quinto de plantis Cactum appellat Siculam quandam plantam spinosam, velut etiam Theophrastus in libro sexto de plantis. Quæ Cactos vocatur, &c. Quis non iis notis persuasus intrepidè dicat, inquit Athenæus, Cactòn eandem esse, quæ Romanis qui non procul à Sicilia absunt, Cardus nominatur, & perspicuè reliquis Græcis Cynara? Siquidem mutatis duabus literis Cactus & Cardus in eandem vocem consentient. Cynaræ olitorum industria & mangonio quædam est varietas, præcipuè capitis figura distincta. Nam omnibus

Cap.14. lib.3. est non quidem echinatum, vt scribit Matthiolus, (echinatum enim esse non potest, quin sit etiam spinis horridum,) sed omnibus squamarum, seu laminularum ordine structili coagmentatum. Verùm in quibusdam aculei sursum eriguntur, in

alijs


aliis deorsum inclinantur, quarumdam capita prorsus aculeis carent, vt iam monuimus, cæterisq́; vt vulgus credit, in cibis præstant. In hoc genere caput nonnumquam in longam & sensim gracilescẽtem metam fastigiatur, nonnumquam in compressiorem & rotundiorem globum extuberat, laminis interdum sponte dehiscentibus, & sese recludentibus, interdum arctiùs coniunctis & compactis. Spinis carebunt Carduorum capita, vt ait Palladius, si cacumina seminum confringas, vel, vt olitores aiunt, si delibratis lactucæ radicibus & dissectis, semina integra condantur. Cynaram Columella pinxit his verbis. Lib.10.

*Hispida ponatur Cynara, *quæ dulcis Iaccho* * Quidam: hæc non dulcis Iacchum.
*Potanti * veniat, nec Phœbo grata canenti.* * Quidam: ueniet, non.
Hæc modo purpureo surgit glomerata corymbo,
** Myrtiolo modò crine viret, * deflexáque collo* * Quidam: Luteolo. * deuexa.
Nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc similis calatho est, spinísque minantibus horret.
*Pallida nonnumquam * tortos imitatur Achanthos.* * totos.

Qui potiùs & Carduum altilem, siue Cacton, & Cynaram videtur delineasse: vtraque planta foliis conspicitur albæ spinæ, vel Cardui siluestris, caulibus altis, quorum summi vertices in squarosum extuberant globum, corticosis vnguibus turgentem, spicisq́; squamatim compactilibus coagmentatum, quorum orbis exterior viret, interior niueo candore nitescit. Hac structili nucleorum serie pineã nucem videtur exprimere. Quare cùm Galenus scribit Cynaræ capita σπονδύλους Græcis dici, στροβίλους potiùs legendum crediderim. Flos purpureo rutilat colore, & tandem euanescit in pappos. Caput vetustate dissilit in corticeas laminas, semen ostendens Cnici figura. Hæc est Scolymi, Cynaræ, Cacti dilucidior, opinor, & magis enucleata quàm ab aliis quibusdam tradita distinctio: quas plantas satis indistinctè Matthiolus explicauit & depinxit. Galenus scribit Scolymi radicem copiosam vrinam graueolentem elicere, si quis eam in vino coctam bibat, ac proinde graueolentiam sanare tum alarum, tum totius corporis. Atque hoc, sanè medicamento inest ex tota substantia, nimirùm cùm succus sit purgatorius. At quæ secundum qualitates editur actio, calidum in secundo ordine completo, aut tertio incipiente medicamen indicat, siccum verò in secundo. De Scolymi viribus plura Plinius habet. Scolymus vrinam ciere præcipuè traditur: sanare lichenas & lepras ex aceto, venerem stimulare in vino, Hesiodo & Alcæo testibus: qui florente eo cicadas acerrimi cantus esse, & mulieres libidinis auidissimas, virosq́; in coitum pigerrimos scripsêre, velut prouidentia naturæ, hoc adiumento tum validissimo. Item graueolentiam emendat radicis emedullatæ vncia, in vini falerni heminis tribus decocta ad tertias, & à balineo ieiuno, itémque post cibum cyathis singulis pota. Mirum est quod Xenocrates promittit experimento, vitium id ex alis per vrinam effluere. Hæc Plinius. Nunc nullis non hortis cardueta spectantur, plurimæ hortorũ areæ Cynaris refertæ sunt, nec iam sine cibo hoc, nisi tempus anni neget, opipura vel adiicialis vlla sit cœna. Apponuntur capita nondum florescẽtia Asparagi modo iuribus incocta, eorúmque pulpa estur cum sale & pipere. Itali rarò decoquunt, sed cruda cum sale vorant. Hac ob miram, tum raritatem, tum venustatem non omittendus carduus peregrinus, quem ex Pena depictum & descriptum hîc exhibemus. Hunc, inquit, sponte edunt noui orbis insulæ occiduæ, præsertim ea quæ D. Margaretæ sacra est, vnde reduces naucleri Anglicis oris Morgano pharmacopœo Londinensi attulerunt. Videtur autem hic quasi quidam naturæ cinnus ex pepone, melone, & carduo coaluisse. Ob id ille Echinomelocactum, siue melocarduum echinatũ, signata magis, quàm recepta nomenclatura vocauit. Turbinata illi metæ effigies, torulis, callosisq́; quatuordecim quasi costis

Li.2. alim. (margin, beside "Græcis dici")
In cap. 14. lib.3. Li.8. simpl. (margin, beside "copiosam vrinam")
Vires.
Li.& c.22. (margin, beside "lepras ex aceto")
In Aduers. *Locus.* (margin, beside "occiduæ")
Nomina
Forma.

MELOCARDVVS Echinatus, Penæ.



costis canaliculata, à sessili & latiore basi secundùm longitudinem in conū obtusiorē coëuntibus, ex quo quasi vertice emicat tomentosa, vt in cynara, sericea bombax admodum farcta & delicata, ferè qualis lapidis amianthi, qua inuoluūtur mucronatæ vaginulæ, siliquosæ, sanguineæ, capsico concolores & similes, sed perquàm exiles, semine pusillo, rotundo, amaranthi, plenæ, multis setis croceis supernè se exerentibus, sed rigidis & pungentibus. Dorsa autem summa striarum, quà latiùs protuberant, exerunt infestos hystricis, aut echini aculeos aduncos, corneos, denos & duodenos, quasi hamos, radiatim septenas vt plurimū stellas effigiantes: adeoq; vniuersum conum armant instar echini, vix vt inultus manu premas. Est autem cutis externa callosior, crassiórque tota, aloës aut cucumeris colore, & concretione. Caro subtus albicat, pinguis, flaccida, melonem, aut adipem referens, gustu insulso & acidulo, non ingrato, aqueo, refrigerante, innoxio. Quasi autem melo foret, interiore & superna sui parte, quæ flori subest, carduis simili, carnem firmiorem dissepit membranula per medium ducta, cellulámque efformans ferè qualis cucurbitæ, sed seminis vi fungosiore minúsque cōpacta medullam ibi inuoluit. Eius natales qui viderunt tum naucleri, tum familiares quidam, maritima sabuleta esse referebant. Cùm maturuit, peponem mediocrem, vel maximum melonem æquat. Nouem libras & vnius trientem hæc pendebat. Humi sessilis est, nusquam apparentibus ne minimis quidem foliorum vestigiis in ipsa planta, aut radice, quæ exilis est, aliquot appendiculis vimineis, pullis, prolixis, firmis, nec fractu facilibus sparsa. Carduum non minùs admirandū descripsit Ouiedus in Hispaniola insula nascentem. Pitahaya, inquit, fructus est pugni mediocris magnitudine. Hunc profert Cardui genus, spinis quidē horridum, sed aspectu iucundum & pulcherrimum: foliis enim caret, sed horum & ramulorum vice brachia quædam habet, sex pedes longa, quadrangula, in medio canaliculata, in quo medio & in angulis spinæ sunt valde pungētes, venenatæ, satis longis spatiis à sese distantes, ternæ simul, aut quaternæ digiti maximi longitudine. Inter hæc brachia fructus medius exoritur, qui Pitahaya illic nominatur, cortice crasso, spisso, & veluti squamoso contectus, qui tamen facilè cultro inciditur, etiamsi tota interiore parte granulis carni permixtis ficuum nostratium modo sit refertus, coloris venustissimi, nempe chermesini saturati. Est & tota hæc pars edulis, manusq; inficit mori modo. Qui comederit, non statim, sed duabus horis ab eo sumpto, vrinam reddit planè crudam. Est tamen innoxius & spectatu elegantissimus, sed qui eum profert Carduus horrendus, specie valde agresti & admiranda, viridi, cinerea, candicante, qualem hîc pictam videtis ex Ouiedo.

Li.8. c.24. *CARDVVS Pitahaya fructum ferens.*



ACANTHVS, CAP. III.

ἌΚΑΝΘΟΣ & ἄκανθα Græcis, μελάμφυλλος & παίδερος, Latinis Acanthus & Acantha dicitur: Officinæ à ſimilitudine, quam eius folia cum anterioribus vrſorum pedibus habēt, Brancam vrſinam vocant. Ad quam etiam ſimilitudinem reſpicientes Germani *Bernkrauu* nominant, Galli *Branche vrſine*. Adnotauit Fuchſius hanc herbam olim etiam Romanis Marmorariam eſſe dictā, quæ vox in omnibus Dioſcorid. exēplaribus inter nothas appellationes deprauata eſt, ac in Mamolariam detorta, quod eius, columnarū, maximè Corinthiarū folia capitulis inſculpebātur, quarū identidē, tam ſcapi, quàm vertices marmore ſplēdebant. Antiqui etiam Acātho pateras & pocula alia ornabant. Acanthi genera duo Dioſcorides tradidit, ſatiuum, ſiue hortenſem, & ſiluestrem. Satiuum deſcribit folia habere multò latiora, longiora quàm lactuca, erucæ modo inciſuris diuiſa, nigricantia, pinguia, læuia, caulem læuem, bicubitalē, digitali craſſitudine: ex interuallis verticem foliolis quibuſdam circundatum, veluti nucamētis aculeatis, è quibus flos candidus promitur: ſemen illi eſt oblongum, luteum, caput thyrſi ſpecie: radices ſubſunt glutinoſæ, mucoſæ, rubentes, longæ. In quibus hæc in Græcis ſic exarata, οἱονεὶ κιτλαρίοις ὑπομήκεσιν, ἀκανθώδεσιν, vertit Cornarius, veluti pileolis oblongis, pro nucamentis: per κιτζάρια intelligens foliorum inuolucra illa ad oblongi pileoli figuram obtorta. Eſt enim κίτλαρις & κιτζάριον pileoli genus. Eſt etiam id notandum in quibuſdam exemplaribus Græcis ſcriptum inueniri ὑακινθώδεσι pro ἀκανθώδεσι, ſed perperam: nam minuta caulis folia, nec figura, nec colore hyacinthinis reſpondent, quin potiùs exilia, & ſpinulis armata, quæ verò humi procumbunt, ampliſſima, vt quæ arearum puluinos poſſint veſtire, nullis tamen aculeis rigentia. Acanthus ſiluestris eodē Dioſcoride auctore, ſcolymo ſimilis eſt, aculeatus, breuior quàm ſatiuus & is qui in hortis prouenit. Satiuus in hortis, petroſis, & humentibus locis naſcitur. Iunio præcipuè & Iulio mēſibus ſemine & floribus abundat. Plinius breuiùs duo Acanthi genera notauit. Acanthus eſt topiaria & vrbana herba, lato longóque folio, crepidines marginum, aſſurgentiumq́; puluinorum toros veſtiēs. Duo genera eius ſunt, aculeatum & criſpum, quod breuius: alterum læue, quod aliqui pæderota vocant, alij Melamphyllon. Hæc Plinius. Etſi Acanthus, vel Acantha

Nomina — Lib. 15. hiſt. — Genera. — Forma. — Embl. 17. lib. 3. — Locus. — Tempus. — Li. & c. 22.

ACANTHVS Satiuus, Matth.



ACANTHVS Silueſtris, Carduus pratenſis, Tragi.



ſpinam ſignificet, & Branca vrſina omnium herbariorum ſententia Acanthus
Dioſcoridis credita, rigidis ſpinis non horreat, non ob id tamen vera Acantha
non diceda: ſpinoſa etenim eſt, verùm thyrſo duntaxat ex Dioſcoridis deſcriptio-
ne, & columnarū apud Vitruuium epiſtyliis, ſed mollibus duntaxat ſpinis, ideóq;
à Vergilio mollis Acanthus dicitur: nec vlla alia eſt, cui Dioſcoridis deſcriptio ve-
Ruel.lib.3. ca.16. riùs reſpondeat. Siquidem quinis ſeníſve foliis extenditur, lactucæ, longioribus
multò, ac latioribus, vt quæ nonnunquam cubiti longitudinē æquent, pinguibus,
carnoſis, erucæ ritu laciniatis, ſubnigris, caule tripedaneo, digitum craſſo, læui, cu-
ius vertex foliorum in aculeos molles exeuntium cingitur vallo, & veluti in dehi-
ſcentem paniculam nucamentúmve faſtigiatur. Summatim caput erumpit thyrſi
figura, flores candidi, ſemen oblongum, luteum, radices oblongæ, pingues, lentæ.
Lib.2.ca.13. Trago & Lonicero ἀγρία ἄκανθα Dioſcoridis videtur eſſe Carduus pratēſis, Germa-
nis *Uuiſenkoel*, & *Graſzkoel*, id eſt Braſsica pratenſis nominatus, quòd huius folia
teneriuſcula vêre cum cæteris oleribus colligantur, & in cibos veniant, guſtu ſua-
uia, nec molliuſculis ſpinis linguam, aut palatum offendentia. Folio eſt ſatis longo
latóq;, ac vtrinque diuiſo, exiguis teneriſq; aculeis, ſpinoſis've exaſperato, ex viridi
penē albicante, ac dipſaco quadamtenus conſimili. Iulio menſe caulem emittit
cubitalem, nonnunquam proceriorem, nodoſum, teretem, è geniculis bina folia
fundentem, quæ dipſaci modo imbrem exceptum retinent. In horum & ramulo-
rum cacumine oblonga capitula, florem in pallorem langueſcentem, ſed purpu-
reis ſtaminibus oculis rubrum quid oſtendentem ſuſtinent. Flore marceſcente ſe-
men maturatur, paruum, album, tenera & candida veluti & in aliis Carduis lanu-
gine inuolutum, quæ in pappos tandem eua-
neſcit. Planta eſt hyemis contemptrix, & quæ
frigora facilè ferat. In pratis naſcitur, vbi redi-
uiua quotānis, Aprili menſe folia emittit, radi-
ce candida, fibrata, craſſa, plerumq; exeſa. Ex lo-
cis natalibus coniecturam ſumpſêre quidam
hunc Carduum Leimoniam eſſe Theophraſti,
Lib.6. hiſt. cap.3. à pratis ſic dictam, quam nullis prorſus notis
inter ſpinoſas numerat, nempe ἄκαρναν, λευκά-
κανθαν, χάλκηδον, κνῆκον, πολυάκανθον, ἀτρακτυλίδα, ὀνό-
πυξον, ἴξίνην, χαμαιλέοντα, σκόλυμον, quibus additur
ἡ λειμωνία. Ineptè Betam ſilueſtrem Gaza inter-
pretatur nominum ſimilitudine deceptus, quia
Leimonium minimè ſpinoſis foliis à Leimo-
nia valde diuerſum eſt. Hîc quoque Plinius bis
lapſus eſt, ſcribens ſcolymū in cibos ab Orien-
te recipi, & alio nomine Leimonion appellari,
tum quòd Leimonium, id eſt Betam ſilueſtrē
ἀπὸ τῆς λειμωνίας ſpinoſa planta non ſeparet, niſi
fortè mendoſus ſit codex, tum quòd Leimoniā
ſpinoſam plantā à Theophraſto inter aculeatas
acanaceáſque proximè ſcolymum memoratā
cum ſcolymo confundat. Eſt etiam planta alia

ACANTHVS Silueſt. alter, Dalechamp.



Acanthus ſilueſtr.2. *Forma.* hîc picta, quibuſdam alter Acanthus ſilueſtris, aliis Leimonia, quòd vt & ſuperior
in pratis naſcatur. Radice eſt foris nigricante, in multas appendices aſphodelo
pæon'æ've ſimiles diuiſa, quæ quotannis alias atque nouas, veluti ſobolē recētem
ex ſeſe gignunt, exareſcente radice ex qua propendent: folio craſſo, inciſuris ſinuo-
ſo, oblōgo, aculeis armato, ſic à natura factis, vt aculei ſinguli ex tribus cuſpidibus
in vnum

in vnũ coëuntibus videantur esse coagmẽtati, pallidè virentibus, caule recto, procero, gracili, parũ ramoso, capitulo echinato, vno fere tantùm vel altero: flore puniceo, semine oblongo, paruo, lanugine contecto, quæ in auras tandem euolat. Ob aculeos ternos, quemadmodũ suprà dixi, vna stipatos, herbarij quidam Carduum τριγλώχινα vocant. Quidam Leucacanthã, de qua posthac nos agemus, esse volunt. Lobellius pinxit alium Acanthum siluestrem Scolymo similem aculeatum Dioscoridis, vel potiùs nouam aculeatam Brancam vrsinã, & subiicit, in agro Bononiensi Lombardiæ, adeò flores & folia similia fuisse huic Acantho spinoso, vt crediderit Dioscoridis esse Acanthum siluestrem, quem asimilauit Scolymo siluestri, & satiuo Acãtho breuiorem & aculeatum dixit. Chamæleonta Monspeliensium esse non potest quia caput habet echinatum. Acãthi satiui radices, auctore Dioscoride, vstis & luxatis illitæ prosunt. Potæ vrinã mouent, & aluũ sistũt. Tabidis, ruptis, conuulsis mirè vtiles sunt. Eadẽ Plinius tradit. Huius radices vstis luxatisq; mirè prosunt: item ruptis conuulsis, & phthisim metuentibus incoctæ cibo, maximè ptisanæ. Podagricis quoq; illinuntur tritæ & calefactæ calidis. Galenus, Acanthi folia, inquit, mediocriter digerentem facultatem obtinẽt: radix exsiccatoria est, & leuiter incisoria, & tenuium partium. At quotidiana & diuturna experientia constat nostri Acanthi satiui radices emollire, vniuersamq; plantam muccosam esse, ac ob id ad enematum emollientium decoctiones duntaxat, in hortis haberi. Quare mirũ Dioscoridem dixisse radices στρέμμασι, id est luxationibus prodesse, cũ iis obsit potiùs relaxando: aptiùs fortasse στρέμματα hîc cõuertas torsiones, ligamentorúmve tractiones, quibus medentur initio suauia malactica, dolorem sedando, & leuiter digerendo, si quid affectæ parti influxerit: hac enim ratione fractis & conuulsis proderunt. Acanthi siluestris radix ad eadem ad quæ superior efficax est, nihilq; à satiuo differt, nisi mollitie & magnitudine.

BRANCA *Vrsina aculeata, Lobellij.*



Lib. 3. c. 17. *Vires & Temper.* Li. & c. 22. Li. 6. simpl. Pena in Aduers.

ACANTHIVM, *CAP. IIII.*

QVOD Græci ἀκάνθιον, Latini similiter Acanthiũ nominant, Germani *Vueisz vuege distel*, Galli *Chardon argẽtin*, cuius hæc est in vulgatis Dioscoridis exemplaribus descriptio. Ἀκάνθιον ἐμφερῆ τὰ φύλλα ἔχει τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ, ἐπ᾽ ἄκρῳ δ᾽ ἀκανθώδεις ἐξοχὰς, οὐ συλλεγομένας, &c. Quæ ex Plinio, multò verò tutiùs ex Oribasio viri docti sic restituerunt. Ἀκάνθιον ἐμφερῆ τὰ φύλλα ἔχει τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ, ἐπ᾽ ἄκρῳ δὲ ἀκανθώδεις ἐξοχὰς, καθ᾽ ἃς ἀραχνοειδής ἐστι χνοῦς, vel καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ χνοῦν ἀραχνοειδῆ, ὃς συλλεγόμενος, καὶ ὑφαινόμενος βαμβακοειδὴς γίνεται). Id est, Acanthium folia similia habet albę spinæ in summis extremitatibus aculeata, in quibus est lanugo, instar telæ araneæ, quæ collecta & texta bombycis effigiem præbet. Plinius. Spinæ albæ similis est spina illa, quã Græci Acanthium vocant, minoribus multò foliis, aculeatis per extremitates, & araneosa lanugine obductis: qua collecta etiam vestes quædam bombycinis similes fiunt in Oriente. Dioscorides folia quidem Acanthij figura candoréve cum Alba spina confert, sed citra

Nomina *Forma.*

ακανθιον, i. spinula hinc herba dicit. nominis quia spinas habet spinos

Li. 24. c. 12.

ACANTHIVM, Matth.



magnitudinis, aut paruitatis comparationem, vt id de ſuo, quod plerumque ſolet, Plinius videatur adieciſſe, aut in noſtris exemplaribus vox, minoribus, deeſſe. Anguillara pro Rutro hoc Cardui genus deſcribere videtur. Acanthium Officinis creditur eſſe Carduus iſte omnium ferè maximus vbiq; viarũ obuius, & iuxta ſepes in arenoſis, incultiſq; locis ſatis frequens, radice prægrandi, craſſa, foris nigra, amara, caule procero, valde craſſo, aculeato, cauo, candida tenuiq; lanugine obducto, telis aranearũ ſimili: foliis admodum longis & latis, inciſis, per oras vncis ſpinis ſtipatis, molli araneoſaq; lanugine pubeſcẽtibus, capitulis in caulium vertice aculeatis & echinatis, leucographidi ſimilibus, flore purpureo, Iulio & Auguſto mẽſibus fatiſcẽte, ſemine nigricante, & rotũdiore quàm Cnici, amaro, acri, candida lanugine inuoluto. Hunc

Ca.16.hiſt.

Carduũ Fuchſius nomine ſpinæ albæ ſilueſtris deſcripſit & depinxit. Aliud Acanthiũ ex Dalechampio exhibemus, montanum cognominatum, quod in gelidis montibus, vt in monte

Acanthiũ montanũ.

Forma. Iura, vnde & hoc aduectũ eſt, naſcitur. Radice eſt craſſa, numeroſa, caulibus multis, intus cauis, anguloſis, denſiſsima lanugine opertis, foliis albæ ſpinæ ſimilibus, toto ambitu marginibus aculeatis, prominentibus, araneoſa lanugine obductis, quã neri poſſe, & in veſtes texi omnino credibile, cũ digitis ſummis tractata non abrumpatur, & quàm longiſsimè ducatur, flore purpureo, lana candida & tam

ACANTHIVM, Spina alba ſilueſtris, Fuchſij.



ACANTHIVM Montanum, Dalech.



ſpiſſa

ſpiſſa vndiq; per initia ſic obuoluto, ac circũcluſo, vt priuſquã detegi poſsit, veluti lanæ glomus ſit dilacerandus & euoluendus. Acanthij radix & folia, inquit Dioſcor. in potu opiſthotonicis auxiliantur. Eadem prorſus Plinius tradit. Ipſa folia vel radices ad remedia opiſthotoni bibuntur. Galenus verò radicem & folia facultatis eſſe excalfactoriæ, & iis qui conuelluntur auxiliari.

Li.3. ca. 16.
Vires.
Li.24. c.12.
Li.6. ſimpl.

DIPSACVS, *CAP. V.*

ΔΙΨΑΚΟΣ Græcis, Labrũ veneris, & Carduus veneris Latinis, Virga paſtoris Officinis, & Carduus fullonũ vulgò dicitur, Gallis *Chardon à carder*, vel *Chardon à foullon*, Hetruſcis *Cardo da cardare*, Foroiulienſibus *Garzo*, Germanis *Kartendiſtel, Bubenſtrel, Vueberkarten*. Dipſaci autẽ, id eſt ſitibũdi nomen à cõtrario inuenit, quoniã concauo alarũ ſinu rorẽ, vel imbrẽ recipiat, quo velut ad abigendas ſitis iniurias abutitur. Labri veneris nomenclaturã à carinato foliorum habitu contraxit, quæ ſe anfractuoſa ſinuantia ambage, peluis vel ſolij ſpeciem conſtituunt, & intra ſe humorem retinent. Virga paſtoris dicta eſt, ob longas virgas, quas detractis Carduis paſtores fortè ſumũt, & ea parte qua poſsit manu capi aculeis nudant, reliqua autẽ aculeata gregẽ ducunt. Carduus fullonius appellatus eſt, quòd eo rudes pãnos, velut echino quodã poliũt, detractiſq; floccis carminãt. Cæterùm hîc animaduertendũ Auicẽnæ & Serapionis interpretes Virgæ paſtoris nomine minimè Dipſacum, ſed Polygonũ vtrũque Dioſcoridis intellexiſſe. Herbarij duo Dipſaci genera fecere. vnum ſatiuum, alterũ qui ſua ſponte paſsim prouenit, eumq; duplicẽ, nẽpè Dipſacũ ſilueſtrẽ maiorẽ, quẽ Dipſacũ purpureũ vocat Fuchſius, & Dipſacũ ſilueſtrẽ minorẽ. Dipſacũ, vt deſcribit Dioſcorid. aculeatarũ generis eſt. Caulem habet albũ, ſpinis horrentẽ, folia caulẽ amplectẽtia, lactucæ ſimilia, in ſingulis geniculis bina, oblõga, atq; etiã ſpinoſa, quæ in dorſi medio intus & extrà veluti bullas ſpinoſas habent, cõcauo, quo ſe vtrimq; geniculis cõiungunt ſinu, quo aquæ, rores & imbres aſſeruantur, vnde Dipſaci quaſi ſitientis nomen

Nomina
Li.2. c. 736.
c. 351. ſimp.
Genera.
Ca. 82. hiſt.
Lib. 3. ca. 11.
Forma.

DIPSACVS Seu Labrum veneris, Matth.



DIPSACVS Satiuus alter, Matthioli.



DIPSACVS Siluestris maior, Fuchs.



DIPSACVS Siluestris minor, seu Virga pastoris, Matth.



traxit. In cacumine caulis singulis surculis capitula singula echinis similia insunt, oblonga, aculeata: quæ postquam exaruerũt, candida apparẽt. dissectũ per mediã medullam caput vermiculos habet. Plinius eadẽ breuiter & dilucidè tradit. (Li.27.ca.9.) Dipsacus folia habet lactucæ, bullásq; spinosas in dorsi medio, caulem duûm cubitorũ, iisdẽ spinis horridum, genicula eius binis foliis amplectẽtibus, cõcauo alarũ sinu, in quo subsistit ros salsus. In cacumine capitula sunt echinata spinis. Nascitur in aquosis. Huic descriptioni si pastoriã virgã cõferas cõperies notas omnes optimè respondere Dipsacus siluestris satiuo similis est, foliis tamen est angustioribus, & floribus purpureis. Nec solo cultu videtur euenisse, inquit Pena, vt satiuus Dipsacus aculeis aduncis, recuruis & rigidioribus à siluestri & spõte prodeũte tantùm distet. Nam pleraq; omnia culta, molliora & teneriora, minúsq; spinosa euadunt. At hîc satiuus capitibus est reductioribus, oblõgis spinis, crebris, aduncis, terram versus reflexis, adeò rigidis, vt stamina carpendo, & vellendo filamenta, non facilè effringãtur: siluestris verò mollioribus, minoribus, surrectis, nec aduncis, longioribus multò, imbecillioribus: foliis itẽ mollioribus, minoribus, haud dissimilibus, capitulis crebris, & bituminoso trifolio similibus. Nascitur in agrorum & scrobium marginibus, & in viis iuxta sepes. Dipsaci tertiũ genus minimum, nec adeò frequens, superiori siluestri sat simile est, non tamẽ ita striato caule, (Matthi. in ca.11. lib.3.) nec tam spinis horrido, foliis itẽ infirmioribus, capitulis multò minoribus, vt quæ oliuæ magnitudinem vix superent. Sunt autem capitula hæc tenuibus capillis referta, ita vt sericis viridi colore infectis floccis similia videantur. Quidam Plumbaginem esse Plinij credunt, nec temere fortasis. (Lib.3.ca.11. *Vires & Temper.*) Dipsaci radix, auctore Dioscoride, cum vino decocta & tusa vsque dum cerati crassitudinẽ accipiat, imposita rimas fistulásque sedis sanat. Oportet autem medicamentũ hoc ærea pyxide recondere. Ferunt præterea formicis & verrucis pensilibus remedio esse. Vermiculi capitis eius in folliculo clausi, & collo aut brachio appensi quartanas sanare produntur. (Li.27.ca.9.) Eadem breuiter Plinius dixit. Sanat rimas sedis: item fistulas, decocta in vino radice, vsq; dũ sit crassitudo ceræ, vt posit in fistulã mitti: itẽ verrucas omniũ generũ. Quidã & alarũ, quas modò diximus, succũ iis oblinũt. (Li.6.simpl.) Dipsaci spinę radix, inquit Galenus, est secũdo ordine exsiccatoria, habetq; nõnihil abstersoriũ. Scribit Pena priora duo Dipsaci genera refrigerãtis & siccãtis esse facul- (In Aduers.) tatis, & cancerosis vlcerationibus multùm conferre: tertium vsui incompertum.

CNICVS, CAP. VI.

ΚΝΙΚΟΣ & κνῆκος Græcè, Cnicus & Cnecus Latinè nominatur, Mauritanis *Kartam*, siue *Charthom*, Officinis Mesuen & Serapionem secutis, Carthamus, Italis *Zaffarano Sarrasinesco*, Germanis *Vuildengarten saffran*, Gallis *Saffran bastard*. Dicitur autem Cnicus seu Cnecus ἀπὸ τοῦ κνίζειν, quod mordere & pungere significat: est enim spinosus carduus, vel ἀπὸ τοῦ κνησμοῦ, quòd pungendo pruriginem excitet. Carthamus verò ἀπὸ τοῦ καθαίρειν, quod est purgare. Dioscorides de Cnico satiuo duntaxat scripsit. Theophrastus & Plinius duo genera fecêre, satiuum siue hortense, & siluestre. rursus siluestris species duas. Cnicus satiuus, vt describit Dioscorides, folia habet oblonga, incisuris diuisa, aspera, aculeata, caules cubitales, in quibus capita oliuæ magnitudine, florem similem croco, semen candidum & rufum, oblongum, angulosum. Nascitur in hortis, & agris satus. Floret Iulio & Augusto mensibus, ac subinde semẽ etiam profert. Cnicum alterum pictum dedit Clusius, cui vnicus caulis, interdum bini, terni, aut quaterni, cubitales, firmi & lignosi vti alterius, nullis tamen aut paucissimis ramis: folia Cnici vulgaris, candidiora, & paulò longiora: capitula Cnici: flos diuersus, quippe qui non sit luteus, sed ex multis staminibus cærulei coloris constans: semen Cnico & minus & subrufum: radix pollicari crassitudine, carnosa, succulenta, foris nigricans. Circa Cordubam in segetibus inuenitur, & agro Hispalẽsi. Floret Maio & Iunio. Vulgare nomen nullum nouit. Sed cùm tota facie Cnicum vulgarem referat, Cnicum alterum nominauit. De reliquis generibus hæc prodidit Theophrastus. τοῦ κνίκου δὲ εἰσὶν ὁ μὲν ἄγριος, ὁ δὲ ἥμερος. τοῦ δ᾽ ἀγρίου δύο εἴδη. τὸ μὲν προσεμφερὲς σφόδρα τῷ ἡμέρῳ, πλὴν εὐθυκαυλότερον. διὸ καὶ πηνίοις ἔνιαι τῶν ἀρχαίων ἐχρῶντο γυναικῶν. καρπὸν δὲ ἔχει μέλανα, καὶ μέγαν, καὶ πικρόν. ὁ δ᾽ ἕτερος δασὺς τοὺς καυλοὺς ἔχει σογχώδεις, ὥστε τρόπον τινὰ ἐπγειόκαυλος γίνεται. διὰ γὰρ μαλακότητα τῶν καυλῶν κατακλίνεται πρὸς τὰς ἀρούρας. καρπὸν δὲ ἔχει πικρὸν πωγωνώδους σπέρματος. ῥίζαι πᾶσι πλείους: μείζους δὲ, καὶ πυκνότεραι τοῖς ἀγρίοις. ἴδιον ἔχει πρὸς τὰ ἄλλα ἄγρια. τὰ μὲν γὰρ σκληρότερα, καὶ ἀκανθωδέστερα τῶν ἡμέρων. αὐτὸς δὲ μαλακώτερος καὶ λειότερος. Id est, Cnicus est siluestris, & mitis. siluestris species duæ. Vna miti consimilis admodum, sed rectiori caule. quare ex ea priscæ quædam mulieres pro fuso vtebantur. Fructum

Nomina — Lib.4.c.18. — *Genera* — Ibidem. — *Forma.* — *Locus.* — *Temp.* — Lib. 2. stir. Hisp.c.81. — Lib.6.hist. cap.4.

CNICVS *Satiuus, Matth.*



CNICVS *alter, Clusij.*



fert nigrum, magnum, amarum. Altera species hirsuta caules sonchi profert, & quodammodo humi accubat, nam propter caulium mollitiem in terram inclinatur, fructum gignit amarum (πυκνὸν pro πικρὸν legit Gaza, & vertit frequentem) barbatum semen omnibus radices multæ, densiores tamen siluestribus, & maiores.

CNICVS Siluestris prior.
Atractylis, Dalech.



CARDVVS Benedictus.
Cnicus siluestr alter.



Præ aliis siluestribus hoc peculiare est, quòd cùm duriora spinosioráque sint mitibus, vrbanus Cnicus mollior sit & læuior. Quę ex Theophrasto sic transcripsit Plinius. Multas prætere ignobiles habent, sed maximè celebrant Cnicon Italiæ ignotum, ipsis autem oleo non cibo gratam. Hoc faciunt è semine eius. Differentia prima siluestris & satiui. Siluestrium duæ species. Vna mitior est, simili caule, tamen rigido, itaque & colu antiquæ mulieres vtebantur ex illis: quare quidam atractylida vocant. Semen eius candidum (hîc Plinius contradicit Theophrasto, qui semē nigrum esse ait) & grande, amarum. Altera hirsutior torosiore caule (σαρκώδεις caules legit Plinius, quos σογχώδεις Theophrastus) & qui penè humi serpat, minuto semine. Aculeatarum generis hæc est. Hæc Plinius. Cnicus siluestris prior Ruellij, Fuchsij, Dodonæi Atractylis est. Is durus est & erectus, satiuo non dissimilis, foliis asperis & pungentibus: capitula multis foliolis angustis & per extremitates aculeatis muniuntur, ex quibus hirsutus flos prodit, magis quàm Cnici hortensis ex luteo pallescens. Semen Cnico par, oblongum & angulosum, sed subatrum, non vt Cnici album: magnitudo ei quæ homini. Quamobrem prisca mulieres, vt scribit Theophrastus, si locus mendo careat, pro colu vti poterant eius stipitibus satis firmis & longis ad lanam sustinendā quæ nebatur, vt pro fuso atractylide, humili planta, suis capitulis momentū & pondus præbente ad intorquendum & circumagendum filum. Alteram Cnici siluestris speciē, Carduum esse, qui Benedictus ob admirabiles eius vires contra varios morbos nominatur, iamdiu doctis omnibus persuasum est, qui hunc cum alterius Cinci siluestris descriptione à Theophrasto tradita diligentiùs cōtulerunt. Herba est vsu & visu omnibus cognita, radice longa, tenera, valde fibrata, foliis longis, pinguibus, teneris, mollibus, hispidis, profundiùs incisis: caules ei hirsuti villosiq;, σογχώδεις, id est, leues, inanes, fragiles sonchi modo, non σαρκώδεις, vt legit Pliniu, id est, torosiores, in terrā sparsi, quoniam ob comæ foliorumq; mollitiem recti nō stant, sed caduci solo procumbunt, & inclinātur, hirsuta

Lib.21.c.15.

Lib.3.c.55.

Cap. 42. histo.

Lib.4.c.70.

suta quoque, capitula foliis pungentibus circundantur. Flos ex luteo pallet, semen
copiosum, oblongum, cinereum, pilis barbatum, amarum, lanuginosis pappis ob-
uolutum. In arduis alpibus Galloprouinciȩ teste Pena prope Monsterias quas Ma- In Aduers.
rignols vocant, vbi effodiuntur Crystallinæ, Irides, & varij coloris alij lapides, cre-
scit, in summis montibus, rigidior, & aliquantùm minor hortensi. Nunc passim in
hortis omnibus magno studio colitur ob eximias eius dotes. Cnici satiui flore pri-
sci vtebantur in obsoniis auctore Dioscor. Semen tundebatur, & ex eo exprimeba- *Vires & Temper.*
tur succus, vt tum hydromelite, aut gallinaceo iure datus aluum purgaret. Stoma-
cho tamen aduersatur. Fiebant etiam placentæ ad aluum emolliendam, succo
eius amygdalis, nitro, aniso, & melli cocto admixto. Oportet autem ante cœnam
in partes quatuor diuisas iuglandis nucis magnitudine, duas aut tres sumere. Eas
hoc modo conficere oportet. Sumatur Cnici candidi sextarius, amygdalarum to-
starum & decorticatarũ cyathi tres, anisi sextarius vnus, aphronitri drachma vna,
caricarum triginta carnes. Seminis succus lac cogit, & ad soluendam aluum effica-
cius efficit. Cnici semine duntaxat vtimur ad purgationes, inquit Galenus. Tertij Lib. 7. sim.
ordinis est excalfacientium si foris admoueatur. Sed de eius temperamento & fa-
cultatibus fusiùs disseruit Mesues his ferè verbis. Cnicus est agrestis & satiuus, Lib. 2. c. 11.
idémque melior semine, præsertim eo magno, albo, plano, pleno, medullȩ pinguis,
cortice tenui. Nec inutilis est flos croci pilorum effigie. Calfacit ordine primo, sic-
cat secundo. Agrestis flos minùs calidus ac siccus. Pituitam & aquas vomitu & de-
iectione vacuat sumptus, & clystere iniectus. Ob id morbis inde natis, vt colico
affectui & similibus confert. Thoracem quoq; & pulmonem expurgat, præsertim
eclegmate sequente & oleo suo, vnde & vocem claram reddit: sperma quoque vsu
auget; sed alimentum est prauum, stomacho valde noxium, in eo & mammis lac
dicitur cogere, fastidiendum ac nauseabundum est, ac conturbans, facultate est la-
ctariarum plantarum, sed remissa, terget, aperit, etiam flore cum mulsa icterum sa-
nante. Ne ventriculum lædat, ei misce stomachica, anisum, galangam, mastichen:
acriora verò, vt cardamomum, zingiber, sal panis, sal gemmæ addita actionẽ ipsius
celerant, & intestinorum noxam prohibent. Sic medullæ eius drachmæ decem,
cum cardamomi aureo vno in catapotia cicerum magnitudine drachmis quinq;
sufficienter purgant Paulo auctore. Eadem medulla panno ligata, oxymeliti prȩser-
tim scillitico incoquitur mersa, & purgatoriũ id efficit. Medullæ eiusdẽ aurei duo-
decim, penidiorum aurei quatuor, cardamomi, zingiberis ana aureus vnus, cum
melle forma bolos nucis magnitudine, da vnum vel duos. Medulla eadem ex iure
galli vel gallinæ cum speciebus prædictis cocta, idem præstat: vel medullæ eius
drachmæ tres, amygdalarum drachma vna, strobilorum drach. semis, cum melle
cocto & sicco scillæ fiat eclegma, mirificum in thoracis affectibus. Hæc ex Mesue.
Sed id animaduertendum orientalem Cnicum multò faciliùs & vtiliùs minori
quantitate purgare. Nostrum multò imbecilliorem esse, vt pote qui non minore
quàm duarum vnciarum, vel saltem vnius & semissis mole, aluum subducat, nec
obstructiones mesaraicarum æquè probè reseret. Carduus verò benedictus obstru-
ctiones internorum viscerum tollit, vrinam mouet, calculum frangit, vlcera potis-
simùm pulmonis sanat. Percussis à feris venenatis medetur tam interiùs sumptus,
quàm venenatis ictibus aut morsibus impositus. Negant etiam pestis sentire con-
tagia, qui cum cibo aut potu præsumpserit. Iam quoque correptis magno fore prȩ-
sidio vulgus sibi persuasit. Item contra capitis vehementissimos dolores, vertigi-
nem, memoriam amissam, in cibo aut potu sumptum valere tradunt. Item ad pu-
trescentia vlcera, mammarum potissimùm, si in puluerem redactus inspergatur: ca-
coëthe tam recẽs quàm sicca herba, pota & admota sanat, cuteq; obducit. Quam-
obrẽ decoctis miscetur, quæ ex ligno Gaiaco parantur Hispanica lue laborantibus.

Confert

Confert maximè iis qui quartana febre aut aliis febribus laborant, quarum acceſsiones cum frigore redeunt, hauſto eius decocto, aut ſtillatitia aqua, aut pulueris drachma pota. Proſunt eadem comitialibus infantibus eodem modo pota. Herbæ decoctum ex vino ſumptum, ilium & renum dolores mulcet, ventris tormina ſedat, ſudorem cit: alui tineas necat, & vteri vitiis auxiliatur.

CHAMÆLEON, CAP. VII.

Nomina XAMAIΛEΩN λευκὸς Græcis, Chamæleon albus Latinis nominatur, Carduus varius, Carduus ſuarius, & Cardopatium, Arabibus *Chameleon leuce*, ſeu *Chamalium*, Italis *Carlina*, & *Chameleone bianco*, Hiſpanis *Cardo pinto*, Germanis *Eberuurtz*, eleganti alluſione ad Carduum ſuarium. χαμαιλέων μέλας, Latinis Chamæleon niger. Chamæleon autem à foliorum
Lib.3.c.8. varietate dicitur Dioſcoride teſte: mutant enim cum terra colorem. Hîc enim viridia, illic albicantia, alibi cærulea, nonnuſquam rubra inueniuntur. Suarius autem carduus, quòd ſues, ſi in polenta exhibeatur, perimat. Carlina verò quaſi Carolina quòd credat vulgus hanc herbã Magno illi Carolo Regi olim ab Angelo demonſtratam fuiſſe ad propulſandam ab exercitu ſuo peſtem, tanquam antidotum omnium præſtantiſsimum. Quam ob cauſam multi ad arcendam peſtilentiam huiuſce herbæ radices miris efferunt laudibus. Chamæleon albus à nonnullis Ixias vo-
Lib.3.c.8. catus, vt ait Dioſcorides, quòd quibuſdam in locis ἰξὸς, id eſt, viſcum ad radices eius inueniatur, quo pro maſtiche vtuntur mulieres. Folia habet ſilybo aut carduo ſimi-
Forma. lia, aſperiora tamen & acutiora, nigroq; Chamæleone robuſtiora. Caule caret, ſed è medio ſpinam echino marino aut cynaræ ſimilem erigit: flores purpureos velut pilos, qui in pappos euaneſcunt, ſemen cnico ſimile: radicem in pinguibus collibus craſſam, in montoſis graciliorem, in profundo albam, aliquatenus aromaticam, graueolentem, & dulcem. Chamæleon niger & ipſe foliis ſcolymo ſimilis eſt, minora tamen & tenuiora, & robuſtiora hæc habet. Caulem emittit digitali craſsitudine, dodrantalem, ſubrubrum, qui vmbellam gerit, & flores ſpinoſos, tenues, hyacinthi æmulos, varios, radix craſſa, nigra, denſa, quandoque etiam corroſa, quæ
Locus. diſſecta ſubflaua eſt, & commanducata mordax. Prouenit in campeſtribus, ſiccis &
Lib.22.c.18 cliuoſis tractibus & maritimis. Plinius de iiſdem hæc prodidit. Chamæleonem aliqui Ixiam vocant. Duo genera eius. Candidiora, aſperiora folia habet, ſerpit in terra echini modo ſpinas erigens, radice dulci, odore ſuauiſsimo. Quibuſdam in locis viſcum gignit album, ſub alis foliorum, maximè circa canis ortum, quo modo thura naſci dicuntur: vnde & Ixias appellatur. Hoc vt maſtiche vtuntur mulieres. Quare & Chamæleon vocetur, varietate foliorum euenit: mutat enim cum terra colores, hîc niger, illic viridis, alibi cyaneus, aliubi croceus, atque aliis coloribus. Et paulò pòſt. Ex nigris marem dixêre cui flos purpureus eſſet, & fœminam cui viola-
Lib.9.hiſt. cap.13. ceus. Vno naſcuntur caule cubitali, craſsitudine digitali. Theophraſtus de vtroque Chamæleone hæc quoque Dioſcoridi conſentanea literis mandauit. χαμαιλέων δὲ ὁ μὲν λευκός, ὁ δὲ μέλας. αἱ δὲ δυνάμεις τῶν ῥιζῶν, καὶ αὐταὶ δὲ αἱ ῥίζαι τοῖς εἴδεσι διάφοροι. τοῦ μὲν γὰρ λευκὴ καὶ γλυκεῖα, καὶ παχεῖα, καὶ ὀσμὴν ἔχουσα βαρεῖαν. Et paulò pòſt. φύεται δὲ ὁμοίως πανταχοῦ, καὶ ἔχει τὸ φύλλον ὅμοιον σκολύμῳ, μεῖζον δέ, αὐτὸ δὲ πρὸς τῇ γῇ, τὴν δὲ κεφαλὴν ἔχει ὁμοίαν ἀκάνῳ, μεγάλην. οἱ δ' ἄκανον καλοῦσιν. ὁ δὲ μέλας τὸ μὲν φύλλον παρόμοιος: σκολυμῶδες γὰρ ἔχει (non σκολυκῶδες, vt habetur in vulgatis exemplaribus) πλὴν ἔλαττον καὶ λειότερον (λεπτότερον ex Dioſcoride) αὐτὸς δὲ ὅλος ἐστιν (lege ἔχει) ὥσπερ σκιάδιον. ἡ δὲ ῥίζα παχεῖα, καὶ μέλαινα. διαρραγεῖσα δὲ, ὑπόξανθος. φιλεῖ δὲ χωρεία ψυχρά, καὶ ἀργά. Id eſt, Chamæleon quidam eſt albus, alter niger, radicum facultates, atq; ipſæ etiam radices ſpecie differunt: illius enim radix alba eſt, dulcis, craſſa, & grauis odoris.

Naſcitur

Nascitur similiter multis locis, foliúmque habet scolymo simile, sed maius, & terræ proximum, caput autem magnum acano simile, quod nonnulli acanum vocant. Niger simili est folio, scilicet scolymi, sed minore & tenuiore. Tota planta habet veluti vmbellam, radix crassa est, nigra, & disrupta, subflaua. Locis gaudet frigidis & incultis. Gaza non ἀργὰ sed ὑγρὰ legit, id est, humida, cui contradicit Dioscorides scribens plantam istam in campestribus & siccis locis prouenire. Idem Theophrastus alio in loco Chamæleonem album ἰξίνην appellat, quam Carduum pineam interpretatus est Gaza, ratus fortasse diuersam hîc à Chamæleonis genere plãtam describi. At si quis plantas istas diligentiùs expendat, & Theophrasti locos conferat, rem aliter habere comperiet. Nam Chamæleonis facta mentione, alteram eius speciem, nimirum Ixinem accuratè omnibus suis partibus delineat, præterquam radice, quæ velut hîc omissa luculenter declaratur loco suprà adducto. Quod autem Ixine, vel, vt in Dioscoride legitur, Ixia, Chamæleon sit albus, eius historia fidẽ facit, tum ex Theophrasto iam descripta, tum ex his eiusdem verbis. ἡ δ' ἰξίνη φύεται μὲν ὁ πολλαχοῦ (lege φύεται μὲν ὁμοίως πολλαχοῦ, vt & loco iam citato) ῥιζόφυλλον δὲ ἐστιν. ἀπὸ δ' τῆς ῥίζης μέσης ὁ σπερματικὸς ἄκανος ἐπιπέφυκεν, ὥσπερ μῆλον, εὖ μάλα ἐπικεκρυμμένον ἐπὶ τῶν φύλλων. οὗτος δὲ ἐπὶ τοῦ ἄκρου φέρει τὸ δάκρυον εὔστομον, καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ ἀκάνθη ἡ μαστίχη. emenda, ἡ ἀκανθικὴ μαστίχη, quod confirmat Plinius, vt diximus. Id est, Chamæleon albus æquè locis multis nascitur, à radice folia emittit, ex qua media seminibus grauis acanus veluti malum exoritur, in foliis ipsis absconditus. (Videtur Theophrastus hîc acanum dicere spinosum & echinatum caput carduorum, quod Dioscorides nunc echinũ vocat, nunc ἀκανθώδη κεφαλὴν, nisi fortè pro ἀκανὸν legendum sit ἔχινος.) Hîc lacrymam ori gratam parte summa profert, quæ est acanthice mastiche. Qui hos duos Theophrasti locos cum Chamæleonis albi historia à Dioscoride tradita contulerit, vnam & eandem plantam ab vtroque describi iudicabit: hodie periti herbarij Carlinam esse credunt. Hæc, inquit Dalechampius, vbiuis in Allobrogum montibus frequens est, Diensibus *Chardousse* dicta, quasi Carduus siluestris, radice longa, crassa, subrufa, cùm gustatur principiò fatua, mox subdulci, tandem acri, foliis latis, albis, aculeatis, humi iacentibus. ex horum medio absque caule echinus prodit, cynaræ capitibus similis, in metam fastigiatus, cõpactili squamarum pungentium aceruo horridus, quo exsecto, sicuti & diuulsis eius laminulis succus lacteus manat, visci aut glutinis modo lentus ac tenax, sic contrectantium manibus inhærescens, vt vix detergatur, vt ab eo ixias meritò dici possit. Flos purpurascit, quo dilapso hiat echinus, papporúmque densam lanuginem media orbis sui area complectitur, quæ in auras auolat. Semen cnico simile est. Huius echinos adhuc cõpressos priusquã floreant, indigenæ detractis cortico sis vnguibus, structilíque laminularum serie reuulsa, concidunt in orbes, & raporum ritu in cibos coquunt, vel cum butyro in prunis, vel super foculo parant, sale & pipere condiunt, gustu multò quidẽ palato suauiore & lautiore, quàm echinorum cynaræ, vel scolymi satiui. Quare cùm tam vulgaris sit in ea regione hîc cibus, sentiendum

Lib.3.c.9.
Lib.3.hist. cap.4.
Lib.6.hist. cap.4.

Acanus ē spinosum et echinatum caput carduorum .6. ακανθον ... n.d. fol. 1409

CHAMAELEON Albus, Matthioli.



CHAMÆLEON Niger, Matth. & Fuch.



CHAMÆLEON Niger, alter Matth.



ſentiendum viſcidũ hunc echinati capitis lentorem minimè venenatum, neque exitioſum eſſe, cùm citra noxam cum ſui globi fruſtulis comedatur, vel Allobrogũ Chamæleonẽ innocentiorem eſſe quàm Græcorum, vel igne, præparatione, conditura maleficam eius vim obtundi. Pleriſque herbariis & Officinis ferè omnibus perſuaſum eſt, duplicem eſſe Carlinam, aliam caule carentem, aliam caule donatam, quam Leucachantham facit Dodonæus: Matthiolus & Fuchſius nigrum Chamæleonta. Sed ſi vti nos, inquit Pena, vtriuſq; radices, & vtriuſque gummi ſubflauum, vermiculoſum, nonnihil pellucidum, odore viroſo, guſtu & viſu explorasſent: demúmque eadem radice & flore, cauléque donatam, alias verò caule carentes: & alibi etiam proximè copioſè enatas, partim caule viduas, partim vtróque præditas obſeruasſent, volentes ſententiam mutasſent. Id ſe expendiſſe ait non procul ab arido & gelido dicto D. Bernardi monte, atque etiam via qua Iſpurgo itur Tridentum locis lapidoſis & ſiccis. Quare herbariorum Carlinam varietate non genere duplicem, non eſſe Leucacantham, ſed Chamæleonem album Dioſcoridis eſſe cenſet. Matthiolus aliam Chamæleonis nigri iconem exhibuit à Marantha Neapoli ad ſe miſſam, quæ tametſi, inquit, vmbellas ſimilibus Hyacinthi floribus ſcatentes proferat, cùm tamen folia rubris maculis diſtincta non ſint, cùm minimè rubeat caulis, cùm manſa radix nullo modo ſit acris, non exeſa, non flaueſcens, nec caules digitali craſſitudine, hanc plantam genuinum Chamæleonem nigrum eſſe minimè putat. Sed hæ notæ ne illi quidem inſunt, quam Chamæleonem nigrum ipſemet ſtatuit. Tragus Carlinam Officinarum, Chamæleonem vulgarem nigrum facit, alterum & exiguum eius genus ſine caule, Cordus Chamæleonem album, Lobellius Carduum ἄκαυλον Septentrionalium. Vbique ferè prouenit, inquit Tragus, potiſſimùm in aſperis montibus, ac forti albaq; terra, radice, foliis & ſemine Chamæleonti vulgari ſimile, ſed minus. Flos eius aculeatus & purpureus humi procumbit, & caule caret. Lobellius ſcribit Angliæ collibus, Picardiæ & Gallobelgij ſatorum marginibus obuium & frequentem eſſe hunc Carduum, figura & foliis Carlinæ, ſed retuſioribus laciniis, minoribus. Flores purpurantes, & capitula Carlinæ vulgaris, caule carentes, in pappos euaneſcentes. Semen Cnico ſimile. Radices aliquantulum rubeſcentes, grauiſſimi odoris. Auguſto menſe floret. Tragus pinxit alium

Lib. 4. c. 68.
In cap. 9. lib. 3.
In Aduerſ.

CHAMAELEON *Exiguus, Tragi, Dalech.*



CHAMAELEON *Niger verus, Dalech.*



alium verum Chamæleonem nigrum, pallidulis cæteriſque carduis ſimilibus floribus, ſemine oblongo & capillato. Chamæleonem nigrum in Gallia nuſquam reperit Dalechampius, ſed ex eius planta integerrima ex Calabria à Reinerio Solenandro viro humaniſſimo & doctiſſimo medico delata, illiq; dono data, effigies hæc ad viuum expreſſa eſt. Radix illi palmum longa erat, digitum craſſa, foris nigra, & quæ lacera ta hiabat, intus flaueſcens: folia Chamæleonis albi, anguſtiora, minora, tenuiora: caulis dimidio pede non procerior, in cuius ſummo vmbella floris purpurei ſplendebat, Hyacinthi colorem prorſus æmulantis, niſi candor eximius intermiſceretur, & quamuis exaruiſſet, viuidũ ſuum nitorem retinentis, abſque echino globoſóve capite, quòd videlicet ex omnibus plantis quibus aculeata folia ſunt, id peculiare ſortitus eſt Chamæleon, vt citra echinatum verticẽ flos emicet auctore Theophraſto duobus in locis, in quibus tamen litera adeò deprauata eſt, vt ex ea rectus ſenſus vix elici poſsit. Prior locus is eſt, Ἀλλὰ τά γε τοιαῦτα πάντων, οἷον ἄκορνα, λευκάκανθα, χάλκεος, κνῆκος, πολυάκανθος, ἀβακλυλὶς, ὀνόπυξος, ἰξίνη, χαμαιλέων, πλὴν οὗτος οὐ φυλλάκανθος, σκόλυμος, ἡ λειμωνία, φυλλάκανθα, καὶ τὰ ἄλλα. In quo cùm de Phyllacanthis loquatur, & Chamæleonem foliis aculeatis eſſe ex Dioſcoride conſtet, falſò οὐ φυλλάκανθος dicitur. Quare legit Dalechampius per parentheſim (πλὴν οὗτος φυλλάκανθος οὐκ ἀκανίζει) σκόλυμος, &c. Alter locus eſt. Σαρκώδης δὲ καὶ ἐδώδιμος ἡ τοῦ ὄγκου κύησις, οὐκ ἀκανθώδης, ἀλλὰ προμήκης. καὶ τοῦτο ἴδιον μόνον ἔχει τῶν φυλλακάνθων, ἀντεστραμμένως ἢ ὁ Χαμαιλέων. ὁ μὲν γὰρ ἀφυλλάκανθος ὢν ἀκανίζει. quẽ ſic reſtituit Dalechampius. ὁ μὲν γὰρ φυλλάκανθος ὢν, οὐκ ἀκανίζει. Illi tamẽ corruptæ lectioni ſubſcripſit Plinius ſcribens, Chamæleon in foliis nõ habet aculeos, &c. Sed error is vnicus non fuit: nam pro Cnico Cnidos ibidẽ, & bis Helxine pro vxine legitur. Diuerſum à ſuperiore Chamæleonem pinxit Cluſius, quem Salmãticenſem vocat. Planta eſt, inquit, ex Acanaceorum genere, caule pedali, interdum etiam cubitali, multis alis ſiue ramis concauo, & quaſi foliato, duro tamen & firmo: folia numeroſa, longa, anguſta, candicantia, ſpinis horrida: ſummis ramis veluti vmbellæ ex quinque aut ſex caliculis ſeu capitulis ſpinoſis conſtantes innaſcuntur, in quibus flos purpureus dilutior, qui maturo ſemine in pappos euaneſcit, reliquorum Acanaceorum more: ſemen Cnici, minus, dulce, intus candidũ, foris ſubnigrum aut cinereum: radix nigra, dura, dulcis ſi mandatur. Tota plãta firmis ſpinis vndique riget. Agro Salmanticẽſi frequens. Floret Iulio, ſemẽ Auguſto maturum.

Lib.6.hiſt. cap.3.

Lib.6.hiſt. cap.4.

Lib.21.c.16.

Lib.2.ſtir. Hiſpa.c.79

CHAMAELEON Salmanticensis, Clusij.



Lib.3.c.8.

Vires & Temper.

PICNOMON CRETAE Salonensis, Penæ & Lobellij.



Lib.9. hist. cap.13.

πυκνος densus, spissus
πυκνοω denso, spisso
hinc πυκνομον. hec
[illegible]olius species quia
adeo spinos habeat spinas
ut colligenti non pateat
aditus

Vocatur à Salmanticẽsibus Chamæleon, & eum referre videtur quem Anguillara pro Chamæleone nigro Dioſcoridis proponit. Verùm hiſtoria non reſpondet. Huc fortaſſe Chamæleonis nigri ſpeciem referemus Carduum puſillum & rarum, qui in planitie illa, quæ eſt inter Arelatem & Salonam, & Creta Salonenſis dicitur, prouenit, ideò à Pena & Lobellio Picnomos Cretæ Salonẽſis nuncupatus. Radice eſt exigua, manſu glutinoſi quidpiam præferente, foliis longis, ſecus longitudinem cauli adhærentibus, Chamæleontæ Monſpelienſis modo, ſed anguſtioribꝰ, in ramis magnitudine Calcitrape, & illius modo in ambitu ſparſis, ſpinoſis, longiſque aculeis adeò ſtipatis, vt arrepturo nihil pateat aditus: floſculi ſenecionis æmuli, ſed maiores in oblongis, ſpinoſis & tomẽtoſis capitulis: ſemen exiguum, Cnico ſimile, paleaceum. Picnomon eſſe nõ aſſeuerat Pena, ſed quia plãta eſt ſpinis munitiſſima, ſignificationi alludentes ita vocauit. Radix Chamæleonis albi, vt docet Dioſcorides, acetabuli menſura pota latos lumbricos expellit, bibitur autẽ in vino auſtero cum origani decocto. Hydropicis cõmodè datur drachmæ põdere cum vino: ipſos enim extenuat. Decoctum eius contra vrinæ difficultatem propinatur. pro theriaca eſt cum vino ſubacta. Occidit canes & ſues: mures item necat ſubacta cum polenta, aut hydrelæo madefacta. Chamæleonis nigri radix trita admixto modico chalcantho, cedrino oleo & axungia, ſcabiem abigit, deterget impetigines ſulfure & bitumine additis, cocta in aceto & illita. Decoctũ collutione dentium dolores ſedat. cum pari pipere & cera radix dentibus oblita, ipſis dolẽtibus auxiliatur. fouentur etiã dentes ipſa cocta in aceto & affuſa. dolenti denti per ſcalpellum calida admota ipſum frangit. maculas cutis in facie à ſole contractas expurgat, & vitiligines cum ſulfure. Miſcetur & medicamentis erodentibus, phagædenica vlcera feraq; in cataplaſmate impoſita extirpat ac ſanat. Theophraſtus de harũ radicum facultatibus hæc prodidit, primùm de Chamæleonis albi radice. χρησίμη δὲ, φασὶ, πρὸς τοὺς ῥοῦς, ὅταν ἑψηθῇ καταθρυμμένη ὥσπερ φακὴ ἐνειλαμένη (lege ἐνηλωμένη) ἐφ' ὁλοσχοίνου, καὶ πρὸς τὴν ἕλμινθα τὴν πλατεῖαν, ὅταν ἀσταφίδα προφάγῃ πίνειν (lege πίνειν δεῖ) ἐπιξύοντα ταύτην, ὅσον ὀξύβαφον ἐν οἴνῳ αὐστηρῷ. ἀναιρεῖ δὲ καὶ κύνα, καὶ σῦν. κύνα μὲν ἐν ἀλφίτοις ἀναφυραθεῖσα μετ' ἐλαίου καὶ ὕδατος: σῦν δὲ μετ' ῥαφάνων μιγνυμένη τῶν ὀρείων. γυναικὶ δ' ὅ διδόασι διαπειρᾶσθαι ἐν τρυγὶ γλυκείᾳ, καὶ ἐν οἴνῳ γλυκεῖ. ἢ ἐὰν βούληταί τις ἀσθενοῦντος ἀνθρώπου διαπειρᾶσθαι βιώσιμος

βιώσιμος, λούειν κελεύουσιν τρεῖς ἡμέρας. κἄνπερ περιενέγκῃ, βιώσιμος. Deinde de nigri Chamæleonis radice. δύναται δὲ λέπραν ἐξελαύνειν ἐν ὄξει τριβόμενος, καὶ τριβεὶς ἐπαλειφόμενος, καὶ ἄλφον ὡσαύτως. ἀναιρεῖ δὲ καὶ τοὺς κύνας. Id eſt, Chamæleonis albi radix ad fluxiones vtilis eſſe traditur, cõciſa raphani modo, & iunco velut clauo transfixa ac decocta: & aduerſus latos lumbricos cum vua paſſa acetabuli menſura in vino auſtero pota. Occidit & canes & ſues. Canes in polẽta ſubacta cum aqua & oleo, ſues mixta cum braſſica mõtana. (Quæ ſequuntur, Mulieri datur ex fece vini paſsi, aut ex vino paſſo, Gaza non expreſsit, fortaſſe ea notha ac ſuppoſititia eſſe ratus.) Quòd ſi quis experiri voluerit, moriturus ſit æger nec'ne, præcipiunt ea radice lauandum triduo, quòd ſi tolerauerit moriturum negant. Nigri Chamæleonis radix in aceto trita & illita lepram & vitiligines exterit. Occidit & canes. Plinius partim ex Dioſcoride, partim ex Theophraſto hæc exſcripſit. Chamæleon cãdidus hydropicos iuuat ſucco radicis decoctæ. Bibitur drachma in paſſo. Pellit & interaneorum animalia acetabuli menſura ſucci eiuſdem in vino auſtero cum origani ſucco. Facit ad difficultatem vrinæ. Hic ſuccus occidit canes, ſuéſque in polẽta addita aqua & oleo. Contrahit in ſe mures, ac necat, niſi protinus aquam ſorbeant. Radicem eius aliqui cõciſam ſeruari iubent funiculis pendentem, decoquuntq; in cibo contra fluxiones, quas Græci rheumatiſmos vocant. Et mox de nigris addit. Radicibus eorum lichenes curantur, cum ſulphure & bitumine vna coctis: commanducatis verò dentes mobiles, aut in aceto decoctis. Succo ſcabiem etiam quadrupedum ſanant, & ricinos canum necant, iuuẽcas quoq; anginæ modo: quare à quibuſdam Vlophonon, vocatur, & Cynozolon, propter grauitatem odoris. Ferunt & hæc viſcum vlceribus vtiliſſimum. Omnium autem generum eorum radices ſcorpionibus aduerſantur. Atq; hoc poſtremum videtur innuere, quod Dioſcorides theriacam eſſe dixit. Cum origani verò ſucco bibi ait, quod Dioſcor. dixit, μετὰ ὀριγάνου ἀποζέματος, quibus cum origani decocto bibendum eſſe ſignificatur. Galenus de iiſdem radicibus hæc ſcribit. Nigri Chamæleonis radicẽ lethale quidpiam habere: quamobrem foris vſum eius ad pſoras adhiberi, & lichenas, & vitiligines, & in ſumma quæ deterſionem poſtulant. Præterea digerentibus & emollientibus pharmacis commiſceri, & phagædenica vlcera illitam ſanare: eſſe enim ſiccam tertio ordine, calefacere ſecundo completo. Porrò albi Chamæleonis radicẽ potui dari cum vino auſtero menſura oxybaphi contra latos lumbricos: exhiberi etiam aqua intercutem laborantibus, adſimilémque habere temperiem ipſius nigri radici, niſi quòd hac illa amarior ſit. Paulus quoque, Oribaſius, & Aëtius tradunt Chamæleonis nigri radicẽ ſi intra corpus ſumatur, veneni loco eſſe, & cętera eadem quę Galenus. At Dioſcorid. Theophraſtus, Plinius neutrius venenatam eſſe radicem dixerunt. Neque enim venenatam eam eſſe intelligas, quæ canes, ſues, & mures perimat. Quędam enim ſunt iis animalibus noxia, quæ nobis ſalutaria ſunt: nam eandem ad pellendas latas interaneorum tineas propinant: item hydropicis, & contra difficultatem vrinæ. Præterea Dioſcorides de Chamæleone albo tractans, Ixiam venenum eſſe non ait, neq; Theophraſtus, cùm ſcribit, ἔχει δὲ δάκρυον καὶ ἡ ἰξία ἡ ἐν Κρήτῃ. Id eſt, Lacrymam fundit Chamæleon albus, qui in Creta naſcitur. Sed Dioſcorid. de venenis agens, Ixiæ veneni incommoda & noxias vires, & remedia tradit ex Nicandro, qui ἰξιόεν οὐλοφόνον vocat. Eius ſcholiaſtæ fides habenda nõ eſt, qui Ixiam genus blattę eſſe ſcribit, quod ſit colore nigrum, odore verò in potu ocimi ſemini ſimile, quum apertè Dioſcor. viſcum eſſe dicat quod ad radices Chamæleonis albi reperitur. At Paulus & Aëtius de venenis tractãtes, cùm de vtriuſq; Chamæleonis veneno & curatione dixiſſent, ſeorſum de Ixiæ veneno eadem quæ Dioſcorides retulerũt. Cùm verò Chamæleon albus Ixias nominetur, ob viſcidũ illud gummi, quod ex radicibus manat, num etiã Chamæleonis nigri radices gummi fundunt? vt quæ de Ixiæ veneno veteres literis

Lib. 22. c. 18.
Lib. 8. ſim.
Lib. 7.
Lib. 15.
Lib. 1.
Lib. 9. hiſt. cap. 1.

In cap.21. mandarunt,ad succum etiam è radicibus Chamęleonis nigri pertineant. Matthio-
lib.6. lus non solùm Ixiæ nomenclaturam vtriq; Chamæleoni communem esse scribit,
quod vterq; gummi visco simile proferat, sed etiam Ixiam Dioscoridi de venenis
Lib.6. agenti,nihil aliud esse quàm Chamæleonem nigrum. Idem cùm Carlinam in cau-
lem assurgētem nigrum esse Chamæleonem sibi persuaserit, vêre ex vtriusque radi
ce gummi exudare ex quorundam Cretensium oratione in vtraque Carlina id cō-
crescere narrantium,asserere nō dubitauit. Quod verò Ixia Dioscor. Chamæleon
niger sit, haud verùm est: soli enim Chamæleoni albo Dioscor. Ixiæ, Theophra-
stus Ixiæ & Ixines appellationē perspicuè tribuerunt,nusquā Chamæleoni nigro:
quorum auctoritas maioris apud omnes ponderis esse debet,quàm nothæ illæ ac
Lib.22.c.18 supposititię Ixiæ appellationes,& Plinij oratio quæ est eiusmodi. Ferunt & hęc,in-
quit,viscum vlceribus vtilissimum. Quæ verba cùm de Chamęleonum generibus,
de quibus promiscuè suprà tractauerat,citra distinctionem proferūtur, vtriq; Cha-
mæleoni videntur viscum assignare. Quod Ruellium mouit vt eum locum aliter
quàm est in Plinij codice citaret ad hunc modum. Chamæleonem etiam nigrum
ferre viscum vlceribus vtilissimum Plinius cōmemorat. Verùm hæc de albo,nō de
nigro, audienda esse ex iis quæ diximus perspicuum est. His adde Penæ periti Her-
barij sententiam,qui gummi quod Ixia dicitur,è Carlinę caule carentis,& caule do-
natæ radice exudare virosum,& gustu ingratum se certò scire affirmat, venenū sit
fol.367. nec ne,nondum compertum habere. Id etiam asserit non nisi vnam esse plantam
vtramque Carlinam,vt dictum est,neque etiam Dioscoridem viscum vllum agno-
scere in verò Chamæleone nigro. Ixiam Græcorum Plinius locis quamplurimis vi-
Lib.3.c.9. scum conuertit. In causa fortasse fuit vtriusque consimilis lentor,inquit Ruellius.
Nam sicut viscum cuiuscumq; rei cui hęserit,tenax est, ita si deuoretur Ixias,omnia
glutinat interanea,omnésq; contrahit recrementorum exitus,& colligat. Sic forsi-
tan cùm pro veneno Pliniū Latina defecisset appellatio, maluit vti largiuscula no-
minis ambage,quàm vel Græcam sequi,vel nouam effingere nomenclaturam. Hoc
vtique pacto Plinius ab erroris suspitione posset vindicari, quanquam Scribonius
Largus antiquior eo,Græco contentus vocabulo,libellis suis Ixiæ vocem satis pro-
triuerat. Quare nomen hoc ἀμφίβολον ad viscum arboreum, & aucupiis dicatum vi-
tio non caret, cùm pugnent viribus viscum & Ixia, sitq; viscum in remediorum,
Ixia verò in venenorum censu numerandum. Id quod pridem obseruauit doctissi-
mus Leonicenus.

ERYNGIVM, CAP. VIII.

Nomina ΕΡΥΓΓΙΟΝ Græcis & ἐρύγη, Latinis Eryngium, Officinis corru-
pto vocabulo Iringus vocatur. Plerique etiam Centumcapita nomi-
eryngiū centūcapitū nant, à numero nimirùm capitū quæ in summo obtinet. Vnde Galli
Eryngium vulgare vocant *Chardon à cent testes*. Græci philosophi, in-
quit Pena, Eryngium quasi ἐρύγην, id est, ructum, dictum autumāt, quòd capræ quæ
morsu surculum Eryngij præciderint,vel deglutierint, cunctum gregem ponè se-
Lib.3.c.21. quētem quasi stupore attonitum sistunt, donec Eryngium ructu reiecerint. Dios-
Genera. corides Eryngij vnius meminit. Plinius scribit aliud esse albicans,aliud nigrum:&
Lib.2.c.7. satiuum quidem esse,& spōte nasci in asperis & saxosis:& in litoribus maris durius
8.&.9. nigriusq;,folio apij. Ex his cādidum à Romanis Centumcapita vocari. Sunt, inquit,
qui & acanon Eryngio adscribāt, spinosam,breuemq; ac latam herbam,spinisq; la-
tioribus. Recentiores quoq; herbarij aliquot Eryngij genera obseruarunt, ducti si-
Lib.3.c.21. militudine quæ illis est cum Eryngij descriptione à Dioscoride tradita. Est autem
Forma. huiusmodi. In aculeatarum stirpium genere est Eryngium, cuius folia initio sale
condita olerum modo comeduntur. Sunt autē lata,& in ambitu aspera,gustu odo-
rata. quum verò adolescunt, in multis caulium eminētiis spinis aculeātur, in quorū
summita

ERYNGIVM Montanum, Matthioli.



ERYNGIVM Marinum, Matthioli.



ſummitatibus globoſa capita duriorum acutiſſimarumq́; ſpinarũ ambitu ſtellę inſtar circumuallantur, quorum color modò viridis, aut candidus, interdum cæruleus inuenitur. Radix illi oblõga, lata, foris nigra, intus alba, pollicis craſſitudine, & ipſa odorata, & aromatica. Naſcitur in aſperis & campeſtribus. Hæc quamuis ſatis dilucida ſit à Dioſcoride tradita delineatio, quodnam tamen Eryngium propiùs repræſentet, nondum inter herbarios conſtat. Aliis enim Eryngium cãpeſtre deſignari placet: aliis Eryngium marinũ indiciis omnibus propiùs exprimi, quod Dalechãpius luculenter ſic deſcripſit. In litoribus & ſabuloſis, quæ exundãs maris fluctus irrigat, ſæpius hoc creſcit: radice dulci, ex interuallis geniculata, decem duodecim've pedes longa, & nonnumquam longiore, vt integrã extirpare vix liceat: folio magno, lato, ſubrotundo, albicãte, craſſo, per ambitum inſecto, & ſpinoſo, cùm manditur ſuauiter olente: caule pedali, rotundo, ima parte rubente: in cuius cacumine globoſa capitula, pilulæ forma, nucis magnitudine, aculeis horrida protuberant, circumfuſis exiguis floribus, tractu noſtro cæruleis, quinis, ſeníſve foliolis ſpinoſis, in orbem ſubtus muricato ſpiculorum vallo ſtellæ modo radiantibus, colore quoque cæruleo, quem caulis, floris, foliorum colorẽ in aliis regionibus variare quidam aſſerunt, quibus aſſentitur ille, ſed quale Eryngium in maritimis noſtris vidit, tale & deſcripſit in eorum gratiam qui procul à mari abſunt. Hoc Eryngiũ Plinius in litoribus maris folio apij eſſe dixit, quod aut falſum eſt, aut deprauati codices, vt pro σκολύμου, σελίνȣ, id eſt, apij folia, alicubi legiſſe videatur. Apud Theophraſtum quo loco aculeatarum ſtirpium differentias ex caulium ramorumq́; numero ac ſitu inueſtigat, ῥῦθρος, vel, vt Gaza legit, ῥῦθρον mendoſè pro ἐρύγγιον exaratum eſt, quod ex Pliniana loci illius Theophraſti interpretatione facilè demonſtratur: quanquam Plinius mentem illius non omnino expreſſerit, neque is Theophraſti locus ex Plinij conuerſione integer eſſe deprehẽdatur. Multis igitur enumeratis ſpinoſis herbis ſubiungit Theophraſtus. διαφέρȣσι δὲ ἀλλήλων πρὸς τοῖς εἰρημένοις, τῷ τὰ μὲν πολύκαυλα εἶναι, καὶ ἀποφύσεις ἔχειν, ὥσπερ ὁ κνῆκος. ἔνια δ' ἄνωθεν ἔχειν ἐξ ἄκρου, καθάπερ τὸ ῥῦθρος. Quæ ſic Plinius conuertit. Eſt & illa differentia, quòd quædam in iis multicaulia ramoſaq́; ſunt, vt carduus. Vno autem caule, nec ramoſum, cnicos. Quædam cacumine tantùm ſpinoſa ſunt, vt Eryngium. Ex quibus intelligere licet legendũ eſſe, καὶ ἀποφύσεις

Locus.

Fuchſ. cap. III. hiſt. Pena In Aduerſ.

Eryng. Marinum.

Lib. 22. c. 7.

Lib. 6. hiſt: cap. 3.

Lib. 21. c. 16.

ἔχειν, ὥσπερ ὁ σκόλυμος, τὰ δὲ μονόκαυλα, καὶ ἀποφύσεις οὐκ ἔχοντα, ὥσπερ ὁ κνῆκος, & pro ῥῦθρος legendum ἠρύγγιον: Plinium tamen non rectè dixisse, quædam cacumine tantùm spinosa esse: dicendum enim fuerat, quædam cacumine tantùm ramos & adnata fundere, quemadmodum Eryngium.

Locus. Eryngium montanum in salebrosis montibus nascitur:

Forma. foliis multis, à radice prodeuntibus, venosis, amplis, in ambitu crenatis, & leuiter pungentibus, vrticæ similibus, albicantibus, longo pediculo subnixis: caule sesquipedali, virgato, quà surculi echinos sustinentes prodeunt, foliis oblongis & valde muricatis stellatim coronato: echinis ouo similibus, foliorum spinosorum vallo munitis albæ spinæ modo, quod huic carduo peculiare est: dum maturescunt cæruleo colore nitentibus: radice ferè Helenij, foris nigra, intus candida, odorata, gustu Eryngij.

ERYNGIVM aliud montanum, Dalecham.



Aliud Eryngium montanum recentiores fecere, scilicet Crithmum quartum Matthioli. Nascitur in Bohemia inter segetes, in agrorũ marginibus & secus vias, foliis lõgis, angustis, firmis ternis ex pediculo longo prodeuntibus, vtrinq; denticulatis, iis quæ in summis caulibus sunt minoribus & breuioribus. Caulẽ habet ramosum, alis cõcauum, geniculatum, in summo alis diuisum, in quibus floridæ albicantésque vmbellæ, in eis semen oblongum, paruum, acre, odoratũ. Radix siluestri haud absimilis est, minor tamẽ, sapore primùm dulci, deinde acri & odorato. Hæc Matthiolus. Pena scribit gustu & odore esse Eryngij, radice simili, Crithmo dissimili. In Flãdria prouenire scribit Lobellius.

ERYNGIVM Planum, Matthioli.



Lib.6.c.16. Aëtius aliud Eryngium montanum describit, foliis angustis & paruis, floribus aureis, & oculorum speciem præbentibus, ex cuius radice pharmacum cõficit, quod qui per anni spatium sumpserit, à comitiali morbo non corripitur. Huius Eryngij folia non solùm contactu, sed etiam propè admota, vi prorsus admirabili salamandras aquatiquas interficiũt. Matthiolus Eryngium aliud pictum dedit, quod planum vocat, omissa prorsus eius descriptione. Potest Eryngium læue dici.

Lib. 2. stir. Hisp. c.32. Clusius aliud exhibuit, quod pumilum appellat: tenuifolium etiam dici potest. Hoc passim ferè in agro Salmanticẽsi in colliculis nascitur, palmi, nonnunquam pedis altitudine, caule gracili, multis alis brachiato: folia secundùm radicẽ maiuscula, latiuscula & molliora, circa radicem rotæ instar humi sparguntur: sed quæ in ipso caule sunt sub alis, multifida sunt, tenuia & aculeata: in ramulorum summitatibus globosa capitula plerumq; octo, spinosorum foliolorum ambitu

ambitu ſtellatim circumuallantur, & ipſa etiam ſinuoſa ſunt: flos & tota capitula cum ſuis foliolis ea ambientibus cærulei ſunt coloris: folia ſtatim exſiccantur & decidunt, vt rarò plantam cum foliis reperire liceat, præſertim, vbi defloruit: radix lignoſa & tenuis, quæ ſingulis annis perit. Poſt meſſes plerumque inuenitur loco ſuprà dicto. Huic ſubdendum aliud puſillum Eryngium planum Mutoni ex Lobellio, quod rarò ruri, vel in hortis apud Belgas viſitur, foliis quàm Dipſacus lon-

ERYNGIVM Pumilum, Cluſij.



PVSILLVM Eryngium planum Mutoni, Lobel.



gè minoribus, anguſtioribus, cauliculis dodrantalibus & pedalibus, anfractuoſis, & diuaricatis, in quibus ſummis & ſecundùm longitudinem floſculi minores quàm campeſtris Eryngij: radix Corrudę, aut Aſparagi, ſed minor multò, perennis. Nuſquam ſe vidiſſe ait Lobellius, quàm in hortis Mutoni. Dioſcoridi Eryngij radix calfaciendi vim habet. Pota menſes & vrinas pellit: tormina & inflationes diſcutit: cum vino iocinoroſis, venenatorũ morſibus, & iis qui lethiferũ quid hauſerunt ſuccurrit. Bibitur aduerſus plurima cum ſtaphylini ſemine pondere drachmæ vnius. Appenſa & illita tubercula diſcutere proditur: cum hydromelite pota opiſthotonicis, & comitialibus medetur. Plinius, Clara imprimis aculeatarũ Li.22. ca.7 Eryngium eſt, contra ſerpentes, & venenata omnia naſcens. Aduerſus ictus morſuſq; radix eius bibitur drachmæ pondere in vino: aut ſi plerumque tales iniurias comitatur febris, ex aqua. Illinitur plagis, peculiariter efficax contra cherſydros, ac ranas. Omnibus verò contra toxica, & aconita efficaciorem Heraclides medicus in iure anſeris decoctam arbitratur. Apollodorus aduerſus toxica cum rana decoquit, cæteri in aqua. Eryngium Galenus ait caliditate parum, aut nihil, quod Li.5. ſimpl. temperatum eſt ſuperare, cæterùm non paruam habere ſiccitatem in tenui eſſentia conſiſtentem. Aëtius ſcribit potum radicis decoctũ colicis mederi: mulſo ad- Lib.1. dito calculos, ſtillicidia difficultates vrinæ, & renum vitia ſanare: quod per quindecim iugiter dies & ieiunos, & in lectum ituros bibere oportet. Quod ſi cum eo ſium quoque decoxeris, magis proficies. Affirmabat quidam aſsiduo Eryngij vſu, nunquam poſtea minxiſſe calculos, cùm priùs eo morbo frequẽtiſsimè vexaretur.

SPINA ALBA, CAP. IX.

Nomina Lib.3.ca.12. *Forma.* ΑΚΑΝΘΑ ΛΕΥΚΗ Græcis, Latinis Spina alba, Arabibus *Bedeguar*, folia fert, vt Dioſcorides deſcribit, albo Chamæleonti ſimilia, ſed anguſtiora, & candidiora, aliquãtùm hiſpida, ſpinoſa, caulem ſupra bina cubita altum, pollicari, aut ampliori craſsitudine, albicantem, intus cauum, in cacumine capitulum ineſt ſpinoſum, echino marino ſimile, ſed minus, & oblongum, flores purpurei, in quibus ſemen ceu Cnicum, ſed rotundius. *Locus.* Naſcitur in montibus & ſiluoſis. Diuerſi rei herbariæ ſcriptores diuerſas ſpinoſas plantas pro Spina alba proponunt. Ca.16. hiſt. Fuchſius Spinæ albæ genus vnum eſſe ſcribit, quod Carduus Mariæ hodie nominatur, & Spinam albam hortẽſem appellat. Alterum genus, ſilueſtre, quod Acanthiũ ex Dodon. & aliis eſſe diximus. Alij Spinã albam, Carduũ benedictũ, vulgò dictũ eſſe putant: alij Carlinã: alij Cynarã aculeatam: alij Scolymum, alij alios ſilueſtres carduos ſpinis rigẽtes. Dalechamp. Spinã albã eſſe arbitratur quę hîc picta eſt, notis omnibus à Dioſco. traditis ei aptiſsimè quadrantibus. Gignitur in niuoſis, aſperis, & lapidoſis montibus Allobrogum, locis ad Orientem ſolem, aut Meridiem couerſis, quà celſi montium vertices in cliuoſos tractus ſummittuntur. Planta cubito procerior aſſurgit, radice pedali, intus candida, foris ex albo flaueſcente, parum ſurculoſa, guſtu adſtringente: caule anguloſo, ſupernè ramoſo, inani, pollicis craſsitudine: foliis Chamæleonis albi, candidioribus, anguſtioribus, altiùs inciſis, ſpinoſis, ſubhirſutis: echinis oblõgis, ouatis, aculeis

SPINA Alba, Dalechampij.




SPINA Alba, Matthioli.



innumeris rigentibus, dipſaci ſatiui echino prorſus ſimilibus, horrido ſpinarum erectarum vallo cinctis, quod huic vni ac Eryngio cæruleo ex omnibus ſpinoſis plantis ab eo viſis peculiare eſt: aſpectu pulcherrino: flore purpureo, in echino ſub aculeorum velut radice prodeunte: ſemine Cnici, minore. Hæc deſcriptio ex planta viua expreſſa omnibus notis Spinam albam, ita repręſentat, vt nihil deſiderari queat, & eius cognitio herbariorum de Spina alba diſſenſionem dirimere debeat,

hæc ſpina al. eadem est cum ſpina ... pag. 1461.

SPINA Alba altera, Matth.



debeat, ac in posterum medicamentarios docere syrupo de Eupatorio indendā. Matthiolus legitimam Spinam albam Patauio à Cortuso ad se missam ait, quā hîc expreſsimus. Hæc, inquit, Spinā albā Dioſc. notis, omnibus, quas modò ex eo recensuimus, refert. Eſt & altera planta aculeata, inquit, cuius iconem hîc exhibemus, quam quidam Spinam albam eſſe censent: sed multa in hac desiderâtur. Hanc tamen depinxit Pena, nomine Spinæ albæ, quā in horto Patauino vidit, indicante Melchiore Guillandino illi præfecto, Carduum ſcilicet totum albidum, infernè albidiorē quàm supernè, habentem folia Chamæleonis, minora in regionibus ſiccioribus. Nam quem in Anglia ſeuit ille, latiora aliquantò habuiſſe ait. Fuit quidem illi caulis bicubitalis, etiam tricubitalis, digitū craſſus, & incanus totus: echinos marinis ſimiles rotundos habuit: quando florent ex albo purpuraſcentes, inter quos defluentes ſeſe in ſummo, multò altiùs erigunt ternæ quaternæ've, papposæ glumæ cōfertæ rigidis mucronatis tunicis, ſemen claudentibus oblongum, auenæ excorticatæ æquale & ſimile. Hæc, inquit, poſterioribus, & accuratioribus peritiorum ſententiis omnium maximè quadrare videtur Spinæ albæ: ſemen tamen, cuiuſmodi dixit, auenæ aut ſecali ſimilius, ſed rotundius Cnico. Huius iconem capite de Spina Arabica oſtendimus. Spinæ albæ radix pota, vt tradit Dioſcorides, ſanguinē expuentibus, ſtomachicis, & cœliacis prodeſt: ciet vrinas: & ad tumores in cataplaſmate imponitur. Decoctum ipſius in dolore dentium collutum confert. Epotum ſemen infantibus qui conuelluntur, & à ſerpente demorſis auxiliatur. Aiunt & amuletum ex ipſo appenſum ſerpentes fugare. Inter Spinarum genera Plinius Spinæ albæ meminit his verbis. Spinæ albæ ſemen contra ſerpentes auxiliatur. Corona ex ea impoſita capitis dolores minuit: nec alibi ipſam deſcribit, niſi quod ait, in Papyris & Ferulis, Spinaq́; alba caulis ipſe pomum eſt. Galenus ſcribit Spinæ albæ radicē deſiccatoriam eſſe, & modicè adſtringentem: quamobrem cœliacos & dyſentericos iuuare, & ſanguinis reiectiones cohibere, œdemataq́; illitu contrahere, ac dentibus dolentibus prodeſſe, ſi decocto eius colluantur. Semen tenuis eſſentiæ & calidæ facultatis eſſe, itaq; potui datum iis qui conuelluntur conuenire.

Vires & Temper. Lib.3. c.12.

Li.24. c.12.

Lib.15.c.28.

Li.6.ſimpl.

LEVCACANTHA, CAP. X.

ΛΕΥΚΆΚΑΝΘΑ Græcis, Alba ſpina Latinis, non ſolùm vocum tranſpoſitione & compoſitione ab ἀκάνθα λευκῆ ſoluta compoſitione, ideſt Spina alba differt, ſed etiam re ipſa maximè: quod apertè priſci auctores demonſtrant, qui ſeorſum & diuerſa de vtraque tractant: imprimis Dioſcorides, qui cùm ea, quę ſuprà diximus, de Acantha leuce tradidiſſet, aliquantò pòſt de Leucantha hæc breuiùs, quàm nobis ad eius cognitionem comparandam neceſſe fuerat, ſcripſit. Leucacanthæ radix ſimilis eſt Cypero, amara, valida, vel, vt alij legunt, πικρὰ ἰσχυρῶς, ideſt amara valde. Nec fuſiùs Plinius, Leucacantha, inquit, quam alij Phyllon, alij Iſchiada, alij Polygonatō appellant, radice Cyperi, &c. Ex qua breui mentione quę ſit hodie Leucacantha, haud facilè

Nomina.

Lib.3.ca.19.

Forma.

Li.22.ca.16.

eſt decer

In cap. 19. lib.3.

CARDVVS Lacteus, Matthioli.



Lib.4.c.68.

Cap 7.

est decernere. Matthiolus Leucacantham suspicatur esse aculeatum illum Carduum, cuius folia albis maculis notata sunt, vnde ab Italis Carduus lacteus nuncupatur, ab aliis Carduus Mariæ. Nam præterquàm quòd coniectura quadam dici posset, inquit, ab albis maculis nomen inuenisse, radicis etiã ipsius tum durities, tum amaritudo, etsi forma cyperi radicem non referat, satis cõsentire videtur. Dodonæus Carlinam quæ caulem profert, pro Leucacantha depinxit & descripsit, quam Chamæleonem album esse ostendimus. Aliam quidam pro Leucacantha monstrant, quæ hîc picta datur. Hæc in agro Valẽtino Allobrogum, & in agro Sesteriensi, reliquaq; Galloprouincia frequentissima nascitur, agricolis, messoribus & viatoribus infestissima, quòd eorum crura spinis suis validissimis configat, & sauciet. Sesterienses *Auriole* vocant, à floris aureo colore. Prouenit vbique in aruis & segetibus, radice subnigra, lignosa, perquàm amara, terete, quasi geniculorum lineis virgata, cypero simili (nam, vt scribit Dioscorides, Cyperi radices nũc rotundæ sunt, cum quibus Leucacanthæ radicẽ comparare possumus, nunc oblongis oliuis similes inter se cohærent) caulibus sesquipedalibus, foliis ferè cyani, oblongis, carnosis, è cinereo virentibus, prope radicem altissimè laciniatis, in extremo caule nihil incisis, læuibus & exarmatis, flore aureo, spinis candidissimis (quam ob causam Albam spinam veteres nominarunt) stellatis, myacantho similibus, & pariter, vt in myacantho collocatis, tam rigidis, & sæuis, vt prætereuntium caligis transfixis sæpissime tibias dilanient. Huius solius & myacanthi folia in carduorum generibus, nullis spinis rigent. Monspelienses hanc spinam Solstitialem nominant, quòd æstiuo solstitio floreat, atque etiã seriùs. Quidam ἄκανθαν βασιλικὴν Theophrasti esse coniiciunt, id est Spinam regiam, quæ ante æstatem non germinat, conueniente cum huius natura germinationis tempore, & hac insuper cõiectura, quòd cùm Theophrastus alibi τῆς ἀκάνθης λευκῆς meminerit, nusquam mentionem fecerit τῆς λευκακάνθης plantæ veteribus notissimæ, & ab altera diuersæ. Auget & hanc suspitionem, quod legitur in vetustis Dioscoridis exẽplaribus, Leucacanthã Spinam quoque regiam nũcupatam fuisse.

Lib.1.ca.4.

LEVCACANTHA, quorundam.



Lib.1.caus. cap.10.

Lib.3. c.19.

Vires & Temper.

Dioscorides tradit Leucacanthæ radicem manducatam dentium dolores sedare. Decoctum ipsius cyathorum trium mensura cum vino potum auxiliari pleuriticis diuturnis, ischiadicis, ruptis, & conuulsis,

conuulsis: quin & succum radicis potum eadem præstare. Plinius, Leucacāthæ radix, inquit, commanducata dentium dolorem sedat: item laterum & lumborum, vt Hicesius tradit, semine poto drachmis octo, aut succo. Eadē ruptis, conuulsisq; medetur. Galenus Leucacanthi, quam aliqui Polygonatō, alij Ischiada nuncupāt, radicem amaram esse scribit, ac proinde incidere & exsiccare tertio ordine, calfacere autem primo. Leucacanthæ hîc depictæ radicibus vtuntur hodie ad tollendas hepatis & lienis obstructiones prospero successu: eiusdem succo ad aquam intercutem, aquas mirificè per vrinas, ac nonnunquam per aluum educente. Aliam Monspelienses Leucacantham vulgò appellant, hîc quoque appositam, quam neq; Spinam albam, neque Leucacantham genuinam esse iudicant periti herbarij. In asperis & saxosis prouenit, radice crassa, succosa, modicè fibrata, caulibus multis, sesquipedalibus, ramosis, foliis laciniatis, incanis, lanuginosis, aculeatis, capitulis echinatis, flore purpureo, coloris viuidissimi & nitidissimi, in pappos abeunte, semine oblongo. Pena nullam stirpem propiùs ad Leucacantham Dioscoridis accedere existimat, quàm Carduum bulbosum Monspeliensium, qui locis vdis & pratensibus circum Monspelium frequens oritur inter Narcissos & Aristolochias, cui folia palmū alta, pinguia, aut crassiora, in ambitu laciniata & serrata Acanthij modo cernuntur, tenuibus spinis ambientibus: caulis binos cubitos altus, gracilis, cui in summo capitula, floribus purpureis stamineis oppleta, semine Cnici, sed minore: radices multæ, confertæ, ex vno quasi nodulo aptæ, in multos oblongos globulos diductæ, Asphodeli, Cyperíve modo, mandēti multùm glutinis exhibentes, nonnihil caloris, & tenuium partium, tametsi amaroris penè nihil. Quidam Carduum Triglochina suprà descriptum cap. 3. Leucacantham esse malunt.

Li.22.c.16.

Li.7.simpl.

In Aduers.

LEVCACANTHA Monspeliensium, Dalech.



SILYBVM, CAP. XI.

GRAECIS σίλυβον, Latinis similiter Silybum nominatum, tam breuiter à Dioscoride delineatur, vt pronunciare difficile sit, quæ'nam ex nostratibus aculeatis stirpibus hoc nomine sit donanda. Sic enim ille scribit. Silybum spina est lata, folia habens Chamæleoni albo similia. Et Plinius, Silybum, inquit, Chamæleonti albo similem, æquè spinosam ne in Cilicia quidem, aut Syria, aut Phœnice, vbi nascitur, coquere tanti est: ita operosa eius culina traditur. In medicina nullum vsum habet. Quare cùm breuitas ista obscuritatē nobis pariat, diuinare potiùs licet, quàm de eius plantæ aculeatæ notione certi aliquid statuere. Silybum igitur quidam esse arbitrantur plantā illam aculeatam quam Lonicerus nomine Leucacanthę exhibuit & descripsit, & à Germanis *Vueisz distel* appellari scripsit, vel ad differentiam Spinæ albæ *Vueiz garten distel, lungkfrauuen distel*, id est Carduum puellarum, quod in virginum serta & coronas veniat, *Zamgarten distel*, id est Carduum satiuum hortensem. Spiræ, & in aliquot aliis Germaniæ ciuitatibus inter coronarias plātas magna diligētia in hortis colitur & seritur à puellis, quæ ex Libanotidis foliis, & huius cardui floribus intertextis

Nomina

Lib.4.c.153.

Li. & c.22.

σίλυβον. quoniam [illegible] planta illis illi Chamæleonis speciei, quam Ægyptij Sobil vocant, [illegible] Græci hoc vocabulum in Silybum converterunt

Forma. *SILYBVM, Siue Leucacanthæ Loniceri.*



intertextis corollas nectunt. Radice est longa, candida, amara, fibris villosa: caule procero, ramoso, aspero, & aculeatis carduis inter segetes nascentibus simili, altero demũ anno post sationem emergẽte: foliis magnis, latis, Chamæleonti albo non dissimilibus, valde dissectis, spinosis, capitulis perquàm multis, spinis rigentibus, flore candido, suauiter olente, semine Cardui benedicti, minore, alba lanugine concluso: cùm deperiit flos, tota planta moritur. Folia recentia in acetariis edũt, nec insalubria,

In Aduers. nec insuauia. Pena pro Silybo, quæ lata spina proditur, non respuendum esse opinatur Carduum lacteum, seu Carduum Mariæ, seu argentatum, de quo infrà tractabimus. Est enim foliis prægrandibus, latis, spinosis, maculis & ductibus lacteis, crebris, aspersis, viridibus. Caulis ei bicubitalis, crassus, spinosus, & echinodonatus spinis cincto, purpureo flore referto. Semẽ Cnici compressum, lapidi exterendo optimum etiam muliercularum experimẽto. Imum caulẽ pullulantem delibatum, & radicem in acetariis aliàs se in Italia esitasse ait. Plebecula mulierculārum copiam lactis illius esu prouocat. Dioscorides tradit Silybi radicem cum

Li.4. c.153. Vires & Temper. sale oleóque coctam edi: radicis succum drachmæ pondere potum vomitiones mouere. Sed de hoc Carduo aliquantò pòst plura dicemus.

SPINA ARABICA, CAP. XII.

Nomina ἌΚΑΝΘΑ Ἀραβικὴ Græcis, & αἰγυπτία, Spina Arabica, & Ægyptia Latinis dicitur, Mauritanis *Suchaha*. Hanc Spinæ albæ subiicit Dioscorides, non tamen describit, sed similem natura videri ait Spinæ albæ,

Lib.3.ca.13. adstringentem, & ad fluxum muliebrem, ad sanguinis reiectionem, & ad alias fluxiones radicem eius similiter vtilem esse. Plinius Spinæ Ægyptiæ,

Li.24. c.12. siue Arabicæ laudes, inquit, in odorum loco diximus: & ipsa spissat adstringitq́; destillationes omnes, & sanguinis excreationes, mensiúmque abundantiã, etiamnum radice valentior. Ita vetus codex, sed in vulgatis, Ægyptiæ siue, voces desunt. Quæ eadem planè sunt cum iis quæ Dioscorides tradidit, nisi quòd ῥοῦν γυναικεῖον, mensium abundantiam pro fluxu muliebri more suo conuertit. Locus autem quo se Ægyptiæ Spinæ laudes dixisse ait, est is. Nec minùs Spina celebratur in eadem

Lib.13. c.9. gente, duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat, ob id vtilissima nauium costis. Candida facilè putrescit. Aculeus Spinarum est in foliis, semen in siliquis, quo coria perficiuntur gallæ vice. Flos & coronis iucundus, & medicamentis vtilis. Manat & gummi ex ea, &c. At non satis animaduertit Plinius aliam esse spinam Ægyptiam, ex qua Acacia præparatur, quæq́; etiam Acacia appellatur,

Ca.11. li.13. de qua & hoc loco, & capite sequẽti agit, scribens, Gummi optimum esse ex Ægy-

Li.24. c.12. ptia Spina conuenit, vermiculatum, &c. Item alio in loco suprà à nobis citato, vbi Acaciæ spinam vocat, ab hac spina Arabica, quæ etiam Ægyptia vocatur, de qua primo loco à nobis adducto tractat, eíque eadem omnia quæ Dioscorides, attri-

Li.6 simpl. buit, cùm tamen hæc herba sit, illa arbor. Galenus quoq; scribit Spinam Ægyptiã, quàm & Arabicam vocant, similem esse Spinæ albæ nostrati, verùm facultate

validiùs

SPINA Arabica.



validiùs adstringere pariter & desiccare. Itaque profluuiũ muliebre radicem eius iuuare, & alia quibus auxilio est, quæ apud nos nascitur spina: sed efficaciùs tamẽ omnia iuuare tũ radicẽ, tũ fructum. Hunc verò & columellæ prodesse, & iis quæ in sede inflata sunt: tum vlcera ad cicatricem ducere, mediocrem habentem, & non molestam adstrictionẽ. Cùm hi omnes auctores ne vna quidem vel minima notula Arabicam spinam designarint, illúdque quod scribit Dioscorides, similem esse κατὰ φύσιν τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ, quidam ad figuram, alij ad vires referãt, haud facilè dictu est quæ'nam ex tot aculeatis, siue nostratibus, siue peregrinis stirpibus, Spina Arabica censeri poſsit. Attamen sunt qui Carduum illum tantopere aculeatum, quem Matthiolus nomine Spinæ albæ exhibuit, Spinam Arabicam esse opinentur, quæ hîc depingitur. Nam ab illius natura & facultatibus parum distat, quanquam specie nonnihil disſideant. Natales iidem sunt, editorum montium iuga, & aprici saxosiq; saltus, caulis magnitudine par & angulosus, sed latiora, longiora & ampliora folia, echinus rotundior, rigentium spinarum cinctu non sic vallatus, flos vt in superiore purpureus. Quare cùm potestate effectúque, & aliqua ex parte figura conueniant, nemini mirum videri debet Dioscoridem has duas plantas coniunxisse, & tanquam germanas à Mesue in syrupi de Eupatorio compositionem accitas fuisse.

ATRACTYLIS, *CAP. XIII.*

ΑΤΡΑΚΤΥΛΙ'Σ Græcis, Latinis quoque Atractylis dicitur, quòd ea antiquæ mulieres pro fuso vterentur: ἄτρακτος enim fusum significat: quare Gaza fusum agrestem Latinè appellauit. Vocatur etiã κνῆκος ἀγρία, id est, Cnicus siluestris, quòd ei similis sit: sic enim Dioscorides descripsit. Atractylis spina est Cnico similis, sed multò longiora folia habens in summo virgularum, caulem etiam magna ex parte nudum asperúmque, quo fœminæ pro fuso vtuntur: capitula in cacumine aculeata, florẽ pallidum, radicem tenuem, & inutilẽ. Hanc Atractylidem quæ ex aculeatis & Acanaceis est, Dalechampius circa Lutetiam & Lugdunum frequentem nasci tradit, in montosis scilicet, aridis, & macris, radice breui, valde fibrata, caule nũc vnico, pedali, & interdum altiore, recto, gracili, nunc multiplici, rotundo, lanuginoso, foliis longis, aculeatis, valde laciniatis, capitulis in summo plantæ vertice echinatis, floribus luteis, semine Cnici, minore. Totius plantæ odor grauis est: de qua hæc Theophrastus prodidit. Ἀτρακτυλὶς δέ τις καλεῖται, ἐστὶ λευκοτέρα πάντων. ἴδιον δὲ ἔχει τὸ φύλλον, ὅτι ἀφαιρούμενον, καὶ τῇ σαρκὶ προσφερόμενον, αἱματώδη ποιεῖ τὸν χυλόν. διὸ καὶ φόνον ἔνιοι καλοῦσι τὴν ἄκανθαν ταύτην. ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν δεινὴν, καὶ φονώδη. ὀψὲ δὲ καὶ τελειοῖ τὸν καρπὸν πρὸς τὸ μετόπωρον. Id est, Quæ Atractylis vocatur, his (Cnico & Acorua) candidior est. Foliũ eius id peculiare habet, quòd decerptũ, & carni admotũ, sanguineum emittit succum: quam ob causam spina hæc à quibusdam nominata est φόνος, id est cruor: grauis etiam odore, cruorémque repręsentans. Serò perficit fructum, scilicet Autumno. Sic vertit Gaza ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν, &c. sed auctoris mentem

Nomina

Li.3. ca.91.

Forma.

Lib.6. hist. ca.4.

ATRACTYLIS.

Lib. 3. ca. 55.



ATRACTYLIS flore purpurea.

Lib. 1.

mentem aſſecutus non videtur, ſicuti neque Ruellius, qui vertit odore grauis, & peſtem denuntians: nam cùm quotannis repullulaſcens odorem ſuum vibret, oporteret peſtilentem quoque luem quotãnis hanc minari. Alij exponunt, olêre cadaueris trucidati, & in tabũ iam marceſcentis fœtidum virus, quod ad auctoris ſenſum aptius eſt, non tamen verum. Atractylis enim reſinoſum & iniucundum quidpiam ſpirat, non autem tam abominandum, ac putidũ. Mendoſus igitur locus eſt, & ſic corrigendus. ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν δεινήν, καὶ δυσώδη, id eſt graui eſt, & ingrato odore. Alij legunt, ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν δεινὴν, καὶ χυλὸν φονώδη. Hæc peculiaris Atractylidis nota, quòd foliis ſanguineum ſuccum effundat, ob id ἀνδροσαίμων ab Aëtio nuncupata, Atractylidem hîc appictam genuinam eſſe arguit. Si quis enim echinorum ſquamas euellat, è plaga manabit cruor: ſi verò diſtractum & dilaceratum capitulum manibus, vel pãnis albis affrices, colore ſanguineo tingentur: quod experientia quẽuis docere poteſt. Eſt & in agro Mõſpelieñſi Atractylis purpurea frequẽs, luteæ Atractylidi caule, folio, radice, echino, odore, ſucco ſimilis, hoc verò diſtans, quòd nec pubeſcit lanugine quemadmodum lutea, & florem edit purpureũ, ſeu potiùs coccineum. Ad hanc accedere videtur Atractylis Cypria, quam deſcripſit Anguillara, foliis Cnico ſimilibus, minoribus, nonnihil criſpis: ex horum medio ſurgit caulis, in cuius faſtigio echinus protuberat, ex quo dodrantales ramuli graciles, foliis nudi, huc illuc procedunt, echinos in vertice puſillos ſuſtinentes, flore dum explicantur purpureo, Anemonæ ſimili. Horum ſimul omnium, nempe & caulis & ramulorum, cubitalis eſt altitudo: ſemẽ album, Cnico ſimile. Naſcitur & hoc Cardui genus in agro Bononienſi prope montem, quem *Mangianigo* vocant, prope villam Medeſanum, & in Marſis prope oppidum, quod *Chieti* nominant, & in Narbonenſi prouincia inter Maſanum & Inſulam oppidum, ſed flore ad luteum inclinãte. Eſt prætereà Atractylis marina cognominata, quòd in maritimis gignatur, Pena Pycnocomon appellat, radice vulgari Atractylidi ſimili: foliis paulò latioribus & longioribus, partim ex caule ramíſque extrorſum diſtentis, partim, quod iſti plantæ peculiare eſt, cauli & ramis pennarum ritu natiuo coalitu ſic agglutinatis, vt cohæreant, & vtrinque cauli ramíſque incumbant, tanquam de induſtria admota & impacta: flore Cnici, croceo, in oblongis capitulis fulgente: ſemine quoque Cnici. Quidam ſunt, inquit Matthiolus, qui plantam

ATRACTYLIS Marina,
Pycnocomon Penæ.



ATRACTYLIS quorundam, Matthioli.



plantam cuius iconem hîc expressam videtis, Atractylidẽ esse existiment. Quorũ opinionem approbaret, si folia sanguineum succum funderent, & caules rectiores essent. Sit itaque ea de re aliorum iudicium. Atractylidis folia, coma & semen, auctore Dioscoride, trita cum pipere vinóque pota, contra scorpionum ictus In c.91.li.3. prosunt. Sunt qui dicant à scorpionibus percussos quamdiu teneant eam herbam, non sentire dolorem, deposita verò dolore affici. Plinius de eadem hæc tradit. Nec de Cnico, siue Atractylide verbosiùs dici par esset, Ægyptia herba, ni magnũ cõtra venenata animalia præberet auxilium, item aduersus fungos. Constat à scorpione percussos quamdiu teneant herbam, non sentire cruciatum. Et Galenus scribit Atractylidem, quæ ex spinosarum est genere, facultatem habere desiccandi, & modicè digerendi.

Vires & Temper.

Li.21. c.32.

Li.6.simpl.

CARDVNCELLVS, Penæ.



CARDVNCELLVS, CAP. XIIII.

IN NARBONENSIS agri montanis ad montis Lupi ima, meridiem versus, scribit Pena oriri prope pusillum amnem, aut torrẽtem, hanc Cardui speciem omnium minimam, eóque Carduncellum ab ipso nuncupatam. Plantulæ huic radix est implexa, altè humi depacta, à qua mox foliola pluscula, exilibus & altis diuisuris

In Aduers.

Forma.

dentata. Caulis vix dodrantalis, læuis, gracilis, humi demissus: caput maius quàm pro foliorum proportione, spinis horridis, foliosis cinctum florem claudit, purpureum, Atractylidis, cui etiam folia, ipsaq; vniuersa planta valde similis est, sed longè similior Aëtij Atractylidi purpureæ à flore vocatæ, fortè & eadem. Vsus incognitus, quia planta vix nota. Hæc Pena.

CARDVVS STELLATVS, Dalecham. CAP. XV.



Nomen.

Forma.

PRAETER Carduorum genera partim dicta, partim dicenda, & ad priscas nomenclaturas coniectura quàm maximè fieri potuit verisimili reuocata, quædam alia hodie nobis innotuerunt, specie non minùs quàm illa consideranda & explicanda: inter quę primus occurrit Carduus stellatus, alius à Myacantho Theophrasti, quem Officinæ nomine Cardui stellati ostendunt. Hic noster foliis est breuibus & paruis, nec valde laciniatis, nec spinis aut multis, aut rigidis armatis: caule cubitali, parum surculoso: capitulo toroso & crasso, candicante, spinis vndique muricato, stellæ figura radiatis, ex aculeis septem vnaquaq; spinarum congerie coalescente, longissimo eo qui medius extat, breuioribus aliis vtrinque tribus qui medium ambiunt, elegantissima harum spinarum structura: flore puniceo.

CARDVVS CHONDRILLODES, Dalech. CAP. XVI.



Nomen.

Forma.

CARDVVS hic Chondrillodes cognominatur, quòd foliis Chondrillam secundam valde imitetur. Crescit in asperis & saxosis, radice dodrantali, lignosa, dura, candida, obliqua, tenuissimis villis capillata: foliis proximè radicem multis, laciniatis, & circumrosis Chondrillæ modo, breuibus, aculeatis, in superiore caule paucis, qui pedalis est: in ramulos ferè duos tantùm diuisus, teres, angulosus, in cuius cacumine capitulum nullum, sed eius vice corticosus vertex, vt in Borragine circinatus, velut in radios dispertitus: flos aureus, in pappos euanescens. Quod itaque Scolymo proprium esse vult Theophrastus, vt spinoso capitulo, quod acanum vocat, is careat, id & huic Carduo commune est præter aliorum Carduorum naturam.

CARDVVS ARAEOPHYLLOS, Dalechampij. CAP. XVII.



EST ET Carduus alius, Aræophyllos dictus, quòd caulis, qui etiam angulosus est, raris foliis vestiatur. Hæc ex interuallis singula longiuscula, angusta, oleæ similia, paucis & mollibus spinulis aspera prodeunt in caule terete, pedem alto, in cuius summo quatuor, aut quinque conspicias capitula, subalbida, minimè aculeata, sed laminularum positu, ordinibus, & scansili inæqualitate leuissimè tantùm attrectantium manus scabentia: flos purpureus est: semen paruum, oblongum, inter omnia Carduorum genera mollissima & longissima lanugine reconditum. *Nomen.*

ONOPYXOS. CAP. XVIII.

ὈΝΌΠΥΞΟΣ inter spinosas stirpes à Theophrasto numeratur, & à Plinio. Buxum asininum vertit Gaza, quòd sit Carduus asinis in cibo gratissimus, & summopere expetitus: quanquam non desint, qui non per υ, sed per η, ὀνόπηξον legendum esse putent, quòd ad eum pascendum asinus perpetuò defigatur & hæreat: qua ratione & Dipsacum ὀνοκάρδιον, ideò nuncupant, quòd ad eum asinus magna alacritate feratur cùm senserit, quasi asini corculum. Cùm verò asinos vbiq; obseruauerimus ad quosdam Carduos libentiùs accurrere, iis libentiùs, & maiori cum voluptate vesci, ab iisdem magis allici, meritò ὀνοπύξους nominauerimus, atque imprimis eum qui nascitur passim secus vias, in agrorum limitibus, scrobium marginibus, siluarum aditu, & vbique ferè in campis obuius: radice longa, nigra, valde fibrata: caule bipedali, rotundo, ramoso: foliis Acanthio vulgari similibus, sed læuibus, nec lanuginosis, minoribus, nigrioribus, aculeatis: capitulis in summo caule spinosis, rotundis, atrociter pungentibus: quæ cùm dehiscunt, purpureum florem Iulio & Augusto promunt, coloris venustate insignem: semen reliquis Carduorum generibus par. Notior est iste Carduus asinorum pabulo, quàm viribus, Dodonæo Cardui siluestris nomine descriptus, & depictus. Est & ὀνόπυξος alter, non in agris tantùm, sed in pratis etiam frequens, radice nigra, pedali: caule tres quatuórve pedes alto, vel nudo, vel paucis ramulis vestito, tereti: foliis superioris, minoribus, angustiorib9, vndique hamatis: capitulis initio rotundis, deinde oblongis, parum aculeatis: flore purpureo. Tertius quoque ὀνόπυξος dicetur, qui in macris

Nomina. Lib. 6. hist. cap. 3. Li. 21. c. 16.

Forma.

ONOPYXVS, Dodon.



ONOPYXVS alter.



ONOPYXVS tertius, Dalechamp.



& sabulosis agris nascitur radice crassa, nigricante: caulibus multis, cubitalibus, rotundis, rigidissimo spinarum vallo armatis, hinc inde in ramos diuisis: foliis longis, nigricantibus, in ambitu profundè laciniatis, atrociter pungentibus: echinis in caulium vertice horridis, florem egregiè rubentem explicantibus, deinde semen longum, exile, Cnico proximum.

ONOPORDON.



ONOPORDON, CAP. XIX.

Li.27. c.12. PLINIVS Onopordon memorat his verbis. Onopordon si comederint asini, crepitus reddere dicuntur. Id Cardui genus Onopordon rectè dici posse Dalechampius putat, quod Parisienses seruata Græci nominis significatione *Pet d'asne*, vulgò vocant, aiúntque, & affirmant asinos eo gustato subsultare, crebróque pedere. In locis cultis & pinguibus pecudum morsu non violatum, ad hominis proceritatem crescit, duos ferè trésve caules proferens, angulosos, lanuginosos, medul-

Forma. la candida farctos: radicem pedalem, crassam, nigram, fibris paucis capillatam, gustu amaram: folia, quæ ramorum loco sunt, pedis longitudi

longitudinem æquant supra radicem, prope verticem breuiora, in foliola diuisa, oblonga, oleæ similia, ad exortum & in cacumine spinosa, gustu subamaro & subaustero: capitula è foliorum sinu prodeunt suo pediculo surrecta, rotunda, antequàm florescant albo tomento lanuginosa, spinulis multis armata, extra lanuginem sese exerentibus, rubris: flos ex rubro purpurascit: semen est oblongum, vt in aliis Carduis.

POLYACANTHOS, *Theophrasti.* CAP. XX.



ΠΟΛΥΆΚΑΝΘΟΝ quoque in spinosis stirpibus Theophrastus & Plinius recensuerunt. Theodorus Aculeosam Latinè dixit. Sic autem nominatus est hic Carduus à spinarum infinito ferè numero, quòd nullũ sit Cardui genus pluribus, magísque confertis aculeis contectum & armatum. Gignitur ferè in pratis & madidis locis, radice tenuissimis fibris capillata, & quam fibras multas potiùs esse dicas quàm radicem: caule tres aut quatuor pedes alto, recto, non valde ramoso, vndique spinis rigẽte: foliis Onopyxi secundi, angustioribus, & magis aculeatis: capitulis etiam minoribus: flore purpureo: semine minuto & candido. Dodonæus Cardui siluestris tertium genus facit.

Nomina. Lib.6. hist. cap.3. Lib.21.c.16. — Locus. — Forma. — Lib.4.c.72.

MYACANTHOS. CAP. XXI.

PLINIVS Corrudã siue siluestrẽ Asparagum à Græcis Myacanthum, Dioscorides Asparagum petręum Myacanthã, Galenus eundem Asparagum Myacanthinum vocari scripsere. Myacãtham autem quidam dici volunt, quòd in carnariis suspensa carnes à murium iniuria tuetur, quia propter eius aculeos mures irrepere non audeant. Alij quòd sub cauis radicum huc illuc vagantium mures occultantur, eásque alius cibi penuria arrodunt. Alij quòd mures occidat, vt & canes. Sed ab hac Myacantho plurimùm discrepat ea cuius meminit Theophrastus, & quã Gaza Spinã murilem interpretatus est. Nam cùm Corruda tota spina sit, spinásque pro foliis gerat, vt & Scorpius siue nepa, in iis numerat Myacanthon, quæ, vt Ononis, foliis exarmatis innoxiæ, aculeis præter foliorũ comam rigent. Quod cùm in hac spinosa planta nos spectemus, quam Officinæ Calcitrapam, alij Stellariam, quidam Carduum stellatum, Cordus Polyacantham, Galli *Chaussetrappe*, Germani *Vvallendistel* nuncupant, vt in Leucacantha dictum, eam Theophrasti Myachanthon esse non sine ratione arbitratus est Dalechampius. Prosilit in pratis & locis incultis, septáque villarum & rudera obsidet: radice longa, foris nigricante, intus candida, carnosa, subdulci, foliis hirsutis, profundè laciniatis: caule bipedali, ramoso: capitulis multis, quàm in aliis Carduis minoribus, stellæ modo in complures aculeos siue radiorum cuspides fisis, principiò ex viridi rubentibus, posteà albicãtibus: ea cùm patefiunt, purpureus flos emicat, deinde semen paruum, nigrum, rotundum, carduelibus expetitum. Dodonæus Cardui stellati nomine proposuit, qui semen eius cum vino tritum potúmque vrinam prouocare, & lapides exterere tradit. Adiiciunt alij radicem eiusdem quotidie manè sumptam fistulis, in quacumque corporis parte sint, prodesse, & arcere pestis contagia. Huius generis est planta, quam

Lib.19.c.8. Lib.2.c.118. — Lib.6.sim. — Lib.6. hist. cap.4. — Locus. — Forma. — Lib.4.c.60 — Vires.

Iaceæ nomine depinxit Clusius: nam radiatis & aculeatis capitibus, foliis, floribus & semine cum superiore conuenit: sed omnia longè maiora hæc habet: capitula quoque Cnicum siluestrem superant. Semen item & flos non dissimilia, quo marcescēte è medio centro veluti gummi quoddam flori permixtum protuberat, ver-

MYACANTHOS, Theophra.



IACEA LVTEA, Clusij.



miculorum modo conuolutum, aut veluti Officinarum Tragacantha, rufi coloris: vnde Tragacanthi nominis occasio Salmanticensibus, apud quos in vinetis, agrorúmque marginibus frequens oritur. Est & huic cum Leucachanta nostra, seu Spina solstitiali suprà descripta, magna affinitas, vt eadem videri possit.

LEVCOGRAPHIS. CAP. XXII.

Lib. 27. c. 11. LEVCOGRAPHIDOS meminit Plinius his verbis. Leucographis qualis esset, scriptum non reperi. quod eo magis miror, quoniam vtilis proditur sanguinem excreantibus, tribus obolis cum croco: item cœliacis trita ex aqua & apposita: profluuiis fœminarum, oculorumque medicamentis, & explendis vlceribus, quæ fiunt in teneris partibus corporis. Hanc si non facies, quam nec descripsit, nec ab aliis descriptam reperit Plinius,

Nomina. saltem vires Dalechampio occasionem dedere coniiciendi esse Carduum Mariæ vulgò dictum, Germanicè *Mariendistel, & Frauuendistel*, Gallicè *Chardon nostre dame*.

Lib. 4. c. 63. Dicitur & Carduus lacteus ab albis maculis, vnde & à quibusdam Galaxias. Dodonæus Spinam albam, & Arabum *Bedeguar* esse credit. Fuchsius Spinam albam hortensem.

Cap. 16. histo.

Locus. Hunc Carduum prope olera in hortis, & in neglectis locis, præsertim si pinguis & lætus ager fuerit, sponte nasci videmus, siticulosum Dipsaci modo: nam inter caulem & foliorum sursum tendentium concauos sinus aqua colligitur.

Forma. Radice est crassa, longa, candida, facultate sicca & astringente: caule procero, terete, surculoso, spinoso, digiti crassitudine: foliis latis, amplis, albicantibus, notis maculisque lacteis distinctis & aspersis, multis & acutissimis spinulis horridis, in ambitu pungentibus

LEVCOGRAPHIS Plinij, Carduus Mariæ.



pungentibus: capitulis in ſummo caulium ramorúmque globoſis, ſquamis muricatis rigentibus, aſperrimis, in orbem rotæ inſtar ſpiculis prælongis munitis: flore purpureo: ſemine Cnico ſimili, longo, læui, guſtu dulci, nucis iuglandis ferè ſapore, nigriore, lanugine tenera & candida obuoluto. Floret Iunio & Iulio menſibus, hieméque moritur. *Tempus.* Ea præſtat quæ ex Plinio ſuprà recitauimus. *Vires.* Præterea aqua è foliis deſtillata caliditati hepatis, & animi deliquiis in linteolis extrinſecus admota opitulatur. Lateris morbo ſuccurrit, peſtilenti veneno, & multis aliis partium internarum morbis: efficaciúſque id præſtat addita ſeminis drachma dimidia.

CROCODILIVM. CAP. XXIII.

ΚΡΟΚΟΔΕΙΛΙΟΝ Græcè, ſimiliter Crocodilium Latinè, cuius nomenclaturæ ratio à nullo dum, quod ſciam, explicata eſt, neq; deſcriptio tam aperta, vt à tot aculeatis plantis facilè ſit genuinum Crocodiliũ diſtinguere & internoſcere: quæ deſcriptio à Dioſcoride tradita eſt his verbis. *Nomina.* Crocodilium ſimile eſt nigro Chamæleoni: naſcitur in locis ſiluoſis, radicem habens longam, leuem, aliquantùm latam, odore acri veluti naſturtium. *Lib. 3. c. 10.* *Forma.* Radix feruefacta in aqua & pota ſanguinem copioſum per nares pellit. Datur lienoſis, eos euidẽter adiuuans. Semen vrinam ciẽdi vim habet, & rotundum, & duplum veluti ſcutum. Quæ Plinius ſic videtur reddidiſſe. Crocodilium Chamæleontis herbæ nigræ figuram habet: radice longa, æqualiter craſſa, odoris aſperi. *Lib. 27. c. 8.* Naſcitur in ſabuletis. Pota ſanguinem per nares pellit copioſum craſſumq;, atque ita lienem cõſumere dicitur. In quibus Plinius legiſſe videtur ἐν τοῖς ἀμμώδεσι, id eſt, in ſabuletis, pro ἐν τόποις δρυμώδεσι, id eſt, ſiluoſis, vt habet Dioſcorides: deinde pro ὑποπλάτην aliquantùm latam, ἰσοπλάτην, ſiue ὁμαλῶς παχεῖαν, id eſt, æqualiter latam, ſiue æqualiter craſſam, Oribaſius ſubcraſſam legit. Quem verò ὀσμὴν δριμεῖαν Dioſcorides, Plinius ſuo more odorem aſperum dixit. Oribaſius radicem acrem, odorémque naſturtio ſimilem. Quod verò ad ſemen attinet rotundum, duplicis ſcuti figura, id à Plinio omiſſum eſt, & ab Oribaſio, qui integras hiſtorias ex Dioſcoride exſcribere conſueuit. Præterea id à Dioſcoride præter morẽ additum fuiſſe videtur, abſoluta ſcilicet hiſtoria & viribus explicatis, atque falsò huic plantę attributum, cùm ἀκανθώδη ferè omnia ſemẽ edant Cnico ſimile. Quare adiectitia hæc viri docti cenſent, & ex Tordylij hiſtoria, cuius ſemini figuram hanc Dioſcorides aſſignat, huc à ſciolo quodam nominum vicinitate decepto aſcita fuiſſe. *Lib. 3. c. 54.* His adde, quòd in Crateuæ fragmentis deſunt verba illa, προσεμφερὲς ὄν, καὶ διπλοῦν ὡς ἀσπίς, id eſt, rotundum, & duplum vt ſcutum. Quantùm verò ex ſatis obſcura delineatione colligi poteſt, cùm præcipua Crocodilij nota ducatur ex ſimilitudine Chamæleonis nigri, & altera Carlina, quæ in caulem attollitur, nigro Chamæleoni tam affinis ſit, vt Matthiolus, & plerique alij Chamæleonem nigrum eſſe contenderint, Carlinam illam Crocodiliũ eſſe non ſine ratione Dalechampius iudicauit. Etenim in ſiluoſis ſabuloſiſq; prouenit: foliorum ſpecie, & ſubrubro colore nigrum Chamæleonem

mæleonem imitatur: radice est longa, leui, non solida, sed exesa, nonnihil lata, odoris vehementis & acris, ad nasturtium accedentis: semen Cnico simile, cinereum: quod enim de semine Crocodilij legitur in Dioscoride, falsum esse ac suppositium diximus. Sanguinem quidem per nares potu eliciendi vim nullus in Carlina agnouit, quæ si Crocodilio inest, tanquam insignis & eximia magnifacienda est, verùm optanda potiùs quàm asserenda videtur. Nam in Dioscoride scribitur, ἡ ῥίζα ζεσθεῖσα ἐν ὕδατι καὶ πινομένη: pro πινομένη legunt quidam ἐπισπωμένη, id est, si
Lib.2.c.154 per nares attrahatur, quemadmodum de Ocimo scripsit Dioscorides, ποιεῖ δὲ καὶ πταρμοὺς πλείονας ἐπισπώμενον διὰ ὀσφρήσεως, idest, sternutationes multas excitat si per nares olfactu attrahatur. Alias Crocodilio vires assignarunt Galenus, & eum secuti
Lib.3.c.54. Paulus & Aëtius, quas omnes de Tordylio tradidit Dioscorides, vt hoc magno sit argumento confusam fuisse vtriusque historiam. Maranthæ & Anguillaræ Chamæleon, inquit Pena, videtur aut verum esse Crocodilium, aut certè genuini opinionẽ sustinere posse, vsque dum doctis magis accurata descriptio, aut planta Crocodilio aptior occurret. Adeò enim ad descriptionem accedit, vt illis nigrum esse Chamæleonem persuaserit. Hunc capite de Chamæleone pinximus. Aliud Cardui

CROCODILIVM, *Carlina caulem habens.*



CROCODILIVM *Monspeliensium, Dalech.*



genus Crocodilium Monspelienses vocant, in aridis & apricis prosiliens, radice palmum longa, nigricante, gustu amara: caulibus ferè duobus aut tribus, cubitalibus, angulosis, lanuginosis, ramosis: foliis auersa parte candida lanugine pubescentibus, aduersa in viridi pallidis, multis, aculeatis, Carlinæ similibus: capitulis multis, pilæ modo rotundis & globosis, pungentibus, aspectu cinereis, *flore copioso, purpureo Hyacinthi modo, subamaro, semine longo, nigricante. Quidã Silybum esse volunt, quidam Galedragon.* Lobellius Crocodilium Fuchsij & Cordi pinxit, plantam quam Dodonæus Spinam peregrinam vocat, Tragus perperàm Chamæleonem verum, inquit Lobellius, cuius effigiem suprà posuimus.

TRAGVM

TRAGVM, *Matthioli.* CAP. XXIIII.

TRAGIVM & Scorpium de multis & diuersis plantis dici iam monuimus. Aculeatam verò stirpem hîc depictã Matthiolus legitimum Dioscoridis Tragum, siue Scorpium, siue Traganon esse credit: item Plinij Tragum,& eiusdem atq; Theophrasti Scorpium. At alio in loco Tragum alium genuinum Dioscoridis ostendimus,qui à Scorpio Theophrasti, quem Nepam vertit Gaza,longè alius sit:prætereà Matthiolum citatis duobus Plinij locis de Trago & Scorpio, Tragũ Dioscoridis cum Scorpio Theophrasti perperàm confudisse. Quod verò Tragus Matthioli à Trago Dioscoridis plurimùm dissideat,descriptio ipsa perspicuè declarat. Tragus, inquit Dioscorid.nascitur maximè iuxta mare:frutex paruus,per terram, oblongus,non magnus, palmi altitudine, aut maior:folia non habet, verùm ramis adhærent velut acini parui,rufi,magnitudine tritici,cacumine acuti,multi,gustu valde adstringentes.At hic Tragus Matthioli, succulenta est planta, non frutex, vt dilucidè demonstrat Pena.nullos acinos habet rufos,tritico pares,& supernè acutos, numerosos, magnopere adstringentes:foliis nõ caret,carnosa enim habet,spinis horrida, astrictionem penitus nullam. Quare fuerit ille illegitimus Matthioli Tragus, eodem Pena auctore,Crithmi salicornij,seu kali cõgener, propiùs ad eam speciem spinosam accedens, quam Pastinacã marinã, aut Secacul, aut alterum Crithmum faciunt,pedem aut cubitum altam, intortis,crassis,densis ramulis diuisam,& adeò horridam, armatamq; foliis pungentibus, Aizoi colore & figura,carnosis, crassioribus, numerosis in imo,in summo muricatis, cuiusmodi in Tribulo terrestri & aquatico,vt impune effringere surculum nequeas. Hisce ad imam basim interiorem flosculi herbacei,rotundi,ex quibus semen exit compressum. Radix cespite summo exilis,lignosa, kali & herbaceo prorsus gustu, succóque multo glutinoso prægnans,minimè adstringente,salso,& nullius alioqui excellentis facultatis. Hæc Pena. Lobellius Tragum hunc Matthioli paulò aliter expressit quàm Matthiolus.Illius picturam posuimus in libro de maritimis.

Lib. de marit.cap. 22. — Vide Phytog. pag. 56

Lib.4.c.46

In Aduers.

TRAGVS, *Matth.*



TRAGACANTHA. CAP. XXV.

ΤΡΑΓΑΚΑΝΘΑ Græcè, Latinè similiter Tragacãtha, & Hirci spina,Arabicè *Chitira, Itica, Chatheth,* Gallicè *Espine de bouc*, in Galloprouincia, potissimùm circum Massiliam, *Barberenard, & Ramebouc*, id est,Barba vulpina, & Surculus hircinus. Gummi ex ea manans τραγάκανθα quoque Græcè nominatur, Latinè Tragacanthæ lacryma, in Officinis gummi draganti. Tragacanthæ spinarum barbulæ nomen dederunt.Radix est lata, & lignosa,inquit Dioscorides, supra terram etiam apparens, à qua surculi humiles, robusti, plurimũ sese diffundentes, in quibus foliola sunt multa,tenuia, quæ spinas albas,robustas,rectas inter se occultant. Eius iconem sic expressit Matthiolus. Est etiam

Nomina

Forma
Lib.3.c.20.

TRAGACANTHA, Matth.



Lib.13.c.21.

Lib.9. hist. cap.15.

etiam Tragacantha lacryma, quæ vulnerata radice concreuit. Præstat pellucens, læuis, gracilis, pura, & subdulcis. Plinius. Eadem & Tragacãthen (Creta gignit) spinæ albæ radice, multùm prælatam apud Medos, aut in Achaia nascẽti: de qua & Theophrastus ait, ἐν ἀρκαδίᾳ δ' ἡ τραγάκανθα πολλή, καὶ οὐδὲν χείρων, ὡς οἴονται τῆς κρητικῆς, ἀλλὰ καὶ τῇ ὄψει καλλίων. Id est, Tragacantha in Arcadia copiosa, & nihilo deterior, vt arbitrantur, Cretica, sed & aspectu pulchrior. Sed hæc non solùm in Media & Creta, sed etiam in Galliæ prouincia plurima fruticat, prope pomeria Massiliæ, vt asserit Pena, in marinis collibus ad Austrum spectantibus aliisq; finitimis locis passim multa. Frutex humilis, densus, totus candicat, vno cespite copia multa aggestus, radice alba, longa, lignosa, digiti crassitie, prolixis & flexilibus fibris subter humum mersa: caulis, cùm maximè procerus, cubitalis, ex quo spicula foliata vtrinque quasi pinnis oriuntur, quæ ima & vetustiora nihil aliud quàm veprem ostentant: superiora pallentia perpetuò sunt. Is caulis ab vna radice multiplex, solidus, lignosus, cãdidus, quem vestiunt spinæ foliatæ spinis rigidissimis. In summo inter spinosa folia & spinas stipãtur multi flosculi inuicẽ collecti, genistellæ similes, sed albi. Siliqua etiam numerosa, recta, ciceris aut genistellæ spinosæ modo, sed multò minor & cãdida, in qua semina exilia, albicantia includuntur, sinapi magnitudine, angulosa. Hæc Pena. Ei simillima est planta, inquit Clusius, fruticosa admodum, multos habens pedales ramulos flexibiles, latè circumquaque sese diffundentes, candicantes, & dum adhuc tenelli sunt lanuginosos, multis longis candicãtibus spinis horrentes: foliorum plurimæ simul iunctæ alæ lenticulæ aut Tragacanthæ proximæ, exiguæ, candidæ, lanuginosæ primo vêre per interualla exeunt, sapore dulci: foliis hieme decidentibus, nerui medij, quibus folia inhęrebant, in spinas rigidas & acutas euadunt, vt eo tempore tota planta sine foliis conspiciatur, contrà quàm in Tragacantha, quę hieme etiã folia virẽtia retinet: radix lenta, lõga, in multos ramos diuisa, nigro cortice obducta, materie intus cãdida fungosaq; & dulci, cor ipsum gummosum quiddã & subdulce refert. Neq; florentem, neq; fructum ferentẽ vidit ille, sed sub ea plurimos folliculos bombycinis similes, aut Hypecoi Matthioli ferè inuênit, inanes, quos ab hac planta excidisse, & florem ex similibus prodire incolæ referebant, album, non magnum. De semine nihil certi intellexit. Nascitur plurima circa Guadix & la Venda el peral, in collibus arido

TRAGACANTHA Altera, siue Poterium, Clusij.



bus arido & inutili ſolo. Cùm adeò ſit Tragacanthæ ſimilis, facilè ſibi perſuaſerit Cluſius eſſe Poterium legitimum Dioſcoridis. Hæc Cluſius. Tragacantha, vt tradit Dioſcorides, vim habet meatus obducendi gummi ſimilem. Vſus eius eſt ad medicamenta ocularia, ad tuſſes, ad arteriæ aſperitates, vocem interceptam, & deſtillationes in eclegmate cum melle. Subdita quoque linguæ liqueſcit, ſed & macerata in paſſo bibitur drachmæ pondere contra renum dolorem, & veſicæ roſiones admixto cornu ceruino vſto, & loto, aut modico alumine ſciſſo. Galenus breuiter de Tragacātha ſcribit, ſimilem gummi vim habere emplaſticam quandam, quæ acrimoniam obtundat, & ſimiliter deſiccare. Tragacanthæ lacryma, inquit Matthiolus, collyriis addita non ſolùm humorum acrimoniam in oculos defluentium retundit, ſed oculos quoque roborat, & magis adſtringit quàm ſarcocolla. Præterea lacte macerata & illita, oculorum vngues, palpebrarum puſtulas, pruritum, & ſcabiem ſanat. Valet ad pulmonum, pectoris, aſperæ arteriæ morbos, & medetur eorum vlceribus, ad defluxiones omnes in fauces, guttur, pectus permeantes, & tuſſim excitantes. Datur vtiliter vlceratis renibus: auxiliatur quoque dyſentericis toſta, & ex cydoniorum vino pota, tum clyſmate infuſa. Denique vbi læuigare, obtundere, ac reprimere opus eſt, præſtantiſſimum fuerit medicamentum.

Vires. Lib. 3. c. 20.

Lib. 8. ſim.

In cap. 21. lib. 3.

DRYPIS. CAP. XXVI.

ΔΡΥΠΙΣ, Cardui ſpecies, à veteribus dicta fuit ἀπὸ τοῦ δρύπτειν, id eſt, σπαράττειν, νύττειν, ξύειν, à lancinādo, pungendo, vellicando, quòd aculeis ſuis attrectantes & colligere volentes vulneret. Huius ſemel tātùm, quod ſciā, ſolus Theophraſtus meminit, ſcribens Acornam, Drypida, Acanum ſpinoſis eſſe foliis, nihílque præterea. Quare cùm huius hiſtoria à nullo veterum tradita ſit, Carduum iſtum in ſatis & ſegetibus frequētem, diris aculeis rigentem, Drypida quidam nominant. In aruis inter fruges quaſi earum vitium, & auenam præcipuè, Carduus hîc naſcitur, interdū viri proceritate, interdum humilior, alba radice, & craſſa: foliis caules ambientibus muricatis, diſſectis & inciſis: capitulis vt in Scolymo echinatis: flore aliàs purpureo, aliàs candicante, aliàs puniceo: ſemine oblongo, læui, paruo, rufeſcente. Agricolis & meſſoribus plerumque impedimento eſt. Nullus huius vſus in medicina ab herbariis traditus eſt, quanquam ob calidam ſiccámque huius naturam ad ſecundum vſque gradum varias vtilitates quiſque meditari & excogitare poſſit. Hoc Carduo tenero aſini vt Onopyxo, libentiſsimè veſcuntur priuſquàm obduruerit, & in caulem aſſurrexerit. ſurculos ruſtici effodiunt, & iumentis ſuibúſque pro cibo & pabulo obiiciunt. Anguillarę Drypis, à ſuperiore diuerſa, in Marſis haud procul à mari naſcitur, radicibus ſub terra huc illuc ſerpentibus, graminis inſtar, exilibus: tenuibus ramulis, geniculatis, cubitalibus: foliis aculeatis, Iunipero ſimilibus: vmbella in ſummis caulibus: flore candido: ſemine, priuſquàm cortex adimatur, orizæ

Nomina

Lib. 1. hiſt. cap. 16.

DRYPIS.



Forma.

DRYPIS, *Theophr. Anguillaræ.*



DRYPIS, *Loniceri.*



ſimili cùm detractus eſt, Sertulæ campanæ, coloris valde lutei. Quibuſdā Eryngium marinum Drypis Theophraſti videtur eſſe: aliis, quorum opinio magis arridet, Drypis eſt Acanos Plinij lib. 22. cap. 9. breuis herba, ſpinoſa, lata, latioribúſque ſpinis. Guillandino Tragus Matthioli. Eſt & alia Drypis, ſeu Cardui ſylueſtris ſpecies, quam Gaza Aculeoſam, Ruellius Agriachantam, Lonicerus Carduum ſylueſtrē, ſeu Scolymum his verbis: Præterea ſylueſtris eſt quædam Cardui ſpecies in agris paſsim impedimentum, cuius meminit Vergilius, Carduus & ſpinis ſurgit Paliurus acutis: Latinis Scolymus, ſeu Carduus ſylueſtris, poterit appellari. Naſcitur in aruis maximè auenaceis bicubitali altitudine, ſæpe maior, aut etiā minor: foliis aculeatis, inciſis, capitulis aculeatis: flore in quibuſdam purpureo, in quibuſdam albo, in quibuſdam puniceo: quandiu tenera aſinis gratiſsima, bobus verò nō ingrata. calidum eſt in ſecundo completo aut tertio incipiente ordine, ſiccum verò in ſecundo. recens Aſparagi modo in oleribus coquitur. Radices ex ſale & pipere in ſecundis menſis hyeme eduntur: in cibis decocta vrinam cit copioſam fœtidámque educit. Extrinſecus radix illita graueolentiam alarum totiúſque corporis emendat.

CHALCEIOS. *CAP. XXVII.*

Nomina

ΧΑ΄ΛΚΕΙΟΣ Theophraſto, & Chalceios Plinio ſeruato nomine Græco, Gazæ Aeraria Latinè dicta, inter ſpinoſas & acanaceas ſtirpes ab iiſdem recenſetur. Eius hiſtoria quamuis apud Theophraſtum Pliniúmve nuſquam extet, ac ne nomenclaturæ quidem ratio vlla ab illis tradita ſit, ſi coniecturæ locus eſt, eam ſpinam ſic vocatam fuiſſe arbitrantur quidam quòd eius foliis vaſa aënea detergerentur, vel quòd ærei coloris ſit, nempe virentis obſcuriùs, interſperſo flaueſcentis nitoris paululo, ſplendentis. Poſterius etymum magis placet, quòd peculiare quiddam aſsignet, cùm prius ſpinoſis omnibus propter foliorum aſperitatem congruere poſsit, niſi fortè egregia quædā detergendi facultas huic inſit, vt Struthio. Herbam certè ſpecioſam, raram, & elegantem, cuius figuram hîc appoſuimus, Chalceion eſſe ſuſpicantur quidam: quod

CHALCEIOS.



quod tamen peritis herbariis disquirendū magis, quàm asserendum proponunt. Gignitur in macris & aridis locis: radicibus multis, foris nigricantibus: caule tereti, subatro, quatuor vel quinque pedes alto: foliis magnis, latis, profundiùs incisis, per ambitum pungētibus, parte superna virentibus, sed obscuro, fusco ac tristi colore, qualis in aëre conspicitur, vnde fortasse est illi nomen inditum: inferna verò cinereis & villosis: capitulis rotundis, echinatis: flore in cæruleo candicante, qui ex capitulis vndique promitur, & Iunio mense Iulióve prodit. Folia inter digitos trita odorem validū ac iniucundum vibrant, acriáque gustatu sunt. Hanc igitur plantam Chalceion vocant, quousque certiora de eius natura & specie herbarij compererint. Obseruandum apud Plinium in catalogo spinosarum plantarum pro Chalceio legi Chalceon, quemadmodum pro Ixine Helxinē, Chalcetumq; herbam ab eodem alibi memoratam, plurimùm dissidere à Chalceio spinoso Theophrasti. Fuchsius olim Chamæleonem nigrum, sed posteà rectiùs sentiens Spinam peregrinam nuncupauit. Dodonæus in stirpium historia Spinæ peregrinæ nomine pinxit & descripsit: in lib. purgantium Sphærocephalum Carduum primum fecit, quam hîc pro Chalceio exhibemus. Pena Rithrum siue Ruthrum Theophrasti esse opinatur, quæ Spina peregrina fuit Dodonæo, Echinopus seu Carduus Echinatus Gesnero, Sphærocephalus Cordo. Germanis *Vvelschedistel*, Belgis *Roomschedistel*. Theophrastus vno tantùm loco Rithri seu Ruthri meminit, quo scilicet stirpiū aculeatarum differentias ex caulium ramorúmque numero ac situ inuestigat. sed hîc ῥύθρος seu ῥύθρον pro ἐρύγγιον mendosè legi docuimus capite de Eryngio. Eius tamen iconē, quam Ruthrum vocāt, ex Pena hîc apposuimus, & descriptionē. Duplicis est differentiæ, inquit, & Chamæleonis ritu variat, radice exigua pollicem æquante: foliis Chamæleonis albi, longè minoribus: caule nullo, interdum exiguo, nonnunquam palmum, & aliàs cubitum alto: foliis semper proportione exiguis, & Spinæ albæ modo profundè incisis. Echinus illi cæruleus, eximiè purpurascens, orbiculatus, spectatu iucundus, & magnitudine quanta sphærula lusoria. Semen & eius glumæ similia Spinæ albæ: nullas tamē sursum rectas procul aculeatas vaginulas porrigit, tametsi sint acerosæ intus & lanuginosæ, vt in Spina alba. Ruthrum esse Theophrasti censet Anguillara, qui tamen proximæ, vt videtur, descriptionis immemor, ean-

RVTHRVM, Theophrasti.



Locus.
Forma.
Lib.21.c.16.
Lib.26.c.7.
Cap.338 hi.
Lib.4.c.64
Lib.6 hist. cap.3.
In Aduers.

dem Spinæ albæ notis accommodat, iisdem ferè verbis. Altera, quam Crocodilium Fuchsius putauit, prorsus genere eadem huic est, sed magnitudine multò maior. In silua tamen Valena, quà Gangem oppidum itur, se collegisse ait cæruleam, & hanc excaulem, aliam caule palmum alto præditam, quæ alibi ad duos, ternos, & quaternos cubitos assurgit. Echinus candidus est, non cæruleus, & cùm maximus est & rotundus magnitudinem mediocris mali Arantij assequitur: semine alterius, sed multò maiore. Cauli imo secundùm longitudinem striato adnascuntur permagna folia, Acanthi similia & spinosa. Belgici horti & Britannici hanc spectaculo alunt, vbi luculenta magnitudine Spina peregrina dicitur. Dodonæus descripsit Carduos alios Sphærocephalos. Secundus Sphærocephalus acutus folia superiore minora habet, ac spinosiora: capitula quoque globata, sed è quibus longæ quædam, & duræ eminent spinæ. Tertius primò forma figuráque similis, sed longè minor, & eius flosculi ad cæruleum magis accedunt colorē. Quartus minimus est, foliísque acutissimis ac spinosissimis, capitulóque exiguo, cuius flosculi vt primi candicant. Huc referri alius potest, qui tamen capitulo est minùs globato, compressiore videlicet, ac superiùs latiore, è quo flosculi cærulei. Tenuis huic caulis exili lanugine candicat: folia oblonga, vtrinque similiter laciniatim diuisa, ad singulos angulos spinis munita. Hunc plerique esse volunt, quem Matthiolus pro Spina alba proponit. Anguillara prorsus diuersam ab his Chalceion memorat his ferè verbis. Ad Chalcei naturam accedere videtur ea, quam in Peloponneso & Zacyntho etiamnum appellant Chalcoma. Lignosa & humilis est planta, rubens, aculeata, tenuibus spinis, folio lentis, minore, in ramulis ordine digesto sicuti in Lente, qui fracti lacteum succum fundunt Tithymali modo. Quidam Hippophæston Dioscoridis esse putant.

CARDVVS Spærocephalus acutus, Dodonæi.



TETRALIX, CAP. XXVIII.

Nomina

Lib.6.hist. cap.3. Lib.21.c.16 Lib.11.c.16. Lib.1.c.100 Lib.24.c.9. Lib.11.c.16. Lib.24.c.9. Lib.6.hist. cap.3.

TETPÁΛIΞ à Theophrasto cum reliquis aculeatis plantis Acarna, Leucacantha, Cnico, Chalceio, Polyacantho, Atractylide, Onopyxo, Ixine, Chamæleonte numeratur: item à Plinio eum imitato, qui tamen alibi Ericam Atheniensibus Tetralicem appellari, in Eubœa Sisaram auctor est. Ex quibus colligere licet Tetralicem spinosam ab Ericæa diuersam esse: quia Ericam spinis armatam esse nullus vnquam herbariorum prodidit, id quod etiam perspicuum est ex Dioscoride & Plinio de Erica tractantibus. Deinde Tetralicem Ericæam post primos Autumni imbres florere, nempe ad Idus Septembres, & Calendas Octobres idem Plinius testatur. Alio verò in loco Tetralicem & Ixinem florere tradit æstate: quanquam Theophrastus, ex quo hæc Plinius mutuatus est, Ixinem & Tetralicem non scribit florere æstate, sed germinare.

TETRALIX Spinoſa, Tragi.



germinare. Caue igitur, Tetralicem hanc cum illa confundas. Spinoſam Tetralicem putant eſſe quidam, quam Tragus pro vero Chamæleonte nigro pictam oſtendit, poſt Carduum vulgarem, & Chamæleonem album. Ea radice craſſa, longáque nititur, & fibrata: caule alto, anguloſo: foliis latis, amplis, profundiùs inciſis, vt ferè ſinuoſa videantur: flore pallidulo, in mitioribus globulis quibuſdam, & læuioribus emicante, non cæterorum Carduorum modo horridiùs echinatis: ſemine oblongo & capillato.

Lib.2.c.108

Forma.

ACORNA. *CAP. XXIX.*

Ἄ'ΚΟΡΝΑ & ἄκαρνα, (vtroque enim modo legitur in noſtris Theophraſti exemplaribus) inter ſpinoſas & acanaceas ab eodem Theophraſto, & Plinio reponitur. Cuius etſi nulla, quod ſciam, apud hos auctores extet amplior deſcriptio, præter hanc Theophraſti, ἡ δὲ ἄκαρνα προσεμφερὴς, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, καὶ τὴν πρόσοψιν τῇ κνίκῳ τῇ ἡμέρᾳ. χρῶμα δὲ ἐπίξανθον ἔχει καὶ λιπαρὸν, vbi deeſt vox χυλὸν, ex Plinio reponenda, id eſt, Acorna, vt paucis dicam, Cnico miti figura ſimilis eſt, colore ſubflauo, & ſucco pingui: apud Plinium, Acorna colore tantùm rufo diſtinguitur, & pinguiore ſucco: tamen Acornam eſſe hanc ſpinoſam herbam ſuſpicantur quidam, Fuchſius Atractylidem mitiorem, Dodonæus Carlinam ſiluestrem, Lobellius & Pena Sequanorum Cirſium luteum vocant. In aridis gignitur: radice alba, breui, non admodum craſſa, fibrata: caulibus interdum multis, ſæpius vnico, rubentibus, lanugine tectis: foliis circa radicem multis, per terram in orbem ſtratis, exareſcentibus cùm caules aſſurgunt per eoſdē inæqualiter ſparſis, ſpinoſis, Atractylidi ſimilibus, anguſtioribus, infernè candicantibus: flore in capitulis valde pallido, initio compreſſo, & cùm dilatatur in arida ſtamina ſeſe explicante, Carlinæ, aut Chamæleonis modo: ſemine Cnici, ſtrigoſo & tenui. capitulis auulſis nullus cruor emanat, vt in Atractylide. Huic ſimilem Cluſius Carlinæ ſilueſtris minoris nomine depinxit: ſeſeque nuſquam hanc alibi obſeruaſſe ait, quàm in aridis petroſiſq; & deſertis circa Salmanticam locis, florentem Auguſto menſe. Ad Acarnæ Theophraſti genus referri poſſe, ſiue ad Eryngium, quod Aëtius de Archigenis ſententia deſcribit, foliis Atractylidis, durioribus, & ex candido pallidioribus, multis ramis ab

Nomina


ἀπὸ τῆς ἀκῆς, vel ἀκῆς, cuſpis vel acumen quia pro planta ſpinis acuminata

Lib.6. hiſt. cap.4.

Li.21.ca.16.

Forma.

ACORNA, Theophr.



ACARNA, Carlina siluestris minor, Clusij.




vna radice cubitalibus, floribus Buphthalmi similibus, sed oculi formam stamina in medio nascentia perturbant. Huc referendæ spinosæ duæ plantæ à Lobellio depictæ, Prior est Acarna Theophrasti Anguillaræ, flauentibus aculeis horrida: virentibus sinuatis foliis, auersa parte tomento incanis, vti tota planta: plures fundit sesquicubitales caules: flores luteolos: semen Cnici, sed minus in squamoso & spinis horrido capitulo. Hanc Valerandus Doureus Iustinopoli Illyrij rediens Venetias detulit, sicut & sequentem eiusdem Valerandi Acarnam, foliis longioribus, spinis horridis caulem pinnatim secundum longitudinem ambientibus, quasiq; pennis telo affixis. Incana lanugine tota pubet. Caulis dodrantalis, interdum cubitalis: flores Cardui benedicti, confertim stipati minores, & Senecionis maiores: semen Cnici minus. Huc etiam Clusij planta noua, & sanè perelegans adducenda, quæ dodrantalis est, in orbem per terram diffusa, spinis multis virentibus siue aculeis horrida: flores Pisi ex cæruleo purpurascentes, minores, caliculis concluduntur hispidis & villosis & ferè incanis, bini aut terni semper coniuncti: foliola interdum, sed rarò, producit dum floret, eáque perpauca, lenticulæ similia, quæ cùm breui decidant, tota planta maxima ex parte sine foliis spectatur, & multiplici spinarum vallo erinaceum

ACARNA Theophrasti, Anguillaræ, Lobel.



ACARNA Valerandi altera.



plane

ERINACEA, Clusij.



planè refert: radix lignosa est, & magna pro plantæ proportione. Nascitur in regno Valentino, copiosè autem circa Sieteaguas, septimo ab vrbe Valentia miliari, itinere Madritiano, asperis locis, & secus vias. Floret Aprili. Incolæ *Enzo* vocant, quoniam Erinaceum animal terrestre, aut marinum aculeorum & spinarum vallo prorsus æmulatur: qua de causa Erinaceæ nomen ei Clusius dedit.

HIPPOPHAES, HIPPOPHAESTVM. CAP. XXX.

ἹΠΠΟΦΑΕΣ Græcis, & κνάφον & ςύϐον Galeno teste, Latinis quoq; Hippophaës. Theophrastus ἱππόφυον habet, mendosè opinor, pro Hippophaës, vel ἱπποφεὼς, vt statim pòst eodẽ in loco legitur, Lappaginẽ cõuertit Gaza. Et alio in loco καὶ τὸ τιθύμαλλον, ἐξ οὗ καὶ τὸ ἱπποφαὲς, ἄειςον δὲ τὸ περὶ τεγέαν, ait, id est, ex Tithymalo optimum Hippophaës confici apud Tegeam: quod Hippophai spinosæ plantæ conuenire non potest. Quare hîc non Hippophaës, vt Gaza legit & conuertit, legendum iudicat Cornarius, sed Hippomanes, vt in Græcis exemplaribus exaratum est: cæterum hîc legunt attentiores, τιθύμαλλον, καὶ τὸ ἱπποφαὲς, vt nulla sit occasio tam anxiè hunc locum examinandi. Plinius vno loco Hippophaës vocat, in alio Hippophyes, nescio an rectè, pro Hippophaës. ἱππόφαιςον Latini etiam Hippophæstum dicunt, quod Plinius alterũ Hippophaës appellasse videtur: cùm enim de Hippophaë priore dixisset, statim subiicit quæ etiam à Dioscoride post Hippophaës de Hippophæsto scribuntur. In vulgatis tamen exemplaribus corruptè legimus Hippo pe pro Hippophyes, vel Hippophaës. Est & altera (sub. spina) Hippophæstũ, inquit, &c. Aliis etiam in locis idem Hippophæstum vocat. Quidam verò in Spina fullonia Hippophæston, &c. Et, Hippophæstum nascitur in spinis, &c. Idem Plinius harum vocum etymum explicat, à iuuandis veterinariis has plantas nuncupatas fuisse indicans: φάος enim vox non solùm pro lumine, sed etiam pro auxilio & salute accipitur. Has autem spinosas plantas Dioscorides sic descripsit. Hippophaës, quo vestes poliunt, nascitur in maritimis & arenosis locis. Frutex est surculosus, densus, vndiquaque amplus: folia habens longa, ad oleæ folia accedentia, sed angustiora & tenuiora: & inter has spinas siccas, subalbicantes, angulosas, à sese distantes: flores corymbis hederæ similes, & racematim inter se cohærentes, sed minores & molles, & cum candore ex parte rubescentes: radix crassa, & mollis, succi plena, gustu amara, ex qua succus colligitur velut ex Thapsia. Hippophæstum verò, quod & Hippophaës vocant, nascitur in iisdem locis, in quibus Hippophaës, éstque Spinæ fulloniæ species. Est autem humilis herba, foliola solùm parua habens, spinosa, & capitula inania: neque caulem, neque florem profert: radicem habet crassam & mollem. Plinius eadem paucioribus verbis complexus est. Hippophaës in sabulosis maritimísque nascitur, spinis albis, hederæ modo racemosa est: candidis, & ex parte rubentibus acinis: radix succo madet, qui aut per se conditur, aut pastillis farinæ. Et mox. Est & altera, Hippopæston, sine caule, sine flore, foliis tantùm minutis. Huius quoque succus hydropicis

[Margin: Nomina. — In Gloss. Hippo. — Lib. 6. hist. cap. 4. — Ca. 5. — Lib. 9. hist. ca. 15. — Embl. 141. lib. 4. — Lib. 21. c. 15. — Li. 22. c. 12. — Li. 16. c. 44. — Li. 17. c. 10. — Li. 4. ca. 156. & 157. — Forma. — Li. 22. ca. 12.]

mirè prodeſt. Debent accommodatæ eſſe equorum naturæ , neque ex alia cauſa
nomen accepiſſe. Quippe quædam animalium remediis naſcuntur , locupleti di-
uinitate ad generanda præſidia,vt non ſit mirari ſatis ingenium eius diſponen-
tis auxilia in genera,in cauſas,in tempora,vt aliis proſit,atque aliis horis, diéſque
Li.27. c.10. nullus propè ſine præſidio reperiatur. Et alio in loco. Hippophæſtum naſcitur in
ſpinis,ex quibus fiunt aeneæ fulloniæ,ſine cauliculo,ſine flore , capitulis tantùm
inanibus,& foliis paruis,multis,herbacei coloris,radiculas habens albas, molles.
Hoc loco Hippophæſtum ſcriptum eſt in Plinij exemplaribus , & ita habet
etiam Paulus ſub litera *υ*. Quod verò dixit , ex quibus fiunt aeneæ fulloniæ, cor-
ruptum eſt:quæ enim eſſe poſſunt aeneæ fulloniæ? Quidam hîc legunt, pectines
fullonij : alij,venæ fulloniæ,&c. Quidam , Hippophæſton ſpina in maritimis na-
ſcitur:hac implentur cortinæ fulloniæ, &c. auctore Hermolao , quemadmodū &
Cap.13. lib.24. Vulgaris quoque hæc ſpina , ex qua cortinæ fulloniæ implentur. Corna-
Embl.142. rius legendū putat,ex quibus fiunt pilæ fullonię. Theophraſtus Hippophaës inter
lib.4. Lib.6. hiſt. παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντα φύλλον recenſet , id eſt , quæ iuxta folium ſpinas habent.
cap.3. Et paulò pòſt ait eſſe ἀνάκανθον τοῖς φύλλοις, μονόῤῥιζον δὲ καὶ ἐπίγειον , καὶ χαμαίκαυλον,
Cap.4. id eſt,folia ſine ſpinis habere,vnica niti radice,& deiectis in terram caulibus. Hæ
delineationes quanquam perſpicuè ſatis & ſcitè Hippophaës fulloniam plantam

HIPPOPHAESTVM
quorundam, Dalech.

Pen.in Aduerſ.



Li.de marit.ca.1.

exprimant,nullis tamen, aut certè paucis her-
bariis, etiam diligentiſsimis inueſtigatoribus,
adhuc comparuit, niſi fortè Anguillaræ huius
hiſtoriæ peritiſsimo,qui ſibi hanc viſam affir-
mat. Sabuloſis Peloponneſi maritimis oritur,
inquit,vocatúrque vulgò Spina purgatoria, ra-
dicibus palmo longioribus , lacteum ſuccum
frangendo fundentibus , amariſsimum, odore
graui. Florem aut fructum tunc non vidit. Cæ-
tera ſimilia Hippophæſto fuerunt. Tribulus
marinus , ſiue Paſtinaca marina, quædam cum
Hippophaë ſimilia habet,ſed alia ita diſsimilia,
vt Hippophaës dici non poſsit:qua de re alibi
diximus. Hippophæſtum notius non eſt Hip-
pophaë. Spina hîc depicta ad Dalechampium
Hippophæſti nomine miſſa eſt è Melita inſu-
la,de qua nihil aſſerit , ſed lectoribus liberam
iudicandi poteſtatem relinquit. Eſt autem Spi-
na candida,diffuſis huc illuc ramulis,aut potiùs
ſpinis,ſparſa:flore exiguo, albo, veluti racema-
tim congeſto. An cathartica ſit, an ſuccus la-
cteus purgatorius radice,caulibus, foliis expri-
matur, aſſeuerare non poteſt , quoniam arida
Li.4.c.156. planta miſſa eſt,nulla adiuncta mittentis hiſtoria. Hippophaës,auctore Dioſcori-
Vires. de , ſuccum ex radice emittit , qui ſyncerus pituitoſa, bilioſa , aquoſaq́; oboli
pondere deorſum purgat , erui farina exceptus quatuor obolorum pondere cum
aqua mulſa.Sed & ipſe frutex cum radicibus tunditur , &. datur tritus cum aquæ
mulſæ ſeſquihemina. Exprimitur etiam ex radice & herba ſuccus, velut è Tha-
pſia. Huius drachma vna datur ad purgationes. Ex Hippophæſti foliis, radice, &
capite expreſſum ſuccum ſiccato,& pondus trium obolorum cum aqua mulſa cui
voles exhibeto:per hunc enim purgatio aquam & pituitam ducit. Priuatim verò
conuenit orthopnoicis,comitialibus , & neruorum vitiis hæc purgatio. Plinius
eadem

eadem breuiùs tradit. Radicis Hippophæsti ſuccus ad detractiones in comitiali morbo vtiliſsimus habetur. Et ſuccus earum (radicum Hippophęſti) exprimitur æſtate ad ſoluendam aluum tribus obolis, maximè in comitialibus morbis, & tremulis, hydropicis, contra vertigines, orthopnœas, paralyſeis incipientes. Galenus Hippophaës & Hippophæſtum in ſimplicium cenſu omiſit. Paulus ea, quæ Dioſcorides de vtroque tradidit, exſcripſit. Li.16.c.44. Li.27. c.10. Lib.7.

POTERIVM. *CAP. XXXI.*

ΠΟΤΗΡΙΟΝ & νεύρας Græcis, Latinis Poterium & Neuras, & Phrynium teſte Plinio. Poterium autem, quia potrix herba paludoſum riguumq; ſolum amat, vt ſcribit Dioſcorides: Neuras quòd neruis amica ſit. Hanc ſic depingit Dioſcorides. Frutex eſt magnus, ramos habens longos, molles, lori modo lentos, tenues, Tragacanthæ ſimiles: folia parua, rotunda. Totus autem frutex tenui, lanoſa lanugine obductus eſt, & ſpinoſus (in aliis exemplaribus legitur, ὅλος δὲ ὁ θάμνος περίκειται) φλοιὸν λεπτὸν, καὶ πολλῷ χνοῷ ἐριώδη. Id eſt, totus frutex tenui cortice obductus eſt, & multa lanugine lanoſa:) flores ſunt parui, albi. Fructum fert guſtu odoratum, acrem, & inutilem (ſic enim legendus is locus, vt in Aldino exemplari. καρπὸν δὲ γευομένῳ εὐώδη, καὶ δριμὺν, &c.) Naſcitur in paluſtribus & collibus. Radices ſubſunt duûm, aut trium cubitorum, robuſtæ, neruoſæ, quæ prope terram reciſæ lacrymam emittunt gummi ſimilem. Poterij duobus locis meminit Plinius: priore his verbis. Sunt & ramis venena, rubetis maximè: vidimúſque Pſyllos in certamine patinis candefactas admittentes, ocyore etiam quàm aſpidum pernicie. Auxiliatur eis Phryniō in vino pota. Aliqui Neurada appellant, alij Poterium, floribus paruis: radicibus multis, neruoſis, bene olentibus. Poſteriore verò ſic. Poterium, aut vt alij vocant Phrynium, vel Neuras, largè fruticat, ſpinis retorrida, lanugine ſpiſſa: foliis paruis, rotundis: ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus: flore longo, herbacei coloris: ſeminis nullius vſus, ſed guſtu acuto, & odorato. Inuenitur in aquoſis collibus: radices habet duas, aut tres, binûm cubitorum in altitudinem, neruoſas, candidas, firmas. Circunfoditur Autumno, & præciſo frutice dat ſuccum gummi ſimilem. Priore loco Plinius flores paruos dixit, qui ἄνθη μικρὰ legerit: poſteriore verò flores longos, eóſque herbacei coloris, id eſt, ἄνθη μακρὰ καὶ χλωρὰ, quum recta lectio ſit, ἄνθη μικρὰ, λευκὰ, velut Dioſcorides habet. Poſtremò Plinius pro fructu ſemen dixit, & δριμὺν acutum pro acri reddidit. Poterium fruticem, quem Dioſcorides ramulis & foliis Tragacanthæ aptè confert, genuinum ſe pinxiſſe putat Matthiolus. Peculiariter, inquit, ſupremos ramos habet in vertice extuberantes, & tenui lanugine obductos, quod in Tragacantha non cernitur. Pena hoc Matthioli Poterium nihil aliud quàm Tragacanthum eſſe ait, aut ex eius icone depictum: neque enim ſpinæ, neque cortex ſimilia, neque in ſpinis folia, neque multa alia à verò diſsidentia. Verum autem & legitimum vidiſſe ſe ait in horto Patauino, atque alibi. Sparſum & latè porrectum fruticat multis cauliculis, exilibus, cortice nigricante, ac tenui veſtitis, etiam aridis, non rectis vti Tragacanthum, ſed vltro citróque flexis, & ordine intortis vt Nepa, & Corruda: ſic etiā ſpinulæ nullo ordine digeſtæ, ſed multò delicatiores quàm Tragacanthæ, & minores paſsim çancellatim & reticulatim implicantur foliis nudæ. Foliola non albida, ſed nigricantia, quæ non ex aculeis, ſed è caule fibris exilibus, triplo quàm Tragacanthæ minoribus, Lenticulæ modo, vel Aſtragali exeunt: ſemem puſillum, rubellum, Rhoï ſimile, & minus. Poterium in Allobrogibus, prope Muram oppidulum Gratianopoli vicinum, in ſiluoſis conuallibus reperitur. Poterij radices contuſæ, & in cataplaſmate impoſitæ neruos diſſectos & vulnera glutinant. Decoctum quoque ipſarum neruorum affectibus pro

Nomina

Lib.3.ca.15.


Forma.

Locus.

Li.25. c.10.

Li.27.ca.12.

POTERIVM, Matthioli.




POTERIVM, Penæ & Lobel.



Li.27. c.12. bus prodeſt. Eadem Plinius tradit. Radix mira vulneribus ſanandis traditur,
Vires. præcipuéque neruis, vel præciſis illita. Decoctum quoque eius cum melle potum diſſolutiones neruorum, & infirmitates & inciſuras iuuat. Quibus ſuffragatur
Li.8.ſimpl. Galenus ſcribens. Neuras, quidam Poterium vocant: deſiccandi abſque morſu facultatem habet, adeò vt & neruos inciſos glutinare credatur. Radices eius potiſſimùm eiuſmodi vim habent: quin & decoctum earum quidam exhibēt iis quibus affecti ſunt nerui.

CARDVVS Eriocephalus, Dodonæi.

ἔριον τὸ lana κεφαλὴ caput



CARDVVS ERIOCEPHALVS. CAP. XXXII.

Nomen. A Capitvlo lanoſo Carduum hunc Eriocephalum Dodonæus
In hiſtor. purgant. alio nomine deſtitutus nuncupauit, Lobellius Carduum tomentoſum Anglicum, Coronam fratrum Herbariorum. Caulibus altis aſſurgit, craſsis: folia eius laciniosa, magna, ſpinoſa, prona parte candidiora: capitula rotunda, multa, tenui, candida mollíque lanugine veſtiuntur, eminentibus vndiquaque aculeis exiguis, pungentibus, ſuperiùs verò ſtamineis purpureis floribus. Semen oblongius, ſplendens vt multis Carduis. Aliunde in Belgium tranſlatum fuiſſe auctor eſt Dodonæus: Lobellius Artheſiæ & Neruienſis agri collibus paſsim, non ſecùs ac in Angliæ Sommerſeti præfectura, obuium eſſe.

CEANO

CEANOTHVS, ACANVS ANGVILLARAE.

CAP. XXXII.

THEOPHRASTVS cùm dixiſſet gramen è geniculis oriri, quòd eius radices geniculatæ eſſent, atque è ſingulis germen ſurſum, radicem ſubtùs erumpere, ſubiicit, ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ ἄκανθα κεάνωθος· ἀλλ' οὐ καλαμώδης, οὐδὲ γονατώδης ἡ ῥίζα ταύτης. Id eſt, Similiter & ſpina, quæ Ceanothus appellatur, germinat. Verùm huius radix, neque arundinacea, neque geniculata. Hanc Ceanothon Anguillara opinatur eſſe, quæ in agro Patauino vbiuis naſcitur: radicibus ſub terra procul huc illuc ſerpentibus: folio Sonchi, magis ſpinoſo: caule ſtriato: multis in eius vertice capitulis, aculeatis: flore purpureo, in pappos abeunte: ſemine Cnici, paruulo. Vulgus *Astone* vocat. Acanus verò quamuis priuatim ſpeciem nullam Cardui ſignificet, ſed ſpinoſarum omnium echinatum caput, miſſum tamen è Creta fuiſſe aſſerit Anguillara ſpinoſæ plantæ ſemen, Acani titulo, quod cùm herbam edidiſſet, humi ſparſa eius fuerunt in orbem folia, minùs longa quàm lata, obſcurè virentia, ſed neruis per ea diſcurrentibus candidis: ex quorum medio caulis exit, in ramos exiles diuiſus ferè tres, & nonnunquàm plures, in vertice tribus foliis cinctos, è quorum medio prodit echinus puſillus, Cacto ſimilis, floris rubri, ſemine Cnici coloris cineritij. Harum plantarum quamuis figuræ deſint, intereà dum opera dabitur alicunde vt ad nos mittantur, hiſtorias ex Anguillara addendas hìc putauimus.

CARDVVS FEROX, Lobell.

CAP. XXXIII.



CARDVVM hunc totius acanacei generis facilè Phœnicem, Leonem & ferocem dixere recentiores, Itali *Cardo fiero*, *Leone ditto*, à ſpiculis & infeſtiſsimis ſpinis: nihil enim aliud è foliis altiùs diuiſis, & capitulorum exordiis, quàm ſpicula & vepres vnciam & ſeſquiunciam longas videas: cauliculus vix palmum æquat. Flos Cnici ſilueſtris, pallidus, ſpinis & aculeis ſæuientibus horridíſque cinctus. Plantæ raræ, & vix notæ nullus vſus. Aiunt in quibuſdam collibus Italiæ, ab Apenninis non ita diſsitis, magna copia prouenire. Hæc Lobellius.

HISTORIAE OMNIUM PLANTARUM LIBER DECIMUS-QUINTUS,

In quo describuntur & ad viuum depinguntur Plantæ bulbosæ, carnosæ radicibus, & geniculatæ.

LILIA. CAP. I.

EX DIFFERENTIIS à plantarum partibus sumptis tum multæ, tum rei herbariæ studiosis maximè cognitu necessariæ sunt, quæ à radicum diuersitate petuntur, quas diligēter Theophrastus explicauit. Nam vt arborum radices omittamus, in oleraceo genere aliæ sunt lignosæ, inquit, vt Ocimi (legendum enim εἰσὶ μὲν γὰρ αἱ ξυλώδεις, vt legit Gaza, pro λαχανώδεις) aliæ carnosæ, vt Betæ, & multò magis Ari, Asphodeli, Croci: aliæ ex carne & cortice cōstant, vt Raphani & Rapi: aliæ sunt geniculatæ vt Arūdinum & Graminum: aliæ ex tunicis multiplicibus & corticibus cōponuntur, vt Scillæ, Bulbi, & Ceparum. De quibus omnibus hîc non agimus, sed de bulbosis: quo nomine tum eas intelligimus, quæ ex multis capitulis cohærentibus coagmētatæ sunt, vnde etiam capitatæ appellantur, quæ capitula, bulbi, & nuclei, & spicæ Latinis dicūtur, sicut Græcis Gelges, Aglithes, & Aglidia grana, sicuti in Allio, tum eas quæ rotundæ suis membranis tunicantur, quæ radices etiam Bulbi nominantur, quales sunt Lilij & Narcissi. Tum de carnosis hoc libro dicemus, & de geniculatis, id est, iis quæ nodis quibusdam interstinctæ protuberant, rotundæ & leuiter capitatæ. Ac primùm de iis quæ etiam vulgò notæ sunt, quale est quod κρίνον Græcis dicitur, & λείριον & καλλιλείριον, & κρινάνθεμον, Latinis Lilium & Iunonis rosa, Lilium album Officinis, Mauritanis *Susen*, Gallis *Lys*, Germanis *Vveisz Gilgen*, & *Lilgen*, Italis Giglio. Λείριον tamen, id est, blandum, suaue, ac concupitum, nō Lilium duntaxat, sed plures alios venustos flores, & bulbaceas herbas significat. Iunonis rosa dicitur, quòd veteres Poëtæ Græci finxerunt ex Iunonis lacte respersa terra natum Lilium. Nam cùm Hercules puer, quem ex Alcmene sustulerat Iuppiter, Iunonis dormientis vberibus admotus esset, & lacte se replesset, post suctū digressus mamma lacte copioso profluxit. Quod in cælo perfusum est, lacteā effecit viam: quod humi sparsum, Lilium lacteo flore nitens creauit, vnde Iunonis rosa dictum. Lilij genera sunt album & rubrum, testibus Dioscoride & Plinio, quæ sponte non arte oriuntur, etiam si colores Lilio candido mangonio quæsitos fuisse Plinius asse-

Lib. 1. ca. 9. & 10.

Nomina

Vide Phytogr. pag. 109

Genera.

LILIVM album, Matth.

Forma.



ueret. Lilium album folia fert longa, lata, carnosa, pallido virore nitentia, secundùm longitudinem striata: ex horum medio caulem rectũ, rotundum, cubitalem, & maiorem, foliis multò minoribus vestitum, in cuius summitate flores Croci, maiores, eximij candoris, odorati, senis vt plurimum foliis ordine dispositis constant, longiusculis, angustis, calathi vel nolæ effigiem exprimentibus, repandis, è quorum medio fibræ croceáve stamina exeunt lingularum effigie. Inter hæc vnus omnium longissimus & rectus apex, in extremo quadãtenus rotundus, herbacei coloris, nolæ plectro ferè similis; radix rotunda, candida, cepæ magnitudine, compactili laminularum sursum spectantium serie, infernè fibrata, viscido succo turgens. Huius bulbaceæ plantæ vt notissimæ delineationem Dioscorides prætermisit: quam tamen Plinius affabre depinxit his verbis. Lilium rosæ nobilitate proximum est, & quadam cognatione vnguenti oleiq́; , quod Lirium appellatur. Et impositum etiam maximè rosas decet, medio prouentu earum incipiens. Nec vllis florum excelsitas maior, interdum cubitorum trium, languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri. Candor eius eximius, foliis foris striatis, & ab angustiis in latitudinem sese laxantibus, effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuiq́; filo & semine, stantibus in medio crocis. Ita odor colorq́; duplex, & alius calicis, alius staminis, differentia angusta. Et paulò pòst. Est & rubens Lilium, quod Græci Crinon vocant. Alij florem eius Cynorrhodon. Laudatissimum in Antiochia, & Laodicea Syriæ, mox in Phaselide. Quartum locum obtinet in Italia nascens. Sunt & purpurea Lilia, aliquando gemino caule, carnosiore tãtùm radice, maiorísq; bulbi, sed vnius. Narcissum vocãt. Huius alterũ genus flore cãdido, calice purpureo. Differẽtia à Liliis est & hæc, quòd Narcissis folia in radice sunt, probatissimis in Lyciæ montibus. Tertio generi cætera eadem, calix herbaceus. Omnes serotini: post Arcturum enim florent, ac per Æquinoctium Autumni. Inuenta est & in his ratio inserendi, mõstrificis hominum ingeniis. Colliguntur namque mense Iulio scapi arescentes, Liliáque suspenduntur in furno. Deinde nudantibus se nodulis, in fæce nigri vini vel Græci mense Martio macerantur, vt colorem percipiant, atque ita in scrobiculis seruntur heminis fæcis circũfusis. Sic fiunt purpurea Lilia: mirúmque ita tingi aliquid, vt nascatur infectum. Quæ partim ex Theophrasto translata sunt. τὰ δὲ κρίνα, inquit, τῇ μὲν χροιᾷ τὴν εἰρημένην ἔχει διαφοράν. μονόκαυλα δ᾽ ἐστιν, ὡς ἐπίπαν, δίκαυλη δὲ σπανίως. τάχα δὲ τοῦτο χώρας καὶ ἀέρος διαφορά. καθ᾽ ἕκαστον δὲ καυλὸν ὁτὲ μὲν ἓν ἔχει κεῖνον, ὁτὲ δὲ πλείω γίνεται). βλαστάνει γὰρ τὸ ἄκρον. σπανιώτερα δὲ ταῦτα. ῥίζαν δὲ ἔχει πολλὴν, σαρκώδη καὶ στρογγύλην. ὁ δὲ καρπὸς ἀφαιρούμενος ἐκβλαστάνει, καὶ ἀποδίδωσι τὸ κεῖνον, πλὴν ἔλαττον. ποιεῖ δέ τινα τὴν συρρηγὴν. (lege συῤῥοὴν) ἣν καὶ φυτεύουσιν. Id est, Lilia supra dicta coloris differentia inter sese distant. Vnicum ferè caulem habent, duplicem rarò: quam differentiam cælum & solum efficiunt. Ex singulis caulibus aliquando vnum, aliquando plura Lilia emergunt: pars enim suprema germinat. Sed hæc rariora. Radice est copiosa, carnosa, rotunda. Fructus detractus germinat, & Lilium emittit, sed minus. Reddit & lacrymarum confluxum quendam, quem etiam

Lib. 21. c. 5.

Lib. 6. hist. ca. 6.

etiam ſerũt. Gaza, neſcio qua ratione motus, vertit fecit & lacryma cæcum quoddam confluuium, quod etiam ſerunt. Cæterùm quod dixit Plinius rubens Lilium Crinon vocari à Græcis, docti quidam legendum cenſent, ἐρυθρὸν κρίνον, vel compoſita voce ἐρυθρόκρινον: nam etiam albũ Lilium Crinon vocant. Quod autem Lilij florem Cynorrhodon vocari apud eundem legitur, alij ex Heſychio lectionem hanc retinendam, alij falſi ſuſpectam, & Crinorrhodon legẽdum cenſent: maximè cùm Lilium paulò antè Crinon vocari dixerit, & Cynorrhodi appellatio nihil cum Lilio commune habeat: & Crinorrhodon propriè Lilij roſam & florem ſignificet, voce ad exprimendum rubentis cocci ſplendorẽ aptiore, vt quæ cum roſa Lilium comparat, non alba quidem, ſed rubente, & purpura fulgente: quod Crinorrhodon Hippocrates Crinanthemum nuncupauit. Lilium purpureum, quòd auctore Matthiolo Chymiſtæ in Italia Martagon vocant, Dodonæus Liliũ ſilueſtre, Germani *Goldtuurtz* à flauo Bulbi colore, Galli *Lys ſauuage*, Itali *Giglio roſſo*, caules edit bicubitales, aut altiores, rotundos: folia longa, lata, acuminata, non per caulem incerto ordine ſparſa, ſed quibuſdam interuallis ſtellæ modo radiatis eum ambientia: flores è ſuis pediculis deorſum dependent, Lilij diuiſura, ſed minores, colore purpureo obſoleto, purpureíſque aliquot maculis ſplendentes, & ſtaminibus eiuſdem coloris in medio, quorũ foliola retrorſum reflexa in orbem ferè incuruantur: radices bulboſæ, veluti ex nucleis multis compoſitę, aurei vel flaui coloris, ex quibus fibræ dependent. Naſcitur Lilium iſtud in multis Germanię locis, in ſiluis & mõtibus, Fuchſio & Geſnero teſtibus. Belgæ cum aliis Liliis in hortis habent. Floret ſub finem Maij, aut Iunij initio, candida Lilia anteuertens. Fuchſius pro Aſphodelo fœmina depinxit. Tragus pro Hyacintho Poëtarum. Eſt Herbariorũ Hemerocallis. Peruenuſta alia planta à quibuſdam Liliis rubris adnumeratur, quæ florem vnum pulcherrimè & ſuauiſsimè rubentem profert, magnum inſtar Lilij rubri, quam Turcico vocabulo *Tulipam* vocant: de qua cum Tulipis aliis dicemus. Dodonæus Lilia alia purpurea propoſuit. Vnum maius, caulibus proceris, longis, ſæpe altioribus quàm Lilij albi: foliis nigrioribus & anguſtioribus, circa caulem multis, ante eius exortum nullis: flores ſummo caule erumpunt copioſi, decem, duodecim, aut plures, vſque ad decem & octo, & viginti, alij ſuper alios incerto ordine digeſti, Lilij alterius forma & magnitudine, colore rubro ad croceum inclinante, multis, exiguis, nigris quaſi punctulis, literarum quarundam veluti rudi- De florib. ca.33. & 35.

MARTAGON, *Matth.*




LILIVM *Purpureum maius, Dodonæi.*



mentis resperſi: radices Bulbi magni ſunt, ex multis quoque nucleis, vt Lilij candidi, ſed maiores. Dodonæus etiam Hyacinthum ſcriptum & Comoſandalon nuncupat, Fuchſius Lilium croceum, Lobellius Lilium cruentum, alij ſilueſtre Lilium. Eſtq; aut Hemerocallis, aut eius congener. Negat tamen Dodonæus Hemerocallidem eſſe: cùm enim Hemerocallis, auctore Dioſcoride, in ſingulis apophyſibus tres, aut quatuor flores proferat colore valde luteo, Lilium autem iſtud apophyſes, id eſt, ramulares propagines nullas habeat, & flores in caule non modò tres, aut quatuor, ſed non rarò decem & octo, & viginti, coloris non lutei, ſed purpurei crocei, Hemerocallis dici non poteſt, quin potiùs Lilium, quod Dioſcorides πόρφυρον vocat, Plinius rubens. At hæc de apophyſibus & florum numero ratio leuis eſt momenti, vt ait Pena: nam ſi quis Lilium candidum contempletur interdum exortus iſtos edere, in quibus aliquãdo complures flores congeſti ſunt, interdum ſinguli, non magnopere refragabitur. Alterum purpureum Lilium minus, caule eſt multò breuiore, cubitali, videlicet tantùm, aut minori: foliis ſimiliter nigricantibus, anguſtioribus & minoribus. Flores è ſummo caule erumpunt, ſinguli tamen ſuis pediculis, modò breuoribus, modò longioribus inſidentes, coloris quoque purpurei crocei, notulis ſimiliter quibuſdam nigris, & perquàm exiguis ornati, Lilij etiam diuiſura, ſed paulò minores: pro radicibus & minores Bulbi ſunt, ſupra quos & infra fibræ adhærent. Floret ſub finem Maij, reliqua Lilia ante-

LILIVM *Cruentum bulbos gerens, Lobellij.*



LILIVM *Cruentum aliud, Lobellij.*



cedens. Lilium iſtud Dodonæus Ouidij Hyacinthum eſſe credit. Hæc duo Lilia cultu tantùm diſtare videntur, vt maius ſatiuum ſit, minus agreſte. Neutrum verò purpureo eſt flore, ſed colore corticis mali aurei. Quædam alia pulcherrima Lilia Lobellius picta dedit. Prius eſt Lilium cruentũ bulbos gerens, ſummo alis diuiſo, cui flores rutilant, & bulbos nucleis ſtipatos profert. Alterum, Lilium cruentum, Lilio purpureo maiori minus, flore Martagi rutilo, & ſecundùm caulẽ ſeſquicubitalem bulbulis à medio ad ſummũ vſq; ornatũ. Tertiũ, Lilium Perſicũ, vulgò *Pennachi*

LILIVM Persicum, Lob. *CORONA Imperialis, Dod.*





nachi Persiano, quod rarius Germaniæ, Galliæ & Angliæ: Lierę solùm Belgarum visitur, inquit, in horto amœnisimo, stirpiúmque exoticarum ditisimo generosi viri Ioannis Dilfij. Caulis est ternûm cubitorum, quem fusè ambiunt folia ex cæruleo virentia, mucronata, Liliis cruentis paria: flores nutantes, nolarum effigie obsoleta purpura nigricant: radix bulbosa, fissa, minimè squamis loricata, albida, auersa parte sessilis & plana, porrectis subtùs, obscurè flauentibus. Nec multũ à Liliis differt Chalcedonicũ Lale, quod supradictis Belgij hortis prouenit, sesquipedem alto caule, foliis longioribus Lilij montani. Flores rubentes, nutantes Lilij Persici ritu nolarũ figura, quales pictura docet, se non potuisse obseruare ait: caulem quidem edidisse, sed qui summo statim marcescere cœpit. Radix cepacea cõcretione tetri & virosi Colchici, vti tota planta, odoris. In Belgium missum Lale, Turfani & Coronæ Imperialis nomine. Myconus plantam aliam ex Hispania misit, quàm Lilium polyrrhizon nominauit. Lilium quidẽ, quòd florũ figura, colore, dulci & glutinoso sapore Liliũ albũ referat: polyrrhizon à radicum copia. rectè, an secùs, id peritis Herbariis æstimandũ relinquens. Herba hęc Hastulã regiam prorsus æmulatur, siue folia cõsideres, quæ illius foliis adeò similia sunt, vt priusquàm florere incipiat, Hastulæ regiæ esse dicas. Radices multas habet non admodum crassas, albas, huc & illuc sparsas, nõ multũ in terram demissas, dulces, glutinosas: ex quibus caulis erigitur, sæpius duos cubitos altus, cauus, sine medulla, in quo flores candidi, Lilij effigie, odorati, multò tamẽ minores,

LILIVM Polyrrhizon Myconi, Phalangium quorũdam.



Lib.3.c.99. *Vires & Temper.*

ſtamina quædã lutea intus habentes : ſemen in
vaſculo triangulari cõcluſum, nigrũ, triquetrũ.
Naſcitur in montibus, ſed terrenis humidíſque
locis, quãdoq; iuxta fluenta. Quibuſdã Phalan-
gium videtur eſſe, aut Phalãgij genus, diuerſum
à Phalãgij icone quã Matthiolus dedit. Ex Lilij
flore, vt ſcribit Dioſcorides, vnguentũ fit, quod
ab aliis Lirinũ, ab aliis Suſinum appellatur, ad
emolliẽdos neruos, priuatimq́; vuluarũ duritias
aptũ. Folia herbæ illita ſerpentiũ morſibus ſub-
ueniunt, feruefacta ambuſtis proſunt, eadem in
aceto cõdîta vulneribus opitulantur. Succus fo-
liorũ cũ aceto & melle in æreo vaſe coctus, cõ-
tra vetuſta vlcera & recẽtia vulnera medicamẽ-
tum fit. Radix aſſa, aut cũ roſaceo trita ambuſtis
medetur, vuluã emollit, mẽſtrua ducit, & vlceri-
bus cicatricẽ inducit. Cũ melle ſubacta neruo-
rum prçciſionibus & luxatis auxiliatur. Alphos,
lepras, furfuresq́; emẽdat. Achores abſterget, fa-
ciemq́; expurgat, & erugat. Teſticulorũ inflam-
mationes trita cũ aceto, aut Hyoſcyami foliis
& farina tritici demulcet. Semẽ cõtra ſerpentiũ
morſus potũ valet. Illinuntur eryſipelatibus ſe-
Li.21. c.19. men & folia cũ vino trita. Vſum Lilij medicũ etiam Plinius prolixè expoſuit his
verbis. Lilij radices multis modis florẽ ſuũ nobilitauere, contra ſerpentiũ ictus ex
vino potæ, & contra fungorũ venena. Propter clauos pedũ in vino decoquuntur,
triduoq́; nõ ſoluũtur. Cũ adipe, aut oleo decoctę, pilos quoq; aduſtis reddũt. E mul-
ſo potæ inutilẽ ſanguinẽ cũ aluo extrahunt, lieniq́;, & ruptis vulſis proſunt, & men-
ſibus fœminarũ. In vino verò decoctę, impoſitæq́; cum melle, neruis præciſis me-
dentur. Lichenas, & lepras, & furfures in facie emẽdant, erugãt corpora. Folia in
aceto cocta vulneribus imponũtur: epiphoris teſtium in melle cũ Hyoſcyamo &
farina tritici. Semen illinitur igni ſacro, flos & folia vlcerum vetuſtati. Succus qui
flore expreſſus eſt, ab aliis mel vocatur, ab aliis Siriũ, ad emolliendas vuluas ſudo-
reſq́; faciẽdos, & ſuppurationes coquẽdas. Vbi pro Syriũ, Seiræum, quaſi ſapã Da-
lechãpius legit: Cornarius falsò legi putat, Mel vocatur, & legendũ eſſe, Phaſelinũ
Li.23.ca.41. vocatur, ab aliis Syriũ, ex eodẽ Plinio demõſtrat, qui hunc locũ citat alibi his ver-
bis. Lirinũ, quod & Phaſelinũ & Syriũ vocauimus, renibus vtiliſsimũ eſt, ſudori-
búſque euocãdis, vuluæ emolliẽdę, cõcoquendiſq́; intus: quo tamen loco Dalechã-
pius legit, Lirinõ, quod & Melinũ & Seiræũ vocamus. Sed & laudatiſsimũ in Lao-
dicea Syrię, & mox in Phaſelide Liliũ eſſe Plinius ipſe dixit loco à nobis primùm
Li.7.ſimpl. adducto. Galenus diſtinctiùs hæc declarat. Lilij flos, inquit, temperaturã miſtam
obtinet, partim ex tenui, partim ex terrena eſſentia, ex qua vtiq; habet, vt guſtu ſit
amara, partim ex aquea, eaq́; tẽperata. Itaque etiã quod ex ea cõficitur oleum, citra
morſum digerẽdi, ſimulq́; emolliẽdi facultatẽ habet: vnde fit vteri duritiei aptiſsi-
mum. Porrò radix foliaq́; per ſe trita deſiccãt & abſtergunt, & digerũt moderatè:
proinde ambuſtis quoq;, cõpetunt. Radicẽ ergo toſtã, deinde cũ roſaceo contritã,
ambuſtis, quoad obducatur cicatrix, imponũt: quippe cũ alioqui & aliorũ vlcerũ
omniũ bonũ ſit inducẽdæ cicatrici remediũ. Quinetiã neruos emollit, menſeſq́;
prouocat. Folia verò præcoquẽtes, & ipſa ad obductã vſq; cicatricẽ imponũt, non
in ambuſtionibus dũtaxat, ſed aliis quoq; vulneribus. Sũt & qui aceto ea cõdiẽtes,
ad vulnera

ad vulnera suo tempore vtuntur. Plus tamen inest abstergentis facultatis in radice
quàm in foliis: quanquam tamen nec in ea ipsa multùm insit: nam primi ordinis
abstergentium est medicamentum. Itaque cùm aut vitiligines, aut psoram, aut le-
pram, aut achoras, aut aliquid id genus extergere volumus, commiscemus ei ali-
quid aliorum medicamentorum validius extergentium, cuiusmodi est mel. Cæ-
terùm si id moderatè illi ac conuenienter admisceatur, & ad neruorum diuisiones
competit, & ad alia vniuersa, quæ valenter exsiccari postulant absque morsu. Im-
posuimus verò etiam quandoque & foliorum succum cum aceto & melle coctum.
Quinque partibus succi plus vtroque erat, atque insigne medicamen ad omnia
ea quæ exsiccari postulant absque morsu: ceu vulnera omnia ingentia, & maximè
quæ in capitibus musculorum eueniunt, tum ea quæ nimis mollia sunt & diutur- In cap. 99.
na, atque ægre ad cicatricem perducuntur. Tradit Matthiolus elixam Lilij radi- lib. 3.
cem, veteri axungia exceptam & illitam, pedũ clauos tollere, sed ante triduum re-
moueri non debere. Eandem ex adipe & oleo adhibitam fluxos pilos replicare:
cum mulso autem potam, sanguinem extra vasa concretum per aluum eiicere,
suppurationes moliri & concoquere, & duritias quascumque emollire. Stillatitiam
florum aquam dari vtiliter potandam ægre parturientibus, & ad pellendas secun-
das addito croco & cassia. Oleum quod ex floribus paratur, valere ad omnes fri-
gidos neruorum morbos, nempe ad conuulsiones, & resolutiones: præstat item
ad emollienda articulorum impedimenda, & scirrhosos quoscunque tumores. Illi-
nitur quoque puerperis vteri dolore languentibus, addito oleo è Lini semine, præ-
sertim cùm succida lema iis calidis imbuta ventri superponatur. Additur clysmati-
bus cùm induratas fæces mollire fuerit opus. Lilia, quæ diu in oleo macerata fue-
runt, illita, priùs calefacta, apostemata calida citra dolorem maturant ac digerunt,
præsertim ea quæ sunt in articulis.

HEMEROCALLIS. CAP. II.

GRAECIS ἡμεροκαλλὶς & ἡμεροκαλλὲς, Latinis similiter Hemerocallis & Nomina
Hemerocalles dicitur, Gazæ Elium, Italis *Giglio saluatico*, Gallis *Lys sau-* Vide Phytop. pag. 111.
uage. Hemerocallis, vt describit Dioscorides, folia & caulem habet Li- Lib. 3. c. 120.
lio similia, Porri modo viridia: flores in caule per singulas propagines
terni aut quaterni erumpunt, Lilij diuisura quum hiare cœperint, colore perquàm Forma.
pallido (Græcè legimus, τὴν δὲ χρόαν ἰσχυρῶς ὠχρὰν, id est, colore valde ochreo. Ochra
autem, teste Dioscoride, μήλινα est, id est, lutea, & melior quæ saturata. Quare colo- Lib. 5. c. 68.
rem florum Hemerocallidis Dioscorides intelligere videtur saturatè luteum, non
valde pallidum:) radix est bulbosa valde magna. Plinius Hemerocalles inter ea, quę
folio tantùm coronant, numerat. Alio in loco, Hemerocalles, inquit, pallidum è Lib. 21. c. 10
viridi & molle folium habet, radicẽ odoratam & bulbosam. Quæ de Hemerocal- Lib. & c. 21.
lide Dioscoridis accipienda esse perspicuum est. Theophrastus suffrutices corona-
rios recenset, Rosam, Violam, Iouis florẽ, Amaracum, Hemerocalles, item Serpyl- Lib. 6. hist.
lum, Sisymbrium, Helenium, Abrotonũ. ἅπαντα γὰρ ταῦτα, inquit, ξυλώδη καὶ μικρό- cap. 1.
φυλλα. διὸ καὶ φρυγανικά. Id est, Omnia hæc lignosa sunt, & minutis foliis constant.
Quare suffructices sunt. Et alio in loco, τὰ δ' ἄλλα ἄνθη, inquit, τὰ προειρημένα, πάντα
σπείρεται, οἷον ἰωνία, διὸς ἄνθος, ἴφυον, φλὼξ, ἡμεροκαλλὲς. ἔτι γὰρ αὐτὰ, καὶ αἱ ῥίζαι ξυλώ- Lib. 6. hist.
δεις. Id est, Reliqui autem omnes suprà dicti flores semine exeunt, vt Viola, Iouis cap. 6.
flos, Iphyum, Phlox, Hemerocalles. Nam & ipsa, & eorum radices lignosæ sunt. Ex
quibus intelligere licet, Hemerocalles Theophrasti radice lignosa, ab Hemerocal-
lide Dioscoridis bulbosa dissidere. Athenæus ex Theophrasto Hemerocalles inter Lib. 15.
coronarios flores numerari scripsit. τοῦ δ' ἡμεροκάλλους καλουμένου ἄνθους ὃ τὴν μὲν νύκτα Dipnos.
μαραίνεται, ἅμα δὲ τῷ ἡλίῳ ἀνατέλλοντι θάλλει. Id est, Hemerocallis florem nocte tabe-

ſcere, oriente ſole pullulare. Quod ſic intelligendum, florem hunc noctu contrahi collabiq; in ſeſe, diu verò ſeſe explicare, ac veluti reuiuiſcere: quod Soliſequiis

HEMEROCALLIS prior, Matthioli.



HEMEROCALLIS altera, Matthioli.



In c. 120. lib. 3. & Heliotropiis cæteris accidit. Matthiolus Hemerocallidem nuſquam non in Italia prouenire tradit, circa meſſem in aruis inter ſegetes, in pratis, in montibus, & in vallibus, aureo colore micantem, Lilium ſilueſtre vulgò dici: radice niti bulboſa, Lilio hortenſi ſimili, ſed alio colore: flores ſuo tempore dehiſcentes fulgentis auri modo rutilare, quem colorem perquàm pallidum perperàm appellat, nec eum intelligit Dioſcorides, cùm dicit χρόαν ἰσχυρῶς ὠχρὰν, colorem valde ochreum quem ſaturatè luteum à Dioſcoride intelligi diximus. Hemerocallidis genus alterum idem Matthiolus facit, ſpecie quidem ſuperiori ſimile, ſed radice ex multis & paruis coagmentata bulbis, floribus aliam diuiſuram habentibus, vt eius pictura demonſtrat. Priorem Hemerocallidem ſuperiori capite diximus eſſe

De florib. cap. 35. Lilium purpureum maius Dodonæi, qui huic Hemerocallidem aliam ſubſtituit, Lilium videlicet non bulboſum. Cuius duo reperiuntur genera, florum colore diſcreta. Vni flos luteus: alteri in rubro dilutiori purpureus. In lutei genere flos vnius minor, alterius paulò maior eſt: vterque tamen purpureo minor, qui maximus eſt, & Lilio candido magnitudine ferè par. Sunt autem Lilio non bulboſo folia oblonga & anguſta, Porri aut Aſphodeli foliis ſimilia: caulis cubito altior, rotundus, læuis, abſque foliis, ſuperiùs in apophyſes duas vel quatuor diuiſus: in quorum ſingulis flores tres aut quatuor, Lilium forma & diuiſura referentes, colore in vno quidem ochræ, id eſt, vt diximus, luteo, in alio rubro purpureo, cuius tamen medium floris luteum eſt. Poſt flores craſſæ, triangulares gignuntur ſiliquæ, in quibus ſemen nigrum & ſplendens, Pæoniæ fœminæ ſimile, ſed minus. Radices ſunt non bulboſæ, ſed veluti Aſphodeli lutei, multæ, oblongæ, cohærentes, & vni quidem, cui videlicet flores maiores & purpurei, craſſiores nodoſioréſque: alteri verò minoris floris, tenuiores & longiores, è quarum annexis fibris quædam craſ-

ſiores

LILIVM Non bulbosum, Hemerocallis Dodo.



LILIVM Rubrum non bulbosum.



flores serpunt, quibus non secùs ac Asphodelus luteus in plures platas facilè multiplicatur. Peregrinum Belgio istud Lilium est: floret ante Lilia candida. Lilium luteum nonnulli appellant, sed rectiùs Lilium non bulbosum dici Dodonæus putat: alij Liliaginem: plerique Liliastrum: Pena & Lobellius Liriasphodelum luteum Liliflorum: veteres, inquit Dodonæus, Hemerocallida, quia caules non bulbosi Lilij in propagines seu ramulos distribuuntur, singulíque flores tres aut quatuor promunt, & eos quidem ochræ colore in vno genere. Iam & porphyranthes Hemerocallis nominata reperitur: quæ appellatio purpurei floris non bulboso Lilio conuenit. Quæ omnia non bulbosum Lilium Hemerocallida legitimam esse perspicuè ostendunt. Quod verò tribuit Dioscorides Hemerocallidi radicem bulbosam, innuit istud, inquit, apud Dioscoridem Hemerocallidis descriptionem deprauatam: vel enim superuacuorum scilicet, & veritati repugnãtium adiectione ampliatam, vel duorum Liliorum descriptiones in vnam contractas. His rationibus Hemerocallidem suam asserere nititur Dodonæus. Herbarij tamen Matthioli Hemerocallidem magis amplectuntur. Lilio non bulboso est persimilis planta hîc appicta, Lilij rubri non bulbosi nomine meritò donanda: radicibus duntaxat differt, quas multùm fibratas habet. His pulchrius Hemerocalles pictum damus. Semine ex Constantinopoli delato Lugduni in horto quodam Dalechampij industria creuit. rara hæc stirps, aspectu perelegans, Hemerocalles Constantinopolitanum phœniceum, vnico flore ab ipso appellata, è qua viua pictura hæc expressa est. Bulbum planè Lilij vel Hemerocallidis Matthioli pro radice habet, fibris pluribus capillata, ex qua erigitur caulis vnicus, cubitalis, teres, læuis, herbaceus, nodis & geniculis distinctus: è nodis singula folia, ex singulis geniculis modò bina, modò quaterna, rariùs terna prodeunt, caulem ambientia, Lilij foliis similia, sed minora & acuminatiora. In caulis summo vertice vnicus flos emicat, qui sex foliis constat, striatis, florum Lilij speciem referentibus, nisi minora essent, & colore phœniceo pulcherrimo: ex quorum medio sex apices sese exerunt phœnicei, staminibus

pallidis

pallidis nixi, & media inter ipſos claua apicum ſtaminibus concolor. Verùm non tam venuſtus eſt flos tum ſpecie, tum colore, quàm ſtructura, & foliorum ſitu admirandus. Non enim quemadmodum floris Lilij iam hiantis folia ſolummodo terram verſus inclinata & repanda ſunt, ſed ita foras inflexa & intorta, vt ipſorum cacumina omnia in idem quaſi cētrum coëant in ipſius caulis vertice, vnde primùm exiere, apicibus ex ipſo floris vmbilico foris pendulis, qui in Lilio & ſimilibus recti ſtant. Hemerocallidis radix trita, auctore Dioſcoride, trita pota, aut cum melle & lana in peſſo appoſita, aquā educit & ſanguinem: folia trita impoſita mammarum ex partu & oculorum inflammationes mitigant. Radix & folia ambuſtis commodè imponuntur. Plinius, Hemerocallidis radix cum melle impoſita ventri, aquam pellit, & ſanguinem etiam inutilem: folia epiphoris illi oculorum, mammarúmque poſt partum illinuntur. Quæ eadem ſunt cum iis quæ ex Dioſcoride diximus, niſi quòd radix ventri imponenda non eſt, vt Plinius dicit, ſed ad vterum apponenda in lana cum melle, vt peſſus fiat, vt Dioſcorides ait, σὺν μέλιτι ἐν ἐρίῳ προστεθεῖσα πεσσὸς ἐστιν ὑδραγωγὸς, καὶ αἱμαγωγός. Galenus Hemerocallidis radix, inquit, ſimilis eſt Lilij radice & ſpecie & viribus. Prodeſt non ſecus atque illa igni ambuſtis: nam & leuiter diſcutit, & nonnihil repellit.

Lib.3.c.120

Vires.

Lib.& c.21

***HEMEROCALLES** Conſtantinopolitanum Phœniceum vnico flore.*



BVLBVS. *CAP. III.*

Nomina ***Genera.*** Lib.7. hiſt. cap.13.

ΒΟΛΒΟΣ Græcis, Bulbus Latinis, Arabibus *Baſar; Alzir.* Bulbi eſculenti, qui βολβὸς ἐδώδιμος, & vomitorij, qui βολβὸς ἐμετικὸς dicitur, tantùm meminit Dioſcorides. Theophraſtus plura genera poſuit. τῶν δὲ βολβῶν, inquit, ὅτι πλείω γένη φανερόν. καὶ γὰρ τῷ μεγέθει, καὶ τῇ χρόᾳ, καὶ καθάπερ τοῖς σχήμασι διαφέρουσι, καὶ τοῖς χυλοῖς. ἔνιοι γὰρ οὕτω γλυκεῖς, ὥστε καὶ ὠμοὺς ἐσθίεσθαι, καθάπερ ἐν χερρονήσῳ τῇ ταυρικῇ. Id eſt, Multa eſſe bulborum genera conſtat: differunt enim magnitudine, colore, figura, ſucco: nam quidam adeò ſunt dulces, vt crudi comedantur, quemadmodum in Cherroneſo Taurica. Et paulò inferiùs. πλείω δὲ καὶ τὰ βολβώδη, καὶ ἐλάττω (Gaza legit καὶ οὐκ ἐλάττω) ταῦτα δὲ καθάπερ τὸ λευκόϊον, καὶ βολβίνη, καὶ ὁ πιτίων, καὶ κύιξ (Lege κόϊξ, quemadmodum apud eundem Theophraſtum lib.1. & apud Pollucem legimus) καὶ τρόπον τινὰ τὸ σισυρίγχιον. βολβώδη δὲ ταῦτα, ὅτι στρογγύλα ταῖς ῥίζαις, ἐπεὶ τοῖς τε χρώμασι λευκὰ, καὶ οὐ λεπυρώδη. ἴδιον δὲ τοῦ σισυριγχίου, τὸ τῆς ῥίζης αὐξάνεσθαι τὸ κάτω πρῶτον, ὃ καλοῦσι χειμῶνα (Emenda πρῶτον, καὶ χειμῶνα) τοῦ δὲ ἦρος ὑποφαίνοντος (Plinius addit, τοῦ δὲ ἦρος ὑποφαίνοντος τοῦ ἴου) τοῦτο μὲν ταπεινοῦσθαι, τὸ δὲ ἄνω τὸ ἐδώδιμον αὐξάνεσθαι. Id eſt, Plura autem ſunt Bulboſa, nec iis pauciora, veluti Viola alba, Bulbine, Opition (ſic legit Gaza) Coix, & quodammodo Siſyrinchium. Bulboſa autem hæc ſunt, quòd radices habeant rotundas, colore candidas, & non ſquamoſas. Quæ ſic conuertit Plinius. Bulborum genera differunt colore, magnitudine, ſuauitate: quippe cùm quidam crudi mandantur, vt in Cherroneſo Taurica. Et paulò pòſt. Genera Grēci hæc fecere. Bulbinen, Setanion, Pition, Acrocorion, Siſyrinchium.

Cap. 16. Lib.10.

Lib.19. c.5.

Lib. 19. c.5.

rinchium. In hoc mirum, imas eius radices crescere hyeme, verno autē cùm apparuerit viola, minui & contrahi, tum deinde Bulbum pinguescere. Ex quorum locorum cōparatione perspicuum est vtriusuis auctoris locos corruptos esse: nec enim Setanion Bulbum, nec acrocorion Theophrasti exemplaria habent. Idem Plinius Catonem Megaricos Bulbos celebrare ait. Deinde cùm tantæ suauitatis esse in Cherroneso Taurica natas dixisset, vt crudi mandantur, post hos, inquit, in Africa nati maximè laudantur, mox Apuli. Est & hic obseruandum, Bulbum esculentum & vomitorium propriè Bulbos appellari. Verùm generaliter omnes olerum radices, quæ similitudinem Bulbi habent, Bulbos dici. Sic Celsus. Ex oleribus valētiora Rapa, Napiq; & omnes Bulbi, in quibus Cepam quoq; & Allium numero. Quare Theophrastus loco citato non βολβοὺς, sed βολβώδη appellat. Id verò magis mirum quod de lanigeris bulbis Theophrastus prodidit his verbis. μεγίστη δὲ καὶ ἰδιωτάτη διαφορὰ τῶν ἐριοφόρων. ἔστι γὰρ τι γένος τοιοῦτον, ὃ φύεται ἐν αἰγιαλοῖς. ἔχει δὲ τὸ ἔριον ὑπὸ τοὺς πρώτους χιτῶνας. ὥστε ἀνὰ μέσον εἶναι τοῦ τε ἐδωδίμου τοῦ ἐντὸς, καὶ τοῦ ἔξω. ὑφαίνεται δὲ ἐξ αὐτοῦ τὰ πόδια (Athenæus & Pollux legunt πόδεια, Plinius interpretatur mapalia) καὶ ἄλλα ἱμάτια. διὸ καὶ ἐριῶδες τοῦτο, καὶ οὐχ ὥσπερ ἐν ἰνδοῖς τριχῶδες. Id est, Maxima autem & maximè propria differentia est lanigerorum. Est enim tale quoddam genus in litoribus nascens. Lanam sub primis tunicis habet, ita vt in medio sit eius quod edule est tum internum, tum externum. Texuntur ex ea & togæ (Sic πόδεια vertit Gaza, Bayffius fascias pedum, seu fascias crurales) & alia vestimenta: est enim id lanosum, non quemadmodum apud Indos capillaceum. Qua de re Plinius ita scribit. Theophrastus auctor est, esse Bulbi genus circa ripas amnium nascens, cuius inter summum corticem, eámque partem qua vescuntur, esse laneam naturam, ex qua mapalia vestésque quædam conficiuntur. Sed neque regionem in qua id fiat, neque quicquam diligentius, præterquàm Eriophoron id appellari in exemplaribus, quę quidem inuenerim, tradit. Ex his colligas, multa quondam genera Bulborū fuisse omnibus nota, quod Dioscorides de esculento Bulbo dixit, cuius ob id descriptionem prætermisit, nobis verò ignota: quia, vt ait Pena, non secùs atque Asphodeli, Bulbi plerique omnes edi mortalium luxu & mollitie desiere, præsertim Europæis regionibus, seu fuerint gustu minùs commendabiles aut vtiles quàm Bulbacea multa, Porrū, Cepæ, Allia, & similia: viscidi enim sunt omnes & muccosi, & plerique insulsi, & magis ad excipienda condimenta, vt Hyacinthi multi, & Galenicus Asphodelus, quàm ad condiendum apti. Quare ex Dioscoride diuinare seu coniectari potiùs licet, quàm asseuerare quid sit esculentus Bulbus: pro quo Ascaloniam cepam, de qua dicemus, Officinæ vsurparunt, quòd venerem stimulare vulgò dicatur, quod de Bulbis antiquitas prodidit, vt Martialis cecinit his versibus.

Lib. 19. c. 5.

Lib. 1. c. 18.

Lib. 7. hist. cap. 13.

Lib. 19. c. 2.

Lib. 19. c. 2.

In Aduers.

Cum sit anus coniux, & sint tibi mortua membra,
Nil aliud, Bulbis quàm satur esse potes.

Bulbi nusquam hodie in hortis coluntur: quare satiuis caremus. Siluestres multiplices sunt: quidam edules, quanquam paucis, nempe Græcis & Apulis, eo satiuis deteriores quòd nullo cultu mansuescant. Gignuntur passim ac in segetibus, radice bulbosa, cortice subrufo, (quamobrem quidam Pancratium esse putauerunt) altè defossa: foliis Porri, longis & latis: caule tereti, nudo: flore per initia racemoso, paulatim sese dispescente purpureo: semine paruo, nigro, in loculis triangulis, primis Bulbi tunicis subamaris, vt in Bulbina, media cartilagine dulciore. Huius picturam pro Hyacintho primo Matthiolus, Fuchsius, & Tragus exhibuerunt: floret Aprilis initio iam deflorescente Bulbina. Horum flores rustici nostrates sertorum manipulis, quos in foro vendunt, immiscent, ob purpurei floris venustatem. Allium est caninum Dodonæi, quem Bulbum esculentum & hortensem vocat, quòd alibi in siluis, in Belgio non nisi in hortis cultu nascatur. Non est tamen

Bulb^o escu lētus multorum.

Locus.

Forma.

In cap. 58. lib. 4.


Cap. 323. hi.

Lib. 2. c. 79.

Lib. 5. hist. cap. 76. & De florib. cap. 52.

Allij

BVLBI esculenti genus maius, Dodonæi. Hyacinthus, Matth.



Allij species aliqua, inquit, sed Bulbi esculenti
genus quoddam, veluti Bulbina, cui certè simil-
limus est: Bulbo enim Bulbina rubet, & porri
folia habet, Plinio auctore. Videtur autem hæc
ex Africa Bulbus esse, quem Afrum cognomi-
nant: huius enim Dioscorides πυῤῥὸν, id est, ru-
fum Bulbum esse ait. Huic adiunxit Bulbi escu-
lenti genus minus illi simile foliis, floribus & ra
dice, nisi minus esset. Tragus Hyacinthum exi-
guum vernum appellat, Germani *Hundtszuuibel*,
vel *Hundtsknoblauch*, hoc est, Cepam caninam,
vel Allium caninum. Prius genus peritis Bulbus
siluestris Plinij Pericarpus videtur esse, sic di-
ctus, quòd fructus caulem cingat & ambiat: al-
terum genus Bulbina, herba, inquit Plinius, por
raceis foliis, rubicundo Bulbo. Ex eodem Do-
donæo Bulbū alium hîc depinximus foliis Al-
lij siue Porri, paucioribus, videlicet vnico aut
duobus duntaxat: caule rotundo, cauo, dodran-
tali: multis, sinuatim emicātibus floribus luteis,
speciosis, sex foliolis ex calatho stellatim radia-
tis, capillo intus croceo, capitulo seu siliqua flo-
ribus delapsis triāgulari, seminibus plena: radi-
ce rotunda ceu Cepa siue Allium, citra odorem glutinosā. Multis Germaniæ locis
crescit, sabulosis & vmbrosis, atque circum conualles & riuulos, nonnunquam in
sepibus. Per initia veris Aprili & Martio mensibus erumpit: ac statim deinde eua-
nescit. Quomodo veteres nuncuparint, hactenus incompertum esse ait. Sunt qui

Lib.2.c.79.

Lib.25.c.10.

Lib.20.c.9.

BVLBI esculenti genus minus, Dodonæi.



BVLBVS siluestris Fuch. & Dodonæi.



Bulbinam

Bulbinam vocent, alij βολβὸν ἐδώδιμον, id est, Bulbum esculentum. Quorum sententia illi & peritis herbariis haud placet. Quare Bulbum siluestrem nominauit quemadmodum & Fuchsius, Germani *Feldszuuibel*, id est, Cepam agrariam siluestrem. Ca.60.hist. Ruellius Bulbum siluestrem prior nuncupauit, quem rura Gallica, quòd radice & foliis Porrum imitetur, Porrion vocant.

BVLBVS *Vomitorius, Matthioli.*



Quibusdam Theophrasti Perdicium esse placet, Li.1.cap.11. quod radices crassas habet, & plures radices quàm folia, multis in vnam aceruatis. Dictum est autem Perdicium, quòd perdices ad id se volutent, terrámque suffodiant. Non desunt qui vomitorium Bulbum esse credant, quòd vsu compertum sit radicis decoctum vomitiones ciere, & aluum valenter ducere, non dissentiente Dioscoridis delineatione, scribentis Bulbum Li.2.c.166. vomitorium folia habere lori modo latiora, & Bulbus Vomitorius. multò longiora quàm Bulbus esculentus: radicem similem Bulbo, cortice nigro. Quæ si per se edatur, vel decoctum eius bibatur, vesicæ malis medetur, & vomitiones mouet. Matthiolus Bulbum alium vomitorium depinxit tantùm, & sine vllis notis nudam imaginem cum nominis inscriptione exhibuit. Alij Hyacinthi speciem esse statuunt. De quo fusiùs disseremus capite proximo de Hyacinthis. Dodonæus hunc De florib. cap.52. ex esculentorum Bulborum genere esse censet, & Bulbum vomitorium ab isto planè diuersum describit, de quo in Narcissis dicemus. His Bulbis idem Dodonæus Leucanthemum addit. Sed De florib. cap.53. cùm Ornithogalon legitimum Dioscoridis esse putet, de eo magis idoneo loco tractabimus.

BVLBVS *AEstiuus Dalech. Tiphyum Theophrasti.*



Bulbum alium ex Dalechampio hîc proponimus, Bulbus æstiuus. quem æstiuum meritò cognominat. Gignitur in sabuletis aridissimis & perflatis: *Locus.* radice mali instar rotunda, subter fibrata cepæ modo, *Forma.* gustu lenta, & pauxillulum acri cùm diu mansa fuerit: foliis multis angustis, tenuibus, croco similibus, tres digitos longis: caulibus tribus aut quatuor ex interiore Bulbi rima nascentibus, vt in Colchico, quatuor digitos altis, flosculis plenis, ex purpureo rubentibus: semine anguloso, paruo, nigro, gustu perquàm amaro & subacri in loculis oblongis, triangularibus. Scillæ modo sub finē Iulij Augusto toto & Se- *Tempus.* ptembri ante foliorum exortum hæc planta caulem florémque gignit: nec priùs exeunt folia, quàm dilapso flore conceptum semen fuerit. Hyacinthum quidam esse credunt. Sed ab eo plurimùm dissidet, quòd aduētante Vere ad Februarij finem, Martij've principium Hyacinthus floreat, hic verò Bulbus desinēte Iulio, Augusto toto & Septembri: quòd duo

aut ſummum tria folia Hyacinthus edat, hic verò plura quàm octo, graciliora, anguſtiora, breuiora: quòd Hyacinthi flos emergat poſt folia, huius verò flos cum caule ante folia exoriatur. His adde, Hyacinthum vmbroſis ſiluis, humidis ſepibus, locíſque aliis vdis gaudere, Bulbum hunc ſicciſſimis, ſqualidiſſimis, apricis, ventóque expoſitis. Iam verò vnico tantùm caule Hyacinthus aſſurgit, hic verò duobus, tribus, quatuor. Poſtremò paucis diebus florem Hyacinthus retinet, hic menſem integrum, atque etiam diutius: qui flos in Hyacintho omnino purpuraſcit, in hoc Bulbo in purpura rubet. Sunt qui Bulbum hunc Theophraſti eſſe coniiciant, quòd florem ante folia promat. Bulbos ἐριοφόρους diximus eſſe ex Theophraſto, qualem Belgij ſe in horto Ioannis Brancionis vidiſſe refert Dodonæus. Bulbus erat qualis ceparum ex multis tunicis compactus, inter quos lenta quædam veluti lanugo reperitur. Iconem Parauio ad ſe à Cortuſo miſſam fuiſſe ait, quam hîc in nullo mutatam, nec vllo modo mutilatam expreſſimus. Sed hanc commentitiam eſſe veri & gemini Bulbi Eriophori pictura demôſtrat, quam fidus & accuratus rei herbariæ ſcriptor Cluſius expreſſit, qui eundẽ etiam Bulbum deſcripſit his ferè verbis. Habet folia multa oblonga, Hyacinthinis ferè ſimilia, minùs carnoſa & ſucculẽta, duriora tamen, viridia, mucronata, ſapore ingrato, quibus minutiſſimè etiam confractis, tenuia quædam fila inſtar telæ araneorum diduci poſſunt. Ex horum medio caulis exit cubitalis aut amplior, rectus, Scillini caulis æmulus, læuis, nudus, vireſcens, ſuperiore verò parte ad cæruleum colorem tendens: in ſummo veluti oblongam ac denſam fert ſpicam, in denos vel plures verſus diſtinctam, viridem primùm, ſed paulatim (dum ſeſe explicat in flores) cæruleum colorẽ contrahentem: conſtant flores ſenis foliolis ſtellatim expanſis, triangulo vmbone in medio protuberante, Hyacinthi autumnalis floribus propemodum ſimiles, inodori, colore cum ſuis pediculis cęruleo, & internis ſtaminibus, quorũ apices initio purpurei ſunt, & vbi ſeſe explicarunt, veluti palleſcente quadam farina aſperſi. Incipit florere ab imo, vt Scilla ſolet, & reliqui magna ex parte Bulbi, qui flores racemi aut ſpicæ in modũ confertos habent. Semen ſe obſeruaſſe Cluſius ait, ſed flores admodum caducos ſtatim marceſcere cœpiſſe, & relictis in caule tantummodò pediculis decidiſſe. Radix craſſa & bulboſa eſt, ex plurimis tunicis contexta, alba, tomentoſa, & veluti araneorum

BVLBVS *Eriophorus, Dodonæi.*



Lib. 7. hiſt. cap. 12.

Append. lib. purg. cap. 31.

Append. lib. ſtirp. Hiſpanic.

BVLBVS *Eriophorus, Cluſij.*



BVLBVS paruus vnifolius, Penæ.



nearum telis obsita, multos adnatos Bulbos habens, & crassis oblongísque fibris nitens. ἐριοφόρου nomen huic Bulbo inditum ob tomenti copiam, quòd lanæ modo in stamina diduci potest. Hîc non omittendus Bulbus paruus vnifolius aut bifolius batrachoides Penæ, qui recto, gracili caule constat, palmari vel sesquipalmari, vnicum folium aut summũ duo in medio quasi centro sustinente, multis & altis incisuris radiatim diuisum Aconiti modo, in cuius medio quasi vmbilico flos vnicus, herbaceus palléns que, Aprili & Maio cõspicitur, Ellebori prorsum, deinde semen siliquatum etiam stellatum, & effigie Ellebori: radicis Bulbus paruus, quãtus Fumariæ Plinij, admodum acris gustanti. Hunc collegisse se ait Pena in collibus Patauio vicinis, in quibus viperę capiuntur. His atteximus admirabiliorem Bulbum, nõ ἐριοφόρον, sed τριχώδη. De quo hæc legimus in Nauigationibus Italico sermone cõscriptis, inter quasdam insulas tantam stirpis elegãter expressæ copiam prouenire, vt naues hanc supergredi coactas quandoque remoretur. In fundo maris crescit, quatuordecim vel quindecim brachiorum longitudine, quatuor vel quinque altitudine extra aquam eminens, colore ceræ luteę, caule satis crasso, ex quo per interualla exoriuntur Bulbi, ex fastigiis capillitium quoddam emittentes. Radix est crassior, bulbosa, quamplurimis fibris capillata. Bulbus esculentus, vt docet Dioscorides, stomacho & aluo vtilis est, rufus, & qui ex Lybia defertur. Amarus verò & Scillæ similis stomacho vtilior est, & concoctionem adiuuat. Omnes Bulbi acres sunt, & calfaciunt, & venerẽ stimulant. Exasperant linguam & tonsillas: multùm nutriunt, carnes gignunt, inflationes pariunt. Ad luxata, fracta, articulorũ dolores, & surculos extrahendos illiti conducunt. Gangrænis & podagris cum melle & per sese, hydropicorumq; tumoribus & canũ morsibus similiter cum melle & pipere trito impositi prosunt. Sudores cohibent & stomachi dolores mitigant: furfures & achoras cum nitro tosto exterunt: sugillata & varos per se, aut cum oui vitello purgant, & lentigines cum melle aut aceto: fractis articulis vnguibúsque ex polenta medẽtur. Iidem calidis cineribus torrefacti tollunt ficos, item cum cinere è mænarum capitibus impositi. Cremati verò & cum alcyonio misti vitia cutis in facie, & cicatrices nigras in sole illiti emaculant: faciunt ad rupta, si cum aceto cocti edantur. Sed copiosiore eorum cibo abstinendum, quoniam neruos tentant. Plura de Bulbi viribus à Plinio prodita sunt his verbis. Bulbi ex aceto & sulphure vulneribus in facie medentur. Per se verò triti neruorum contractioni, & ex vino porrigini: cum melle canum morsibus: Erasistrato placet cum pice. Sanguinem idem eos sistere tradit illitos cum melle. Alij si è naribus fluat, coriãdrum & farinã adiiciunt. Theodorus & lichenas ex aceto Bulbis curat, & erumpentia in capite cum vino austero aut ouo. Et Bulbos epiphoris idem illinit, & sic lippitudini medetur. Aequè vitia

BVLBVS Marinus crinitus.



Bulbus Crinitus marinus.

Locus.

Forma.

Lib.2.c.65.

Vires & Temper.

Lib.20.c.9.

quæ ſunt in facie,eorum rubentes maximè(id eſt,ſilueſtres quibus cortex radicis ru
bet)in Sole illiti, cum melle & nitro emendant:lentiginem cum vino, aut cucumi
cocto (cum melle vel aceto Dioſcorides.) Vulneribus quoque mirè proſunt per ſe,
aut (vt Damion) ex mulſo,ſi quinto die ſoluantur. Iiſdem & auriculas fractas curat,
& teſtium pituitas. In articulorum doloribus miſcent farinam. In vino cocti illiti
ventri duritiem præcordiorum emolliunt. Dyſentericis in vino ex aqua cæleſti tē-
perato dantur. Ad conuulſa intus, cum Silphio pilulis fabæ magnitudine. Ad ſudo-
rem tuſi illinuntur. Neruis vtiles, ideo & paralyticis dantur (contrà Dioſcorides
monet à largiore eorum cibo abſtinendum , διὰ τὸ ἄπλεον τοῦ νευρώδους.) Luxata
in pedibus qui ſunt ruſi ex his,citiſſimè ſanant cum melle & ſale. Venerem maxi-
mè Megarici ſtimulant. Silueſtres interaneorum plagas & vitia cum Silphio pilulis
deuoratis ſedant. Et ſatiuorum ſemen contra phalangia bibitur in vino Ipſi ex ace-
to illinuntur contra ſerpentium ictus. Semen antiqui bibendum inſanientibus da-
bant. Flos Bulborũ tritus crurum maculas varietatéſque igne factas emendat. Dio-
cles oculos hebetari ab iis putat. Elixos aſsis minùs vtiles eſſe adiicit,& difficilè cō-
coqui ex vi vniuſcuiuſque naturæ. Bulbine traditur vulneribus mirè vtilis, dunta-
Lib. 6. ſim. xat recentibus. Galenus Bulbum edulem frigidiorem & craſsiorem eſſe, lentumq;
ſuccum procreare ſcribit:nam & coctu difficilis eſt,& flatuoſus, & venerem prouo
cat. Attamen illitus ob amaritudinem ſimul & adſtrictionem, abſtergit ſimul &
glutinat,atque etiam exſiccat. Bulbus vomitorius multò eſt calidioris temperatu-
Cap. 12. ræ. Veretrum,inquit Marcellus Empiricus, id eſt, Bulbus,quod eſt genus cepæ, in
aceto decoquitur,idq; acetum ore continetur,vt mobilitas dentium ſiſtatur.

HYACINTHVS. CAP. IIII.

Nomina GRAECIS ὑάκινθος, Latinis Hyacinthus dicitur. Dioſcorides vnicum
Lib. 4. c. 58. Hyacinthum deſcripſit. Theophraſtus Hyacinthum inter vernos flo-
Lib. 6. hiſt. cap. 7. res recenſet, eúmque duplicem, tum ſatiuum, tum ſilueſtrem. Recen-
Genera. tiores Herbarij multò plures Hyacinthorũ ſpecies obſeruarunt. Hya-
cinthus, vt deſcripſit Dioſcorides, folia Bulbo ſimilia habet : caulem dodrantalem,
Lib. 4. c. 58. læuem, minimo digito tenuiorem, viridem, comam incumbentem incuruam, flo-
Forma. rum purpureorũ plenam:radicem etiam ipſam Bulbo ſimilem. Quis ſit iſte Hya-
Li. 3. c. 104. cinthus ſcitu perdifficile eſt. Ruellius frequentem in Gallia Hyacinthum eſſe ait,
Vide Phytop: pag. eúmque florem à ruſticis *Vaciet* appellari:in quo Romani vocabuli rudimēta quæ-
dam relucent, quaſi Vaccinum & Vaccinium innuant, quo Vaccinij nomine Hya-
cinthum à Romanis dici inter notha Dioſcoridis legimus. Et Seruius, Vaccinium
Lib. 2. hiſt. cap. 4. pro Hyacintho Maroni acceptum in carmine, affirmat. Dodonæus etiam Hyacin-
De florib. cap. 51. thum *Vaciet* Gallici nomine, deſcripſit, foliis oblongis, anguſtis, læuibus, & ſplen-
1. Hyac. dentibus, Porri, ſed minoribus : caule glabro, terete, cuius coma florum pondere &
mole, cùm primùm dehiſcere incipiunt, grauata, deorſum incuruatur:floribus ob-
longis, rotundis, concauis, in latius ſe pandentibus, per oras reflexis, colore pluri-
mùm cæruleis, nonnunquam albicantibus, aut candidis ſiue niueis, aliquando pur-
pureis : ſemine in ſiliquis triangularibus paruo, rotundo, nigro:radice rotũda, bul-
Lib. 1. plan. cap. 101. boſa, candida, lento ſucco, vti & tota herba, plena. Cordus in Germania reperiri
ſcribit in apricis quibuſdam tumulis. Dodonæus in Belgio etiam in aruis, & iuxta
agrorum margines fruticibus aut arboribus conſitos, & præcipuè quidem prope
Mechliniam vrbem, ibíque copioſè naſci:florere Aprili & Maio menſe. Hunc eſſe
Dioſcoridis Hyacinthum citra adiectionem autumat : item eum cuius meminit
Lib. 10. Columella, diuerſitatem coloris quæ eſt in floribus vno verſiculo complexus,

Nec non vel niueos, vel cæruleos Hyacinthos.

Ipſe

HYACINTHVS, Dodon.



Ipse Dodonæus Hyacinthum non scriptum vocat, ad differentiam alterius, nempe scripti, qui luctus notas inscriptas habet. Pena & Lobellius Anglicũ & Belgicum: quia nusquam maiori copia prouenit, quàm in Anglia & Belgio. Matthiolus Hyacinthum pinxit, quem Bulbum esse diximus: item aliũ, quem Orientalem vocat, eumq́; duplicem, quòd ex Orientalibus regionibus ad Cortusum missus sit: alij Græcum nuncupant. Dodonæus priorem Orientalem & legitimum à *Vaciet* Gallico, siue *Iacinthen* Germanico non distinguit, nisi quòd hîc minor ac magis serotinus est, ille maior ac præcocior. Et reuera tum inter sese similes sunt duo isti Orientales Hyacinthi, tum ab Hyacintho non scripto Dodonæi non multùm diuersi, teste etiam Pena, qui hos Patauij primùm se vidisse ait: floribus tamen, foliis & bulbo dinstinguuntur. Hos Lobellius feliciùs & accuratiùs multò expressit. Prioris, qui Hyacinthus Oriẽtalis Græcus ab eo dicitur, triplex differentia folio & flore: angustifolius, latifolius, & polyanthes alter seu minor. Cùm defloruerit duntaxat, maculis vipereis caulis variat. Præcox dilutiore est flore: serotinus saturatiore, hilari, cæruleo, amœno. Hyacinthus Orientalis, maior polyanthes, quem mutilum & deprauatum Matthiolus pinxit, vt ait Lobellius, à medio cubitali caule ad summum vsque, in vnam partem vergente florum peramœnorum, cæruleorum ordine decoratur, eximiæ magnitudinis, ca-

In cap. 58. lib. 4.

De flo. c. 51.

HYACINTHVS Dioscoridis: non scriptus, Dodonæo.



HYACINTHVS Orientalis Græcus, Lobellij.



lathis,ſeu alabaſtris paruis ſimilium : folia latiora : bulbus Narciſsi par. Lobellius in Appendice Hyacinthum alium Orientalem,brumalem,album Louanio à Cornel. Gemma Medico oſtendit cum hac ferè deſcriptione. Rarum hoc atque exoticum videtur Hyacinthi genus : nam etſi foliorum & florum forma cùm pleriſ-

HYACINTHVS Orientalis maior polyanthes, Lobel.



HYACINTHVS brumalis, Orientalis Gemmæ ex Lobel.




que aliis conueniat, id tamen ſibi vendicat ſingulare , quod ſtatim ſub ſolis hybernum tropicon terra erumpat , caulem quoque protrudens interdum per medias niues : florem quoque venuſtiſsimum edat circa principium Ianuarij , vel à fine Decembris ferè ad medium vſque menſis Martij : folia ſunt,non vt cæteris laxa & mollia, ſed ſucculenta, ſpiſſa, ac ferè ſemper erecta vt in generibus Aizoi. Nerui in his nulli conſpicui, ſed ſtriæ ſolummodò rectæ , ac veluti tenues fibræ. Durant autem virore conſtante vſque ad finem Iunij , ac multò diutius quàm in cæteris : flos leni caule,nonnihil circa faſtigia ad pediculos ſingulos excauata, propendet candidus , nonnihil tamen ſub initia , & circa ſupremas oras quiddam ſubcæruleum leuiter præ ſe ferens,quo quidem euaneſcente ſenſim Februario menſe totus fit lacteus , odore fragrantiſsimus , in ea ſpecie deinceps menſe plus integro perſeuerans. Radix bulboſa , intus candida , foris ruffa, circa foliorum exortus maculas quaſdam, quales in Serpentariæ maioris caule ſpectantur, effundit, interfuſa purpura nigro. Verùm id maximè ſub Veris auſpicia , & cùm terræ rurſus mandata caulem emeritum gerit. Hæc Lobellius ex Gemma. Poëticum Hyacinthum , vt ſcribit Plinius, comitatur fabula duplex, Lib.21.c.11. luctum præferens eius quem Apollo dilexit, aut ex Aiacis cruore editi, ita diſcurrentibus venis , vt Græcarum literarum figura , AI , legatur inſcripta. Quam duplicem fabulam Ouidius in vnam contraxit, &, AI , literarum figuram , non Aiacem, ſed Apollinis luctum referre dicit. Verſus eius hi ſunt.

Ecce

HYACINTHVS Orientalis, I. Matth.



HYACINTHVS Orientalis, II. Matth.



Ecce cruor, qui fusus humi signauerat herbas, Li.10. Metamor.
Desinit esse cruor, Tyrióque nitentior ostro
Flos oritur, formamq́, capit quam Lilia, si non
Purpureus color his, argenteus esset in illis.
Nō satis hoc Phœbo est (is enim fuit auctor honoris:)
Ipse suos gemitus foliis inscripsit, & Ai, Ai,
Flos habet inscriptum, funestáque litera ducta est.

Hîc tamen etiam Apollo de altera fabula vaticinatur his versibus.

Flósque nouus scripto gemitus imitabere nostros.
Tempus & illud erit, quo se fortißimus heros
Addet in hunc florem, folióque legetur eodem.

Huius Hyacinthi meminit etiā Theocritus: Idill.19.

Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἴ, αἴ,
Λάμβανε τοῖς πετάλοισι –

Poëticum istū Hyacinthum Dodonæus κρίνον πορφυρὸν, id est, Lilium purpureū, siue rubrum minus esse censet, vt iam monuimus, quòd ex sanguine Hyacinthi adolescentis ruber flos ortus sit, eadémque de causa à Poëtis Latinis ferrugineum cognominari, vt à Vergilio. (Lib.2. hist. cap.39. De florib. cap.33.) Li.4.Geor.

Et pinguem tedam, & ferrugineos Hyacinthos.

Et à Columella. Lib.10.

Syrpiculum ferrugineis cumulare Hyacinthis.

Ferrugineum verò Hyacinthum dici, quòd ad similitudinē ferruginis rubeat. Est autē ferrugo, inquit, ferri corruptela, velut æris rubigo, quæ à colore subrubente rubigo appellatur: vnde & ferrugineus color, instar ferruginis rubens. Sunt qui velint ferrugineum Hyacinthum appellari, quasi lugubrem & funestum: aiunt enim ferrugineum fuscum esse & subobscurum colorem, Vergiliumq́; cùm ferrugineum nominat Hyacinthum ad fabulam eius alludere, quæ Hyacinthum ex sanguine Hyacinthi adolescentis natum fingit: ferrugineam etiam ab eo dici Charontis funestā & luctuosam cymbam. Sed his cōtradicere videtur ipse Vergilius scribens Hyacinthum suauiter, id est, non intensè rubere his versibus. Eclog.3.

Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me
Munera sunt Lauri, & suaue rubens Hyacinthus.

In qua significatione Ouidium loco superiùs adducto purpureum dixisse Dodonæus putat, quòd purpureus omnis qui rubet color in floribus nominari consueuerit. At Plinius purpureas violas, quas Vergilius nigras vocat, sola Greco nomine à cæteris discerni, appellariq́; Ia, & ab his Ianthinam vestem, & colorem purpureum qui in viola, Ianthinum nuncupat his verbis. In quibus vnguento vicisse naturam gaudens luxuria, vestibus quoque prouocauit eos flores, qui colore commendantur. Hos ani- (De florib. cap.33. Lib.21.c.6. Ibid. ca.8.)

maduerto tres esse principales: vnum in cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil
traditur aspectu, & in purpura Tyria, dibapháq; ac Laconica. Aliũ in Amethysto
qui in viola: & ipse in purpureum, quémque Ianthinum appellauimus, &c. Hic
violarum Martiarũ color violaceus perspicuè intelligitur, vbi rubor nullus. Quare
non omnis purpureus in floribus color rubet, vt sentit Dodonæus. Quod autem
Hyacinthinus color Ianthino vt voce, ita re similis sit, id est, violaceus, nõ cruen-
tus à cruore, ostri Tyrij color violaceus, siue Ianthinus apertè demonstrat, cui laus
Lib.9. c.38. summa, inquit Plinius, color sanguinis cõcreti, nigricans aspectu, idémq; suspectu
In Aduers. refulgens. Eundem colorem violaceum ostentat purpura, cuius sanies, inquit Pe-
na, ex violaceo tantillùm rubet. Vnde apud Vergilium suaue rubens Hyacinthus
dicitur. At Lilio purpureo non suauiter rubent flores, sed flammeo, siue luteo sa-
turato rutilant, vt diximus. Porrò ferrugine tinctum Ibera cũ canit Poëta, innuit
colorem, quem politæ cassides igni calefactæ, aut candefactæ simulac frigescunt,
violaceum rubidum, nitidum cõtrahunt, Galli
vocant *Brunissure*. De quo etiam ferrugineas
violas dixit Claudianus, neutiquam, vt puta-
runt, funestas aut lugubres intelligens: nam
Virgilij versus contrarium indicat,

HYACINTHVS Poëticus, Penæ & Lobellij.



Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera.

Quare alium à Lilio purpureo Hyacinthum
poëticum proposuerunt Pena & Lobellius, qui
magnam cum Lilio, Iride, & Gladiolo similitu-
dinem habet. Flore etenim, semine, vniuerso
caule & siliqua Iridem refert, bulbo, foliis por-
raceis, colore Ianthino Hyacinthum, foliorum
similitudine Gladiolũ, quem in Angliæ, Flan-
driæq; viretis passim videri ait. Hanc plantam
Clusius à Lobellio ad se missam Iridis bulbosæ
genus facit, cuius iconem à Lobellio expressam
omisit: sed descripsit folio crassiore & veluti
cepaceo, viridiore, parte interiore canaliculato
& candido, multisq; veluti bulbis argenteis re-
sperso: caule crassiore & firmiore, quem, vt in
aliis Iridum bulbosarũ generibus, amplectun-
tur folia quaterna, aut quina. Hic ex vaginulis
binos flores exerit inuicem succedentes, quàm
in aliis Iridibus bulbosis maiores & latiores,
prorsus violaceo & elegantissimo colore, inodori tamen, quibus pro fimbria, lu-
tea macula est, vt in reliquis: succedunt binæ siliquæ magnæ, laxæ, in quibus semé
reliquis maius, erui vulgaris magnitudine, pallidum, rotundum, rugosum, quod
maturum, in siliquis, si quatiantur, sonum edit: radix est reliquis maior, & multis
membranis tenacioribus nigricantibúsque circũuestita, quæ nucleis etiam sepa-
ratur, sed nõ tam copiosis, atque in varia Iride & lutea, quæ singulis annis quinq;
aut sex huiusmodi nucleos deponunt. Floret quo reliquæ tempore. Verisimile est
Hispanicis nauibus primùm ex Hispania, aut Lusitania in Angliam delatam. Idem
Lobellius Hyacinthum Poëtarum luteum pictum dedit, à superiore nulla prorsus
nota discrepantem, nisi floris colore, qui in hoc luteus est, in illo violaceus. Her-
barij, vt diximus, multos alios Hyacinthos esse iudicant, spurios à Dodonæo vo-
De florib. cap.52. catos: quorum primus folia habet angusta, quasi rotunda, bene virentia, per terrã
magna parte strata: cauliculos inter ea rotũdos, glabros, palmo lõgiores, in quorũ
summo

ſummo floſculi parui, rotundi, caui, hiantes, colore cæruleo, aliàs diluto, aliàs ſaturato: poſt quos ſiliquæ membranoſæ, in quibus ſemen paruum, nigrum: radix ſubeſt bulboſa. Peregrinus Belgis hic Bulbus eſt, inquit Dodonæus, neque vſpiam illic ſua ſponte naſcitur: in hortis ſatus facilè comprehendit, & in plures bulbos citò multiplicatur. Folia ante Hyemem exeũt, cauliculi primo Vere, flores Martio. Hunc Hyacinthum Lobellius & Pena Hyacinthũ comoſum minorem vocãt, ad verum Dioſcoridis proximè accedentem, qui in toto Meridiano tractu multò frequentiſsimus eſt, Septentrionalibus, in hortis tantùm. Vere ornat editiora, agrorúmque margines herbidos, floſculis item venuſtis, & in comã perſpicuam per verſus congeſtis, lagenulas numeroſas & admodũ exiles, confertas & patulas oſtentantibus: vnde vulgus Prouincialium *Barrelets* vocat, quaſi lagenulas. Cauliculis eſt ſeſquipalmũ altis: foliis iunceis, tenerioribus, ſparſis, ſtriatis. Dodonæo Bulbi eſculenti genus eſſe videtur, Hyacinthum ſilueſtrem vocat Cordus, Tragus Hyacinthum exiguum, Herbarij Hyacinthum botryoidem. Hyacinthum etiam Fuchſius appellat, & alterã eius ſpeciem facit, de qua mox: quem tamen Fuchſius foliis non ita iunceis, & ferè rotundis, ſed latiuſculis & ſtriatis depingit, & Hyacinthum cæruleum maiorem nuncupauit. Alterum Neotericorum Hyacinthum ſuperiori ſimilem pro Matthioli Bulbo vomitorio præcedenti capite deſcripſimus, depinximúſque. Tertius inter ſpurios Hyacinthos is eſt, quem Fuchſius, Matthiolus, Tragus primã Hyacinthi ſpeciem ponunt, quem Bulbum eſculẽtum, ſiue Bulbum hortenſem, & Allium caninum vulgò nominatũ fuiſſe ex Dodonæo diximus. Sunt qui velint Scillæ, aut Pancratij ſpeciem eſſe: quorum iudicium Dodonæus non probat, quòd Scillæ & Pancratij bulbi grandes ſint, huius autem paruus, & ſi cùm illis conferas exiguus. Pena & Lobellius hunc Hyacinthũ ſpurium, ſiue recentiorum, tertium Dodonæi, vel Dioſcoridis geminum eſſe arbitrantur, vel certè quàm maximè ad illum accedere. Etenim foliis eſt porraceis, Bulbi vomitorij latioribus, in terram reflexis: caule albicante, læui, herbaceo, tenero, in quo à medio à ſummum vſque numeroſi floſculi vtrinque congeſti, oblongi, purpurei, ex paruulis petiolis, qui supernè comoſam vmbellam, latiuſculam, deorſum vergentem & incuruam efficiunt, purpuream violaceam, ſuaui rubore permixto. Radix cepacea,

Ca. 323.

Ca. de Bulbo.

Lib. 5. hiſt. cap. 76.

HYACINTHVS comoſus minor. Bulbine Plinij.



HYACINTHVS cæruleus maior, Fuchſij.



HYACINTHVS maior, Bulbus siluestris.



HYACINTHI comosi maioris genuina effigies, Lobellij.



pacea, fermè quanta Narcisi, exteriore corticee nitido & roseo dilutiore purpura: qua de causa Bulbinam Plinij quidam docti esse existimarunt. Sponte sæpius in Septentrionalibus regionibus prouenit. Germani *Brunlingt*, Hispani *Maios flores*, Galli *Vaciet*, Cordus siluestrem Hyacinthum nominant. In appendice verò hanc

HYACINTHVS Comosus albus, Lobellij.



protulit Lobellius Hyacinthi comosi maioris genuinam effigiem: atque aliam Hyacinthi comosi albi eiusdem generis, qui reperitur in hortis Belgij, foliis quidem similibus, sed flore albo, intus cæruleis staminibus decorato. Radicis tunicæ minimè rubent. Ad Hyacinthũ comosum referenda planta, quæ tum ob formæ elegantiam, tum ob suauissimum odorẽ minimè silentio prætereunda fuit. Hanc pinxit Clusius, & descripsit his ferè verbis. Quina, aut sena oblonga folia habet, inflexa, per terram huc illuc diffusa, in acutum desinentia, canaliculata, satis crassa & succulenta, quæ cùm primùm germinant purpurascũt. Ex horum medio caulis Vere erumpit, satis crassus, rotundus & nudus, sed pro sua crassitudine admodum infirmus. Hunc à medio ferè ad summum racematim cohærentes ambiunt flores, vrceolis similes, initio interdum purpurascentes, aut virides, deinde ex purpura virentes, aut ex virore albicantes, vel nigricantes, deinde pallidi, qui marcescere incipientes gratissimum moschi ferè odorem referunt. His succedunt prægrandia, triquetra, & veluti

DIPCADI Chalcedonicum, Bulbus vomitorius, Matth.



DIPCADI candidis floribus, Lobellij.

nomen s. barbarũ, ac peregrinũ?



veluti pinnata capitula, in quibus ſemen continetur nigrum, rotundum, magnitudine orobi. Radix ſubeſt magna, albicans, multis tunicis ceparum ritu contexta, & frequẽtibus craſsis fibris lignoſis, viuacibus ſubtùs firmata. Huius notitiã Cortuſo acceptam refert, qui in Belgiũ miſit Tibcadi nomine. Conſtantinopoli ſemper miſſa fuit Muſcari appellatione, ob inſignẽ odoris ſuauitatem, quæ ad moſchum accedere videtur, vel potiùs ad paſtillorum fragrantiam, qui ex Beniuino & aliis odoratis fieri ſolent. Lobellius Dipcadi Chalcedonicũ vocat, Matthiolus Bulbum vomitorium. Idem Lobellius alterum Dipcadi floribus candidis pictum dedit, cuius varietas gemina. Quæ niueo cãdore, alicubi & purpura diluta conſpiciuntur, folia ſupernè latiora ferunt. Floribus ex cæruleo virentibus alioqui ſuperioribus ſimilis in hortis Belgicis viſitur. Quartus ex ſpuriis Hyacinthis eſt, Orientalis alter à Matth. nominatus: foliis oblongis & latis: caule longiuſculo, ab imo ferè vſq; ad ſummum floſculis circũueſtito: radice bulboſa, cuius imaginem ſolam Matthiolus expreſsit. Quintus Hyacinthus ſerotinus eſt, foliis anguſtis, paruulis & minoribus quã primi: cauliculis breuibus, tres aut quatuor digitos altis: floſculis in ſummo raris, cęruleis: ſtaminibus in medio exiguis: ſemine in ſiliquis triangularibus exiguo: radice parua & bulboſa. Naſcitur in Galliæ quibuſdam prouinciis, vt iuxta Pariſiorum

HYACINTHVS Autumnalis, Dodon.



ſiorum

HYACINTHVS Autumnalis maior. Tiphyum Theoph.



siorum Lutetiã. Floret exitu Æstatis Augusto, aut Septembri. Autumnalem Hyacinthum ea de causa & serotinum nominant. Tiphyum Theophrasti à nobis cap. superiore descriptum videtur esse. Hunc eundem Hyacinthum minimum, sed pulchellum scribit Pena se primum omnium Autumnalis donatũ nomine Antuerpiam è Veronensi agro misisse: plurimũ posteà etiam Lutetiæ Parisiorũ, & Narbonæ ad Aquas Marianas, & ad Cellam nouam Monspelij à se visum, glareosis, asperis, Autumno ineunte, non Vere, vt superiores: nõ flosculos lagenis similes edere, sed radiatos, quinis, senis'ue foliolis, cæruleis, Ornithogali minoribus. Cætera prorsus eadem, sed minora. Eius aliud genus Clusius obseruauit, altius, maiore bulbo, latioribus foliis & numerosiore flore. Floret maturiùs aliquantò superiore. Quare ad Tiphyum Theophrasti, de quo in cap. de Bulbis diximus, propiùs videtur accedere. Est & Hyacinthus stellaris albicans, serotinus Lobellij, foliis exilioribus: flore aspectu iucundo, albicante. Seriùs hic floret. Ex Biscayæ montibus in Belgium delatus est. Item alius Hyacinthus stellaris, Lilifolius, floridus Mutoni, à Lobellio depictus: & Liliaceus Hyacinthus, siue stellaris Hyacinthus Liriophyllus, ex Biscayæ montibus itidem asportatus, rarus & perelegans, appositè Liliaceus dictus: radix enim est sicuti Lilij bulbus, sed minor & oblongior flauescens: folia Lilio candido

HYACINTHVS Stellaris albicans, Lobellij.




HYACINTHVS Stellaris alius Lilifolius.



simillima

HYACINTHVS Liliaceus, Lobellij.



simillima, sena, aut septena, inter quæ medius exilit sine foliis spithamæus caulis, in cuius summo flores Hyacinthi stellaris in cæruleo purpurei. Præter hos, & alios duos descripsit pro Hyacinthis Fuchsius. Vnum foliis ternis, alterum binis, latiusculis, Porri minoribus: floribus circa cauliculi summum sparsis, multùm & radiantis stellæ ferè similitudine patentibus, colore in priore cæruleis, in altero candicantibus: quibus succedunt capitula rotunda, ochri magnitudine, in quibus semen milio simile: radice rotunda, bulbosa. Priorem Hyacinthum cæruleum marem minorem Fuchsius appellat, alterum Hyacinthum albicantem, seu fœminã: plerique à floris effigie Hyacinthum stellatum. Pena & Lobellius Hyacinthum Germanicum Liliflorum stellarem. Dodonęus Satyrij genera esse aliquando existimauit: quam sententiam posteà retractauit, quòd Satyrio caulis sit cubitalis, folia Lilij, bulbus mali magnitudine, bulbo verò isti folia paruula, angusta, bulbus exiguus, cauliculus breuis. Reperitur vterque in plerisque Germaniæ locis, læto pinguiq́;, sed inculto solo. Martio, quandoque etiam Februario flos exit. Alium Hyacinthum ex Dalechampio hîc pinximus, latifolium cognominatum, qui in Monte Aureo Aruerniæ spõte crescit: radice corticosa, Lilio simili: foliis sex, aut octo, nigricantibus, crassis, latis, Lilij ferè: floribus purpureis elegantibus, particulatim sese

Ca.323.hist.

Lib.2. hist. cap.48.

De florib. cap.52.


HYACINTHVS Cæruleus mas minor, Fuchs.



HYACINTHVS Albicans, seu fœmina, Fuchsij.



HYACINTHVS Latifolius, Dalechamp.



Li.4. ca 58. expandentibus: semine in capitulis rotundis, herbaceis. Dioscorides tradit Hyacinthi radicẽ

Vires. pueris cum vino albo impositam impuberes seruare, vt creditur. Sistere autem aluum, & vrinam ducere potam. Opitulari demorsis à phalangio. At semen astringentius esse, & theriacis expetitum: regium morbum expurgare cum vino potum. Quæ Plinius prodidit his verbis.

Li.21. c.26. Hyacinthi radix est bulbacea, mangonicis venalitiis pulchrè nota: quæ è vino dulci illita pubertatem coërcet, & non patitur erumpere. Torminibus & araneorum morsibus resistit. Vrinam impellit. Contra serpentes & scorpiones, morbúmque regium semen eius cum abrotono datur. Galenus, Hyacinthi radix bulbosa

Li.8. simpl. est, inquit, ordinis primi in desiccando, secundi verò completi, aut tertij incipientis refrigerando. Itaque pueros diutissimè seruare impuberes creditur illita. Fructus leuiter extergit & adstringit. Quamobrem & ipse regio morbo laborantibus exhibetur in vino, ordine quidem tertio desiccans, cæterùm in medio consistens caliditatis ac frigiditatis.

NARCISSVS. CAP. V.

Nomina HYACINTHIS congener est νάρκισσος Græcis, Narcissus Latinis, Arabibus *Narces*, seu *Nargies* dictus, Gallis *Narcisse* & *Iannette*, Italis & Hispanis *Narcisso*, non à Narcisso adolescente, nimiùm sui plus amante, vt fabulantur Poëtæ, sed à vi stupefaciẽdi & sopiendi, quam Græci νάρκωσιν appellant, & νάρκην, quod & Torpedini pisci nomen, quia eminus stupidam tangentis manum efficiat: qualem vim inimicam neruis & caput grauantem Narcisso inesse testatur Plinius, item Plutarchus his verbis. Καὶ τὸν νάρκισσον

Lib.21. c.19. Symp.3. οὕτως ὠνόμασαν, ὡς ἀμβλυώοντα τὰ νεῦρα, καὶ βαρύτητας ἐμποιοῦντα ναρκώδεις. διὸ καὶ Σοφοκλῆς αὐτὸν ἀρχαῖον μεγάλων θεῶν στεφάνωμα, τουτέστι τῶν χθονίων προσηγόρευκε. Id est, Narcissum nominarunt, quia neruos hebetet, & torpidas grauitates efficiat. Quare Sophocles ipsum velut magnorum Deorum subterraneorum coronamentũ vocauit. Quòd hi torpeant, vtpote mortui. Theophrastus & Dioscorides Narcissum etiã λείριον appellari scripsere, Apuleius ἄνυδρον, βολβὸν ἐμετικὸν, αὐτογενὲς. Ἄνυδρον quidem montanum, quòd procul ab aquis proueniat: βολβὸν ἐμετικὸν ab effectu, quòd vomitum cieat. Est tamen alius Bulbus vomitorius propriè dictus, de quo diximus. Αὐτογενὲς, id est, à seipso genitus, vel per se nascens, quòd sponte germinet. λείριον etiam Li-

Li.4. ca.155. lium dicitur: & Iulius Pollux λειρίου appellatione Homerum omne genus florum comprehendere auctor est. Narcissi genera duo notauit Dioscorides, vtrumque

Genera. flore albo, sed vnum intus croceum, alterum intus purpureum. Plinius de Narcis-

Lib.21. c.5. so cum Liliis tractat, & hunc ab illis ita distinguit. Sunt & purpurea Lilia, aliquando gemino caule, carnosiore tantùm radice, maiorísque bulbi, sed vnius: Narcissum vocant. Huius alterum genus flore candido, calice purpureo. Differentia Liliis est & hæc, quòd Narcissis folia in radice sunt, probatissimis in Lyciæ montibus. Tertio generi cætera eadem, calix herbaceus. Omnes serotini: post Arcturum enim floret, ac per æquinoctium Autumni. Clariùs aliquantò pòst de iisdem agit.

Narcis-

Narcißi duo genera in vſu medici recipiunt. Vnum purpureo flore, & alterum herbaceum. Hunc ſtomacho inutilem, & ideo vomitorium, aluóſq; ſoluentem, neruis inimicum, caput grauantem, & à narce Narciſſum dictum, non à fabuloſo puero. Hic Plinius Narciſſum purpureo flore nominat, quem prius flore cādido, calice purpureo dixerat, id eſt, cui medium purpureum eſt, ob id purpureus à Vergilio nuncupatus eſt. Eclog.5.

Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo, &c.

In alio à Dioſcoride diſsidet, quòd hic herbaceum, ille in medio croceum dixit. Neoterici multò plures Narciſſos oſtentant. Narciſſum ſic depinxit Dioſcorides. Li.4. c.155. Folia Porro ſimilia habet, ſed tenuia, multò minora, & anguſtiora: caulem vacuū, *Forma.* ſine foliis, palmo maiorem, in quo flos albus, intus croceus, in quibuſdam purpureus. Radix eſt intus alba, rotunda, bulboſa: ſemen velut in tunica, nigrum, oblongum. Naſcitur optimus in montoſis locis, odoratus. Cæteri Porrū referunt, atque herbaceum odorem emittunt Theophraſtus ſic deſcribit. ὁ δὲ νάρκισσος ἢ τὸ λείριον, *Locus.* (οἱ μὲν γὰρ τοῦτο, οἱ δὲ ἐκεῖνο καλοῦσι) τὸ μὲν ἐπὶ τῇ γῇ φύλλον ἀσφοδελῶδες ἔχει, πλατύτερον Lib.6. hiſt. ca.6. δὲ πολὺ, καθάπερ ἡ κελνωνία: τὸν δὲ καυλὸν ἄφυλλον μὲν, ποώδη δὲ, καὶ ἐξ ἄκρου τὸ ἄνθος. καὶ ἐν ὑμένι τινὶ καθάπερ ἐν ἀγγείῳ μέγαν εὖ μάλα (legendum prorſus καὶ ἐν ὑμένι τινὶ καθάπερ ἐν ἀγγείῳ καρπὸν μέγαν εὖ μάλα, &c. Hæc enim de ſemine dici ex Dioſcoride perſpicuū eſt, ſic ſcribente, καρπὸς ὡς ἐν ὑμένι, μέλας, προμήκης) καὶ μέλανα τῇ χροιᾷ, σχήματι δὲ προμήκη. οὗτος δὲ ἐκπίπτων ποιεῖ βλάστησιν αὐτόματον. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ συλλέγοντες πηγνύουσι, καὶ τὴν ῥίζαν φυτεύουσι. ἔχει ῥίζαν σαρκώδη, στρογγύλην, μεγάλην. ὄψιον δὲ σφόδρα: μετὰ γὰρ ἀρκτοῦρον ἡ ἄνθησις, καὶ περὶ ἰσημερίαν. Id eſt, Narciſſus, aut Lirium (alij enim hoc, alij illo nomine appellant) folium ad terram Aſphodeli folio ſimile habet, ſed latius multò veluti Lilium: caulem ſine foliis, herbaceum: florem in cacumine, & fructū in membrana quadam velut in vaſculo, valde magnum, nigrum, figura oblongum. Hic excidens ſponte germinat: ſed & qui colligunt, id figunt, & radicē quoq; plantāt, quam habet carnoſam, rotūdam, magnam. Serotinus valde eſt: nam poſt Arcturū floret, & circa Æquinoctium. Quod poſtremū conuertit Plinius loco à nobis ſuprà citato, & omnibus generibus attribuit. Quod autem Theophraſtus Narcißi foliū Aſphodeli, Dioſcorides Porri folio confert, nulla eſt in eo differentia: nam & Dioſcorides Aſphodeli folium Porri magni folio aſsimilauit. Narciſſus primus medio purpureus ex Dodonæo hîc depictus De florib. ca.55. folia habet virentia, oblonga, Porri foliis ſimilia: caulem anguloſum, abſque foliis, dodrante, aut pede altiorem, & in ſummo florem è membrana erumpentem, ſæpe vnicum, nonnunquam geminum, mediocriter amplum, odoratum, ex ſex candidis foliolis cōgeſtum, in quorum medio breuis calix eſt, circinatæ rotunditatis, purpurei per oras coloris, intra quem ſtamina breuia cum apicibus ſubluteolis: capitula inde anguloſa: ſemen in his nigrum: radix bulboſa, Cepæ ſimilis, quæ nucleos ex ſeſe dimittēs in multos facilè bulbos multiplicatur. Eundem Narcißi Poëtici medio purpurei nomine pictū dederunt Pena & Lobellius. Reperiuntur huius generis tres, forma, colore, aut odore

NARCISSVS Medio purpureus, Dodonæi.



nequaquam, sed florendi tempore differentes, magnitudine etiam nonnihil, sed parùm dissidentes. Maiores medij, præcoces & seriùs prodeuntes minores sunt. Quamuis Dioscorides optimum & odoratum in montosis locis nasci tradiderit, tamen Mediopurpurei Narcissi apud Heduos & Sequanos in pratis reperiuntur:
In Aduers. item Narbonensia & Galloprouinciæ prata, inquit Pena, Liliaceo florũ stellatim radiantium candore ornant Februario & Martio mensibus, qui sunt odoris suauissimi & verè soporiferi, & quasi quiddam Nymphææ redolentis. Theocritus etiã in pra-
Idil.20. tis Narcissum nasci testis est, vbi Europam cum suis prata ingressam benespirantem Narcissum carpsisse canit. Dodonæus florere in Belgij hortis ait primi generis præcoces Narcissos
De florib. cap.55. initio Aprilis, medios sub finem, seriores Maio mense. Alter Narcissus in medio luteus folia habet longiora, latiora, & aliquantò minùs virentia: caules proceriores, crassiores, in singulis flores ternos quaternósve, prioribus similes, sed medio luteos: semen & radicem bulbosam similia. Huius generis & alius quidam tertius
Ibidem. Narcissus à Dodonæo describitur, foliis non modo quàm primus, verùm etiã quàm Asphodelus latioribus longioribúsque: floribus in singulis caulibus quaternis, aut pluribus, candidis, minoribus, medio eorum luteo, calice eminentiore, multò tamen quàm Narcissi lutei silustris breuiore: radix similis est & bulbosa. Iisdẽ in pratis florent, & in Belgij hortis ferè sub finem Aprilis. De primo horum Narcissorum, scilicet Mediopurpureo. Theophrastũ scripsisse autumat Dodonæus, quo loco Narcissum ter florere vti Scillam refert, & tria quidem arandi tempora, vti illam demonstrare. Quæ ex his Theophrasti verbis meliùs intelligũtur. θαυμα-
Lib.7. hist. cap.12. στὸν δὲ ἐπὶ πάντων, ὅπερ ἐπί τε τῆς σκίλλης καὶ τοῦ ναρκίσσου συμβαίνει. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων, καὶ τῶν ἐξ ἀρχῆς φυλλομένων, καὶ τῶν βλαστανόντων, καθ' ὥραν τὸ φύλλον ἀνατέλλει πρῶτον, εἶθ' ὕστερον ὁ καυλὸς. ἐπὶ τούτων, ὁ καυλὸς πρότερον. τοῦ ναρκίσσου δὲ, ὁ τοῦ ἄνθους μόνον, εὐθυπρόωρον γὰρ τὸ ἄνθος. τῆς δὲ σκίλλης καθ' αὑτὸν εἰς ὕστερον· ἐπὶ τούτῳ τὸ ἄνθος ἀνίσχον προσκαθήμενον (lege, καθ' αὑτὸν πρότερον, ὕστερον δὲ ἐπὶ τούτῳ τὸ ἄνθος ἀνίσχει, &c.) ποιεῖται δὲ τὰς ἀνθήσεις τρεῖς. ὧν ἡ μὲν πρώτη δοκεῖ σημαίνειν τὸν πρῶτον ἄροτον. ἡ δὲ δευτέρα τὸν μέσον. ἡ δὲ τρίτη τὸν ἔσχατον. ὅσαι γὰρ ἂν αὗται γένωνται, οἱ ἄροτοι σχεδὸν οὕτως ἐκβαίνουσιν. ὅταν δὲ οὕτως ἀπογηράσῃ, τότε ἡ τῶν φύλλων βλάστησις πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ναρκίσσου, πλὴν οὔτε καυλὸν ἕτερον ἔχει παρὰ τὸ τοῦ ἄνθους, ὥσπερ εἴπομεν, οὔτε καρπὸν φανερὸν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ ἄνθος ἅμα τῷ καυλῷ καταφθίνει, ὅταν ἀπανθῇ, τότε

NARCISSVS *Medio luteus, Dodon.*



NARCISSVS *Medio luteus alter, Dodon.*



τότε τὰ φύλλα ἀναβέλλει. Quæ sic conuertit Gaza. Mirum quod in Scilla Narcis-
soq; euenit: cæterorum enim tam recens satorum, quàm regerminantium, suo
tempore folium oritur, deinde caulis exit. In his verò caulis priùs, & Narcissi
quidem floris tantùm caulis protinus exit: flos enim eius plurimùm festinat, Scil-
læ autem caulis per se priùs, tum flos ex eo emergens insidit, eadémque florum
prouentus ternos ostendit: quorum primus tempus arandi primum significare
videtur, secundus medium, tertius nouissimum: quot enim fuerint isti, totidem
& arandi tempora fermè occurrunt. Sed cùm ita senuerit, tunc foliorum exor-
tus multis posteà diebus inceptat. Idem in Narcisso fieri solet, nisi quòd nec
alium caulem præterquàm floris proprium habet, vt diximus, neque fructum
conspicuum parit, sed ipse flos vna cum caule desinit, & cùm reflorescit,
(legendum, cùm exaruerit) tunc folia exeunt. In his quidem, inquit Dodonæus,
Scillæ caulem florum ternos exortus ostendere Theophrastus scribit: Narcissum
autem caulem non habere alterum iuxta eum qui floris est: fieri autem non po-
test, vt ex eodem caule ter floreat. Quare tres differentes bulbos esse consequitur,
qui tribus temporibus floreant, vti Narcissum Mediopurpureum facere iam dixi-
mus. Hunc etenim ter florentem existimare possunt, qui vno eodémque loco re-
periunt, & differentes bulbos esse non animaduertunt. Sed vbicumque hoc
Theophrasti loco νάρκισσος legitur, Plinius κρόκος legit. Notabilis & Scillæ Cro- Li.21.ca.17.
cique natura, quòd cùm omnes herbæ folium primùm emittant, mox in caulem
rotundentur (alij protrudantur) in his caulis prior intelligitur (aliàs impellitur)
quàm folium. Et in Croco quidem flos impellitur caule: in Scilla verò caulis exit,
deinde flos ex eo emergit. Eadémque ter floret, vt diximus, tria tempora satio-
num (Theophrastus habet arationis) ostendens. Secundi verò & potissimùm ter-
tij Narcissi Ouidius meminit, vbi Narcissi formosi adolescentis mutationem in
florem sui nominis describit his versibus.

NARCISSVS *totus albus, Dodonæi.*




Nusquam corpus erat, croceum pro corpore florem
Inueniunt, foliis medium cingentibus albis.

De tertio verò ea scripsisse Theophrastum pu-
tat quæ suprà citauimus, & diuerso ab eo cuius
lib.7. meminit. Hîc enim folium ei tribuit στενὸν, Cap.12.
id est, angustum, quale vtique primus Narcissus
habet: illic verò folium ἀσφοδελῶδες, πλατύτερον
δὲ πολὺ, καθάπερ ἡ κρινωνία, id est, folium Aspho-
delo simile, multò latius Lilij modo: vt diuersis
locis de diuersis Narcissis Theophrastum scri-
psisse perspicuum sit. Eodem verò Theophra-
sti loco paulò antè à nobis citato Dodonæus
pro μέλανα τῇ χροιᾷ, legendum censet μήλινα, id
est lutea, vt non niger, sed luteus Narcissi flos
intelligatur. At locum aliter emendandum, &
de semine Narcissi, non de flore, hæc verba ac-
cipienda esse demonstrauimus. Præterea quar-
tus quidem est Narcissus Dodonæo, antedictis 4.Narcis.
forma similis, sed per totum florem & medio
quoque candidus: quem etiam Clusius depin- Li.2. Stirp. Hisp. c.1.
xit foliis oblongis, viridibus, ternis, aut quater-
nis, è quorum medio caulis satis latus, angulo-
sus tamen & concauus exit, cui insident seni,
septeni, interdũ deni flores oblongi & omnino


candidi, quorum videlicet calix, qui in alio luteus, etiam albus est & odoratus: radix superioribus similis. Sunt & Narcissi multiplicibus floribus, inquit Dodonæus, tum primi, tum alterius generis, foliis & bulbis aliis haud dissimiles. Ita varia semper natura, & ad stirpiũ genera multiplicanda fœcũda, tum ad ea permutanda prona, præsertim si cultus mangonio adiuuetur, vel in alium locum stirpes transferantur: hæc enim ad stirpiũ mutationes plurimũ possunt. Idẽ Pena asserit culturæ lenocinio Narcissum variatis foliis, floribus & bulbis posse admodùm à pristina effigie desciscere, seseq; audiisse iamdiu apud Venetos, quosdam stirpium mangonio, in dies bulbi seminibus quibusdã, vel insertis pullulationibus nouas & miras excitasse figuras. Clusius Narcissum etiã flore multiplici depinxit, latioribus, & quodammodò carinatis foliis, multiplici flore: quia medius ille calix luteus interiora sex cãdida folia sic intersecat & distinguit, vt calicis formam ampliùs non

(margin: 5 Narcis. — In Aduers. — Ibidem.)

NARCISSVS flore multiplici, Clusij.



NARCISSVS Iuncifolius, Dodon.



seruet, sed veluti apophysis quædã lutea ad singula folia adnata videatur. Odoratissimus est flos iste, & grauedine quadã caput tentans. Dodonæus Narcissis etiã annumerat plantã, quã Hispani, à similitudine quã folia cũ iuncis habẽt, Ionquillos vocãt: vnde Narcissum Iuncifoliũ appellat. Folia huic oblõga, angusta, crassa, interim propemodũ rotũda, admodũ læuia & flexibilia, iuncis cũ læuore, tũ colore, & quodãmodò flexibilitate, nec nõ rotũditate similia, inter quæ caulis medius exit, in cuius vertice flosculi tres, aut quatuor, vel plures, odorati, Narcissis forma similes, verũ minores, & colore per totũ florẽ lutei: radix bulbosa, candida, tenui, nigra membrana integitur. Nascitur plerisq; Hispaniæ locis sua sponte. In Belgio Aprili mense florem promit. Hunc βολβὸν ἐμετικὸν, id est, Bulbum vomitorium Diosc. esse cõtendit Dodonæus, quòd eius descriptio huic Narcisso simillima sit. Etenim folia ei sunt multò quàm alterius Bulbi ἱμανθωδέστερα, id est, flexibiliora, vtpote iuncei propemodùm lentoris, & perquàm longa, longioráque multò quàm esculenti Bulbi, & radix in tenui nigra membrana reconditur. Hanc plantam Narcissi Iuncifolij alterius & pusilli nomine descripsisse videtur Clusius. Priorem

(margin: 6. Narciss. — De florib. cap. 56. — Li. 2. stirp. Hispa. ca. 1.)

Priorem verò Iuncifolium depinxit & descripsit aliquantùm diuersum. Huic, inquit, bina aut terna sunt folia, oblonga, angusta, carnosa, & propemodùm rotunda, iuncis viridioribus & medullosis, læuore, colore, & flexibilitate quodammodò similia: inter quæ medius erumpit caulis, rotundus, cauus, absq; foliis, in cuius summo ex tenui quadam mēbrana flores quatuor, quinque aut sex prodeunt oblongi (gemelli interdum) forma Narcissinis similes, sed odoratiores, & omnino lutei, hoc est, tam interiore calice, quàm ambientibus eum foliis, quæ nunc mucronata, nunc quodammodò circinata conspiciuntur. His succedunt siliquæ triangulares, sed obtusis angulis, semine nigro & anguloso plenis, vt in Narcisis, verùm minore. Radix parua, bulbosa, candida, nigricantibus densisq; membranis tecta. Hunc sponte nasci in pratis montanis non procul Toleto, & circa Guadalupe ait Clusius. Alterum ex Dodonæo proximè descriptū, vliginosis inter Hispalim & Gades locis cum ipso flore se collegisse mense Ianuario: in Belgio non nisi Aprili vtrunque florere, interdum etiam media hieme. Quare Lobellius Narcissum Iuncifolium Dodonæi, qui alter est & pusillus Clusij Narcissum Iuncifoliū luteum præcocem vocat. Narcissum Iuncifolium priorem Clusij appellat Narcissum Iuncifolium serotinū, paucioribus foliis & floribus duntaxat diuersum: tamen pictura plura in hoc quàm in alio folia demonstrat. Addit Lobellius in Appendice Narcissum montanum Iuncifolium minimum. Palmari est longitudine, tenuibus foliolis, iunceis multò exilioribus, interdū erectis, interdum ad terram reflexis: inter quæ cauliculus palmaris erumpit, in cuius summo ex tenui, instar cæterorum Narcissorum, consimili membrana flos singularis luteus vulgato Narcisso montano simili, & penè par, aspectu suauisimo & hilariore, cui siliqua Narcisi succedit. Radicis bulbus quātus nucis Ponticæ nucleus. In figulinis seruatur & colitur. Huic subdit idē Lobellius tres alios Narcissos. Primum Narcissum montanum Iuncifoliū minimum alterum, flore luteo fimbriato: rugosis plicis, fimbriatísque floribus ex montibus Byscaiæ, alioqui non differt à superiore. Alter est Narcissus montanus omnium minimus Hispanicus, flore Narcisi lutei, sed albo. Tertius est Narcissus Iuncifolius, flore circinatæ rotunditatis roseo. His addunt Dodonæus & Clusius 7. Narcissus.
Narcissum, quem Autumnalem minorem vocant. Planta est digitalis, inquit Clusius, vnicum

NARCISSVS Iuncifolius prior, Clusij.



NARCISSVS montanus Iuncifolius minimus, Lobellij.



NARCISSVS *montanus.*



Narcissus montanus omnium minimus.

Narcissus montanus iuncifolius minimus alter, Lobel.

Narcissus iuncifolius flore rotundo roseo, Lob.

NARCISSVS *Autumnalis minor, Dodon. & Clusij.*



cauliculum gracilem & vacuum ferens, & in summo florem album Narcisi, odoratum, sex foliolis constantem, & in medio caliculum luteum: siliqua angulosa semen nigrum, exiguũ, angulosum continet: radix Narcisi iuncifolij, minor tamen, bulbosa, multis tunicis candidis, lentóque succo prægnantibus cõstans, quam ambit membrana quædam nigra. Tota planta amara est. Nascitur plurimus ad Anam flumen in Turdulis, floretq; sine vllis foliis sub Octobris finẽ, à Bæticis *Tonnanda* dicitur. His addi potest, inquit Clusius, & is quẽ nonnulli Narcissum vocant, tametsi flore Narcisso dissimili: foliis quinis aut senis, oblongis, & pollicem latis, præ virore ferè nigricantibus & splendentibus, humi sparsis: inter quæ breuis exit pediculus potiùs quàm caulis, florem suo cacumine ferens luteum, Colchici forma, sex foliis constantem (quorum tria maiora, alia tria interiora, quę minora sunt, amplectuntur) ex membrana veluti vasculo protuberantem, intra quem sex stamina cum suis apicibus & medio pistillo videre licet: radice crassa, rotunda, intus candida, foris vt in reliquis Narcissis nigricante. Sub Augusti finem & Septembris germinare incipit, & plerunq; floret. Gaudet montosis quibusdam Hispaniæ pratis. Vide quæ de eo scripsimus capite De Satyrio. Appellant & Narcissum totum luteum, siue

NARCISSVS *Autumnalis quorundam, ex Clusio.*


Ibidem.
8. Narcis.



9. Narcis.

Narcissum

NARCISSVS luteus siluestris, Dodonæi.



Narcissum montanum Theophrasti, siue Narcissum siluestrem, siue Pseudonarcissum, qui Gallis *Coquelourde* dicitur, Hispanis *Campanilla*, Germanis *Geelttornungs blumen*, Belgis *Geel Ty deloosen.* Folia Porri aut Narcisi similia habet, sed breuiora ac minora: caules dodrantales, atque in singulis flores singulos Narcisis similes, sed medio eorum calice longiore, oblongioris calathi similitudine, colore in totum luteo, absque odore: capitula rotunda, oblonga. Nemorosa Angliæ Belgiique prata isto scatent, auctore Pena, Februario mense & Martio. In regionibus Meridiei propioribus, vt Narbona, Vasconia, Hispania, non nisi editis montibus nascitur, & Maio Junióq; floret, vt in Veganiis, Mindenis, Pyrenæísque iugis non procul Tholosa, inodorus, inefficacior, nec perinde narcesin inuehit. Codion Theophrasti nonnulli esse opinantur, pro quo ineptè in vulgatis codicibus Codiaminon legitur, vt dudum annotauimus in libro de iis quæ flore placent: quidam Bulbum vomitorium. Narcisi siluestris lutei species est Narcissus multiplex, quem hîc proponimus ex eodem Dodonæo, ab illo solo flore folia multiplicante discrepans: colore etenim totus luteus est: folia quoque ac bulbi conueniunt. Alius est Narcissus flore multiplici, quem ex Clusio paulò antè depinximus. Multos etiam Narcissos Matthiolus exhibet sine vllis descriptionibus, quos tamen excepto primo non Narcissos, sed omnino alterius generis flores esse iu-

De florib. cap. 11.

In Aduers.

NARCISSVS luteus multiplex, Dodonæi.



NARCISSVS Constantinopolit. I. Matthioli.



dicat

De florib. cap. 55. dicat Dodonæus. Nam quos ſecundo, tertio, & octauo locis depinxit, Scillarum aut Bulborum litoralium ſpecies videntur, quales in Gallia Narbonenſi pleriſque locis, & alibi proueniunt. Quartus ſimilis eſt illi Bulbo, quem Marcellus capite de Narciſſo in commentariis deſcribit his verbis. Nos in Apennini montibus his

NARCISSVS II. Matthioli.



NARCISSVS III. Conſtantinopolitanus, Matth.



NARCISSVS IIII. Matthioli.



NARCISSVS V. Matthioli.



noſtris,

NARCISSVS VI.
Matthioli.



NARCISSVS VII.
Matthioli.



nostris frequentem vidimus, florem Augusto & Septembri mensibus florentem, figura Lilij, dodrantali altitudine: foliis qualia in Narcisso describuntur: singulari caule, iisdémque aliis omnibus, excepto colore, qui nec candidus nec purpureus, vt Plinius docet, sit, sed inter candidum & luteum colorem, nullius aut exigui odoris.

NARCISSVS VIII.
Matthioli.



Vidimus & in mitioribus collibus enatum, sed non tam speciosum & magis albicantem: sed de quarto hoc Narcisso plura dicemus cap. De Ornithogalo. Quintum omnes Tulipam vocant, de qua aliquantò pòst dicemus. Sextus & septimus Leucoia sunt bulbosa, flores à Narcisis multùm dissidentes, de quibus mox. Pena Narcissum tertium Matthioli, quem Constantinopolitanum appellat, nihil aliud esse censet, quàm Pancratium maritimum, de quo suo loco agemus. (In Aduers.) Alium verò radice squamosa & nucleis stipata: floribus multiplicibus & foliosis secundo loco pictum, olitorũ industria & mangonio, non natura, talem videri. Matthiolus tamen non explicat vbi, quando, & quomodo nascatur, & an arte, an sponte, quemadmodum nec alterum veri Narcissi bulbo, sed florum foliis prolixioribus, angustioribus, porrectioribus staminibus. Narcissi radix siue estur, siue bibitur, vomitiones ciet, auctore Dioscoride, ambustis igni prodest cum melle trita. Dissectos neruos agglutinat imposita. Luxatis malleolis, diuturnísque articulorum doloribus trita cum melle

Vires & Temper. Lib.4.c.155.

melle & imposita subuenit. Purgat & maculas in facie & vitiligines cum semine vrticæ & aceto. Cum eruo & melle vlcerum sordes expurgat. Abscessus, qui ægre maturescunt, rumpit. Educit aculeos infixos cum loliacea farina & melle imposita.
Lib.21.c.19. De eiusdem vsu medico Plinius eadem ferè tradit. Vtriusque radix mulsei saporis est. Ambustis prodest cum exiguo melle. Sic & vulneribus & luxatis: panis verò cum melle & auenæ farina. Sic & infixa corpori extrahit. In polenta tritus oleóque contusis medetur, & lapide percussis. Purgat vulnera permistus farinæ. Nigras vitiligines emaculat. Ex hoc flore fit Narcissinum oleum ad emolliendas duritias,
Lib. 8. sim. calfacienda quæ alserint: auribus vtilissimum, sed capitis dolores facit. Narcissi radix, vt scribit Galenus, vsque adeò exsiccandi facultate pollet, vt maxima vulnera glutinet, vel ad incisiones vsque, quæ circa tendones accedunt. Habet verò quiddam abstersorium & attractorium. Hæc Galenus. Narcissi lutei siluestris radicum decoctum per aluum lentos & pituitosos humores, nec non serosos expurgare recentiorum quorũdam experimento exploratum est: & his prodesse qui crudorum humorum copia grauantur, semine anisi, & zinziberis pauxillo additis, vt minus noceat, minúsque ventriculo molestum sit.

LEVCOIVM BVLBOSVM. *CAP. VI.*

Lib. 6. hist. cap. 7. THEOPHRASTVS scribit, inter vernos flores τὸ μὲν πρῶτον ἐκφαίνεται τὸ λευκόϊον, ὅπου μὲν ὁ ἀὴρ μαλακώτερος, εὐθὺς τοῦ χειμῶνος, ὅπου δὲ σκληρότερος, ὕστερον. Id est, Leucoium inter vernos flores primùm emicare, vbi cœlum clementius fuerit, statim etiam hyeme. Vbi verò immitius, postea.
Lib. 7. hist. cap. 13. Quod de eo Leucoio accipiendum esse docti censent, quod ipse posteà de Bulbis differens, bulbosis annumerat: quia id præ cæteris Lucoiis florere festinet. Quare Leucoium vnum non bulbosum Dioscoridis, de quo diximus, alterum bulbosum Leucoium Theophrasti statuere necesse est, à Leucoio Dioscoridis planè
Nomina diuersum. Leucoium bulbosum Fuchsius, nomen Græcum exprimens, Violam albam vocat: nec abs re, inquit, flos enim huius herbæ colorem album, & violarum odorem refert: Germani *weiß Hornungs blumen*, Lugdunenses *Campanes blanches*.
Genera. De florib. cap. 58. Dodonæus Leucoij bulbosi tria obseruauit genera. Vnum Triphyllum, alterum Hexaphyllum, tertium Polyanthemum cognominat. Primum Triphyllum, à
Forma. tribus floris foliolis dictum, folia ex singulis bulbis bina promit, oblonga, angusta, in virore albicãtia: foliis Pseudonarcissi lutei colore proxima: inter quæ medius exit cauliculus palmaris: in cuius summo flos è vaginula oblonga erumpit, à tenui pediculo deorsum dependens, foliolis tribus constans, maioribus candidis, intra quæ alia tria breuia ac minora, pallidè virentia, & aliquantulùm striata: in medio floris stamina cum apicibus luteis: radix bulbosa est, coloris obscuri, & eius cuius Castaneæ nucleus coloris, quæ facilè in plures bulbos multiplicatur.
Locus. Peregrinus Belgio flos, sed Italiæ & aliis regionibus familiaris. Exit præmaturè Februario mense reliquos omnes ferè antecedens. Matthiolus

NARCISSVS, Matthioli.



thiolus sextum Narcissi genus facit. Lobellius & Pena Leuconarcissolirion minimum, palmari cauliculo, paucis foliis, quæ terna vel quaterna habet: flore exiliore, qui vnicus illi est, herbaceus, lacteolus. Septentrionalibus etiam regionibus, vt Antuerpiæ, & in Nortmania frequens. Videtur Leucoium bulbosum Theophrasti: cuius meminimus in libro de iis quæ flore placent. *Tempus.*


VIOLA ALBA bulbosa, Fuchsij.



Secundo generi, Hexaphyllo non abs re dicto à sex floris foliolis, folia similiter sunt angusta, Porri & Pseudonarcissi similia, sed breuiora, viretiora, læuiora, & magis splendentia, versus terram aliquatenus reflexa: cauliculi tenues, palmares: flores in singulis singuli, rarissimè gemini, deorsum quoque penduli, colore candidi, ex sex foliolis aliquantulùm striatis commissi, staminibus in medio cum luteolis apicibus: semen in rotundis capitulis paruum, rotundum, læue, & colore flauum: radix candida & bulbosa in plures bulbos facilè propagatur. Plerisque Germaniæ superioris locis in vmbrosis & humidis siluis reperitur, apud Belgas hortorum areas exornat: floret eodẽ quo superius tempore, aut non multò pòst. Matthiolus pro septimo Narcissi genere depinxit. Leuconarcissolirion paucioribus floribus à Lobellio & Pena nuncupatur, quos non dissimiles, sed singulos in singulis cauliculis minoribus habet, luteis capillamentis è medio erumpentibus, semine fusco. Tertium Leucoium bulbosum, Polyanthemum à florum vno ex cauliculo dependentium multitudine cognominatum, caule & foliis secundo simile est, maius tamẽ ac procerius: florem in singulis cauliculis non vnicum, sed quinq; aut sex, & particulatim quidem florentes profert, alterius floribus forma & magnitudine per omnia similes. Est in Belgio hortense tantùm. Non primo Vere cũ aliis duobus, sed multò pòst, Aprili videlicet mense vna cum Narcisso, floret. Lobellius & Pena Leuconarcissolirion pratense vocant. Hoc Narbonẽse multiflorum, inquit Pena, vt cæteris maius, ita multò pulchrioribus est floribus: sunt enim lacteo Ornithogali candore, sed Lilij parui effigie, in singulorũ cauliũ summo seni vel septeni ex nodo vno procumbentes: deinde semen rotundum, nigrum, Pæoniæ simile in membraneo folliculo: folia & radices sunt Narcissi Mediolutei. Copiosè floret in pratis vel decliuibus locis herbidis, & lacunosis scrobibus, non procul Mõspelio & Magalona ad Lateranum castrum dirutum: semen fœniceciis maturat. Eadem planta quibusdam videtur esse Narcissus secundus Matthioli. Dodonæus alio in libro aliud Leucoium bulbosum minus pinxit, à reliquis distans, quòd non Vere sed Autumno floreat.

Forma. *Locus.* *Tempus.* *Forma.* *Locus.* *Tempus.* *Lib.purg.*

LEVCOIVM bulbosum minus Autumnale, Dodon. & Clusij.




Idcircò Leucoium bulboſum minus Autumnale vocat, quod ſic deſcripſit Cluſius.
Lib. 2. ſtir. Hiſpa. c. 8. Cauliculo eſt palmum alto, gracili, vnum, interdum alterum & tertium ferens florem, candidum omnino ſeu lacteum, pendulum, ſex foliolis conſtantem, & in calathi ſeu tintinabuli modum formatum, inodorum & ingrati ſaporis: flori inſunt pallida ſtamina, eóque iam aperto primùm prodeunt folia quatuor aut quinque, capillaria & viridia: radix bulboſa, ſatíſque magna pro plantę proportione, candida, multíſque tunicis glutinoſis compacta & amara, quæ candicante membrana
Locus. tegitur. Ad Anam flumen naſcitur: floret ſub finem Octobris & Nouembris initio. Nuſquam alibi hanc plãtam ſe vidiſſe Cluſius ait, cui Leucoij Autumnalis nomen indidit, quòd Autumno duntaxat florẽtem inuenerit. De horum Leucoiorũ viribus nihil neque à veteribus proditum eſt, neque à recentioribus obſeruatum. Fuchſius tamen ex foliis omnis ferè qualitatis expertibus, radice autem dulci & glutinoſa, digerentem leuiter, & cum hoc adſtringentem facultãtem, ſicut & reliquos Bulbos, habere colligit.

TVLIPA. CAP. VII.

Nomina FLOREM peregrinum peregrino & Turcico vocabulo recentiores Tulipam nominarunt: ſic enim Dalmatæ & Turcæ vocant pileum ſeu amiculum capitis quod geſtare ſolent, quòd ei inuerſi flores iſti aperti ſimiles ſint effigie. Eſt autem Tulipa ex bulboſarum numero: cuius variæ & quamplurimæ ſunt ſpecies, & varietates, magnitudine & florum colore diſſidentes: de quibus accuratiſſimè pertractauit Cluſius. Is Tulipæ duo obſer-
Genera. uauit genera, non quòd forma à ſeſe differant, ſed quòd alterius flores ſoleant eſſe præcoces, & alterius ſerotini. Hoc genus Turcæ ſua lingua *Canala lale* appellant, illud *Cafe lale*, à locis vnde primùm Conſtantinopolim fuerunt allata, nomine in-
Forma. dito: *lale* enim illis florem ſignificat. Vtrunque pedalem profert caulem, interdum cubitalem aut ampliorem, rotundum, virentem, & breui quadam incanáque lanugine aſperſum, non cauum, ſed firma medulla plenum: hunc plerunque terna amplectuntur folia, nonnunquam quaterna & quina, inferior lata & liliacea, longiora & craſſiora, ſupra terram ſeſe expandentia & contorquentia, ſuperiora minora & anguſtiora, vel propendentia, vel ſurſum erecta, omnia colore ex cæruleo virente, aut ærugineo, veluti farina aſperſo, & oris interdum adeò inflexis vt ſinuoſa videantur, interdum minimè. Summo cauli inſidet magnus flos ſurſum ſpectans, ſex foliolis ſæpius conſtans, interdum ſeptem aut octo, calathi aut cyathi modo ſeſe in fundo pandens, ex quo ſena, aut totidem, quot folia ſunt, ſtamina erumpunt, modò lutea, modò pallida, modò nigricantia, pediculis etiam, quæ ſtamina ſuſtinent, mirum in modum colorem variantibus. Dilapſo flore ſuccedit membraneum triangulare caput, ſatis magnum, quandoque oblongius, quandoq; breuius, & ventre magis prominulo: quo in tres partes à ſummo dehiſcente, conſpiciuntur ſex ordines ſeminis plani, cartilaginei, ferè liliacei, & circinatæ propemodũ rotunditatis, pallidi, fului, aut rubeſcentis. Radix bulbacea interdum breuior eſt, interdum oblõgior, craſſa, inferiore ſede nonnihil prominente, vti ferè in Colchico, fibris aliquot tenuibus donata, & foris nonnunquam fulueſcente, ſæpius nigricante membrana obducta, quæ interiore parte lanuginoſa eſt quemadmodùm caſtanearum cortex, quandoque tam denſo tomento plena, vt molliſsimè recubet radix, quæ ſolida eſt & firma, & veluti albumen oui coctum candida, guſtantíque dulcis, nec ingrata. Eſt autẽ in *Caleflale*, id eſt, Tulipa præcoce tanta coloris varietas, quanta in nullo alio flore videri poteſt. Nam flos aut eſt omnino luteus, aut ruber, aut albus, aut purpureus: interdum bini vel plures ex his in eodem flore permixti

colores

TVLIPA maior, Clusij.



TVLIPA minor, Dodonæi.



colores conſpiciuntur. Simplices illi colores etiam variant:aut ſaturatiores,aut dilutiores,aut aſpectu iucundi,aut inelegantes & obſoleti.Permixtorum & variorum adeò multiplex eſt differentia,vt eam deſcribere perdifficile ſit. In ſerotina Tulipa tam variam colorum differentiã ſe non obſeruaſſe ait Cluſius, ſed luteas duntaxat & rubras. Tulipas varias quidam curioſè in hortis alunt ob excellẽtem florum venuſtatem, quarum nonnullas hîc pictas damus Prima Tulipa maior nominatur, Matthiolo Narciſſus quintus,Lobellio Lilionarciſſus purpureus, cui ab eodem appictus eſt Lilionarciſſus Chalcedonicus totus luteus, ſanguineo puniceo par & ſimilis, à Dodonæo maioris Tulipæ nomine donatus & expreſſus. Minores Tulipæ foliis ſunt anguſtiorib⁹, & ferè Porraceis:cauliculis tenuioribus ac breuioribus:floribus minoribus, & minùs in latitudine ſe pandẽtibus, bulbis minoribus.In Thracia & Cappadocia Tulipa prouenit. Italiæ,Galliæ, & Belgio peregrinus eſt flos:quare in hortis tantùm colitur. Aprili menſe floret in Belgio Lobellio Narbonenſis Lilionarciſſus luteus montanus. Pena Narciſſolilium luteũ vocat, quem erutum ex Dei Paradiſo in iugis Cemenei Narbonenſis, iam multi ſunt anni, in Belgium deferendum curauit, amicis Antuerpianis communicandum, qui primi illic Tulipam nominarunt. Huic appingit Lobellius Bononienſem Lilionarciſſum luteum,ſiue Tulipã, qui Narbonenſi, folio, caule & flore proximus eſt,omnia tamen vegetiora & grandiora habet: quandoque flores in caule bipartito geminos, ſtellatos, & alicubi ternos, iucũdo Leucoij lutei odore. Sequuntur duæ aliæ pictæ à Lobellio. Prior Lilionarciſſus luteus latifolius, obtuſis phœniceis rubentibus oris dicitur,cuius flos ſex foliis obtuſis purpurei ſanguinei Lilionarciſi conſtat. Radix item & caulis perſimilis,in quo quatuor & nonnunquam plura folia,Liliaceis & Porraceis media.Interdum innatum bulbum in folio notauit Lobellius. Altera eximio eſt flore ſeſe pandente, ſupremis foliorum oris & fundo ad baſim luteis pallentibus, medium ſanguineo fuſco cingente: caliculorum oris & media carina foris luteis: cætera omnia ſanguineo fuſco exoleto ſimilia,medio intus ſtamine nigro,flaminibus croceis obducto.Semina,vti reliquarũ,compreſſa in oblongo,tripartito,mẽbraneo,anguloſo folliculo: quæ itidem ſata colorũ varias ſubeunt mutationes,& ſæpe degenerant. Lilionarciſſus luteis oris,flore patulo nominatur. His adnumeranda ſpecioſiſsima flore planta, quã

***LILIONARCISSVS** luteus Bononiensis, Lobel.*



Lilionarcissum purpureum variegatũ Lobellius appellat, alij Fritillariam, rectiùs Meleagridem dici posse Dodonæus arbitratur: Meleagridis enim auis plumas non coloris quidem specie, at varietate, situ, magnitudineq; macularum refert: est autem auis hæc variis sparsa plumis. Hæc planta à Narcissis differt, Tulipæ similior, sed minor. Flos pulcherrimus deorsum vergens è se-
nis quoq; foliolis componitur, violaceo colore purpurascens, quē dilutè admodũ purpureæ, ac quasi albicantes, ordine cõcinno digestæ, ac intermixtæ maculæ elegantissima varietate commendant, & foris quidē. Interiore parte nigricantibus sparsim dispositis lituris, circa basim maioribus ac frequētioribus exornantur. Stamina hinc quoq; sex, & medius pistillus, colore sublutea. Caulis tenuis, circa quē quina, oblõga, angusta foliola, Croci, è virore candicantia. Radix bulbosa, rotunda, & candida est. Semē albidum, cõpressum, siliquis Hemerocallidis minoribus, Tulipæ Bononiensis paribus clauditur. Nõnihil hæc planta accedere videtur ad figurã Colchici Orientalis Matthioli. Tulipæ genus quidam esse arbitrantur plãtam, quam Ouloudiam Græcum vulgus appellat, & in hortis colit. Bulbi aduecti sunt nobis ex hortis Eremitarũ & Monachorum qui mõtem Atho incolunt, solitudine & innocentia vitæ sic venerabiles, vt ob eorum integritatem

***TVLIPA** siue Lilionarcissus luteus latifolius, Lobel.*



***MELEAGRIS** flos, Dodonai.*

Vide Phytop. pag. 91.



OVLOVDIA seu Tulipa lutea.



& pietatem mons is Sanctus ab omnibus vocetur. Radix illi bulbosa est, magnitudine Cepæ mediocris: caulis rotundus, cubitalis, crassitie minimi digiti: folia plerunque tria, Lilio aut Ephemero Colchico similia, lata, venosa, è viridi nigricantia, non prorsus diducta, sed quasi in alueolum plicata, & imbricata, caulem ambientia: flos luteus, Lilio similis: vnde Tulipam luteam seu flauam cognominarunt, foliis foris striatis sex, ab angusto in latum sese pandentibus, effigie calathi, resupinis per ambitum labris, & in medio tot staminibus pallidis, quot floris folia sunt. Egregia sanè hæc est planta, & admiratione digna.

CROCVS CAP. VIII.

AFFINIS est Narcissis Crocus non modò figura & natalibus, sed etiam facultatibus peculiaribus, quæ vtrique epispasticæ, deinde quadãtenus odoris soporiferi insunt. κρόκος Græcis dicitur, sic & Latinis & Officinis Crocus, Arabibus *Zahafaram & Zafaran*, Italis *Zaffrano*, Germanis & Gallis *Saffran*. Crocus verò vocatus est à Croco iuuene, qui propter amorem Smilacis virginis in florem sui nominis mutatus est. Quod Ouidius testatur hoc versu, *Nomina*

Lib.4. Metamor.

Et Crocon in paruos versum cum Smilace flores.

De quo fabuloso Croco aliter hæc scripsit Galenus. Adolescens Crocus cum Mercurio disco ludens, & incuriosiùs consistens, illapso in caput ipsius disco statim mortuus est: ex sanguine autem ipsius in terram delapso Crocus natus est Sed & κρόκη filum, villúmve & tomentum significat, cuiusmodi sunt Croci flaua flammeáve stamina & villi, & flocci κροκίδες vocantur. Crocus est satiuus & siluestris. Crocus satiuus vbique notissimus est, non medicis solùm Officinis, sed etiam culinis, ad obsonia grato colore tingenda, quanquam & sapore & odore illa commendet, & concoctionem iuuet. Folia fert oblonga, perquàm angusta, graminea, per humum sparsa, densa, mollia: caules nudos, in quibus flores cærulei ex sex foliolis, in singulis filamenta terna quaternáve, crassiusculo cacumine, colore flammeo nitentia, odore cùm inaruerint intenso, & caput implente atque soporifero, quæ cæteris partibus præferuntur, sedulóque colliguntur, & adseruantur, & Croci nomine vel sola veniunt. Radix subest bulbosa, carnosa, copiosa, & viuax. De hoc Theophrastus hæc prodidit. ὁ δὲ κρόκος ποώδης μὲν τῇ φύσει, καθάπερ καὶ ταῦτα, πλὴν φύλλῳ στενῷ, σχεδὸν γὰρ ὥσπερ τριχόφυλλόν ἐστι. ὀψίανθες δὲ σφόδρα, καὶ ὀψιβλαστὲς, ἢ πρωϊανθὲς, ὁπότερως τὶς λαμβάνει τὴν ὥραν. πλειάδι γὰρ ἀνθεῖ, καὶ ὀλίγας ἡμέρας. εὐθὺς δὲ καὶ ἅμα τῷ φύλλῳ καὶ ἄνθος ὠθεῖ, δοκεῖ δὲ πρότερον. ῥίζα δὲ πολλὴ, καὶ σαρκώδης, καὶ ὅλον εὔζωον. φιλεῖ δὲ καὶ πατεῖσθαι, καὶ γίνεται καλλίων καταπριβομένης τῆς ῥίζης. διὸ καὶ παρὰ τὰς ὁδοὺς, καὶ ἐν τοῖς κροτητοῖς κάλλιστος. ἡ δὲ φυτεία ἀπὸ τῆς ῥίζης. Id est, Crocus natura herbaceus quemadmodùm & alia, sed folio est angusto, & ferè in capillamenti modum extenuato. Valde serò floret, seróque germi-

Li. 9. med. local.

Genera.

Forma.

Lib. & c.6. hiito.

Crocus sine flore.

nat, vel præpropere floret, vtro. ſcilicet modo tempus acceperis: floret enim Vergiliarum occaſu, & paucis diebus: ſtatim enim cum folio florem pellit, imò & priùs florem mittit quàm folium. Radix huic multa, carnoſa, & omnino viuax. Calcari gaudet, atque ita lætior fit, radice deorſum verſus attrita. Quare iuxta vias & fontes optimus. Seritur radice. Quæ ferè expreſsit Plinius

CROCVS ſatiuus, Matthioli.



CROCVS non florens, Matthioli.



Lib.21. c.6. his verbis. Vſus Croci in coronis nuſquam. Herba eſt folio anguſto, penè in capillamenti modum. Floret Vergiliarum occaſu paucis diebus, folióque florem expellit. Viret bruma & colligitur. Siccatur vmbra, meliùs etiam hyberna. Carnoſa & illi radix, viuaciórque quàm cæteris. Gaudet calcari & atteri,

Locus. pereundóque meliùs prouenit. Ideò iuxta ſemitas & fontes lætiſsimum. Crocus optimus erat Dioſcoridi Coryceus, ex Coryco Ciliciæ monte. Secundum locum dat Coryceo è tractu Lyciæ contermino. Tertium Lycio è monte Olympo. Quam Ruellij conuerſionem non probat Marcellus Verg. hæc ſcribens. In his verbis, δευτερεύει δὲ ὁ ἐκ τῆς πρὸς λυκίαν κωρυκίου, καὶ ὁ ἀπὸ τοῦ λυκιακοῦ ὀλύμπου, articulus præpoſitiuus, & Corycij in genitiuo caſu illic occurrentes, legitimam ſermonis ſeriem miſcent. Ideóque nos ſecundæ bonitatis à Corycio ex Cilicia eſſe dicimus eum, qui ex agro ad Lyciam, & Lyciæ Olympo monte afferatur. Sic & conuertit Cornarius. Secundum locum obtinet qui extra Corycum ad Lyciam naſcitur, & qui in Lyciaco Olympo. Deinde qui ex Aegis Aetoliæ vrbe adfertur. At Cyrenaicus & Centuripinus omnium in Sicilia naſcentium in

Lib.21. c.6. firmiſsimis eſt viribus. Similiter Plinius, Prima nobilitas Cilicio, inquit, & ibi in Coryco monte: dein Lycio, monte Olympo: mox Centuripino Siciliæ. Aliqui Phlegræo ſecundum locũ dedêre. Hodie verò non ſolùm regiones ad Meridiem, Africa, Cyrene, Sicilia, Gallia, ſed etiam ad Septentrionem ſitæ Anglia, & Hibernia laudatiſsimum ferunt, quo Belgium, Germania, aliiq; vicini cibos condiunt, ac

ac medicamentis miſcent. Matthiolus Crocum ex Aquila Veſtinorum vrbe primum ſibi locum vendicare in Italia ſcribit, eo tamen pręſtantiorem eſſe qui ex Vienna Auſtriæ metropoli defertur. Probatur, inquit Dioſcorides, recens, boni coloris, parùm candidi gerens in circuitu, oblongus, integer, non fractus, cui nihil deeſt, plenus, dum diluitur manus tingens, non cariem, aut ſitum redolens, odore iucundo & acri. Qui talis non eſt, aut vetus eſt, aut humore perfuſus. Crocus, auctore Theophraſto, tam montanus inodorus, quàm ſatiuus Autumno florere incipit: ſtatim enim primis imbribus floret. Quare flores ante folium edit continuo ferè menſe: quibus collectis folia exeunt, tota Hyeme vireſcentia ſpretis algoribus. Deinde areſcunt, ac Vere depereunt, nec Æſtate apparent. Crocus

In cap. 25. lib. 1.

Electio.

Lib. 6. hiſt. cap. 7.

Tempus.

CROCVS ſilueſtris I. Dalechampij.



CROCVS ſilueſtris II. Dalechampij.




ſilueſtris verus (alium enim Officinæ Crocum ſilueſtrem faciunt, nempe Ephemerum Colchicum, ob floris eius cum ſatiuo Croco ſimilitudinem) à ſatiuo cultura, & ſatu differt. Huius tria obſeruauit genera Dalechampius. Primum minimum radice bulboſa, exigua, rotunda, multiplici cortice veſtita, infernè Cepæ modo fibrata: cauliculo dodrantali, duobus latiuſculis foliis obuoluto, vſque ad floris exortum ferè aſcendentibus, quatuor inſuper, aut quinque foliis ex lateribus vtrinque enatis, oblongis, anguſtis, linea cãdida quæ media interſecat, diuiſis: flore Croci hortenſis, paruo, supernè purpureo, infernè flaueſcente, extantibus in medio ſtaminibus croceis. Secundus priori in multis ſimilis eſt, in quibuſdam diuerſus: nempe quòd radice ſit ampliore, ac denſiùs fibrata: caule proceriore, grandiore, craſsiuſculo: foliis paucioribus: flore maiore & latiore. Tertius radice eſt gemina, Gladioli modo, læuiore, integriore, minúſque lacero cortice obducta, parùm fibrata: foliis quatuor, aut quinque, longiſsimis, ſed anguſtiſsimis, linea media candidiſsima diſtinctis: caule foliis vacuo, recto: flore media ſui parte purpura nitente, ſuprà & infrà candido, interdum prorſus albo. Crocus ſilueſtris in pleriſque Galliæ locis, ſed in Allobrogibus potiſsimùm naſcitur, præſertim primus & tertius in niuoſis

Crocus ſilueſtris.

CROCVS siluestris III. Dalechampij.

Li. 2. stirp. Hispa. c. 4.



montibus, terra nigra & pingui. Liquata niue, & sub finem Maij florem & folia statim promunt. Hanc ob causam, opinor, Crocum Vernum Clusius appellauit, quòd flore sit Croci, Veréque floreat: cuius genera duo constituit, Crocum Vernum minus, & Crocum Vernum maius. Croci Verni minoris species tres. Primo angustifolio, seu minori bina, aut terna sunt folia oblonga, crocinis longè angustiora, gracilioraq;, rotunda & capillaria ferè, viridiaq;. Inter ea cauliculus erumpit pollicari longitudine, angulosus, in quo flos vnicus Croci ferè, sed minor, senis foliis constans, ima parte foris flauescentibus, intus nonnihil candicantibus, reliqua cæruleis, siue violaceis, (inueniuntur & toti candidi) odoratis, quibus insunt aliquot parua stamina: succedit folliculus trigonus, in quo semen exiguum, fuluescens: radix exigua auellanæ magnitudine, duro spadiceóque cortice tecta, intus alba, firma, subadstringente gustu. Bini plerũque flores, interdũ terni ex eodem cortice, qui totidem bulbulos complectitur, prodeunt. Plurimus inuenitur Gadibus, atque inter Asindum & Calpen, locis salebrosis & apricis. Alterum genus cùm foliis, tum radicis externo cortice huic omnino simile Clusius obseruauit in Beturiæ collibus Lusitaniæ conterminis, flore paulò minore, & ex albo purpurascente, víxque è terra prominente, qui ex octo foliis compositus est, quatuor

CROCVS Vernus minor I. & III. Clusij.



CROCVS Vernus maior, Clusij.



exterioribus

exterioribus paulò maioribus: radix illi candida & gemina, vna alteri inſidente: ſuperior firma, dulcis, edulis inferior flaccida. Tertium genus vberioribus & craſſioribus eſt foliis, interdum rectis, cùm reliquorum folia humi ſparguntur: flos ſuperioribus multò minor, totúſque cæruleus, tribus exterioribus foliis exceptis, quæ foris vireſcente colore diluta ſunt: radix ſuperioribus ſimilis, ſed paulò maior, & ſemen craſſiuſculum. Hunc Crocum Gadibus duntaxat iuxta priorem Cluſius inuenit. Florent omnes Ianuario & Februario. Crocum Vernum maius, inquit, foliis ſatiuum omnino refert, niſi breuiora eſſent: ante florem ea prodeunt, deinde ſubſequuntur bini, aut terni flores crocinis ſimiles, ſex foliis conſtantes, quorum exteriora terna, quæ pallidula ſunt, tres purpureæ ſaturatiores, & quaſi

CROCVS ſerotinus cum flore, Lobellij.



nigricantes lineæ, ab infima baſi ad extremum folium ductæ verſicoloria efficiunt, intus verò tum hæc, tum tria interiora candicant, staminaq; in medio habent Croco montano ſimilia: floribus ſuccedunt ſiliquæ paruæ, oblongæ, anguloſæ, ſubrufo, & rotundiuſculo ſemine refertæ. His adiungit Lobellius duas alias Croci Verni ſpecies. Prior eſt Crocus Vernus ſerotin⁹, flore ex purpureo rubente, violaceis lineis ſtriatus. Alter eſt Crocus Vernus ſerotinus, cæruleis oris, ſparſis in latera foliis. Præterea Cluſius Crocum mõtanum Autumnalem depingit, qui flore eſt ſatiui Croci, ſed dilutiore, ſtaminibus intus tribus croceis, inter quæ veluti penicillus luteus emicat: folia quaterna Crocinis ſimilia, viridia, interiore parte veluti lineam quandam candicantem ſecundùm longitudinem, exteriore verò duas huiuſmodi lineas & quaſi canaliculos habent: radix ſatiui candida, plena, & veluti internodiis diſtincta, ſubdulcis primùm, deinde ingrati ſaporis, integitur cortice quodam denſo, & multis villis contexto. Naſcitur in nonnullis Luſitaniæ rupibus, præſertim iuxta mare. Floret iſtic toto Nouembri. Siliquas Maio fert craſſas, anguloſas, ſemine plenas, quale Croci Verni eſt. Eſt & in Calcaris, vulgò *de L'eſperon*, præcelſo Galliæ Narbonenſis monte, Crocus montanus albo flore. Theophraſto κρόκος ὀρφνὸς dicitur, Latinis Crocus montanus, Autumnalis, ſilueſtris, Luſitanis *Pie de Borro*, id eſt, Pes aſininus. Crocus ſatiuus, vt tradit Dioſcorides, concoquit, emollit, leuiter adſtringit, vrinam cit, & coloris bonitatem efficit. Arcet crapulam cum paſſo potus. Fluxiones oculorũ cum muliebri lacte inunctus ſiſtit: potionibus, quæ pro interaneis parantur, vtiliter miſcetur: item iis quæ vuluæ ſedíque ſubiiciuntur & illinuntur. Venerem ſtimulat. Inflammationes eryſipelatodes inunctus lenit. Aurium remediis vtiliſſimum eſt. Lethalem ſanè dicũt hunc, ſi trium

Lib. 1. ca. 25.

Vires & Temper.

CROCVS montanus, Cluſij.



si trium drachmarum pondere cum aqua bibatur Radix eius cum passo pota vri-
Li.21.c.20. nam ci[et]. Hæc & alia quædam de eodem prodidit Plinius. Discutit inflammatio-
nes omnes quidem, sed oculorum maximè ex ouo illitum. Vuluarum quoque
strangulatus, stomachi exulcerationes, pectoris & renum, iocinoris, pulmonum,
vesicarúmque, peculiariter inflammationi earum vehementer vtile: item tussi &
pleuriticis. Tollit & pruritus, vrinam ciet. Qui Crocum priùs biberint, crapulam
non sentiunt. Ebrietati eo resistunt. Coronæ quoque ex eo mulcent ebrietatem.
Somnum facit. Caput leuiter mouet. Venerem stimulat. Flos eius igni sacro illi-
nitur cum creta Cimolia. Ipsum plurimis medicaminibus miscetur. Crocus, in-
Li.7.simpl. quit Galenus, paulùm quid adstringens habet, quòd terreum frigidúmque est: sed
superat in eo calfaciens & qualitas & facultas, vt tota eius essentia secundi sit or-
dinis excalfacientium, & primi exsiccantium. Quare cōcoquendi vim quandam
obtinet, adiuuante scilicet in hoc paucula illa adstrictione. Scribit Auicenna Cro-
Li.2.c.129. cum cephalalgiam excitare, & capiti nocere. Id quod non exiguo, sed nimio vsu
efficere potest. Vigilias enim copiosus inducit, quæ modum excedentes capiti &
sensibus obsunt. Moderatus autem Croci vsus cerebro prodest, sensus vegetiores
reddit, somnum & torporem excutit, lætitiam gignit, corroborat cor. Thoracis
crudos humores ad concoctionem perducit, pulmones aperit, & ab obstructione
liberat: & ad hæc tam efficax est remedium, vt subinde phthisicis in summo vitæ
discrimine, & propemodùm animam agentibus, spiritum reducat, & vitam ad
aliquot dies proroget: scrupuli dimidij, aut ad summum integri pondo, cum pas-
so, aut vino dulci propinatus. Quo etiam modo grauissimas subitò irruentes
dyspnœas citra febrem, statim & momento temporis tollere experimento com-
pertum est. Laudatur ad hepatis & fellis obstructiones, & ad regium morbum.
Croci stamina trita carpis, aut sub mammis admota illitáve, vires suas cordi cere-
broq; illico transmittunt, quasiq; vertiginem tenebricosam inuehunt, aciem ocu-
lorum præstringunt, aut hebetant. Scribit Serapio ex auctoritate Rhazis Croci
Cap.173. simpl. drachmarum duarum pondere partum accelerare, maximè inebriare si cum vino
misceatur: tantam lætitiam parere, vt ex nimia lætitia insaniam gignat. Quod ex-
perimento confirmat Amatus Lusit. asserens se mercatorem vidisse, qui cùm in
ollam in qua carnes coquebantur, multùm Croci iniecisset, post earum esum in
tam profusum risum prorupit, vt parum abfuerit quin risu nimio & cachinno è
vita excesserit. His addenda Symeonis Sethi auctoritas. Crocus stomacho bonus
est, inquit, ciborumq; concoctionē efficit. Obstructiones tollit. Pituitosa & lethar-
gica vitia iuuat. Discutiendi quoq; vim obtinet, vlceribus vtilis est, & ad spiritus
difficultatem conducit. Si quis illo mediocriter vtatur, bonum colorem habebit:
sin verò vltra modum, pallorem contrahet, & capitis dolorem, cibiq; inappeten-
tiam faciet. Cum opio & lacte & rosaceo pedum doloribus impositus vbi dolent,
summopere prodest, superpositis Betæ foliis. Croco siluestri verno maiori, quem
In Aduers. ex Clusio descripsimus, foris duntaxat vtendum esse censet Pena. Illitus pubi vri-
nas elicit crebras atque crassas, tumores hydropicorum discutit, spicula euellit.

CEPA. CAP. IX.

Nomina KPO'MNYON Græcis, Cepa & Cepe in neutro genere Latinis &
Officinis, Arabibus *Baßil*, seu *Bassal*, Italis *Cipolla*, Germanis *Zunibel*,
Hispanis *Cepolha*, Gallis *Oignon*. κρόμμυον autem Aristotele in Proble-
matis auctore dictum est παρὰ τὸ κόρας μύειν τῶν ἐσθιόντων, quòd ocu-
lorum tunicam pupillamq; mordaci vapore lancinando, conniuere contrahiq;
cogat lacrymas eliciendo: vnde Latinis Cepa lacrymosa. Cepa autem à capitis
quasi cepa idest capitata Genera. magnitudine. Quemadmodum Theophrasti & Dioscoridis æuo, ita etiam hodie
magna

magna Ceparum varietas è locis, colore, magnitudine, acrimonia, teneritudine, varióque mangonio petenda. De iis sic scripsit Theophrastus. πλείω δὲ τῶν κρομμύων τὰ γένη, οἷον τὰ κατὰ τὰς χώρας ἐπικαλούμενα, γάρδια, κνίδια, σαμοθράκια. (Sic enim Gaza legit: Plinius pro γάρδια, Sardia, pro κνίδια, Alsidena: fortasse κάρδια pro γάρδια ἀπὸ τῆς καρδίας vrbe Thraciæ, ex facie loci nomine accepto, Plinio auctore) καὶ πάλιν τὰ σητάνια, καὶ σχιστὰ, ἀσκαλώνια. τούτων δὲ τὰ μὲν σητάνια μικρὰ, γλυκέα δὲ εὖ μάλα. τὰ δὲ σχιστὰ καὶ ἀσκαλώνια, καὶ ταῖς θεραπείαις διαφέροντα, καὶ δῆλον ὅτι τῇ φύσει γὰρ σχιστὸν τῷ μὲν χειμῶνι μετὰ τῆς κοιμήσεως ἀργόν. ἅμα δὲ τῷ ἦρι τὰ φύλλα περιάγουσι τὰ ἔξω. Quæ admodùm deprauata sic restitui possunt. τὰ δὲ σχιστὰ καὶ ἀσκαλώνια καὶ θεραπείαις διαφέρει, καὶ δηλονότι τῇ φύσει. σχιστὸν γὰρ τῷ μὲν χειμῶνι μετὰ τῆς κόμης ἀργὸν ἀπολείπουσιν. ἅμα δὲ τῷ ἦρι τὰ φύλλα περιαίρουσι, καὶ τὰ ἄλλα θεραπεύουσι. περιαιρεθέντων δὲ τῶν φύλλων, τὰ ἕτερα βλαστάνει, καὶ ἅμα κάτω σχίζεται, διὸ καλοῦσι σχιστὰ. οἱ δὲ καὶ ὅλως φασὶ πάντων δεῖν, ὅπως ἡ δύναμις εἰς τὰ κάτω, καὶ μὴ σπερμοφυῇ. Id est, Ceparum genera multa, à locis cognominata, Gardiæ, Cnidiæ, Samothraciæ: item fissiles, Ascaloniæ. Ex his Setaniæ paruæ, valde dulces: fissiles & Ascaloniæ cultu differunt, atque etiam natura. Fissilem enim cum sua coma hyeme incultam relinquunt. Vere folia detrahunt, & reliqua colunt. Detractis his foliis altera germinant, & simul infernè finditur: vnde fissiles appellant. Quidam prorsus omnibus generibus detrahenda folia censent, vt vis omnis in profundum subeat, & non in semen abeant. Ex quibus hæc mutuatus est Plinius. Cepæ genera apud Græcos Sardia, Samothracia, Alsidena, Setania, Schista, Ascalonia ab oppido Iudeæ nominata. Omnibus etiam odor lacrymosus, & præcipuè Cypriis, minimè Cnidiis. Omnibus corpus totum pinguitudinis earum cartilagine. (Quæ cùm deprauata sint, & sine vllo sensu, sic correxit Dalechampius. Omnibus radicum corpus tectum pingui cartilagine.) E' cunctis Setania minima, excepta Tusculana, sed dulcis. Schista autem & Ascalonia condiuntur. Schistam Hyeme cum coma sua relinquunt, Vere folia detrahũt, & alia subnascuntur iisdem diuisuris: vnde & nomen. Hoc exemplo reliquis quoque generibus detrahi iubent, vt in capita crescant potiùs quàm in semina. Deinde explicata Ascaloniarum natura alias Ceparum differentias Theophrastus persequitur. Διαφέρει δὲ ἔνια καὶ τοῖς χρώμασιν. ἐν ἴσῳ γὰρ (Sic legit Gaza, non ἐν νήσῳ, vt habent vulgata exemplaria, Plinius legit ἐν σάμῳ) τὰ μὲν ἄλλα ὅμοια τοῖς λευκοῖς, λευκὰ δὲ σφόδρα τῇ χροιᾷ. φέρειν δὲ φασὶν ὅμοια τοῖς σαρδιανοῖς. ἰδιωτάτη δὲ ἡ φύσις τῶν κρητικῶν, παραπλήσια γὰρ τρόπον τινὰ τοῖς ἀσκαλωνίοις, εἰ μὴ ἄρα καὶ ἡ αὐτή. ἐν κρήτῃ γὰρ τι γένος, ὃ σπειρόμενον μὲν ῥίζαν ποιεῖ, φυτευόμενον δὲ καυλὸν καὶ σπέρμα. κεφαλὴν δὲ οὐκ ἔχει, γλυκὺ δὲ τῷ χυμῷ. τοῦτο γὰρ οἷον ἀνάπαλιν ἔχει τοῖς ἄλλοις. ἅπαντα γὰρ πηγνύμενα, καὶ βελτίω, καὶ θᾶττον παραγίνεται). Id est, Cepæ quædam colore differunt. Nam in Iso cætera quidem similia candidis, valde autem candidæ sunt. Aiunt & similes esse Sardianis. Cretensium peculiaris quædam natura est, sed Ascaloniis quodammodò simil s, nisi eadem sit. Est enim in Creta genus quoddam, quod satum radicem gignit, depositum verò caulem & semen fundit. Caput non habet, dulciq; est succo. Quod ei contrà quàm cæteris euenit: omnes enim depositæ, & meliùs & celeriùs proueniunt. Quæ Plinius sic exscripsit. Est & colorum differentia. Samo enim & Sardibus candidissimæ proueniunt. Sunt in honore & Creticæ, de quibus dubitant, an eædem sint quæ Ascaloniæ: quoniam satis capita cracescunt: depositis caules & semina. Distãt sapore tantùm dulci. Latinis etiam sua sunt genera. Plinius apud nos, inquit, duo prima genera. Vnum condimentariæ, quam illi Gethyon, nostri Pallacanam vocant. Seritur mensibus Martio, Aprili, Maio. Alterum capitatæ, quæ ab Æquinoctio Autumni, vel à Fauonio. Genera eius austeritatis ordine, Africana, Gallica, Tusculana, Amiternina. Optima autem quæ rotundissima: item rufa acrior quàm candida, sicca quàm viridis, & cruda quàm cocta, sicca quàm condita. Similiter nostri

Lib.7. hist. ca.4.

Lib.19.c.6.

Ibidem.

Li.19. ca.6.

Lib.19.c.6.

Ibidem.

noſtri hodie duo Ceparum genera norunt. Vnum quod ſeritur, alterum quod deponitur. Cepa capitata foliis conſtat ferè porraceis, intus concauis glabris: caule

Forma. rotundo, vacuo, nitente, per cuius faſtigium flos in capite, ſiue caliculo villoſo, candido, vel purpuraſcente: deinde ſemen copioſum, nigrum, Nigellæ: radix capillata, bulboſa, quibuſdam maior, aliis minor, oblonga, orbiculata, & turbinata quibuſdam, plurimis verò & communioribus Cepis à caulis ceruice ſenſim in compreſſam latiorem, ſed à lateribus reductam vtrinque circunferentiam bulbaceam abeuntibus, cuius vmboni fibrarum numeroſa copia aptata ſubeſt, Ellebori albi modo: quod Cepis omnibus eſt commune, ex pluribus tunicis compacta eſt, & prætenuibus, ſæpiſsime rufis, interdũ ſaturè rubẽtibus, nonnunquã candidis, rarius viridibus veſtitur mẽbranis. Hæc ſimplex, quæ non fruticat, neq; habet ſoboles

Li.12.ca.10. adhærentes, quam ob id Vnionem à veteribus ruſticis vocatam teſtatur Columella: vnde Galli huius Cepæ nomen vſurparunt, *Oignon* nominantes, quaſi *Vnion*,

CEPA Satiua, Matthioli.



CEPA Sectilis, Matth. I I & Cepula Columellæ.



Vnionem. Cepa ſectilis, quæ tota in frondem luxuriat, ſæpiuſq; retondetur vt Porrum, γήθυον Græcis dicitur, Gallis *Ceboule*, quaſi Cepula, aliis *Siboule*, nonnul-


Lib.7. hiſt. cap.4. li *Ciues* & *Ciuons* vernaculo ſermone proferunt. Sic à Theophraſto deſcribitur. τὸ δὲ γήθυον καλούμενον ἀκέφαλόν τι, καὶ ὥσπερ αὐχένα μακρὸν ἔχον. ὅθεν καὶ ἡ βλάστησις ἄκρα, καὶ ἐπιχειρεῖται πολλάκις ὥσπερ τὸ πράσον. διὸ καὶ σπείρουσιν αὐτὸ, καὶ οὐ φυτεύουσι. Quæ ſic Pli-

Lib.19.c.6. nius interpretatus eſt. Gethyum penè ſine capite eſt, ceruicis tantùm longæ, & ideò totum in fronde, ſæpiúſque reſecatur vt Porrum. Ideò & id ſerunt, nõ deponunt. Quæ ſint Cepæ χισταὶ, id eſt, fiſsiles, in Hetruria vulgò *Cipolle maligie* nominatæ, ex Theophraſto demonſtrauimus, qui de Aſcaloniis & hæc ſcribit.


Lib.7. hiſt. cap.4. τῶν δὲ ἀσκαλωνίων ἰδία τις ἡ φύσις. μόνα γὰρ χιστὰ, καὶ ὥσπερ ἄγονα ἀπὸ τῆς ῥίζης. ἔτι δὲ ἐν αὐτοῖς ἀναυξῆ, καὶ ἀνεπίδοτα. διὸ καὶ οὐ πηγνύουσιν, ἀλλὰ σπείρουσιν αὐτὰ, καὶ σπείρουσιν ὀψὲ πρὸς τὸ ἔαρ, εἶθ' ὅταν βλαστήσῃ, μεταφυτεύουσι. τελειοῦται δὲ τοῖς ἄλλοις ταχέως, ὥσθ' ἅμα τοῖς ἄλλοις, ἢ καὶ πρότερον ἐξαιρεῖσθαι, πολὺν δὲ χρόνον ἐαθέντα ἐν τῇ γῇ σήπεται. φυτευθέντα δὲ, καυλὸν ἀφίησι, καὶ σπέρμα

ob Ascalone oppido Judeæ nominata

CEPA *fißilis,*
Matthioli.



CEPA *Aſcalonia,*
Matthioli.



καὶ σπέρμα φύει μόνον, εἶτα καμνῦται, καὶ αὐαίνει). Quæ ſic Plinius expreſsit. Aſcaloniarum propria natura. Etenim velut ſteriles ſunt ab radice, & ob id ſemine ſeri illas, non deponi iuſſere Græci. Præterea ſeriùs circa Ver cùm germinant transferri: ita craſſeſcere, & tunc properare præteriti temporis penſitatione. Feſtinandum autem in his eſt, quoniam maturæ celeriter putreſcunt. Si deponantur, & caulem emittunt & ſemen, ipſæq; euaneſcunt. Has Aſcalonias, ſiue Aſcalonitides, ſiue Palæſtinas Cepas eſſe putant docti, quas Galli vocant *Eſchalottes* ſeruatis priſci vocabuli veſtigiis, quæ quòd ancipitis & dubiæ ſunt naturæ inter Cepam Allium & Porrum, peculiarem quandam naturam, vel figuram eas habere tradit Theophraſtus. Sunt tamen Cepis ſimiliores, ſed multò minores, & crudæ in ientaculis laudatiores frequentioréſque habentur. Quapropter Franci *Appetiz* appellant, quia edendi auiditatem excitant. Fortè etiam rectè Bulbum Setanium dixeris, quem Theophr. & Plinius Cepæ genus quoddam eſſe teſtãtur. Quæ Cepa Aſcalonia ex Matthiolo hîc expreſſa eſt, Schœnopraſon Dodonæi quibuſdam videtur, de quo capite proximo dicemus. Omnium maximæ ſunt Cepæ, quæ Caieta Romam importantur, quæ etſi ſaturatè rubeſcant, & craſsioribus tunicis cõpactæ ſint, leuiuſcula tamen acrimonia præditæ ſunt, manſuq; tenerrimæ: ob id in cibos præſtantiores ſunt cæteris. In Hetruria, inquit Matthiolus, minùs acres, quæ magis rubẽt, albæ omnium acerrimæ, quamuis flauas candidis acriores eſſe Dioſcorides ſcripſerit. Suauitate & mole omnibus Italicis & Gallicis, inquit Pena, excellunt Africæ, ac Hiſpanicæ, & Hiſpanicis maiores, ac ſpecioſiores D. Altomari in Belgio ſaturæ, quibus prima commendatio, & magnitudo capitis extuberantis, compreſſæ vtrinque rotunditatis, Rapum non mediocre æquantis, ſquamoſa cuticula, extimíſque tunicis ſanguineo ſaturo colore rubentibus, & nitentibus, Flandriæ, Angliæ, aliiſq; Septentrionalibus expetitæ. Ad quas tamen gentes aſportantur quotannis Hiſpanicæ non minore copia, aut commendatione, quæ partim albæ, par-

Lib. 9. c. 6.

Aſcalonia ab Ascalone oppido Judeæ.

Pen. in Aduerſ.

In cap. 145. lib. 2.

In Aduerſ.

tim purpuraſcentes,guſtúque aliquãtò acriores ſunt,pares teneritudine & mole,
cibis & condimentis quàm medicamentis aptiores. Cæterarum vbiq; in Italia,
Gallia, Germania, Anglia, Vaſconia prouentus maximus hortorum cultoribus
Locus. venit. Et vt quæque ad illarum bonitatem proximè accedit, ita optima habenda.
Tempus. Terram amant pinguem vehementer ſubactam & irriguam. Florent Iulio potiſ-
ſimùm menſe,deinceps ſemen proferunt, quod non antè legendum quàm cùm
nigrum colorem præ ſe fert,is enim color maturitatis eſt index. Omnibus eadem
facultas incidendi,lacrymas ciendi,odor non inſuauis, ſed vapor & ſapor inten-
Li. 2. c.145. tior,aut mitior. Omnes mordicant,inquit Dioſcorides, flatus gignunt, appeten-
Vires & Temper. tiam inuitant,extenuant,ſitim excitant,faſtidium pariunt,& expurgant. Aluo vti-
les ſunt. Detractis tunicis in oleum coniectæ,ac pro glandibus ſubditæ, hæmor-
rhoidas reliquáſque excretiones aperiunt. Succus cum melle illitus oculorum he-
betudinibus, argemis, nubeculis,& incipiẽtibus ſuffuſionibus auxiliatur,angináq;
laborantibus. Suppreſſos menſes mouet. Caput purgat naribus infuſus. Canis
morſibus cũ ſale,ruta,& melle illinitur. Cum aceto autem in ſole inunctus,alphos
ſanat:cum pari ſpodio ſcabras lippitudines ſedat. Varos cum melle reprimit. Con-
tra calceamentorum attritus cum gallinaceo adipe vtilis eſt. Alui fluoribus pro-
deſt. Aurium grauitati, ac ſonitui confert. Ad purulentas aures, & eliciendam
aquam in iis interceptam valet. Alopeciæ earum ſucco vtiliter perfricantur: cele-
riùs enim quàm alcyonium pilos euocat. Largior Ceparum cibus capitis dolo-
res ciet. Cocta vehementiùs vrinam pellit. In morbis cocta etiam largiùs come-
ſta lethargum efficit. Cum paſsis vuis & ficu illita,tubercula concoquit & rumpit.
Lib. 20. c. 5. Plinius de iis eadem & quædam alia prodidit. Cepæ olfactu ipſo & delacrymatio-
ne caligini medẽtur,magis verò ſucci inunctione. Somnum etiam facere tradun-
tur,& vlcera oris ſanare commanducatæ cum pane. Et canis morſibus virides ex
aceto illitæ,aut ſiccæ cum melle,aut vino,ita vt poſt diem tertium ſoluantur. Sic
& tritæ ſanant (lege ex veteri codice, Sic & attrita ſanãt.) Coctam in cinere & epi-
phoris multi impoſuere cum farina hordeacea,& genitalium vlceribus. Succo &
cicatrices oculorum,& albugines,& argema inunxere: & ſerpentium morſus, &
vlcera omnia cum melle: item auricularum cum lacte mulierum: & in iiſdem ſo-
nitum & grauitatem emendantes cum adipe anſerino, aut cum melle ſtillauere.
Et cum aqua bibendum dedêre repentè obmuteſcentibus. In dolore quoque ad
dentes colluendos inſtillauere,& plagis beſtiarum omnium,priuatim ſcorpionũ.
Alopecias fricauere & pſoras tuſis Cepis. Coctas dyſentericis veſcendas dedêre,
& contra lumborum dolores,purgamenta quoque earum cremata in cinerem il-
linentes ex aceto ſerpentium morſibus,ipſaſq; multipedæ ex aceto. Reliqua inter
medicos mira diuerſitas. Proximi inutiles eſſe præcordiis & concoctioni,inflatio-
nemq; & ſitim facere dixerunt. Aſclepiadis ſchola ad colorem quoq; validũ pro-
fici hoc cibo:& ſi ieiuni quotidie edant,firmitatem valetudinis cuſtodiri: ſtoma-
cho vtiles eſſe ſpiritus agitatione: ventrem mollire: hæmorrhoidas pellere ſubdi-
tas pro balanis: ſuccum cum ſucco fœniculi contra incipientes hydropiſes mirè
proficere. Item contra anginas cum ruta & melle. Excitari eiſdem lethargicos.
Li. 7. ſimpl. Cepa, auctore Galeno, ex quarto eſt ordine excalfacientium. Eſſentia eius potius
craſſarum eſt partium: vnde etiam hæmorrhoidas aperit tum appoſita, tum cum
aceto inuncta. In ſole alphos abſtergit: tum alopeciis attrita pilos alcyonio citiùs
reſtituit. Si ſuccũ eius exprimas, quod reliquum eſt admodùm terreæ ſubſtantiæ
eſt,eiúſque calidæ: at ſuccus aqueæ aëreæ'que caliditatis. Hic igitur iis qui ſuffuſi
ſunt,aut aciem oculorum obtuſam præ craſsitie humorum habent, inunctus pro-
deſt. Ex huius temperatura tota Cepa flatuoſa eſt manducata. Itaque quæ tempe-
ratura ſunt ſicciore, minùs flatuum generant. Cepa elixa, aut ſub prunis toſta,
inquit

inquit Matthiolus, datur cum saccharo vtiliter anhelosis, asthmaticis & tussientibus, addito butyri momento. Excauatur ea parte quà sunt radices, & præstanti repletur theriaca citrei mali succo subacta: deinde occluso foramine sub calidis cineribus coquitur, donec probè fuerit macerata: tunc premitur, & excipitur cremor, iis perutilis qui pestilentia laborant, sed eos illicò sudare oportet. Item excauatur & cymini puluere repletur, coquitur, & exprimitur eodem modo. Succus is vtiliter instillatur ad aurium surditatem. Crassior Cepæ squama sub feruenti cinere tosta antiquum capitis dolorem sedat, si frustulum eius calidum in dolentis lateris aurem intromittatur, superasperso rosaceo & laurino oleo, succidáque addita lana quæ totam operiat aurem. Cepæ succus cum acerrimo aceto mistus sanguinem è naribus manantem sistit iis immissus.

PORRVM. *CAP. X.*

NON solùm hic Bulbus Cepis est affinis, sed etiam tunicarum inuolucris demptis, interius eius capitulum cor vocatum Cepam refert: nec foliis, floribus, caule, & semine multùm dissimilis, quem Græci πράσον vocant, Latini Porrum, Arabes *Curat*, siue *Kurat*, Itali *Porro*, Germani *Lauch*, Galli *Porreau*, Hispani *Puerro*. Prasum verò dictum est à colore, quòd sit πράσιον, siue πράσινον, id est, viride. Porrum autem Latinè quòd porrò eat, & longè latéque grassetur auctore Ruellio. Pena à callosa Porri capitis simillima in ossibus ferruminatis concretione dictum coniicit. Olitorum industria Porrum in capitatum & sectiuum diuisit. Illud κεφαλωτὸν Græci vocant, id est, capitatum, quòd in caput accrescat, hoc sectiuum, cui frondentem comam solo tenus amputant. Tale si facete velis: ait Columella, densiùs satum præceperunt priores relinqui, & ita cùm increuerit secari. Sed nos docuit vsus longè melius fieri, si differas, & eodem more quo capitatum modicis spatiis, id est, inter quaternos digitos depangas, &, cùm conualuerit, deseces. In eo autem quod magni capitis efficere voles seruandum sit, vt antequàm translatum deponas, omnes radiculas amputes, & fibrarum summas partes intondeas. Tum testulæ vel conchæ quasi sedes in singulis subiectæ seminibus adobruuntur, vt fiant capita latioris incrementi. Quod & Plinius tradidit. Seritur semine ab Æquinoctio Autumni: si sectiuum facere libuit, densius. In eadem area secatur, donec deficiat, stercora úrq; semper: nutritur in capita, antequàm secetur. Cùm increuit in aliam aream transfertur, summis foliis leuiter recisis ante medullam, & capitibus detractis tunicis extremis. Antiqui silice, vel tegula subiecta capita dilatabant. Nunc leuiter sarculo conuelluntur radices, vt delumbatæ alant, neque distrahant. Porrum foliis est Allio similibus, latioribus tamen ac longioribus, carinatis, & in acutum desinentibus. Ceruix illi

Nomina

Vide Phytogr. pag. 10

Lib.1. c.20.
In Aduers.

Genera.


Lib.11. ca.3.

Li.19. ca.6.

PORRVM sectiuum, Fuchsij.



PORRVM sectiuum & capitatum, Matth.



PORRVM commune, Matthioli.



longa bulbosaq́;, candicans, craſsiori ſummitate, radiculis multis capillata, & ex numeroſis tunicis contexta. Bimum in caulem proſilit, Cepæ modo longum cauumq́; : floribus in cacumine in orbem conglomeratis: ſemine nigro, cepaceo non abſimili. Hortis omnibus frequentiſsimum, læto ſolo gaudet, odit rigua. Maio & Iunio menſe floret, altero à ſatu anno. Porrum capitatum inflationem

Vires & Temper. Li.2.ca.143. parit, inquit Dioſcorides, noxium ſuccum creat, moleſta inſomnia parit. Vrinam ciet, aluo accommodum, extenuat, oculorum aciem hebetat, menſes pellit, veſicam exulceratam, renéſque lædit. Cum ptiſana coctum eſu quæ in thorace ſunt educit. Coma eius in aqua maris & aceto cocta in deceſsionibus ad præclusiones vuluæ & duritias vtilis habetur. Vna & altera aqua coctum, aut aqua frigida maceratum, dulceſcit, & multò minùs inflat. Semen acrius eſt, & quandam adſtrictoriam vim habet. Quare ſuccus eius cum aceto, addito thure, aut manna, ſanguinem, maximè è naribus profluentem, ſiſtit. Venerem ſtimulat. Contra thoracis vitia omnia pro delinctu efficax eſt, & ad tabem comeſtum. Purgat etiam arteriam. Sed ſi aſsiduè eſtur, viſus obſcuritatem inducit. Stomacho aduerſatur. Succus ex melle potus contra beſtiarum morſus auxilio eſt. Idem quoque illitus prodeſt. Cum aceto, thure & lacte, aut roſaceo inſtillatus, aurium doloribus & ſonitui confert. Varos tollunt folia cum rhoë obſoniorum illita: epinyctidi medentur. Cruſtas ex ſale illita rumpunt. Veteres ſanguinis reiectiones cohibent ſeminis drachmæ binæ cum æquali baccharum

Li.20.ca.6. Myrti pondere potæ. Hæc de Porro capitato ſolùm Dioſcorides tradidit. Plinius ex variis auctoribus decerpta miſcet, ac conſarcinat. Porrum ſectiuum, inquit, profluuia ſanguinis ſiſtit in naribus, contrito eo obturatis, vel gallæ mixto, aut menthæ. Item ex abortu profluuia, poto ſucco cum lacte mulierum. Tuſsi etiam veteri, ac pectoris & pulmonis vitiis medetur. Illitis foliis ſanantur & ambuſta

ambuſta,& epinyctides: item alia vlcera cum melle trito. Vel beſtiarum morſus ex aceto: item ſerpentium. Aurium verò vitiis cum felle caprino, vel pari menſura mulſi: ſtridores cum lacte mulieris: capitis dolores, ſi in nares fundatur, dormituriſve in aurem duobus ſucci cochlearibus, vno mellis. Succus & ad ſerpentium ſcorpionúmque ictus bibitur cum mero, & ad lumborum dolores cum vini hemina potus. Sanguinem verò excreantibus & phthiſicis, diſtillationibus longis, vel ſuccus, vel ex ipſo cibus prodeſt. Item morbo regio, vel hydropicis. Et ad renum dolores cum ptiſanæ ſucco acetabuli menſura. Idem modus cum melle vuluas purgat. Eſtur verò & contra fungorum venena: imponitur & vulneribus. Venerem ſtimulat, ſitim ſedat, ebrietates diſcutit. Sed oculorum aciem hebetare traditur: inflationem quoque facere, quæ tamen ſtomacho non noceat, ventrémque molliat. Voci ſplendorem affert. Capitato maior eſt ad eadem effectus. Sanguinem reiicientibus ſuccus eius cum gallæ, aut thuris farina, vel acacia datur. Hippocrates & ſine alia miſtura dari iubet: vuluáſque contractas aperiri iubet: fœcunditatem etiam fœminarum hoc cibo augeri. Contritum ex melle vlcera purgat. Tuſsim & deſtillationes thoracis, pulmonis, & arteriæ vitia ſanat, datum in ſorbitione ptiſanæ, vel crudum, præter capita, ſine pane, ita vt alternis diebus ſumantur, vel ſi purulenta excreentur. Sic & voci, vel veneri, ſomnóq; multũ confert. (De voce nihil Dioſcor. dixit, de ſomno autem, δυσόνειρον eſſe, id eſt, tumultuoſum ſomnum parere.) Capita bis aqua mutata cocta aluum ſiſtunt, & fluxiones veteres. (Dioſcorides ait, Porrum bis aqua mutata coctum, tum frigida maceratum, dulceſcit, & minùs inflat.) Cortex detractus illitúſque inficit canos. Hæc Plinius, qui paulò antè tradidit Neronem Porro ſectiuo auctoritatem dediſſe, vocis gratia, ex oleo ſtatis menſium omnium diebus, nihílque aliud, ac ne pane quidem veſcendo. Grauem enim vocem explicat Porrum, ſua lentitia faucium aſperitatem deliniens. Certè & perdices vtuntur eo, ſi credimus Ariſtoteli, canoræ vocis gratia. Galenus de Porris, Alliis, & Cepis agens: Harum plantarum, inquit, radices vulgò frequentiſsimè eſitant, caulem tamen rarò & folia, quæ & ipſa proportione radicum acrem admodùm habent facultatem. Corpus calefaciunt, &, qui in ipſo ſunt, humores craſſos tenuant, lentóſque incîdunt. Si cocta tamen bis térue fuerint, acrimoniam quidem deponunt, tenuant tamen adhuc, & alimentum corpori dant paucíſsimum, quod certè priùs quàm elixa eſſent, omnino non dabant. Eſt aliud Porrum, nimirùm ſilueſtre, quod Græcis ἀμπελόπρασον dicitur, id eſt, Vineale Porrum, Arabibus *Nahati*, Italis *Porro ſaluatico*, & *Porrandello*, Germanis *Vuildlauch*, Gallis *Porreau de chien*. Ampeloprason caule proſilit bicubitali: foliis porraceis, ſed anguſtioribus: flore candido: radice bulboſa. Prouenit in vinetis, in agrorum marginibus, & in amœnis collium locis. Ex Matthiolo id pictum damus: à quo diuerſum eſt quod Lobellius exhibuit, folio Allij


Lib. 19. c. 6.

Li. 2. Alim.


Forma.

Locus.

AMPELOPRASVM, Matthioli.



AMPELOPRASVM, seu Porrum siluestre, Lobellij.



siluestris tenuifolij non dissimili, sed maiore & acriore, in caule bicubitali, radice bulbosa, non ex nucleis, sed singulari capite constante, Porri minore, duriore, acriore, nonnullis adnatis sese propagante: flore & nucleis seminis vice, triticeis granis paribus, in glomeratis capitulis non disparibus Allij siluestris tenuifolij. Vinetis, aruis, marginibus, senticetis, & dumetis Galliæ & Belgij gaudet. Stomacho magis quàm Porrum aduersatur, vt tradit Dioscorides, plus excalfacit, vrinam & menses vehementiùs ciet. Eius esus contra serpentium morsus vtilis est. De quo hæc Plinius. Ampeloprasum in vinetis nascitur, foliis Porri, ructu grauis. Contra serpentium ictus efficax. Vrinam & menses ciet: eruptiones sanguinis per genitale inhibet potum impositúmque. Datur & à partu mulieribus, & contra canis morsum. Galenus scribit Ampeloprasum tantùm à Porris dissidere, quantùm in omnibus aliis generibus agrestia omnia à domesticis differunt. Quosdam autem in totum annum sequentem, vt Cepas aceto condientes, ita & Ampeloprasum reponere: fieríque in cibo præstantiora, ac minùs habere vitiosi succi. Item Ampeloprasum agreste esse Porrum: quare & acrius eo, & siccius esse, sicut agrestia omnia reliquis hortensibus, ac proinde stomacho quàm illud nocentius. Sed & crassos & lentos humores potentiùs incidere, valentiúsque infarcta organa obstructione liberare. Hac quoque ratione vrinas sæpe prouocasse, vbi à crassis & lentis humoribus retinebantur. Adeò verò esse calidum, vt, illitum cataplasmatis modo, exulceret.

Li.2.c.144. Vires & Temper. Li.24.ca.15. Li.2. Alim.

Schœnoprasum Dodon. Porrum aliud paruum à Dodonæo ponitur. Germanis *Vintzeulauch*, Belgis *Bieslook*, id est, Allium iunceum: vnde χοινόπρασον Græcè nuncupauit. *Forma.* Cauliculos graciles, teneros, cauos veluti iuncos paruos, in vnum aceruum coactos foliorum vice profert, gustu ferè Porri. Inter hos nonnunquam cauliculi emergunt rotundi cum capitulis, vt in Cepa, sed multò minoribus, floribus purpureis referti. Radices sunt Bulbi Cepis paruis similes, vel porracei, minores, oblongi, cohærentes & implexi, fibris quamplurimis capillati. *Locus.* Prouenit vbique in hortis, adeóque Porrum refert, vt quibusdam non solùm veri Porri vicem expleat, sed opinionem faciat. Crudi folia acetariis gustum gratissimum addunt. *Cap.243.* Hanc plantam Fuchsius Porrum sectiuum facit. Matthiolus pro Cepa Ascalonia Theophrasti depinxit, vt diximus, Lobellio & aliis testibus. Pena negat veterum Ascalonitidem, seu Palæstinam Cepam esse.

ALLIVM

ALLIVM. *CAP. XI.*

CEPACEI etiam generis eſt, quod σκόροδον Græci, Latini Allium vocant, Arabes *Chaum, Chairin* & *Thum*, Itali *Aglio*, Germani *Knobloch* vel *Knoblouch*, Hiſpani *Ayos*, Galli *Ail* & *Aux*. Scorodō Ariſtophanis enarrator in Pluto dici tradit, quaſi σχιδὸν ῥόδον, id eſt, rudem & iniuriam roſam, quòd aſperè ſuprà modum redoleat, & olfacientium nares offendat. Latinos Allium dixiſſe putat Ruellius à Græco ἄλλεσθαι, quòd exiliendo creſcat. Allij varietates hæ ſunt Theophraſto. τὸ δὲ σκόροδον φυτεύεται μὲν μικρὸν πρὸ τροπῶν, ἢ μετὰ τροπάς, διαιρούμενον κατὰ γένη (legendum κατὰ γέλγεις.) διαφορὰ δέ ἐστιν αὐτῶν, ἥ τε τῶν ὀψίμων πρὸς τὰ πρώϊα: γένος γάρ τι τυγχάνει τοιοῦτον. ὅθεν (repone, ὅ, τε ἐν) ἑξήκοντα ἡμέραις τελειοῦται, καὶ μεγέθει καὶ μικρότητι. ἐν τῷ μεγέθει γένος τι διαφέρον ἐστὶ μάλιστα τὸ κύπριον καλούμενον τοιοῦτον, ὅπερ οὐχ ἕψουσιν, ἀλλὰ πρὸς τοὺς μυττωτοὺς χρῶνται: καὶ ἐν τῇ τρίψει θαυμαστὸν ποιεῖ τὸν ὄγκον ἐκπνευματούμενον, καὶ ἔτι τῷ μὴ ἔχειν ἔνια τὰς γέλγεις. ἡ δ' ἡ γλυκύτης, ἐν ἡ εὐωδία, καὶ ἡ ἁδρότης σχεδὸν παρὰ τὰς ὥρας (legendum χώρας) γίνεται, καὶ τὰς θεραπείας, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων. Id eſt, Allium ſeritur paulò antè ſolſtitia, aut poſt ſolſtitia in ſpicas diuiſum. Differunt Allia, quòd alterum ſit ſerotinum, alterum præcox: eſt enim genus quoddam, quod ſexaginta diebus perficitur. Differunt & magnitudine & paruitate. Magnitudine excellit maximè quod Cyprium vocatur: quod non decoquunt, ſed ad intrita, quæ Myttota appellantur, vtuntur, & cùm teritur in molem admirandam flatu intumeſcit. Præterea quædam ex ſpicis non coagmentantur. Dulcedinis autem, odoris, & craſſitudinis Alliorum, quēadmodùm & cæterorum ſatorum, cauſa ſunt natura loci & cultus. Ex quibus hæc ſumpſit Plinius. Allium ad multa ruris præcipuè medicamenta prodeſſe creditur. Tenuiſſimis, & quæ ſeparantur in vniuerſum, velatur membranis: mox pluribus coagmētatur nucleis, & his ſeparatim veſtitis, aſperi ſaporis: quo plures fuere, hoc aſperius. Tædium huic quoque halitus, vt Cepis, nullum tamen coctis. Generum differentia in tempore. Præcox matureſcit ſexaginta diebus. Tum in magnitudine. Vlpicum quoq; in hoc genere Græci appellauere Allium Cyprium, alij Antiſcorodon, præcipuè Africæ celebratum inter pulmentaria ruris, grandius Allio. Tritum in oleo & aceto mirum quantùm increſcat ſpuma. Ex his intelligimus prægrande Allium Vlpicum Latinis dici, quod Theophraſtus Cyprium vocat, quod Antiſcorodon dici corruptè in Plinij vulgatis exemplaribus legimus, cùm ex Columella Aphroſcorodon legendum videatur, qui Vlpicum, non Cyprium, ſed Punicum Allium appellat. Verba eius hæc ſunt. Vlpicum, quod quidam Allium Punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longè maioris eſt incrementi quàm Allium. Sed hîc dubitare licet, an Aphroſcorodō à ſpuma, quæ Græcis ἀφρος dicitur, qua increſcit, vt Plinius ait, vel, vt Theophraſtus, ἐκπνευματοῦται, an ab Aphrorum gente, cùm Columella Allium Punicum appellet. Id quod Plinius etiā non diffitetur, ſcribens Vlpicum præcipuè Africæ celebratum inter pulmentaria ruris. Iam verò quod Theophraſtus genus quoddam Allij nucleos habere negat, id Dioſcorides in Aegypto naſci tradit, Matthiolus in Hetruria, & multis aliis Italiæ locis, vbi Allium mas appellatur. Dioſcoridi Allij genera ſunt duo. Satiuum ſiue hortenſe, & ſilueſtre, quod Ophioſcorodon, id eſt, Anguinum Allium vocat, & Elaphoſcorodon, id eſt, Ceruinum Allium. Recentiores ſilueſtris duo genera faciunt tenuifolia, aliud latifolium maculoſum ſerpentinum, Ophioſcorodon. Præterea aliud vrſinum etiam latifolium. Allium ſatiuum fronde viret cepitia, ſed minimè caua: caule tereti & inani, in cuius cacumine flores in globum circumaguntur, in quo ſemen emicat. Radicis bulbus tenuibus velatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis, & iis ſeparatim veſtitis, in cuius vertice complures

Nomina

Lib. 1. c. 20.

Lib. 7. hiſt. cap. 3.

Lib. 19. c. 6.


Lib. 11. c. 3.

Li. 2. c. 146.

Forma.

Ruell. lib. 2. cap. 85.

ALLIVM ſatiuum ſilueſtre, Matthioli.



fibræ cirrorum modo criſpātur, tædioſi, vt Cepa, halitus, acris ſaporis: quo enim ſpicæ plures vna coierint, hoc acriùs ſentitur. Silueſtre foliis conſtat paucis, prælongis, teretibus, intus concauis, iunceam ſpeciem repręſentantibus: caule procero, læui, purpureos flores oſtentante, cacumine tum colore, tum forma conſpicuo. Radix bulbus eſt puſillus, oblongus, non ex nucleis conſtans, ſed vnico læuíque capitulo, nonnullis interdum adnatis minoribus ſeſe propagante. Eſt alterum hoc minus, cæterùm foliis, caule, ſemine, radice ſuperiori ſimile, in pratis frequētiùs proueniens. Allium vrſinum, odore magis quàm habitu Allium referens, folia profert ſæpius duo, grandia, fermè Lilij conuallium, virētia, flaccida, læuia: caulem vnum aut alterum, tenellum, in quo flores multi, candidi, ſtellati. Bulbus aliquot nucleis paruis, oblongis, ſparſis, candicans, odorem Allij tædioſum ſpirat, guſtantíque ſaporem acrem non ingratum præbet.


Pena in Aduerſ. Ortu & habitu non ita huic diſsimile eſt Ophioſcorodon verè dictum, à caule foliiſque Serpētariæ modo maculoſis, quæ tamen foliorum Allij vrſini ſpeciem proximè referunt & redolent, radicis ceruice longiore, rimoſa cute obſita.

Locus. Allium hortenſe paſſim in hortis ſatum prouenit. Silueſtre ſponte in aruis & cāpeſtribus, inuiſum alicubi colonis, quia ſegeti innatum prauū odorē & ſaporem ei cōmunicat, quo deinceps tum farina, tum panes imbuuntur.

ALLIVM Vrſinum latifolium, Fuſchſij & Dodon.



ALLIVM Vrſinum, Matthioli.



Vrſinum

ALLIVM anguinum, Matthioli.




Vrſinum in editis montibus & vmbroſis, vel vdis pratenſibus. Anguinum maculoſum etiam in montibus. Hortenſe & ſilueſtre æſtate florent. Vrſinum Vere, Aprili & Maio menſibus. *Tempus.* Vis Allio eſt acris ex Dioſcoride, calfacit, flatus excernit (Legendum enim non ἐκκριτικὴν, φυσ-σώδη, id eſt, vim excernendi, flatuoſum, ſicut in publicis codicibus habetur, ſed ἐκκριτικὴν φυσ-σῶν) aluum turbat, ſtomachum exſiccat. Sitim efficit, flatus alterat aut concoquit (Ruellius interpretatus eſt, flatum permouet, cùm Græcè legatur, ἐμπνευματώσεως ἀλλοιωτικὴν, id eſt, flatuum alteratricem, aut concoctricem vim habet.) Summam corporis cutem exulcerat. Eſu latos ventris lumbricos expellit. Vrinas ducit. Contra viperarum morſus & hæmorrhoidum prodeſt, ita vt non aliud magis (Græca habent, ἐχιοδήκτοις τε, καὶ αἱμοῤῥοῦσιν ἁρμόζει, &c. Sunt enim αἱμοῤῥοῦντες q. per vniuerſum corpus ſanguinem fundunt, ab Hæmorrhoi, ſiue Hæmorrhoidis ſerpentis morſu) ſi vinum iugiter ſumatur, aut in eodem tritum bibatur. Contra rabioſorum morſus vtiliter illinitur. Contra aquarum mutationes confert. Aſperas arterias clarificat. Veterem tuſſim crudum & coctum eſu lenit. Cum origani decocto potum pediculos & lendes enecat. Vſtum & cum melle ſubactum illitúmque hypopia & alopecias ſanat. Exanthemata cum nardino vnguento, ſale & oleo curat. Alphos, impetigines, lentigines, achoras, lepras, furfuréſque eximit. Cum teda & thure decoctum, ſi in ore contineatur, dentium dolorem leuat. Contra muris aranei morſus cum ficulneis foliis & cumino illinitur. Comæ decoctum in inſeſsionibus menſes & ſecundas trahit. Eiuſdem gratia ſuffitur. factum ex eo & nigra oliua intritum, quod Græci μυττωτὸν vocant, vrinam cit, & aperiendi vim habet. Vtile etiam hydropicis. Hic Myttoti vox aliquoties ab Hippocrate vſurpatur, vt in libro de viſu, de medicamento quodam oculari ſcribens. καὶ ὀλίγον ἀναζέσειν, ἕως ἂν πάχον γένηται ὡς μυττωτός. Cuius vocis Galenus meminit in Gloſsis Hippocraticis, Dioſcoridem citans. μυττωτὸν ὑπόζιμμα διοσκορίδης εἶναί φησι σκορόδου ἢ κρομμύου. Quæ de hoc Dioſcoridis loco intelligi poſſunt. Eadem voce vſus eſt Theophraſtus loco ſuprà à nobis citato. Allij vires pluribus exponit Plinius his verbis. Allio magna vis, magnæ vtilitates contra aquarum mutationes. Serpentes abigit, & ſcorpiones odore: atque, vt aliqui tradidere, & beſtiarum omnium ictibus medetur potu, vel cibo, vel illitu: priuatim contra hæmorrhoidas prodeſt cum vino redditum vomitu. Ac ne contra araneorum murium venenatum morſum valere miremur, aconitum, quod alio nomine pardalianches vocatur, debellat: item hyoſcyamum: canum morſus, in quæ vulnera cum melle imponitur. Ad ſerpentium quidem ictus potum cum reſtibus ſuis (Alij cum veſtibus, id eſt, membranoſis corticibus) efficaciſsimè ex oleo illinitur: attritíſque corporum partibus, vel ſi in veſicas intumuerint. Quin & ſuffitu eo ſecundas partus euocari exiſtimauit Hippocrates: cinere eorum cum oleo capitis vlcera manantia ſanitati reſtituens. Suſpirioſis coctum, aliqui crudum id dedêre. Diocles hydropicis cum centaurio, aut in fico duplici ad euacuandam aluum: quod efficaciùs præſtat viride cum coriandro in mero potum. Suſpirioſis aliqui &

Margin notes: *Tempus.* L1.2.c.146. *Vires & Temper.* Lib.20.c.6. Libro de morb. mulier.


& tritum in lacte dederunt. Praxagoras & contra morbum regium vino miscuit:
& contra ileum in oleo & pulte, sic illinens strumis quoque. Antiqui & insanien-
tibus dabant crudum. Diocles phreneticis elixum. Contra anginas tritum impo-
ni, & gargarizare prodest. Dentium dolorem tribus capitibus in aceto tritis im-
minuit, vel si decocta aqua colluantur, addatúrque ipsum in caua dentium. Auri-
bus etiam instillatur succus cum adipe anserino: phthiriases & prurigines po-
tum, tusum item cum aceto & nitro compescit: destillationes cum lacte coctum,
vel tritum, permistúmve caseo molli: quo genere & raucitatem extenuat: vel
phthisim in fabæ sorbitione. In totum autem coctum vtilius est crudo, elixúmque
tosto: sic & voci confert. Tineas & reliqua animalia interaneorum pellit, in ace-
to mulso coctum. Tenesmo in pulte medetur. Temporum doloribus illitum eli-
xum, & pustulis coctum cum melle, deinde tritum. Tussi cum adipe vetusto deco-
ctum, vel cum lacte. Aut si sanguis etiam excreetur, vel purulenta, sub pruna coctũ,
& cum mellis pari modo sumptum. Conuulsis, ruptis, cum sale & oleo. Nam cum
adipe tumores suspectos sanat. Extrahit fistulis vitia cum sulphure & resina, etiam
arundines cum pice. Lepras, lichenas, lentigines exulcerat, sanátque cum origano,
vel cinis eius ex oleo & garo illitus. Sic & sacros ignes. Sugillata ac liuentia ad
colorem reducit, contusum ex melle. Credunt & comitialem morbum sanare, si
quis eo in cibo vtatur ac potione. Quartanas quoq; excutere potum caput vnum
cum Laserpitij obolo in vino austero. Tussim & alio modo ac pectorũ suppura-
tiones quantaslibet sanat, fractæ incoctum fabæ, atque ita in cibo sumptum, do-
nec sanitatem restituat: facit & somnos, atque in totum rubicundiora corpora. Ve-
nerem quoq; stimulat cum coriandro viridi tritum, potúmque è mero. Vitia eius
sunt, quòd oculos hebetat, inflationes facit, stomachum lędit copiosius sumptum,
sitim gignit. Cæterò contra pituitam, & gallinis & gallinaceis prodest mixtum
farre in cibo. Iumenta vrinam reddere, atque non torqueri tradunt, si trito natura
tangatur. Hæc Plinius. Qui cùm Allium cõtra hæmorrhoidas prodesse dicit, per
hæmorrhoidas non sedis affectionẽ intelligit, sed genus serpentis, cuius mas Hæ-
Lib.13. c.23. morrhus, fœmina Hæmorrhois vocatur auctore Aëtio, ex cuius morsu sanguinẽ
Lib.8. sim. per totum corpus ferri contigit: vnde ei nomen positum. Galenus scribit Allium
calfacere & exsiccare quarto excessu. Agreste domestico valentius esse, ceu reli-
Li.2. Alim. qua agrestia. Alibi Allium mandi nõ vt obsonium, sed vt salubre medicamentum,
quòd digerendi & obstructiones aperiendi facultatem habet. Quod si elixum pa-
rùm fuerit, adeò vt acrimoniam deponat, vires quidem habere debiliores, succi
Lib.12. Metho. autem prauitatem non ampliùs retinere. Et alio in loco, Allium, inquit, ex eorum
ciborum est genere, qui & flatum discutiunt, & minimè sitim inferunt. Sunt qui
parùm id experti existimẽt maiorem quàm Cepam sitim excitare, sed planè erro-
re: cùm non modò maiorem quàm Cepa, sed nec omnino sitim faciat. Idem om-
nium planè eduliorum maximè flatum discutit. Itaque ipse certè agrestium the-
riacen id appello. Ex his perspicuum est Dioscoridem à Galeno scribentem vim
habere δίψους ποιητικὴν, id est, sitim efficientẽ, reprehẽdi. Symeon Sethi tradit pro-
prietate quadam sitim à salso humore factam sedare, & non solùm flatus discute-
re, sed horum generationem prohibere: colicos affectus à flatibus ortos, & diu-
turnos coxendicum, qui à pituita proueniunt, dolores iuuare. Porro & Allio hîc
σκοροδόπρασον subdemus, Latinis Alliporrum, Gallis *Ailporreau*, quòd non solùm
Li.2. c.147. effigiei, sed qualitatum Allij & Porri, vt Dioscorides ait, sit particeps. Magnitudi-
ne Porrum æquat: foliis est Porraceis, quæ digitis trita Allium & Porrum resipiũt.
In multis Italiæ locis sua sponte nasci Matthiolus affirmat, vnde translatum in
hortis & viridariis virescit. Aliud Scorodoprason pinxit Lobellius, folio Porri
latiore, caule quaternûm & quinûm cubitorum è bulbo crassiore, nucleis quinis &

& senis ex squamatis cuticulis coacto, odoris ingrati, Allij, vegetioris. Item aliud, crassioribus & longioribus nucleis: bulbus eius stipatur membraneis inuolucris ex atro flauentibus: flos & folia Allij exiliora: odor & sapor Scorodoprasi. Magis spirare Allium ait Pena, sed propiùs exprimere Porrum, quod in cliuosis vinetis,

SCORODOPRASVM, *Matthioli.*



SCORODOPRASON *alterum duplex, Lobellij.*



& incultis ericetis Ligurum, Niceæq; in Sabaudia sponte prouenit. Quare fallitur Marcellus Vergilius, qui, quòd Plinius huius plantæ non meminerit, nec alij rei rusticæ scriptores, monstrum aliquod Naturæ credit id fuisse, coactis humano opere coalescere simul non dissimilibus penitus oleribus duobus: qualia in re rustica aliquando excogitata in maiore ocio ab aliquibus fuere. Scorodoprason, vt scribit Dioscorides, promiscuas sibi vires ex Allio & Porro vendicauit, effectus Allij & Porri præbens, sed inefficacius. Coctũ Porri modo dulcescit, & in olerum vicem transit. Idem Galenus tradit, Scorodoprason sicut gustu & odore mediam Allij & Porri qualitatẽ possidet, ita & viribus.

Li.2.c.147.

Lib.8. sim.

ORCHIS. CAP. XII.

CVM Bulbis, Hyacinthis, Cepaceis, atque aliis similibus Testiculos & Satyria recensere conuenit. In quibus qui ὄρχις, & κυνὸς ὄρχις Græcis, Latinis similiter Orchis & Cynosorchis dicitur, Officinis Testiculus canis, Arabibus *Chasi alkes*, seu *Chasi alchels*, Italis *Testicolo di cane*, Germanis *Knabenkraut*, Hispanis *Coyon de perro*, Gallis *Couillon de chien & du Satyrion*, Officinarum nomẽ retinentes. Nam Officinæ Orchies Satyria nominant, & eorum bulbis legitimi Satyrij vice vtuntur. Præbuisse occasionem videtur Apuleius, qui nullam inter Satyria & Orchies differentiam facit, sed vtrumque Satyrium cum vtroque Orchi canis videlicet dicto, & Serapiade confundit. Græcis, inquit, dicitur Satyriũ, aliis Cynosorchis, aliis Eutaticos, Panion, Serapion, aliis Orchis, Galli Vram, Itali Priapiscon, alij Orminalem, alij Testiculum leporinum nominant.

Nomina

Orchis

Orchis dicta est herba, quòd radices sibi inuicem haud secùs atque duo testiculi cohæreant. Cynosorchis verò quòd canum testiculis similem radicem habeat.
Genera. Orcheos duo esse genera dixerunt Dioscorides, Galenus, Plinius, Orchin siue Cynosorchin, & Orchin Serapiada. Multò plures sunt recentioribus differentiæ, omnes à radicis effigie sic nominatæ. Fuchsius Orcheos duo genera facit, marem & fœminam. Marem item duorum generum, vnum latifolium, alterum angustifolium: fœminam itidem duorum generum, vnam maiorem, alteram minorem.
In c.124. & 125. lib. 3. Matthiolus quinque Orcheos species depinxit, foliis & floribus differentes, quibus addidit Palmæ Christi species duas, de quib⁹ capite De Satyrio dicemus.
Lib. 2. hist. cap. 46. Dodonæus Orcheis quatuor generibus distinxit. Primi generis, Orcheos videlicet, siue Cynosorcheos quinque species constituit, duas priores maris, tres reliquas fœminæ nomine designans. Secundam Tragorchin, id est, Hirci testiculum. Tertiam speciem duplicem etiam, marem scilicet & fœminam. Quartam quoque duplicem, hanc maiorem, illam minorem.
De flor. cap. 61. Alio in libro Orcheis quinque generibus comprehendit. Primum Cynosorchin vocat, cuius species quinque, secundum Testiculum morionis, tertium Tragorchin, quartum Orchin Serapiada, quintũ Testiculum odoratum, siue Testiculum pumilum.
Lib. 3. c. 124. Orchis siue Cynosorchis, vt describit Dioscorides, folia habet circa caulem, & ima eius parte per terram strata,
Forma. Oleæ molli similia, angustiora tamen, læuia & longiora: caulem dodrantali altitudine, in quo flores purpurei: radicem bulbosam, oblongam, duplicem, oliuæ modò angustam, superiorem alteram, inferiorem alteram: & hanc quidem mollem ac rugosam, illam verò plenã.
Lib. 27. c. 8. Plinius Cynosorchin, aliqui Orchin vocant, foliis Oleæ, mollibus, ternis, per semipedem longitudinis in terra stratis: radice bulbosa, oblonga, duplici ordine, superiore quæ durior est, & inferiore quæ mollior.
De flo. c. 61 Hanc Orcheos delineationem Dodonęus primo, vel secundo, vel vtrique Cynosorchi conuenire censet, & falsò legi apud Dioscoridem folia ἐλαίᾳ μαλακῇ ὅμοια, pro σκίλλῃ μαλακῇ, vt Scilla intelligatur Epimenidia, foliis minùs asperis & angustioribus, quam hîc Dioscorides mollem appellat.
Lib. 9. hist. cap. 19. Hanc lectionem confirmat Theophrasti auctoritate, qui de Orchi scribens ait, ἔχει δὲ φύλλον σκιλλῶδες, id est, folium Scillæ habet. Qua de re paulò pòst dicturi sumus. At priorem in Dioscoride lectionem agnouit Plinius loco iam citato, Orchi Oleæ mollia folia assignãs, & Theophrastus, vt ex eodem Plinio colligere licet, non de Cynosorchi, sed de Orchi Serapiade hîc verba facere videtur.
1. Cynoso. Cynosorcheos prima species, auctore Dodonæo, folia fert lata,
Lib. 2. hist. cap. 46. & De flor. cap. 61. pinguia, Lilij foliis, propemodùm similia: caulem pedalem ait altiorem, angulosum, & in eo flores copiosos, spicatim digestos, colore rubentis dilutæ purpuræ, cucullo aut galeæ patenti similes, ex quibus parte inferiore laciniosum quiddã, canis aut alterius animalis quadrupedis exuuio simile dependet, dilutè & ipsum purpurascens, punctulis magis purpureis respersum. Pro radicibus præter fibras suprà adhærentes gemini sunt bulbi veluti testiculi, forma aliquantùm oblongi,
Dod. ibid. quorum vnus plenior ac vegetior, alter rugosior. Secunda species foliis similiter læuibus, oblongis & latis est, sed quàm antecedentis minoribus & angustioribus, quinque aut sex, nonnullis caulẽ amplectentibus qui dodrantalis est, spica densa, breui,

ORCHIS 1. species Dodo. 5. Matth.



ORCHIS II. species Dod. & Matthioli.



breuĩ, in qua flores multi, colore ex cãdido purpurascentes, multis purpureis punctis, & interiore parte obscurioribus, copiosis, exiguis lineis ornati, forma galeam aut hiantem cucullũ referentes, dependente ex singulis veluti animalculi quadrupedis, aut homunculi extensis brachiis, & diuaricatis cruribus absque capite corpusculo: radices duæ subsunt globosæ, nuclei nucis myristicæ magnitudine, adhærẽtibus ad annexũ fibris aliquot crassis. Tertia Cynosorchis species folia edit angusta, striata, Plantaginis angustifoliæ foliis quodammodo similia: caulem dodrantalem: flores in breui densáque spica copiosos, colore foris puniceo, & obscuriorem purpuram referente, intus verò albicante, eiusdem cum superioribus formæ, sed tamẽ minores, dependente quoque ex ipsis rudi ac informi exiguo veluti quadrupedis animantis rudimẽto. Radices subsunt aliorum Orcheon similes. Exhibuit Matthiolus eam, quæ hîc expressa est, Testiculi speciem tertiam sine vlla delineatione. Illi & alius floribus per omnia similis, foliis tamen latioribus, & secundum referẽtibus. Iam & quinta quædam species reperitur, foliis vti secundus canis testiculus, caule pedali, spica longa, floribus colore herbaceo subuirentibus, ex quibus quod laciniæ simile dependet, oblongum est, & quasi quadrangulum. Hæ sunt primi generis Cynosorchios species. Secundum Orcheωs genus, Testiculus morionis à Do-

Dod. ibid.

Dod. ibid.

Dod. ibid.

Orcheωs genus.2. De flor. cap.61.

ORCHIS III. Dodonæi.



TESTICVLI III. species, Matth.



ORCHIS IIII. & V. Dodonæi. I. Matth.



donæo dicitur, ísque duplex, mas & fœmina. Mari folia sunt quinque aut sex, lata, læuia, Lilij foliis similia quidem, sed minora, superiùs maculis aliquot subnigricantibus signata: quorũ vnum atque etiam alterum caulem amplectitur, qui dodrantalis est: flores in spica purpurei, circa vmbilicum albidiores, odorati & aspectu grati posterius corniculum habẽt propendens, simile ferè corniculo Regij floris, anterius verò cucullum auriculatũ & cristatum morionis referunt. Nam cuculli quidem & patentis galeę modo flosculus hiat, & angusta folia quæ à lateribꝰ surgunt, auriculas, quod verò è medio attollitur cristam refert. Radices gemini sunt globuli, nucleo nucis myristicę similes, supra quos fibræ exeunt. In historia stirpium Orchios secundum genus facit Dodonæus, Matthiolus Testiculum quartum. Fœmina folia habet similiter læuia, sed angustiora, & aliquantùm venosa siue striata, Plãtaginis angustifoliæ quodammodo similia: flores hiantes quoque & veluti patentes cucullos, à tergo dependente è singulis corniculo, sed foliolis quæ cristæ auricularũ modo adnascuntur, non erectis, sed ipsi floris cucullo ita incumbentibus, vt non facilè obseruentur: gemini & huię testiculis similes globuli exeunt, & supra annexum aliquot fibræ. Et vni quidem huius generis flores purpurei, violæ ferè nigræ colore, in medio candidiores, punctis aliquot variegati, pluréſque in dẽsiori spica,

TESTICVLVS Morionis mas, Dodonæi.



TESTICVLVS Morionis fœmina, Dodon.



caulisque

caulísque quàm reliquorum longior. Alteri flores dilutè rubent, cauliculus breuior est,& folia aliquatenus minora. Tertij flores purpuram referunt exquisitè rubentem,& vermiculum colorem: densa huic breuísque spica: flores minores: folia nonnihil striata, pleraque erecta,& caulem circumamplectentia. Sunt verò & huius generis minores Testiculi, quibus cauliculus breuis est: folia paruula, quina aut sena, vno aut altero circum cauliculum erecto: flores in spira breui, rari, colore nunc in cæruleo purpureo diluti, nunc candidi, quandoque rubentes, sed coloris obsoleti & odoris ingrati. Tertium Orcheωs genus Tragorchis nominatur, id est, Hirci testiculus, ab aliis Testiculus leporis: tamẽ ab odore, quo hircũ, cùm in flore est, refert, Hirci testiculus potiùs appellandus: folia similiter læuia, lata, & longa fert, Liliaceis proxima, maiora quã aliorum Orcheωn: caulem cubitalem, sæpe foliis nonnullis inferiùs implicitum: flores secundum caulem in longa veluti spira multos, fœtidos & hircum olentes, quorum forma patenti quoque galeæ similis est, ex quibus tamen non exuuio simile quid, sed longa, aliquantulùm retorta veluti lacertę cum medio corpusculo cauda propendet, coloris eius cuius est caulis, purpureis aliquot punctulis circa annexum insignita: semen in valuulis oblongis & striatis gignitur perexiguum: testiculi subsunt grandes, fibræ aliquot suprà adhærent. Eius iconem infrà posuimus.

ORCHIS Saurodes vel Scincophora Gemmæ: Testiculus Hircinus vulgaris.



Quartum Orcheωs genus Serapias ab antiquis cognominatur auctore Dioscoride, quoniam radix ad multa vtilis sit. Lib.3.c.115. Sunt qui à Serapi Alexãdrinorum Deo sic nominatum velint, inquit Cap.210. hist. Fuchsius, propter lasciuiam impudentẽ, qua is Lib. Geo. 17. Deus Canopi, vbi templum & cultu & religione excellens habebat, colebatur, vt videre est Lib.6.& 7. apud Strabonem. Paulo Triorchis dicitur non alia de causa, quàm quòd tribus testiculatis radicibus in terra nititur, quas etiam Fuchsius vtrique Serapiadi appinxit. Plinius tamen & Theophrastus non nisi geminos bulbos Serapiadi tribuerunt, neque plures duobus in his vel aliis testiculis se obseruasse Dodonæus affirmat. Huius Serapiadis duo genera depinxit Fuchsius, marem & fœminam. Dodonæus tria. Vnius flos De flor. cap.61. papilionem, alterius fucum, tertij muscam refert. Orchis Serapias, vt describit Cap.210. Dioscorides, folia Porro similia habet, oblonga, latiora & pinguia, in alarum cauis inflexa: cauliculos dodrantales, subpurpureos flores: radix subest testiculis si- Lib.3.c.125. milis. De quo hæc scripsisse videtur Theophrastus. καθάπερ ἐπὶ τῆς ὄρχεως καλουμένου. δυοῖν γὰρ ὄντοιν, τοῦ μὲν μεγάλου, τοῦ δὲ μικροῦ, τὸν μὲν μέγαν ἐνεργότερον ποιεῖ πρὸς Lib.9. hist. cap.19. τὰς ὁμιλίας, ἐν γάλακτι διδόμενον αἰγὸς ὀρειονόμου, τὸν δὲ ἐλάττω σίνεσθαι καὶ κωλύειν. ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον σιλφῶδες, μειότερον δὲ καὶ ἔλαττον. τὸν δὲ καυλὸν ὁμοιότατον ἀπίῳ ἀπύρῳ, ἤτοι ἀκάνθῃ. Quæ sic vertit Gaza. Sicut qui testiculus appellatur. Cùm enim gemini sint, alter magnus, alter autem paruus, magnum efficacem ad coitum, datum è lacte caprino tradunt, minorem verò obesse, ac inhibere. Habet folium Laseris, verùm læuius atque minus: caulem simillimum spinæ, quam Pirum vocant. Sed hunc locum mendosum esse testatur Plinius, vt rectè Hermolaus annotauit. Non In corall. cap.143. enim Silphij seu Laseris folium habet Serapias, vt Gaza conuertit, σιλφῶδες pro lib.

σκιλλῶδες legens. Etenim Silphio folium est Apij, nō scillaceum aut porraceum, vt Serapiadi. Deinde spinosus huic herbæ caulis, & Apio, id est, Raphano siluestri, Lib.26.c.10 inquit Hermolaus, nō, vt Theodorus, Piro similis. Plinius Theophrastū sic interpretatus est. Sed inter pauca mirabilis est Orchis herba siue Serapias, foliis Porri: caule palmeo: flore purpureo: gemina radice, testiculis simili, ita vt maior, siue, vt aliqui dicunt, durior ex aqua pota excitet libidinem, rarior siue mollior è lacte caprino inhibeat. Quidam folio Scillæ esse dicūt, læuiori ac minori: caule spinoso. Quare legendum, φύλλον σκιλλῶδες, λειότερον δὲ καὶ ἔλαττον. τὸν δὲ καυλὸν ἀκανθώδη, ὁμοιότατον ἀπίῳ. Potest & sic legi, σκιλλῶδες, λειότερον δὲ καὶ ἔλαττον, καυλὸν ἀκανθώδη, ὄρχιν δὲ ὁμοιότατον ἀπίῳ, id est, Piro. Testiculum Serapiada primum his verbis de-De flor. cap. 61. scribit Dodonæus: folia fert duo aut tria, læuia, latiuscula, at Lilij foliis multò mi-

ORCHIS Serapias primus, Dodonæi.



TRIORCHIS Serapias mas, Fuchsij.



nora: caulem dodrantalem, aut altiorem: flores in eo raros, candidos, papilionibus expansis alis quodammodo similes, è foliolis scilicet tribus, vno superiore, duobus lateralibus alas referētibus, & longiori, tenui velut papilionis corpore, cauda propendente, melleum & dulcem liquorem continente commissi: qui contorto aliquantulùm pediculo cauli adhærent. Globuli subsunt gemini, candidi & rotundi, & supra eorum annexum fibræ aliquot pro radicibus. Secundum Serapiadis genus quinis senísve constat foliis, venosis, aliquantulùm latis, Plantaginis angustifoliæ quadantenus similibus, sed minoribus, quibusdam terram versus reflexis, aliis circum caulem, qui palmaris aut dodrantalis est: floribus in summo quinque aut sex, ex aliquot foliolis compositis, quorum inferius forma, & colore subnigro sordido fucum proximè referre videtur: testiculi subsunt vt aliis gemini. Reperiuntur huius species duæ: vnius flos foliola maiora, candidiora, & aliquantulùm purpurascentia habet: alterius omnino minora & subuirentia. Huius caulis breuior, illius altior. Est Triorchis fœmina Fuchsio. Tertius Orchis Serapias foliis est minoribus & paucioribus: cauléque breuiori ac tenuiori quàm secundus, cui alioqui satis similis est: flores huic tres aut quatuor, ex tribus exiguis superioribus foliolis,

ORCHIS Serapias secundus, Dodo. Matth. Testiculus II.



TRIORCHIS Serapias tertius, Dodonæi.



TESTICVLVS odoratus, Dodonæi.



liolis, & quarto inferiore oblongiore, colore in purpura tristi subnigro, nonnihil variegato, forma muscæ cuiusdã corpori similes. Testiculi veluti geminæ paruæ pilulæ sunt. Secundum ex his Serapiada præsertim maiorem Dodonæus cum Dioscoridis delineatione conuenire ait: folium enim ei Marrubij folio longius latiúsque & læue est, quod reflectitur: caulis dodrantalis: florum superiora foliola dilutè in candore rubentem purpuram referunt: testiculi exigui sunt. Vbi Dodonæus ἐοικότα πρασίῳ, id est, Marrubio, pro πράσῳ, id est, Porro legit, Pliniumq́;, qui folia Porri ei tribuit, interpretibus omnibus errandi occasionem dedisse ait. Lib. de flo. cap. 61.

Quintũ Orchios genus Testiculus odoratus, siue pumilio nũcupatus, omnium foliis minimus est: etenim ei foliola sunt omnino paruula, eáque venosa, & Plantagini aliquatenus similia, sed minutis ac paruulis eius foliis minora, virentia: caulis tenuis est, palmi altitudine, circa quem flosculi paruuli, candidi, suauiter odorati, ordine digesti, ac spiræ modo caulem ambientes: bulbi subsunt gemini, parui, oblongi. His addo Testiculum vulpis vulgò vocatum, seu Testiculum sacerdotis, Germanis *Stendeluurtz*, quem Fuchsius Satyrij trifolij nomine descripsit & depinxit. Tria duntaxat ferè semper folia profert Lilij albi foliis similia, minora tamen & rubicundiora, caulem pedalem, in quo flores venusti, radicis cauæ floribus haud dissimiles, modò niuei candoris, modò saturè purpurei: radices sunt veluti nuces duæ exiguæ, vel oliuæ cohærentes, foris rubescentes, intus candidæ, quarum vna plenior & maior, altera minor, spongiosa, flaccida, sapore dulci & grato. Est alius Orchis, rotundus

5. Genus Orchios. Dodon. de flor. ca. 61.

Cap. 269. hist. Dodo. lib. 2. cap. 46.

TESTICVLVS Vulpis,
Dodonæi.



ORCHIS rotundus,
Dalechampij.



à Dalechampio cognominatus, radice gemina, testiculis simili, carnosa, supernè fibrata : caule vnico, cubitali, rotundo: foliis ad summum tribus vel quatuor, latis, venosis, pallidis, arundinis instarè caulis amplexu sese explicantibus : flore puniceo in capitulis globosis, & aliquantulùm compressis, non aliorum generum modo in thyrso longo & spicato emicante, capituli vertici velut de industria affixo. Præterea obseruauit Dalechampius in editis montibus Orcheos genus humile, rarum flore luteo, tribus aut quatuor foliolis constans, cætera vulgò cognitis simile. Prope oppidum Monspelio vicinum, Veganiũ nominatum, id genus nascitur. Orcheon genera aliter distinxit Lobellius ex Cornelio Gemma, & multò plura spectanda nobis proposuit, vt tum huic, tum illi multarum id genus plantarum cognitionem acceptam referre debeamus. Sunt omnes ordine, qui sequitur, expressi. Cynosorchis mas angusti-
I. sæ. Cynosorchis Morio, Orchis Delphi-
folia Fuchsij, Satyrium Apulei, Orchis Mo-
nia palustris Corn. Gemmæ, Testiculus Mo-
II. rionis mas Dodonæi. Cynosorchis maioris spe-
III. cies secunda, Cynosorchis altera Dodo. Cyno-
IIII. orchis Morio fœmina Dodonæi, Orchis Del-
V. phinia mõtana Corn. Gemmæ. Testiculus hir-
cinus. Testiculus vulpinus primus, Orchis Sera-
VI. pias primus Dodonæi. Testiculus vulpinus secũ-
dus, Orchis Serapias secũdus Dodonæi. Hi Te-
sticuli

CYNOSORCHIS maior Lob.
Serapias Dioscor.
Gemmæ.



ſticuli ſuprà deſcripti ſunt, & depicti. Cynoſorchis Lobel.maior.Serapias Dioſc. VII.
Cornel.Gemmæ, ſiue Baſilica, Syderites vel Erythræa, floris omnino purpurei, & aliarum omnium facilè princeps. Cynoſorchis altera maior Lobellij, Serapias Dioſcoridis ſecunda. Corn.Gemmæ, ſiue Orchis Baſilica altera Syderites flore candidiore, thyrſoq; magis compreſſo, & foliis latioribus vſq; ad verticem inflexis, circa caulem argenteis. In Serapiadum genere principes, ſiue Baſilicas appellauit Corn.Gēma, ob regalis ſceptri diadematis ac trabeæ ſimilitudinem. Maior tum prima, tum ſecunda foliis conſtant perfectè virentibus inſtar Porri, oblongis, pinguibus, paulò latioribus, interdum leuiter inflexis: teſticuli perfectè rotundi: cauliculus dodrantalis, ſæpe procerior: flos venuſtiſsimus, valde purpureus, interdum leuiter ſubpurpuraſcens, diſpoſitis ferè in vmbellæ dilateſcentis ſpeciem, nulla odoris gratia. Altera flore minùs purpureo, magíſque in aciem explicato. Floret vtraque à principio Iunij menſis, ſæpe vſque in medium Iulij, conſtante ſpecie & venuſtate mirabili. Erumpunt folia circa ſolſtitium Hyemale. Gaudet vmbroſis & aſperis, muſcoſo ſolo, & maximè graminetis. VIII.
Vulgaris Teſticulus hircinus, ſeu Tragorchis, IX.

SERAPIAS Dioſcor.2.Gemmæ Orchis Baſilica altera, Cynoſorchis altera maior, Lob.



TRAGORCHIS minor, & verior, Gemmæ.



ORCHIS Melittias, Gemmæ.



X. & Leporis teſticulus noſtrâs, quem iam deſcripſimus, Orchis ſaurodes vel Scin-
cophora, lacertarum æmulatione, Cornel. Gemmæ, ſiue Tragorchis altera. Tra-
XI. gorchis minor & verior Corn. Gemmæ, ſiue Cori oſmites, ſiue Coriophora, flore
XII. inſtar Cimicum. Orchis Melittias, ſiue Apis cadauerulum exprimens, Orchis

ORCHIS Myodes I. Gemmæ.



Myodes prima Cor. Gemmæ, floribus muſcam
exprimens. Hæ duæ poſtremæ videntur refer-
re Orchis Serapiam marem & fœminam Do-
donæi in Hiſtoria ſtirp. Vulpinus Teſticulus,
XIII. ſiue Orchis Myodes lutea Narbonenſis, con-
gener cũ minimo Teſticulo vulpino, floribus
fucum colore & effigie repræſentantibus, Or-
chis Serapias 3. Dodonæi, ſuprà deſcriptus. Or-
chis Sphecodes Gemmæ, Gallicè *Mouſcheguespe*,
XIIII. Belgicè *Uvespen*. Huius ex magnitudine, &
floris intenſo & remiſſo colore varietas gemi-
XV. na conſpicitur. Orchis Myodes altera Corn.
Gemmæ, folio læuiore & flore grandiuſculo.
XVI. Orchis Ornithophora, vel Ornithes, folio læui
Corn. Gemmæ, Teſticulus Vulpinus Lobellij,
papilionis alas expanſas referens. Orchis Or-
nithophora folio maculoſo Corn. Gemmæ, cu-
XVII. ius differentiæ multæ ſunt, ex floribus purpu-
reis, ſubpurpuraſcentibus, albis: foliis prægrandi-
bus, paruis, oualis figuræ, ex acuto in latum de-
ſinentibus, ex acuto in amplum & rotundum.
floret medio Aprilis ferè, & quandoque ſub
XVIII. initium, vel finem menſis Martij. Orchis Stra-

ORCHIS Sphecodes, Gemmæ.



ORCHIS Myodes altera, Gemmæ.



reum

teumatica, vel Stratiotes maior, siue Militaris Cor. Gemmæ, quam meritò Basili- XIX.
cam tertiam liceat appellare. Orchis Strateumatica minor Cor. Gemmæ. Or- XX.
chis Batrachites, vel Batrachoides Gemmæ, Belgarum *Vorskens*, id est, Ranula, à XXI.
floris figura. Orchis Hermaphroditica secunda Cornel. Gemmæ, siue Orchis XXII.

ORCHIS *Ornithophora folio læui, Gemmæ.*



ORCHIS *Ornithophora foliis maculosis, Gemmæ.*



ORCHIS *Strateumatica maior, Basilica 3. Gemmæ.*



ORCHIS *Strateumatica minor, Gemmæ.*



psychoides diphylla. Testiculus odoratus, à nobis suprà depictus & descriptus,
XXIII. Orchis Spiralis Cornel. Gemmæ. Huic adiungitur Tetrorchis, vel Triorchis alba Spiralis, vel Autumnalis Cornel. Gemmæ. Alter Pumilio, inquit, flore candido odorato, rectè Spirale Satyrium vel Autumnale vocetur. Estq; vt plurimum

ORCHIS Batrachoides, Gemmæ.



ORCHIS Hermaphroditica Gemmæ: siue Orchis psycoides diphylla.



TETRORCHIS vel Triorchis alba, Gemmæ.



ORCHIS Frisia litoralis, Gemmæ.



Triorchis, aut Tetrorchis, oblongis bulbis instar oliuæ compressæ, folia rhomboide, impensè virentia, cum fulgore subatro. Flores in spiram aptè dispositi forma diadematis, vt Testiculo odorato. Erumpunt folia mense Septembri, flore iam marcescẽte, ac perseuerant vsque in Maium, inde verò per æstatẽ delitescunt:

TRIORCHIS lutea Gemmæ, Lobell.



TRIORCHIS lutea, flore luteo Gemmæ, Lobell.



erumpit autem cauliculus mense Augusto, florens vsque in Septembrem. Orchis Frisia littoralis Gemmæ, quæ gemina inferiora folia XXIIII.
bifolij, Plantaginis latifoliæ angustiora edit, & in dodrantali cauliculo herbaceo, siue luteo virentes flosculos in horto D. Braucionis. Eadem, aut illi congener est Triorchis lutea altera Corn. Gemmæ, folio rotundiore & latiore quàm Triorchis albæ virẽtiore, trifolia & nonnihil hirsuta. Est eiusdẽ Triorchis lutea tertia, cuius effigies hîc apposita est, sed oblõgioribus radicis oliuaribus bulbis. Sequitur Orchis mi- XXV.
nor Leodiensis Triorchis lutea, flore luteo, siue
Basilica minor Corn. Gẽmæ. Serapias & Trior- XXVI.
chis quorundã. Terna folia angustiora, Quinqueneruiæ Plantaginis æmula edit, læuore & viriditate Auriculæ vrsinæ, vti superior flos itidem in cauliculo exili testiculi odorati pari. Radix ternis & quaternis pusillis, pendulis testiculis subest, quibus diuaricatur & propagatur. Collibus agri Leodiensis gaudet. Dicitur hæc Basilica minor Gemmæ, Pumilio, flore luteo nonnihil herbaceo instar regij diadematis, odore fragrantissimo, cui vis ad excitãdam venerem præ cæteris admiranda: quare Hispani *Amor di donna* meritò appellant: testes parui, rotundi, solidi, cortice rufo obducti. Folia emergunt prius Maio mense, vel circa finem Aprilis: floret mense Iulio vsque in Augustum: valde sese multiplicat sub terris. Gaudet montosis. Duæ, quæ sequuntur, à nobis descriptæ sunt & depictæ capite de Satyrio. Serapias mas læui folio, floribus dilutè purpureis, notulis conspersis, Satyrium Basilicum primum Dodonæi, Palma Christi Herbariorum, & Serapias fœmina pratensis, foliis notulis inspersis, Satyrium Basilicum alterum maius Dodonæi,
& Palma Christi. Serapias candido flore mon- XXVII.
tana maculatis foliis, Cynosorchis montana folio maculoso Corn. Gemmæ in pratis niueo flore crebra visitur: cætera haud absimilio Sa-
tyrio Basilico altero Dodonæi. Serapias mi- XXVIII.
nor rubra nitente flore angustifolia, nullis
inspersis punctulis. Serapias palustris latifolia, XXIX.
Cynosorchis palustris platyphylla, folio læui luteóque, flore albo, subpurpurascente Cornel.

Gemmæ

SERAPIAS candido flore, Lobell.



SERAPIAS minor rubra, Gemmæ.



CYNOSORCHIS paluſtris Platyphylla, Gemmæ.



SERAPIAS paluſtris altera Leptophylla Gemmæ.



XXX. Gemmæ. Præcocior eſt violacea Cynoſorchi. Serapias paluſtris altera Lepto-
phylla. Serapias paluſtris tertia, Cynoſorchis altera Corn. Gemmæ, ſeriùs florens,
XXXII. coma violacea, foliis interdum læuibus, interdum maculoſis. Serapias montana
XXXIII. folio læui, Cynoſorchis montana folio læui Corn. Gemmæ. Cynoſorchis Dra-
XXXI. contias

SERAPIAS *palustris III. Gemmæ.*



SERAPIAS *montana folio leui, Gemmæ.*



CYNOSORCHIS *Dracontias, Gemmæ.*



CYNOSORCHIS *Conopsæa.*



contias foliis & floribus impensè rubris Corn. Gemmæ. Floret circa finem Aprilis, aut initia mensis Maij. Nascitur in humidis & vliginosis, præsertim vbi nigrior terra est. Cynosorchis Macrocaulos, vel Conopsæa, siue Galericulata Cornel. XXXIIII. Gemmæ. Floret circa medium finémque mensis Maij, vsque ad mensis Iunij ferè

medium. Ad duorum cubitorum altitudinem ſæpe pertingit. Flores illi purpurei admodùm elegantes,& odorati vt in Serapiade Baſilica prima,atque ſecunda,niſi quòd color Conopſeæ magis dilutus,& hæc alterius velut fœmella propria videatur. Gaudet pratis,ſed tamen non vſque adeò humidis , vt priores : quin potiùs medio quodam ſolo ac temperato. Satyrium caſtratum,vel eunuchum,ex genere Cynoſorcheos Corn.Gemmæ. Cynoſorchis paluſtris læui folio & anguſto omnium viliſsima Corn. Gemmæ. Cynoſorchis paluſtris altera lophodes vel nephelodes Corn. Gemmæ. Flos illi communis ferè cum cæteris maculoſis. Ob id huic communis appicta eſt defloreſcentis Satyrij forma,vna cum corniculis , quibus ſemen atomum prorſus includitur. Hactenus Lobelius & Cornelius Gemma. Cynoſorchis in petroſis & arenoſis locis prouenit. Quidam locis paluſtribus , ac humectentibus , in ſiluis ac pratis. Tragorchis in pingui & argilloſo ſolo. Teſticulus vulpis & odoratus in editis, incultis, & aridis locis maximè. Orchis rotundus cliuoſis pratis altorum frigidorúmque montium gaudet. Maio & Iunio menſibus omnes florent, dempto odorato,qui Auguſto , aut Septembri menſe flores promit. Cynoſorchis radix editur vt Bulbus cocta,inquit Dioſcorides.Fertur de ea,ſi maiorem edant viri , mares generari, ſi minorem fœminæ,fœminas. Addunt etiam in

XXXV. *SATYRIVM caſtratum, Gemmæ.*

XXXVI.



Locus.

Vires & Temper. Li.3. ca.124.

CYNOSORCHIS leptophylla, Gemmæ.



CYNOSORCHIS paluſtris altera lophodes , Gemmæ.



Theſſalia

Thessalia mulieres mollem cum caprino lacte bibendam dare, vt ad venerea excitent, aridam verò ad inhibenda, ac dissipanda. Alterum etiam alterius potu resolui. Eadem planè Plinius tradidit. Eduntur vt Bulbi cocti in vineis ferè inuenti. Li.27. ca.8. Ex his radicibus si maiorem edant viri, mares generari dicunt, si minorem fœminæ, alterum sexum. In Thessalia molliorem in lacte caprino viri bibunt ad stimulandos coitus, duriorem verò ad inhibendos. Aduersatur alter alteri. Serapiadis radix, auctore Dioscoride, illita tumores discutiendi vim habet, atque vlcera expurgat: herpetas cohibet: fistulas abolet: inflammationes illita mitigat: sicca nomas Li.3. ca.125. compescit, vlceráque putrescentia & maligna oris sanat. Cum vino pota aluum sistit. Feruntur de hac etiam quæcumque de Cynosorche dicta sunt. Plinius quædam horum duntaxat habet. Eius radices, inquit, sanant oris vlcera, thoracis pituitas: aluum sistunt è vino potæ. Cynosorcheos radici bulbosæ, ac geminæ, inquit Li.26. c.10. Galenus, vis inest calida & humida, ac gustantibus duriuscula est. Cæterùm maior radix multam videtur habere excrementitiam humiditatem & flatuosam. Li.8. simpl. Quapropter epota venerem excitat. Altera minor contrà, admodùm elaborata est ad calidius & siccius vergens. Itaque hæc radix tantùm abest, vt ad coitum stimulet, vt etiam contrà planè inhibeat ac reprimat. Orchis Serapias sicciorem facultatem obtinet, quā vt primi ordinis haberi mereatur. Quocirca nec proinde ad venerem accommodus est. Oedemata illitu discutit: sordida vlcera expurgat, herpetas sanat. Siccatus multò ampliùs desiccat: nam & putrescentia vlcera sanat contumaciáque: quippe cùm & subadstringens sit, ac proinde etiam ventrem ex vino potus sistit. Hodie Seplasiarij, inquit Dodonæus, Orcheon bulbos compositionibus ad excitandam venerem sine discrimine admiscent. Præstantiores tamen sunt Tragorcheos bulbi. Ambo autem assumendi non sunt, sed durior, De florib. cap.61. plenior ac succulentior: flaccidior ac rugosior reiiciendus. Est autem plenior non semper qui maior, sed non rarò etiam minor, si videlicet bulbi colligantur priusquàm stirps defloruerit, aut cùm primùm caulis erumpit. Neque enim succulentior alterum magnitudine superat, priusquàm semen maturari cœperit. Nam cùm alternis annis vnus bulbus intumescat, alter verò pereat, fieri non potest vt durior ac succo plenior semper maior sit. Quando enim folia erumpunt, tunc demum, vel non multò antè plenior crescere incipit, quo paulatim incrementū sumente alter flaccescit, rugásque contrahit, donec maturato semine vna cum foliis & cauliculis subinde totus subsidat, ac pereat, eo qui intereà creuit vegeto, ac succi pleno.

SATYRIVM. CAP. XIII.

EIVSDEM Bulbacei generis cū Testiculis est Σατύριον Græcis dictum, *Nomina* Latinis Satyrium, Arabibus *Gasi alchaleb*, *Chasi attraleb*, siue *Tartarichi*, Italis *Satirio* & *Satirione*, Gallis *Satyrion*. Satyrio nomen fecerunt Satyri, qui primi siluestres dij colludentes Nymphis per siluas & antra, ad firmiorem venerem herbam hanc inuenerunt. Dioscorides Satyria duo ponit. Vnum Triphyllum, id est, trifolium, alterum Erythronium, siue Erythraicū, Li.3 ca.126. & 127. id est, rubrum. Præter ista recentior ætas Satyrium Basilicum adinuenit, idest, Sa- *Genera.* tyrium Regium, quod & Palmam Christi nominauit, propter similitudinem quandam, quam eius radix cum humana habet manu, Germani *Creutzblumen*, Galli *Satyrion Royal*. Sed ne quis homonymia fallatur, lōgè alia est stirps vehementer purgans Palmæ Christi nomine donata. Satyrium Basilicum duplex est. Vnum maius, alterum minus. Quoddam folio non maculato, aliud maculato. Satyrium trifolium delineat Dioscorides his verbis: Folia fert Rumici, aut Lilio similia, mi- Ibidem. nora tamen, & rubentia: caulem nudum, longum, cubitalem: florem Lilio similem, *Forma.*

album:radicem Lilio ſimilem, mali modo extuberantem, foris rufam, intus oui modo albam, guſtu dulcem, & ori gratam. Satyrium Erythronium ſemine eſt Lini, maiore, duro, læui, ſplendente, quod fertur quemadmodùm & Scincus venerẽ excitare: cortice radicis gracili, rufo, interiore parte alba, guſtanti dulci, & ori non

Li.26. c.10. ingrata. In apricis & montoſis naſcitur. Plinius de iiſdem hæc prodidit. Concitatricem vim habet Satyrium. Duo eius genera, vna longioribus foliis quàm Oleæ: caule quatuor digitorum: flore purpureo: radice gemina ad formam hominis teſtium, alternis annis intumeſcente, ac reſidente. Altera Satyrium Orchis cognominatur, & fœmina eſſe creditur. Diſtinguitur internodiis & ramoſiore frutice, radice faſcinis vtili. Naſcitur ferè iuxta mare. Vbi Cornarius legit ex veteri codice, radice faſcini, pro virili membro faſcinum accipiens, in quo ſignificatu vſurpauit Horatius hoc verſu.

Ode 8. Epod. *Minúſue languet faſcinum.*

Hîc Plinius Satyrium cum Orchi confudiſſe videtur, & ex Latini cuiuſdam auctoris ſententia iſta prodidiſſe: ſubiungit enim. Græci Satyrium foliis Lilij rubri, minoribus, & tribus non ampliùs è terra extantibus tradunt: caule læui, cubitali, nudo, radice gemina, cuius inferior pars & maior mares gignat, ſuperior ac minor fœminas. Et aliud genus Satyrij (Erythraicum appellant) ſemine Viticis maiore, læui: duræ radicis cortice rubro intus album includi, ſapore ſubdulce: ferè in montoſis inueniri. Satyria Dioſcoridis vera vix adhuc Herbariis bene ſunt cognita: tamen ex Dalechampij coniectura potiùs quàm certa aſſeueratione ea hîc exhibemus. Erythronium, ſiue Erythraicum mõtoſis & apricis naſcitur: radice bulboſa, ima parte fibrata, oblonga, Porro non diſſimili, foris ſubrufa, intus candida, nulla grauitate odoris iniucũda, veluti Orcheos, tenera, guſtu principio dulci, qualis eſt Caſtaneæ, deinde acri Cepæ Aſcaloniæ modo, quam aiunt ſemine perfecto in globoſum caput colligi, mali figura, creſcente verò caule extenuari, ac in longum produci, vt cauli quod ſatis ſit alimenti velut de ſuo ſuppeditet, nunc ſimplici, nunc veluti è duabus in vnum coëuntibus iuncta, ſubnaſcentibus aliis perpetuò, & cohærentibus duabus, tribúſue, ac interdum pluribus, quæ exhauſta craſsiore, ac maiore poſteà augeſcant: caule, ſi ortum eius à radice conſideres, procero, tereti, ſupernè rubenti: foliis Rumicis, aut Lilij, minoribus, binis, nonnunquam ternis, aliquando quinis, ad terram infractis, virentibus, ſed maculis rubris conſperſis, tam crebris, vt rubere magis quàm virere videantur: flore purpureo, Lilio rubro, quod Martagon vocant, figura ſimili, priuſquàm pandatur, oblongo, dum reſeratus eſt, ſex foliis conſtante, ad radicem candicantibus, reliqua ſui parte oſtro purpuraſcentibus, apicibus totidem quot ſunt foliola, niueis, ſupernè velut atro capite conſpicuis. Alterum, trifolium videlicet, inuentu rarius, priori omnino conſimile, niſi quòd guttis & maculis lacteis folia variegantur, flos candicat. Vtrique ſemen oblongum ſiliquis includitur, nunc triangulis, nunc quadrangulis, copioſum. Inuenitur genus quoddam vnico, ac lato folio, ſine flore, ſine fructu. Marem appellant

SATYRIVM rubrum, Dalechampij.



SATYRIVM trifolium, ſeu album, Dalechampij.



SATYRIVM Dalech. fortè Pſeudohermodactylus, Matth.



appellant Herbarij. Florent Aprili & Maio menſibus. Satyriorum hiſtoriæ id repugnare videtur, quòd rotunda & globoſa radice non ſint, qualem requirit Dioſcorides. At ſi Satyria non ſunt, tamen ob inſignem & venuſtam figuram deſcribenda fuerunt vulgato apud Herbarios ſeruato nomine, quoad verius ſit inuentum, aut è veterum libris erutum. Ad excitandam venerem magnam vim habere oſtendit humida & calida ſubſtantia cum acrimoniæ paululo iuncta. Pena eandem plantam Herbariis innotuiſſe ſcribit Satyrij Erythronij nomine, non multis ab hinc annis nulla deſiderata nota præterquàm coloris, qui valde variat loci varietate, vt in Scilla, Cepis, & aliis Bulbaceis videre eſt. In Iura monte & collibus Taurinenſibus Pado ſeſquileucam diſsitis prouenire ait. Eſt Lobellio Satyrium & Dens caninus Belgarum, Hermodactylus & Pſeudohermodactylus Italorum & Matthioli. Genuini verò Erythronij radix ex Matthiolo hîc depicta conſpicitur à Cechino Martinello Pharmacopæo præſtantiſsimo & Herbario peritiſsimo miſſa. Ea eſt mali effigie, cortice tenui & rufo, candida intus pulpa, ſapore dulci, oríque non ingrato. Eaſdem radices Pena ſe Venetiis vidiſſe ait in Alberti Martinelli Officina, quas hîc Satyrij Erythronij radices eſſe iudicabat. Eæ ſunt ſubrotundæ, magnæ, rugoſo tuberoſoq; cortice, ex fuſco rubello, effigiem & magnitudinem

In Aduerſ.

SATYRIVM Erythronium, Matthioli.



Cyclamini, vel potiùs Aristolochiæ rotundæ prægrandis assecutæ, carne intus albida, eduli, dulci. Idem Matthiolus postrema Commentariorum editione aliud Satyrium primum pinxit, nulla adiecta descriptione. Satyrij trifolij radix, aucto-
Li.3.ca.126. re Dioscoride, bibitur in vino nigro austero ad opisthotonum. Feruntetiam hanc
Vires & Temper. impetum ad venerem excitare. Erythronij radicem, si manu omnino teneatur, venerem stimulare produnt, multò magis si bibatur in vino. Idem planè de Ery-
Li.26.c.10. thronio Plinius tradit. Quibus addit arietibus quoque & hircis segnioribus in potu dari. Et à Sarmatis, equis ob asiduum laborem pigrioribus in coitum,
Li.8.simpl. quod vitium procedamum vocant. Et Galenus Satyrium, aut Triphyllum, inquit, humidum & calidum temperatura est. Quamobrem gustu quoque apparet dulce. Attamen recrementitiam & flatuosam humiditatem posidet: quocircà ad venerem concitat. Hæc verò & herbæ ipsius radix præstare potest. Porrò, vt quidam aiunt, ex vino nigro austero potum sanat opisthotonum. Hæc de veterum

SATYRIVM primum, Matthioli.

SATYRIVM Basilicum maius, Dodon.





Dodon.de flori.c.62. Satyriis. Recentiorum Satyrium Basilicum maius, quod plerique marem appellant, folia habet oblonga, lata & læuia, Lilij foliis minora, nullis aut omnino vix apparentibus maculis respersa: caules pedales, vel altiores, non absque adnatis foliis: flores in summo spicatos, colore dilutè purpureos, exiguis punctis saturatæ purpuræ respersos: forma florum Testiculi morionis maris, nisi quòd ipsis crista desit, sub quibus singula acuminata nascuntur foliola: radices sunt veluti geminæ palmæ, singulæ in quaternos digitos distributæ, quarum vna flaccidior & quasi fungosa, altera vegeta, ac solida, paucis ab annexu exeuntibus fibris. Alterum maius genus, quod fœminam vocant, priore tamen minus, folia eiusdem formæ promit, sed minora, & multis nigris maculis conspersa: flores Cucullo similes, cristatos & hiantes, vti Testiculi morionis maris, colore nunc candidos, aliàs in purpura vel rubentes, vel dilutè ad cæruleum inclinantes, semper magis purpureis ornatos, ac variegatos: radices alterius similes. Minus genus foliis est angustis, & vt Matth

SERAPIAS fœmina pratēsis, siue Palma Christi: Satyrion basilicum alterum, Dodon.



PALMA Christi minor, Matth. Satyrium Basilicum minus, Dodonæi.



vt Matthiolus ait, Croci, caule dodrātali, iunceo læuíque, in cuius cacumine flos emicat purpureus, Amarāthi æmulus, qui recens odorē quàm suauissimũ reddit: radicibus aliorum similibus, sed quæ magnitudine ipsis cedant. Nascuntur Satyria hæc locis maximè humētibus, palustribus in pratis & siluis. Florent Maio & Iunio. Horũ duo reperiri genera in Ananiæ vallismontibus Matthiolus ait. Sunt qui velint Buzeidē siue Buzidan Arabum esse. Sed scribit Auicēna Buzeidem esse medicinam ligneam Indam, in qua est virtus similis virtuti Been. Et Serapio, Buzeiden, inquit, est species Satyrionis. Et Buzeiden sunt radices duræ, albæ, similes Behen albo. Et est medicina Indiæ, qua nos parum vtimur. Satyrij autem huiusce radices nihil minùs quàm ligneæ sunt, nec ex India petuntur. Matthiolus Satyrium Basilicum siue Palmam hanc Christi, Auicennæ digitos citrinos esse vult, de quibus hæc scribit. Asahasafra siue digiti citrini quid est? Eius figura est sicut vola manus commixta ex citrinitate & albedine: & est dura, in qua est parum dulcedinis: & ex ea est citrina cum puluerulentia absque albedine. Et Rhasis digitos hos croceos, vt exemplaria habent, appellat, & esse gummi seu venam tinctorum ait. At Satyrij Basilici radices duræ non sunt, neque croceæ, neque ad tingendum vtiles. Quare id à Digitis citrinis Auicennæ & Rhasis perspicuè differre videtur. Satyrij Basilici radices Orcheωn radices sapore & gustu referunt: quare & facultatibus similes existimantur. Nicolaus Nicolus Florentinus capite de quartanæ curatione vim habere ait & per superiorem & per inferiorem ventrem purgandi, & aduersus quartanas febres inueteratas, post purgationes radicis partem pollicis longitudine, tusam cum vino ante accessionem vtiliter exhiberi, hócque remedio ter sumpto Biliotum quendam post quadraginta quatuor aut quadragintaquinque accessiones, à febre quartana fuisse liberatum. Matthiolus Fuchsium reprehendit, quòd Palmam Christi Satyriorum generibus accensuerit, cùm in generibus Testiculorum canis potiùs numeranda fuerit. At Fuchsium Dodonæus & alij multi Herbarij secuti sunt, eam Satyrium Basilicum nuncupantes, vt diximus. Triorchin Serapiada Aeginetæ esse Palmam Christi aliàs opinabatur Pena, tum quia succulenta minùs sicciórque est, & deterget intrò forísque vlceribus admota, tum etiam quòd melancholicis, quartanariis, epilepticis, neruorum

Locus.

Lib.2.c.98.

Cap.260. simpl.

Li.2.c.207.

Lib.ver.cō tin.

Vires & Temper.

In Aduers.

offarctu & pituitosa saburra oppressis miram præstet opem, fluxum dysente-
ricum sistat, quot qualésque facultates Palmæ Christi recentiores vindicant, di-
gnandas sanè Ægyptiis venerandæ Serapiadis Deæ augusto cognomine: alioqui
nihil attinebat à cæteris secreuisse, & Serapiadas nuncapasse. Rationibus hisce
fauebat ex lectione coniectura: nam vbi πολύχρηστον τῆς ῥίζης, id est, multi vsus
radicem Dioscorides habet, legendum fortasse πολύχιστον multifidam radicem,
& fortè vtrunque, id est, multifidam & multi vsus radicem innuebat. Et mox
inferiùs, vbi Dioscorides, ῥίζα δὲ ὕπεστι ὀρχιδίοις ὁμοία, id est, radix subest pu-
sillis testiculis similis, legebat Pena multifida leuiore metathesi multò quàm in
superiore capite, vbi pro oleo substituit Dodonæus Scillam teneram Pancratium,
vti dictum est à nobis.

COLCHICVM EPHEMERVM. CAP. XIIII.

Lib 4.c.79. DIOSCORIDES κολχικὸν à Græcis etiam ἐφήμερον, & βολβὸν ἄγριον dici
Nomina auctor est. Latinè Colchicum, Ephemerum, & Bulbum agrestem, &
Vide Phytog. pag. 95. strangulatorium: Colchicum, à Colchide veneni ferace, in qua na-
scitur. Ephemerum, quoniam sumptum vno die interficiat, Gallis
Tue-chien & Mort-aux-chiens, Germanis *Teitlosen*, Italis *Zaffarano saluatico*. Item aliud
ἐφήμερον seu ἶριν ἀγρίαν, id est, Ephemerum seu Irim siluestrem, quod lethale nō est:
Lib.6. sim. sic nuncupatum, quòd breui vna & altera die florem amittat. Idem Galenus ha-
bet. Ephemerū, non illud lethale ac deleterium, sed alterum, quod Irim agrestem
Lib.5. cognominant. Et hos secutus Aegineta, Ephemerum, inquit de venenis agens,
quod nonnulli Colchicum, quòd in Colchide nascatur, vocant aut Bulbum agre-
Lib.7. stem. Et alio in loco. Ephemerum, nō deleterium, sed quod Irim agrestem dicunt.
Et Aëtius. Qui Ephemerum, quod aliqui Colchicum, aut Bulbum siluestrem ap-
Genera. pellant, &c. Est igitur Ephemerum duplex, lethale quod Colchicum, & non
lethale, quod Ephemerū non lethale nominatur. De Colchico priore loco tractat
Lib.4.c.79. Cap.80. Dioscorides, de altero proximè sequenti capite. Colchicum, vt ille describit, Au-
Forma. tumni exitu florem edit subcandidum, crocino similem: post florem folia Bulbo
similia, pinguiora tamen: caulem palmi altitudine, fructum ferentem rufum: ra-
dicem quæ corticem habet in nigro rufescentem, quo nudata, candida, tenera, suc-
ci plena & dulcis inuenitur. Habet bulbus eius in medio rimam, vnde flos erum-
Locus. pit. Plurimum in Messenia & Colchis nascitur. Ephemerum nō lethale caulem &
folia Lilio similia habet, tenuiora tamen: flores candidos amarósque, fructum
Diosc. ibi. mollem: radicem vnam digitali crassitudine, longam, adstringentem, odoratam.
Lib.25.c.13. Nascitur in siluis & vmbrosis locis. Plinius, Ephemerum, inquit, folia habet Lilij,
sed minora: caulem parem, florem cæruleum, semen superuacuum: radicem vnā
digitali crassitudine, dentibus præcipuam concisam in aceto, decoctámque, vt te-
pido colluantur. Et ipsa etiam radix mobiles sistit. Cauis & exesis imponitur. Hæc
Plinius. Colchicū Ephemerum aliud non est, Herbariorū iudicio, quàm vulgatis-
simum plebi pratēse Crocum & siluestre vbique vocatum, vti & in Croco silue-
stri diximus. Nam floret vt Crocus Autumno, flore perquàm simili, concolore, di-
lutiùs tamē cæruleo, staminibus pallidè luteis, iamdiu anteà primo Vere ortum, &
Aestate amittit folia, quæ porraceis latiora, Pancratij sunt æqualia, vel Bulbi, pin-
guiora, terna, aut quaterna, virentia, nitentia ab radice: caule sesquipalmari: bul-
bosa, semirotunda: radice altera parte compressa Castaneæ figura, aut Anacardi, fo-
ris tunica rufescente ex fusco, ab ima latioreq; basi ad apicem canaliculum impri-
mit prima caulis germinatio, intus tota alba, fungosa, mucida, virosa, gustu non
ingrata. Est quibusdam Narcissus purpureus Plinij & Virgilij, apud Theophra-
stum

COLCHICVM Orientale, Matthioli.



COLCHICVM alterum Orientale, Matthioli.



stum florens Autumno, post Arcturũ circa æquinoctium, perperàm Moly Trago lib.2.cap.76.quia eius flos minimè lacteus. Est & Syriacum siue Alexandrinum Colchicum, cui bulbosa radix, vt describit Pena.Id non parum à nostrate differt, tametsi Dioscorides delineationem non minùs bene referat:non enim ex radicis

COLCHICVM Anglicum, Lobellij.




sulco, siue rima quæ est à latere,caulem emittit, sed caulis erumpens mediũ findit bulbum,quasiq; geminum Colchici bulbũ ab imo coagmentatum,caulémque vtrinque amplexatum ostendit, nigriórque nostrate euadit intus prioris simili, forísque, alioqui è cepacea fungosáque concretione vti & totius figura.Istis adiungunt Lobellius & Pena aliud Herbariis indictũ,quod quia Anglia copiosissimum fundit, nec alibi facilè reperias, Anglicum candido flore nuncupant.Perpulchra est planta, lacteis floribus Ornithogali vel Asphodeli,maioribus,Croci mõtani siluestris paribus:caulem ornant sesquipalmarem radix & folia, alioqui pratensis vulgaris sunt, foris fusca, intus candida.Londini hortis mersæ radices Hiemem ferunt, Vere emergũt, non secùs atque in collibus & montosis prope Bristolium & in agro Somerseti. Clusius aliud Colchicum montanum exhibuit, quod terna quaternáve folia fundit,digitum longa, per terram strata, Hyacinthi non scripti ferè æmula, sed saturatiùs virentia & splendentia, gustúque acida, quæ vbi flaccescere incipiunt, colorem Lib.2.stir. Hisp.c.6.

subrubrum

ſubrubrum contrahunt. Flos ſine foliis primùm exilit, & ſex oblongis purpureiſq;
foliis, & in medio ſtaminibus totidem conſtat: eum folia ſtatim (contrà quàm in
alio Colchico) ſubſequuntur & quodãmodò protrudunt, totámque Hiemem per-
durant in menſem vſque Maium aut Iunium. Radix eſt bulboſa, vnica, non ma-
gna, multis ſubrufis & nigricãtibus tunicis ami-
cta, intus ſolida, candida, dulcíſque cum quadã
adſtrictione, ſede longiuſcula, quæ adnatis in
lateribus propagatur. In collibus Salmanticæ
vicinis lapidoſo admodùm ſolo prouenire ait
Cluſius, ſéque menſe Maio collegiſſe proferen-
tem caulem dodrantalẽ, firmum, & in faſtigio
triangularem ſiliquam: ſemine ex rubro nigre-
ſcente, læui, exiguo, ſubrotũdo, amariuſculo ple
nam. Illic vulgò *Merenderas* vocari. Idem ſcribit
ſe obſeruaſſe in pratis Salmantinis Colchicum
noſtro vulgari ſimile, ſed minus, atque eius plã-
tas nonnullas flore omnino lacteo: ſed in eo
genere folia antè primum Ver emergere non
ſolere, quemadmodùm nec in Anglico, quod
hîc ex Cluſio pictum videtis. Colchici noſtri
radix quouis anni tempore eruta, à quibuſdam
pharmacopœis pro Hermodactylo habetur,
etiamſi ſiccata, flaccida, vieta rugoſáque, tan-
genti partim euanida, partim fungoſa ſit. Id
quod acerrimè Matthiolus reprehendit, & eius
erroris cauſam Serapioni adſcribit, qui Surun-
gen, id eſt, Hermodactylum, vt ipſemet inter-
pretatur, iiſdem planè verbis deſcribit, quibus
Dioſcorides Colchicum. Quod autem magno
& pernitioſo errore has duas plantas confude-
rit, confirmat ex Paulo Aegi. qui lib. 7. de Ephe-
mero & Hermodactylis ſeorſum tanquam de
diuerſis tractauit, ac primùm de Hermodacty-
lo. Hermodactyli radix, inquit, & per ſe, &
ipſius decoctum vim habet purgandi. Priuatim
arthriticis, cùm humores defluunt, exhibetur.
Verùm ſtomacho valde aduerſatur. Paulò pòſt
de Ephemeris ita ſcribit. Ephemerum nõ illud
venenatum, ſed quod Iris ſilueſtris nominatur,
mixtæ facultatis eſt, & repellentis, & diſcutien-
tis per halitum. Ex quibus perſpicuum eſt Her-
modactylum ab Ephemero longè diuerſum eſ-
ſe, & hac in re Serapionem vehementer erraſſe,
& Mauritanos omnes, ac eius ſequaces medi-
cos, qui Colchicum Hermodactyli vice cata-
potiis, & aliis medicamentis immiſcent. Quare
Matthiolus genuinum Hermodactylum eſſe
credit, quem ex planta expreſſit quam Auge-
rius de Busbeke Conſtãtinopoli allatam dona-
uit: vbi etiam Hermodactylus appellatur, & ra-
dices

***COLCHICVM** montanum cum flore, Cluſij.*



Cap. 194. ſimpl.

***COLCHICVM** montanum minus, Cluſij.*



HERMODACTYLVS *verus, Matthioli.*



PSEVDOHERMODACTYLVS, *Matth.*



dices digiti ſpeciem referunt, adeò vt vnguium quoque figura conſpicua ſit. Folia fert prẹlonga binûm dodrãtum longitudine, & fortaſſe longiora, Porri aut Haſtulæ regiæ ſimilia: ſed lõgè anguſtiora, breuioráque ſunt quæ circa radicem diffunduntur. Radices habet quatuor ex vna eadémq; baſi emergẽtes, digitorum figura, colore ex pallido rufeſcente, albis in ſummitate vnguibus, nullis circa ſeſe fibris: nam quæ ſpectantur fibræ, circa radicum originem ſuperiore parte capillaceæ ſeſe fundunt. Caulis è medio proſilit tenuis, herbacea tunica circumueſtitus, in cuius ſummitate oblõgum prominet capitulum (florem non vidit) piri figura, Colchici ferè modo, minus tamen. Differt ab hac planta ea quam quidam in Italia Hermodactylum eſſe arbitrantur, Matth. Pſeudohermodactylum appellat. Sed Hermodactylũ priorẽ, quẽ verũ putat, pleriq; reſpuũt, & Iridis generibus adſcribunt, Iridẽ tuberoſam appellantes, de qua capite de Iride locuti ſumus. Prætereà Colchici noſtri radix medicamentis immixta, pernitioſa nõ eſt. Neq; propterea dicendũ, id, quod in Colchide plurimũ naſcebatur auctore Dioſcoride, aliud à noſtro eſſe: ſed illic lethali interimẽdi facultate cęteris omnibus antecelluiſſe, tum q, ſucco illic eſſet magis concocto, tum quòd à ſolo cœlóque vim hanc nanciſceretur. Sic fungi quibuſdam locis exitioſi proueniunt, &, niſi iiſdem quibus Colchicum remediis vincantur, interimunt: alibi innoxij paſſim eſitantur. Sic Taxus Narbonenſis & Hiſpanica deleteria ſola vmbra, vt prodidit antiquitas: in Anglia & alibi minimè malefica. Cicutę & aliis idẽ vſuuenit. Sed noſtri Colchici radices etiamſi pro Hermodactylis à quibuſdam vſurpentur, ſciendum tamen ab Officinarum Hermodactylis plurimùm differre. Hi enim peregrini ſunt, nõ pernitioſi, vt multis ſeculis plurimus vſus edocuit. Hos Hermodactylos Officinarum, Tralliani & Pauli, eſſe Colchicum, ſeu Ephemerum non venenatum Dioſcoridis Pena opinatur, & leuiore aliqua nota, non ſpecie differre, vel ſi eadem non ſint ſaltem admodùm affinia eſſe. Idem cenſuit Lobellius, ex quo Colchicum Illyricum, ſiue Græcum nõ venenatum Anguillarę, pictum exhibemus. Hermodactylos non venenatos Officinarum appellat. Se Venetiis habuiſſe ait munere Alberti Martinelli Alepo Syriæ euulſa, à fratre Cequino Colchici Anguillaræ plantas, pronis palmitibus, ſeptenis, denis & duodenis foliis Colchici ſtriatis, mucronatis, reflexis, in anguſtum faſtigiatis, imbricatim & lateratim ſtipatis, è quibus in puſillo

ερμης. i. mercurius
δακτυλος digitus
hinc ερμοδακτυλος.
idest digitus mercurij

COLCHICVM Illyricum siue Græcum non venenatum, Lobellij.



EPHEMERVM non lethale, Matthioli.



sillo pediculo flores exoriuntur lutei, pallentes, terni, vel quaterni, Colchici parui minores, staminibus itẽ concoloribus. Siliqua non dissimilis. Radix foris cepę cõcretione, intus euanida & vie ta, quia in caulẽ, folia, flores, fructũ & semen vis tota exhausta fuerat. Anguillaræ & Cequino as sentiẽdũ putat, quibus hanc plantã acceptam re fert. Colchicis accenset Lobellius plãtam quam capite de Narcissis ex Clusio descripsimus nomi ne Narcissi Autumnalis quorundã, Lobellij Col chicũ luteum, fortasse Ephemero non venenato Dioscoridis cõgener, Narcissus Autũnalis Mar celli Vergilij Mutono, flore luteo pallente, cuius Narcissi meminimus cùm de quarto Narcisso ageremus. Certè radice, caule, folio, flore, ortu, tota deniq; planta propiùs ad Colchicũ accedit. Matthiolus longè aliud Ephemerum nõ lethale depinxit, ꝙ in Ananiẽsibus mõtibus tam in pra tis quàm in siluis copiosè nascitur, ab indigenis

Cap 88 histor. vulgò *Giglio matto*, hoc est, Lilium stultum nomi natum: Ephemerũ spurium Lobellius appellat. Folia habet Lysimachiæ Glasti aut Luteolæ me dia, in sesquicubitalibus cauliculis densis, multis que alis concauis: flosculos candicantes, Verba sci nigri, quinario foliorum numero: semen pu sillum in rotundis lini pericarpiis occlusum: ra dicem multùm fibratam Isatidis. Hæc Lobellius. Fuchsius plantam, vulgò Lilium conualliũ nun cupatã, Ephemerum non lethale esse contendit. Colchici radicem comesam scribit Dioscorides

Lib.3.c.79. fungorum modo strangulando enecare. Reme dio esse quæcunq; contra fungos opem ferunt. bubulum etiam lac potum, adeò vt quoties hoc adfuerit, nullum prætereà quærendum præsidiũ sit. Ephemeri non lethalis radix dẽtium dolori bus remedio est, si decocto eius colluantur. folia in vino decocta & illita, œdemata & tubercula, quæ nihil adhuc puris contraxerunt, discutiunt. Vbi pro, μήπω ὑγρὸν ἔχοντα, legẽdum putat Fuch sius, μήπω πῦον ἔχοντα, vt ex Galeno liquet sic scri

Lib.6.fim. bẽte. Ephemerum nõ lethale radicem habet ad stringentem, & boni suauísque odoris. Ex qui bus perspicuum est facultatis temperaturæq; esse mistæ, nempe repellentis, & habitu euapo rantis. Testificãtur opera quæ particulatim edit. Siquidem non inefficaciter radix eius in dentiũ doloribus colluitur. Tum phymatum augmento & statui folia cõueniunt. Opor tet autem ea in vino decocta priùs quàm pus moueas illinere. Plinius de Colchico

Lib.28. c.9. hæc solùm tradit, priuatim lac bubulum iis qui Colchicum biberunt vtile esse. Et

Li.26. c.12. folia Ephemeri tuberibus atque tumoribus illinuntur, quæ etiam dum discuti possunt.

possunt. Ferunt Turcas Colchici floribus vti cùm inebriari volũt: eos enim vino macerant, quo epoto adeò stupidi redduntur, vt in ecstasim abeant. Hermodactylus, auctore Mesuë, calidus est & siccus ordinis secundi initio, cum humiditate tamen excrementitia, flatulenta, nauseabunda qua vẽtriculo nocet, præsertim quando in eum ex partibus aliis excrementa cõfluunt. Pituitam crassam maximè à iuncturis trahit: ob id podagræ, & aliis arthritidis differentiis confert, non sumptus modò, sed etiam cataplasmate admotus, præsertim cum vitellis ouorum, & farina hordei, vel mica panis. Impinguat, sperma auget, vlceribus confert, quia terget sordem eorum, & carnem in his putrem consumit. Cuminum, Zingiber, Piper longum, Libysticũ, Menthastrum, mastiche mixta, Hermodac. prohibent, ne suo humore excrementitio & flatulento lædat ventriculum, néve flatus crassos & nauseabundos in eo excitet, aut multa in ipso excrementa colligat. Si verò Hermodactylus cũ pauco Zingibere, & succo Raphani, vel Scilla assata, aut Scillæ succo & Zingibere, & pauca spica in trochiscos fingatur, purgat celeriùs & pleniùs (per se enim tardè & imbecilliter vacuat.) Myrobalani quoque roborando stomachum Hermodactylos citò deturbant, & humorum in ventriculũ affluxum prohibent. Datur ab aureo vno ad aureo duos. Ad annos tres seruatur.

SCILLA. CAP. XV.

Cepaceo etiam generi tantopere similis est σκίλλα Græcis dicta, *Nomina*
Latinis similiter Scilla, vt multi eam Cepam marinam vocent, & Varro Squillam, cuius exemplo omnibus Officinis sic nominatur, Arabibus *Haspel, Hausel, Aschil* seu *Alachil*, Italis *Silla*, Germanis *Meerzwibel*, Gallis *Stipoule, Oignon marin*, Hispanis *Cebolla Albatrana*. Quia autem inter hanc & marinum testaceum piscem, à tunicata squamarum cõpactili serie Squillam vocatum, tanta similitudo intercessit, hæc putatur sic dicta, inquit Pena. Po- In Aduers.
tuit etiam ἀπὸ τοῦ σκιλήματος, id est, ab ariditate dicta esse, quòd in sabuletis maritimis Sole torridis oriatur, cuiusmodi sunt in Hispania, & prope aridæ Lusitaniæ tesqua maritima. Plinius, Scillarum in medicina, inquit, alba est quæ masculus, fœ- Lib.20.c.9.
mina nigra. Quæ candidissima fuerit, vtilissima erit. Et, Nobilissima est Scilla, *Genera.*
quanquam medicamini nata, acetóque exacuendo. Nec vlli amplitudo maior, sic- Lib.19.c.5.
ut nec vis asperior. Duo genera medica: masculus albis foliis, fœmina nigris. Et tertium genus est cibis gratum: Epimenidium vocatur, angustius folio, ac minus aspero. Quæ ex Theophrasto transtulit Plinius. ἐδώδιμοι μὲν γὰρ οὐ μόνον βολβοὶ, καὶ Lib.7. hist. cap.11.
τὰ ὅμοια τούτοις, ἀλλὰ καὶ ἡ τοῦ ἀσφοδέλου ῥίζα, καὶ ἡ τῆς σκίλλης, πλὴν οὐ πάσης, ἀλλὰ τῆς ἐπιμενιδίου καλουμένης, ἣ ἀπὸ τῆς χρήσεως ἔχει τὴν προσηγορίαν. αὕτη δ' στενοφυλλοτέρα τε καὶ λειοτέρα τῶν λοιπῶν ἐστι. Id est, Edules non solùm Bulbi & his similia, sed etiam Asphodeli radix & Scillæ, non omnis quidem, sed eius quæ Epimenidia vocatur, quæ ab vsu nomen accepit. Hæc angustiore est folio, læuioreq; quàm cæteræ. Scillæ differentias duas ex colore duntaxat inter Hispanicas tam multas animaduertit Pena: quarum extimæ tunicæ vni rubent, vt Cepis oblongis, alteri albent, magnitudine pares. Vtrauis maxima pomũ Assyrium nõ superat, Cepæ modo mul- *Forma.*
tipliciter tunicata, corticosaq;. Vniuersa folii carina vel dorsum palmum ferè latapedẽ alta, crassitudine minori quàm Aloës, crebro è bulbo pullulant squamatim cõpacta: caulis sesquicubitalis, gracilis, flores stellatos Ornithogali habet similes, sed minores, in spicam postremò deficiens. Matthiolus ait se cùm olim cre- In cap.168. lib.2.
didisset Scillas, quibus in Italia tum medici tum seplasiarij vtuntur vulgò, veras esse Scillas, mutata tandem sententia eas pro legitimo Pancratio habere, Scillas verò geminas eas esse, quæ illis duplo maiores in Hispaniæ maritimis proueniunt,

SCILLA, Matthioli.




SCILLA Hiſpanica ſine flore, Clu.



foliis Aloën æmulãtibus, ſed minùs craſsis, cùm
illæ folia ferant nõ Aloë, ſed Lilio proxima, in-
ter quæ non parua eſt differentia. At perperàm,
inquit Pena, pro Pancratio vulgarem Scillã, quę
vera eſt, accipit: quam non niſi vietam, aut ado-
leſcentem, cuiuſmodi Venetiis væneunt, vide-
rat. Et foliorum gracilitas ſanè nõ aliam ſpeciẽ
conſtituit Scillæ, ſed tantùm contingit habitio
ra & maiora adoleſcere folia mutatione cæli, ſo-
li, & cultu. Sic Cepis euenit anguſto interiecto
tractu, ſic in foliis Aloës, & aliis multis obſerua-
tur. His verò Bulbis flores, folia, omnia prorſũ
ſimilia, aliquantò duntaxat graciliora, vt bulba-
ceis multis præpropere enatis, & aliò tranſplan-
tatis euenit. In contignatione ſuſpenſæ, dum ſa-
bulo mergũtur aut ſeruantur, languidiora pro-
munt folia, & ſucco ſeu pabulo cõſueto defrau-
dantur, exilioráque ſunt. Ratio par in Scillis pu-
ſillis, quas Pancratium Matthiolus adſtruit. Sed
ex Cluſio legitimam Scillæ iconẽ hîc proponi-
mus, qui eam & primùm emergentem, & florẽ-
tem ſeminéque onuſtam pleriſque Hiſpaniæ &
Luſitaniæ locis ſe eruiſſe ait. Eſt verò Scillæ, in-
quit, caulis plerunque cubitalis aut maior, re-
ctus, nudus, abſque foliis, floribus plurimis can-
didis & ſtellatis ornatus, Aſphodeli minoribus,
Ornithogalo maiori ſimilibus, qui ab imis flo-
rere (vti rectiſsimè ſcripſit Theophraſtus) quẽ-
admodùm Aſphodelus incipit. His ſuccedũt ſi-
liquæ triangulares, & veluti compreſſæ, in qui-
bus ſemen nigrum, planum & paleaceum. Folia
demum emergunt quinque aut ſex lata, ampla,
viridia admodùm, denſa, humi extenſa, & quo-
dammodo carinata. Radix craſſa, alba, multipli-
citer tunicata, lento quodã humore plena, mul-
tis fibris craſsiuſculis capillata. Copioſè naſcitur
ſupra Olyſsiponem, & pleriſque aliis Luſitaniæ
& Hiſpaniæ locis. Floret Auguſto & Septembri, ſemen Octobri & Nouembri ma-
tureſcit. Folia maturo iam ſemine, & caule arido emergunt Nouembri & Decem-
Lib. 2. cap. 167. bri. De Scillæ viribus & præparatione ſatis prolixè Dioſcorides. Vim acrem & fer-
uentem habet. Aſſata verò multiplicis eſt vſus. Paſta aut luto óblita in clibanum
Vires & Temper. coniicitur, aut carbonibus obruitur, donec circumlita paſta ſufficienter toſta fue-
rit. Qua amota, ſi non molleſcat, altera paſta aut luto circumlinitur, eademq́; quæ
priùs fiunt. Nam quæ ita non aſſatur, noxia magis eſt, præſertim interaneis data.
Torretur item in olla indito operculo, & in clibanum coniecta. Sumitur ex ea ab-
iectis extimis partibus, quod maximè medium eſt, quod conciſum effuſa priore
aqua coquitur, nouáque ſuperinfuſa vſquedum nec amaritudinem, neque acri-
moniam habeat aqua. Siccatur autem in vmbra diſſecta, & lino traiecta, ita vt ne
talleolæ inuicem ſe contingant. Sic igitur ſecta, ad oleum, vinum, acetumq́; ſcilliti-
cum vtimur. Ad rimas verò pedum crudę Scillæ interanea pars in oleo feruefacta,
aut

SCILLA Hispanica cum flore, Clusij.



aut cum resina liquefacta imponitur. Decocta in aceto demorsis à vipera cataplasma est. Assæ eiusdem pars vna, tosti salis partibus octo subigitur, datúrque ieiunis cochlearis vnius duorúmve pondere ad emolliendam aluum. Additur potionibus & odoratis medicaminibus, & quibus vrinam ciere voluerimus, hydropicisq; & stomachicis, quibus innatant cibi, & morbo regio, torminibus, in vetere tussi, asthmaticis, cruenta reiicientibus (ἀναφορικῶν. Hîc Dioscorides, & Medici alij ἀναφορικοὺς appellant, qui sanguinem ex inferioribus partibus sursum educunt, & per os reiiciunt.) Trium verò obolorum pondere in delinctu ex melle sumpsisse satis est. Coquitur eadem cum melle, sumiturq; in cibo ad eadem, maximè coctionem adiuuans. Strigmẽtitia per aluum ducit. Coctu & simili modo sumpta idem potest. Cauendus Scillæ vsus iis quibus interaneum aliquod exulceratum fuerit. Prodest verrucis & pernionibus assam inungere. Semẽ eius tritum cum caricis, aut melle exceptum, si manditur, aluum emollit. Pro foribus domus suspensa tota amuletum est. De iisdem Plinius confusè tractauit his verbis. Scillæ aridis tunicis direptis, quod reliquum è viuo est consectum suspenditur lino modicis interuallis. Li.20.c.10. Posteà arida frusta in cadum aceti quàm asperrimi pendentia immerguntur, ita ne vlla parte vas contingant. Hoc fit ante solstitium diebus 48. Gypso deinde óblitus cadus ponitur sub tegulis totius diei solem accipientibus. Post eum numerum dierum tollitur vas, Scilla eximitur, acetum transfunditur. Hoc clariorem oculorum aciem facit. Salutare est stomachi laterúmque doloribus, parum sumptum binis diebus. Sed tanta vis est, vt auidiùs haustum, extinctæ animæ momento aliquo speciem præbeat. Prodest & gingiuis & dentibus, vel per se commanducata. Tineas & reliqua ventris animalia pellit ex aceto & melle sumpta. Linguæ quoq; recens subiecta, præstat ne hydropici sitim sentiant. Coquitur plurimis modis: in olla quæ coniiciatur in clibanum aut furnum, vel adipe aut luto illita, aut frustatim in patinis. Et cruda siccatur, deinde conciditur, coquitúrque in aceto, tum serpĕtium ictibus imponitur. Tosta quoq; purgatur, & medium eius iterum in aqua coquitur. Vsus sic coctæ ad hydropicos. Ad vrinam ciendam tribus obolis cum melle & aceto potæ. Item ad spleneticos & stomachicos, si non sentiant vlcus, quibus innatet cibus. Ad tormina, regios morbos, tussim veterem cum suspirio. Discutit & foliis strumas quadrinis diebus soluta, furfures capitis, & vlcera manantia illita ex oleo cocta. Coquitur & in melle cibi gratia, maximè vti coctionem facias. Sic & interiora purgat. Rimas pedum sanat in oleo cocta, & mista resinæ. Semen eius lumborum dolori ex melle imponitur. Pythagoras Scillam in limine quoque ianuæ suspensam malorum medicamentorum introitum pellere tradit. Hæc Plinius. In quibus Marcellus Vergilius & Cornarius erroris eum insimulãt, quòd dixerit adipe aut luto illita, pro eo quod est apud Dioscoridem σταιτὶ δὲ ἢ πηλῷ περιπλάσσεσθαι, id est, farina aqua subacta, quam pastam vocamus, aut luto oblinitur. σταῖς enim & στέαρ hic non adipem, nec multis aliis locis apud medicos significat, sed pastam aut fermentum. Dioscorides de Stibio, ἀπτέται στέατι περιπλασθέν, id est, Lib.5.

assatur farina circumlitum. Vbi tamen etiam impegit Plinius, qui sic vertit. Quidam non fimo vtuntur coquentes, sed adipe. Idem Dioscorides de Erisymo. ἐνδεθὲν εἰς ὀθόνιον, καὶ ὀπτηθὲν ἐν στέατος περιπλασθέντος. Hoc est, linteo illigatum, & fermento óblito assatum. Et de fici vtriusq; succo. καὶ μυρμηκίαν αἴρει στέατι περιπλασθείσης τῆς
Lib. 3. c. 38. ἐν κύκλῳ σαρκός. Id est, fermento vel pasta óblita in circumsita carne. Idem Paulus ᾠοῦ ἐν στεατίῳ ὀπτημένου τὴν λέκυθον. Hoc est, Oui in fermento assati vitellum. At sicut his in locis atque aliis στέαρ pro pasta aut ferměto rectè intelligitur, ita multis aliis
Lib. 7. hist. cap. 12. pro adipe vsurpatur. Porrò quod ex Pythagora refert, idem prodidit Theophrastus, λέγεται δὲ καὶ πρὸ τῶν θυρῶν τῆς εἰσόδου φυτευθεῖσαν, ἀλεξιτήριον εἶναι τῆς ἐπιφερομένης δηλήσεως. Id est, Traditur & ante portas satam remedio esse contra veneficio-
Lib. 8. sim. rum noxam. Scilla, inquit Galenus, admodùm incidentem facultatem habet, non tamen admodùm calidam. Sed secundum hoc eam quispiam secundi ordinis censeat excalfacientium. Præstat autem aut assam aut elixam sumere: sic enim virium eius vehementia exoluitur. Vnum de Scilla volumen condidit Pythagoras philo-
Lib. 19. c. 5. Lib. 21. c. 17. sophus auctore Plinio, colligẽs medicas eius vires. Idem Plinius Scillam ter florere refert, tria tempora sationum ostendentem. Quod ex Theophrasto exscriptum esse capite de Croco declarauimus. Vbi non τρὶς ἀνθεῖν Scillam ait, id est, ter florere, quemadmodùm Plinius scripsit, sed ποιεῖσθαι τρεῖς ἀνθήσεις. Quibus verbis non significatur Scillam tribus diuersis anni tẽporibus, exempli gratia, Autumno, Verè, Aestate florẽ edere, sed inter bulbosas plantas Scillam & Asphodelum quàm diutissimè florere, ob alimenti copiam & vbertatẽ, quod Theophrastus τὴν ἄνθησιν κατὰ μέρος ποιεῖν, id est, particulatim florem promere dicit, (In vulgatis tamen co-
Lib. 7. hist. cap. 12. dicibus mendosè legitur τὴν αὔανσιν, pro τὴν ἄνθησιν) vt ab ima caulis parte primũ incipiat. Quare Augusti mensis principio Scillæ caulis assurgit, seorsum eam ob causam pictus, quod sæpius est obseruatum, cubitalis aut etiam procerior, densissimè floribus stipatus, qui primùm diducuntur, ac interim dum aperti vigent, medij turgescunt, supremi gliscunt duntaxat, quæ πρώτη ἄνθησις est, primus ad florescendum impetus. Exactis aliquot diebus flores qui primi reclusi fuerunt, dilabuntur, medij sese promunt, supremi tantùm intumescunt, quæ est secũda ἄνθησις. Postremò defluentibus mediis supremi sese explicant, quæ est tertia ἄνθησις. Hic florescendi ter repetitus impetus, terrã quoque ter subigi oportere denuntiat, priusquàm fruges serantur. Flaccido verò & emortuo caule folia nascuntur circa Ianuarij medium vel finem, ob id bulbus cum foliis depictus sine caule, quæ posteà Aestatis squaloribus exarescunt. Quod de Scilla illi prodidere, Vergilius ex Arato idem de Lentisco literis mandauit.

PANCRATIVM. CAP. XVI.

Nomina GRAECI παγκράτιον, sicut & Latini Pancratium, à vincendis & profli-
Vide Phytop. pag. 107. gandis morbis omnibus nominasse vidẽtur. Scillæ species est, propte-
Lib. 2. cap. 168. reà Scillã nominant, vt ait Dioscorides, vt Plinius Scillam pusillam.
Forma. Pancratiũ, vt describit Dioscorides, radix est Bulbo magno similis, subrufo colore aut subpurpureo, gustu amaro ac feruẽte. Folia habet Lilio similia,
Li. 27. c. 12. sed longiora. Plinius, Pancratiũ aliqui Scillam pusillã appellare malunt, foliis Lilij albi, longioribus crassioribusq;: radice Bulbi magni, colore rufo. Dalechampius sic depingendũ curauit, & descripsit his ferè verbis. Nascitur vbiuis in litore maris, radice Bulbi magni, cortice subrufo vestita, infernè capillata Cæpę modo: foliis κρίνου, id est, Lilij albi, vt Plinius vertit, longioribus & crassioribus, quod idem addidit: caule pedali & nonnunquam proceriore, anguloso, summo fastigio in quinque foliola candicantia virgata, acuminata sese explicante, è quorum medio angulosæ,

gulosæ, breues & veluti comprssæ eriguntur siliquæ pediculis subnixæ, ex quarum vertice flos albus emicat, oblongus, infernè arctus, supernè latus, ambitu supremo in radios velut cuspidatim diuiso, pallidis apicibus multis, staminibúsque intus extantibus, flore delapso semen in siliquis adolescit, & maturescens grãdescit. Floret mense Iunio. Ex his perspicuum est, Pancratium Scillam non esse, sed speciem *Tempus.*

PANCRATIVM, Dalech.



PANCRATIVM, Clusij.



flore potissimùm ab ea distãtem. Pancratium istud Monspeliense Clusius Hemerocallidem Valentinam vocat, eóque nomine depinxit. Pancratium verò longè aliud, quale hîc videtis expressum. Cùm autem de Scilla dixisset, subiecit. Pancratio amplitudo maior est, extimæ tunicæ rubent, foliáque ampliora & longiora. Nascitur copiosè in mediterraneis Hispaniæ, éstque præsens venenũ. Germinat cum Scilla. Vires Scillæ & preparationem habet, vt tradit Dioscorides, ac eodem pondere in iisdem morbis exhibetur. Mitior autem huius vis est quàm Scillæ. Radicis succus cum erui farina in pastillos cõformatus cum hydromelite spleneticis & hydropicis vtiliter exhibetur. Horum quędam omisit Plinius, & alia addit his verbis. Aluum soluit succo cum farina erui sumpto: vlcera purgat. Hydropicis spleneticisq; cum melle datur. Alij decoquunt eam donec aqua dulcis fiat, eaq; effusa radicem terentes digerunt in pastillos Sole siccatos: & posteà vtuntur ad capitis vlcera, & cætera quæ repurganda sunt. Item ad tussim, quãtùm tribus digitis apprehenderint in vino dantes, & ad lateris dolores, aut peripneumonicis ecligmate. Propter ischiada in vino bibendum, & propter tormina mensésque ciendos. Radix Pancratij, inquit Galenus, Scillæ similem gustum refert ac vires. Quare ea quidam pro Scilla, si ea non adsit, vtuntur: efficit enim omnia in genere quidem similiter, sed longè imbecilliùs. *Vires & Temper.* *Li. 27. c. 12.*

SISYRINCHION Dodonæi. CAP. XVII.

THEOPHRASTVS cum Bulbis multis σισυρίγχιον vel σισυρίγχιον numerat, & post eum Plinius. ἴδιον δὲ τοῦ σισυριγχίου, inquit ille, τὸ τῆς ῥίζης αὐξάνεσθαι τὸ κάτω πρῶτον, ὃ καλοῦσι χειμῶνα (corrige πρῶτον, καὶ χειμῶνα, vt legunt Plinius & Gaza.) τοῦ δὲ ἦρος ὑποφαίνοντος (addit Plinius οὐ) *Lib. 7. hist. cap. 13.*


Lib.19. c.5. τοῦτο μὲν ταπεινοῦσθαι, τὸ δὲ ἄνω τὸ ἐδώδιμον αὐξάνεσθαι. Quæ ſic reddidit Plinius. Siſyrinchium. In hoc mirum imas eius radices creſcere Hieme, Verno autē cùm apparuerit Viola, minui & contrahi, tum denique bulbum pingueſcere. Siſyrinchium

De florib. cap.48. iſtud arbitratur eſſe Dodonæus plantam hîc depictam, quam Hiſpani *Nozelhas* quaſi nuculas ſiue paruas nuces vocant, Bulbi eſculenti genus, cui gemina eſt radix, & in Hiſpaniis paſsim editur: qualem radicem geminam & edulem Siſyrinchio veteres illi aſsignarunt. Lobellius Hyacinthum poëticum Hiſpanicum gemino gladioli reticulato bulbo appellat.

Forma. Dod. ibid. Huic folia ſunt graminis, bina aut terna, oblonga, & anguſta: caulis rotundus, dodrantalis, in quo floſculi tres aut quatuor, pulchri, cærulei, verùm fugaces, & paucis admodùm horis vigentes, alternatim

συσ, porcus συρίχιον rossela, quasi rossella porci, quia eius flos [illegible] aperit. emulatur rossellas porci. [illegible] velimus deriuare [illegible] ποτ σισύρας, σισύρα [illegible] vestis ex pellibus [illegible] confecta, [illegible] tunica interior huius bulbi pilosa [illegible] adnotat Clusius.

SISYRINCHIVM, Dodonæi.



SISYRINCHIVM minus, Cluſij.



prodeuntes, forma quodammodo florum Iridis, ex nouem videlicet foliolis compoſiti, quorum tria deorſum inflexa pro fimbria maculam habent plurima parte luteam, alia tria ſurſum verſus aliquantulùm eriguntur, tria verò reliqua reſpondentia iis quæ Iridis florum fimbriam contegunt, proportione huic floſculo maiora & tenuiora ſunt, ſurſúmque arrecta medium floris tenent, ſumma extremáque parte diuiſa: capitula inde ſuccedunt oblonga, in quibus ſemen rotundum, paruum, vti Rapi: radix bulboſa, gemina, vno Bulbo alteri ſuperpoſito, ſicuti gladioli, ſapore dulcis & edulis, quæ inuolucro quodam integitur reticulato, quod quidem maioribus ſpiſsius eſt, minoribus minùs craſſum. Duo etenim huius genera eſſe vidētur, magnitudine ſola differentia. In Luſitania, & alibi apud Hiſpa-

Lib. 2. ſtir. Hiſpa.c.10. nos naſcitur. Cluſius idem Siſyrinchium alterum genus depinxit, ſuperiori ſimile, in omnibus autem minus, & foliis gracilioribus, floréque longè odoratiore, Hiſpanis *Lirio*, nonnullis *Macucas* dicitur. Cluſius etiam Siſyrinchium Theophraſti eſſe arbitratur. Inuenitur in Valentino regno, ſed in Murciano frequentiſſimum.

ORNITHOGALVM. CAP. XVIII.

QVOD ὀρνιθόγαλον Græcis, Ornithogalum similiter Latinis dicitur, Plinio Ornithogale. A lacteo gallinarum candore Ornithogalum nomen accepisse videtur, inquit Ruellius, quod flores intus lacteo colore niteant, nisi quis censeat ab oui candidi figura, quam radix præ se fert dictum: nam auicularum oua radix imitatur, intus albissima. Ornithogalum, vt describit Dioscorides, cauliculus est tener, tenuis, subalbicans, ad duos dodrantes assurgens, supernè tres quatuórve habens propagines teneras, in quibus flores foris herbacei, aperti verò lactei coloris, inter quos capitulum Cachryos modo insectum, quod vnà cum pane coquitur velut Melanthium. Radix bulbosa, quæ & cruda & cocta editur. Idem delineauit Plinius his verbis. Ornithogale caule tenero, candido, semipedali, radice bulbosa, molli, tribus aut quatuor agnatis. Coquitur in pulte. Ruellius Ornithogalum esse ait, quod à rusticis in Suessionum agro eruitur, rotunda radice, bulbaceam speciem præ se ferente, è cuius medio cauliculus exit tribus, aut quatuor adnatis appendicibus in cacumine: foliis in capillamenta quædam extenuatis: floribus exiguis, foris herbaceis, intus lacteo colore candicantibus, qui simul coaceruati velut paniculæ quædam compactili calculo squamatim cohærentes in pilulam extuberant, nucamentum pineæ nucis repræsentantem. Suessionensis ager *Churles* vocat, pueris non incognitos, qui propter adstantes cùm aratro terra proscinditur, aut in latiores porcas sulcatur, erutos vomere colligunt, multò castaneis suauiores in cibis, quibus & crudis, & in cineribus incoctis rura vescuntur, odore iucundissimo mirum in modum os commendante. Radix in orbem ferè collecta est, cortice pullo, candidissima intus carne pulpáve perquàm odorata. Vere vel Æstate cum fronde virent: Hyeme vel Autumno cùm exarantur agri radicitus euelluntur. Diu seruari possunt, & vbi annonæ premit inopia, plebis rusticæ famē & ieiunia castanearum more satiant. Nec aliud humo genitum promptiùs in cibum cedit, cùm frugum penuria gliscit. Mirè suibus expetitur, qui rostro scrobiculos excauant, & horum capti dulcedine, gregatim ad hos eliciendos, radicitúsque vellendos adcurrunt. Rura ex agris sponte natum gratiorem cibum non norunt. Lautiores etiam mensas diuitum Ornithogalum non reformidat. At Dodonæo huiusmodi radix non Ornithogalum, sed Bolbocastani genus esse videtur. Radix enim est Bulbi forma, sapore castaneæ, quale Bolbocastanū esse nomen ipsum indicat. Ex Matthiolo duas Ornithogali plantas exhibemus, quòd duo esse eius genera existimet. Quorum vtrumque cùm caule foliosum sit, differt ab eo quod Dodonæus depingit, quódque legitimum Dioscoridis Ornithogalum esse censet. Id etiam Bulbum leucanthemum appellat. Huic folia multa sunt & angusta, graminis minora: caulis inter hæc exit, dodrantalis minor, rotundus, glaber, absque foliis: flores in summo dispersi emicant sex aut septem, foris herbacei viroris, intus candidi, ex sex foliolis commissi, exiguis Liliis, præ-

Nomina

Li.1. ca.20.

Vide Phytop. pag. 97

Li.2.c. 138.

Forma.

Li.19. c. 17.

Li.de flor. cap.53.

In cap.138. lib.2.

ORNITHOGALVM I. Matthioli.



ORNITHOGALVM II. Matthioli.



Li. purgát. App. c 6.

sertim priusquàm aperiantur similes, qui Sole quidem splendente patent, noctu verò, & cùm aër nubilus etiam interdiu occlusi permanent: capitula succedunt triangularia, Cachryos semini similia, in quibus semen exiguum: radix bulbosa, lento succo plena, sapore vt plurimùm insipida & aquea, cum obscura tamen quadam acrimonia. Reperitur in agris frumẽtariis apud Brabantos locis compluribus. Maio mense flores edit. Dodonæus alio in loco Ornithogalum, quod Narbonense cognominat, haud parum differens à superioribus depinxit, foliis oblongis & tenuibus, & quàm aliorum angustioribus: caule tenello, cubitali, aut proceriore, nullis foliis vestito, floribus verò exornato quamplurimis, à medio fastigium petentibus, qui foris herbacei sunt, patentes verò interiùs lactei candoris visuntur, Phalangij flores referentes. Fructus triangularis est lobus, in quo semina: bulbus paruus & oblongus pro radice est. In Narbonensi Gallia, ac iuxta Monspelium in agris frumenti feracibus gignitur. Sunt qui Dioscoridis legitimum Ornithogalũ esse existiment. At superiora pro legitimis Dodonæo magis placent. Ornithogalo Narbonensi simile, & magnitudine tantùm distare videtur, quod à Mycono habuimus. Inter segetes oritur, inquit, cubitali altitudine, interdum maiori. Caulem ha-

ORNITHOGALVM Dodon. seu Bulbus Leucanthemus.



ORNITHOGALVM Narbonense, Dodon.



bet læuem

ORNITHOGALVM magnum, Myconi.



bet læue,rotundum,ſolidum,Aſphodeli inſtar, in quo flores intus candidi, ex ſex foliolis conſtantes,foris virides ex petiolo pendent, prope cuius exortum foliolum è caule prodit, ipſum petiolum amplectens:in florum medio ſtamina multa ſunt veluti in Roſa. Radix craſſa eſt, bulboſa,candida,ſolida,non ſquamata,dulcis, inferiore parte fibras in orbem emittens, eius extremum ambitum cingentes coronæ capitis monachorum inſtar. Cùm huic idem ſit ſapor qui Ornithogalo vulgari,foliorũ, florum forma eâdem, Ornithogali ſpeciem eſſe cenſet Myconus, etiam ſi folium ſit in hoc duplo maius & latius. Quare Ornithogalũ magnum appellauit. Raram plantam eſſe ait, ſéque bis tantùm reperiſſe, ſemel Toleti, iterum iuxta Barcinonem. Ornithogali ſpeciem faciunt quidam, vt ſcribit Pena, quod Ornithogalum luteum vocant. Quamuis enim Ornithogalo nomen dedit florum lacteus cãdor, cuiuſmodi in gallinarum alis renidet aut ouis, non earum lacte,quo caret volucrum genus, tamẽ propter totius figuræ affinitatem nobis erit etiam vocandum Ornithogalum,quod flore luteo eſt elegantiſsimum, nec ita frequens Italiæ,Narbonæ,calidioribúſque viſitur.In Aruernis & ad pomeria Lugduni pone & prope ſuburbium trans Lugdunum,vulgò *La Guillotiere*, in campis latis &

ORNITHOGALVM luteum Lobel. ſiue Bulbus ſilueſtris, Dodon.



NARCISSVS IIII. Matthioli.



glareoſis,

glareosis,etiámque in Borbonio agro,quâ ducit regia via Lutetiam, plurimísque Belgij, Angliæ nemorosis Sommerseti Ornithogalum luteum se collegisse ait. Tota planta minor multò, sed simillima candido Ornithogalo. Martio mense floret. Bulbus vnicus plurimùm Scorodoprasi,oblongior,inodorus,pauciora,sed latiora quàm Ornithogali folia:flores prorsum Ornithogali,sparsi, & foris quidē herbidi vt Ornithogali,sed luteoli non candidi, intus verò eleganti luteo nitent. Est Bulbus siluestris Fuchsij & Tragi,Sisyrinchium Cordi, Bulbus esculentus Lacunæ. Hîc satis appositè collocabitur venusta planta inter Ornithogala & Liliocnarcissos media:habet enim radicem Ornithogali,folia oblonga Narcissi, imum caulem glabrum,singularem,pedalem & cubitalem ambientia, in summo in alas diuisum,quibus Liliacei,lactei candoris calicis instar senis foliolis radiati flores, Tulipæ minores,obtusi,è quorum fundo glomerulus pullus protuberat. Semen pericardio tereti Ornithogali clauditur, stamina luteola glomeratum fundum pullum ambientia. Plantæ odor suauis, aromaticus, Belgio hortensis vt rara, ita vsu incomperta. Narcissus est quartus Matthiolo,Lobellio Lilionarcissus polyanthes,recentioribus Lilium Alexandrinum, Italis *Hyacintho del pater nostro* propter glomerulos floris. Hæc Lobellius.

TRASI. CAP. XIX.

RARA est planta hæc,nec alibi scribunt Herbarij sponte oriri, quàm in amœnissimo Veronensium agro, non procul ab vrbe, vbi etiam colitur pingui riguoq; aruo. Seritur & in Athesis fluminis sabulosis auctore Alexandro Benedicto. Huius radices Trasi illic vocantur, & *Trasi Dolce* & *Dolzolini*,Guillandinus & Dodonæus Dulcichinū vocant plantam ipsam,Pena esculētos Cyperos, ꝙ hæc planta prorsus sit è Cyperi genere seu radices,seu reliquam totam plātam spectes, eiusq; locos natales:nec differre videtur nisi radicum sapore,qui gratus vescendo est,nec minùs vtilis. Sunt autem bulbosæ,vt describit Matthiolus,fabarum magnitudine,oblongæ, & cùm siccantur rugosę.Planta ipsa folio est oblongo,arundinaceo,dorso eminente, triangulo, Cyperino similj. Caules edit cubitales, angulosos, in quorum cacumine folia exiliora stellarum modo radiata,inter quæ flores exeunt spicati, siue iubæ subfuluescentes. Radices habet numerosis, tenues, è quibus globuli dependent bulbosi, oblongi,fabarum magnitudine, colore subrubescente,alba, dulciq; intus medulla, Castaneæ sapore. Autumno parui isti bulbi leguntur, Vere seruntur in plures multiplicandi. Sunt qui putant stirpem istam esse Theophrasti κύπειρον ἐδώδιμον, id est, Cyperum esculentum, cùm cæterorum radices amarę sint, & minimè edules: ὧν αἱ μὲν ῥίζαι γλυκεῖαι, τὰ δὲ ὑπὲρ γῆς οὐχ ὅμοια. λέγω δὴ οἷον ἀγρώστιδος, κυπείρου, τοῦτλίου, σελίνου, ἱπποσελίνου, τῶν ἐν ταῖς λίμναις καὶ τῶν ἐν τοῖς ποταμοῖς τούτων φυομένων ἐδωδίμων. Id est, quorum radices sunt dulces, quæ verò supra terrā, minimè, veluti Graminis, Cyperi, Apij, Hipposelini, atque eorū quæ in paludibus & fluuiis esculenta proueniunt. Quidam putant Trasos esse Arabum

Nomina

Vide Phytop. pag. 36.

Forma.

TRASI cum flore, Matth.



Arabum medicorum *Halalzelin*, sed falsò. Nam *Alzelin* ab Arabibus inter fructus, seu grana, non inter radiculas numeratur. Sic enim Serapio scribit, cap. 327. simpl. *Halalzelim*, id est, Granum zelim, est granum pingue, ciceris magnitudine, citrinum exteriùs, album interiùs, & habet bonum saporem, & defertur ex terris Barbariæ. Idem confirmat Auicenna, cap. 304. his verbis. Granum Alzelim est granum boni saporis, & oritur in partibus Herzuz. Ex quibus perspicuum est, granum istud à Trasis multùm differre. Horum cremore, vt tradit Matthiolus, pectoris & laterum vitia expurgantur. *Vires & Temper.* Quo fit vt tussientibus perutiles sint: tunduntur enim macerantúrque carnium iure, deinde per linteolum exprimitur cremor, quem etiam venereis potionibus miscent recentiorum nonnulli. Idem cremor potus ad vrinę ardores valet, & ad dysenterias: nam humorum acrimoniam retundit, præsertim ex aqua potus, in qua candens ferrum extinctum fuerit. Veronenses pro bellariis vtuntur. Sunt hæ radices, vt ex experientia & dulcedine coniici potest, in moderatè calfacientium & humectantium genere, sed flatus quodam modo gignunt. Humenti Belgico solo complures capillares radices edidisse scribit Lobellius. Venerem stimulare, abstergere moderatè humectando, ideò expectorationẽ iuuare.

TVBERA ET FVNGI. CAP. XX.

RADIGIEVS aut Bulbis, inquit Galenus, adnumeranda quæ Græcè ὕδνα & ὄιδνα, Latinè Tubera dicuntur, Arabicè *Ramech*, *Alchamech*, *Tumer & Roma*, Italicè *Tartuffi*, Germanicè *Hirtzbrunst*, Hispanicè *Turmas de terra*, Gallicè *Truffles*. *Nomina* Vocantur autem ὕδνα ab imbribus, & ὄιδνα à tumore. Ac ne quis homonymia fallatur, sunt fructus arboris Tuberes nominati, & à Plinio descripti, & Cyclaminus Tuber terræ appellatur. Lib. 15. c. 14. Tuber tradit Dioscorides radicem esse rotundam, sine foliis, sine caule, subflauam. Li. 2. ca. 139. Effoditur Vere, & cruda & cocta in cibi vsum venit. Eius luculentior est apud Plinium descriptio. *Forma.* Et quoniam à miraculis rerum cœpimus, sequemur eorum ordinem, in quibus vel maximum est aliquid nasci, aut viuere sine vlla radice. Lib. 19. c. II. & III. Tubera hæc vocantur, vndique terra circũdata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec vtique extuberante loco in quo gignuntur, aut rimas agente: neque ipsa terræ cohærent. Cortice etiã includuntur, vt planè nec terram esse possimus dicere, nec aliud quàm terræ callum. Siccis hæc ferè & sabulosis locis frutectosisq; nascuntur. Excedunt sæpe magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere. Duo horum genera, arenosa dentibus inimica, & altera syncera. Distinguntur & colore, nigro rufoq;, & intus candido, laudatissima Africæ. Crescunt, an'ne vitium id terræ (neque enim aliud intelligi potest) ea protinus globetur magnitudine qua futurum est: & viuant ne an non, haud facilè arbitror intelligi posse. Putrescendi enim ratio communis est iis cum ligno. Lartio Licinio Prætorio viro, iura reddenti in Hispania Carthagine, paucis his annis scimus accidisse mordenti Tuber, vt deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret. Quo manifestũ erit terræ naturam in se globari: quod certum est ex

TVBERA, Matthioli.



eſt ex iis quæ naſcuntur, & ſeri non poſſunt. Et paulò pòſt. De Tuberibus hæc tra-
duntur peculiariter, cùm fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tum na-
ſci, & maximè è tonitribus: nec vltra annum durare: tenerrima autem verna eſſe.
Quibuſdam locis accepta riguis feruntur: ſicuti Mytilenis negant naſci, niſi ex
inundatione fluminum iniecto ſemine ab Tiaris. Eſt autem hic locus in quo plu-
rima naſcuntur. Aſiæ nobiliſsima, circa Lampſacum & Alopeconneſum, Græciæ
verò circa Elin. Hactenus Plinius. Duo in Romano agro genera haberi ſcribit
Matthiolus. Vni candida, alteri pulla pulpa ſubeſt. Rimoſus vtrique cortex, ac ni-
ger. Eſt & tertium genus in Ananienſi & Tridentino tractu proueniens, colore
Li.2. Alim. ſubrufo, cæteris longè minùs, inſipidum & guſtu iniucundo. Tubera, auctore Ga-
leno, nullam qualitatem inſignem habent. Quare qui ipſis vtuntur, ad cōdimen-
ta excipienda magis vtuntur, quemadmodùm & aliis quæ vocant inſipida, & in-
noxia, & ad guſtum aquoſa. Quibus omnibus eſt commune, vt alimentum quod
ab ipſis in corpus diſtribuitur, nullam inſignem habeat facultatem, ſed ſubfrigidũ
quidem ſit, craſsitiè verò, quale ipſum eſt quod ſumptum fuerit: craſsius quidem
quod ex Tuberibus eſt, humidius autem, ac tenuius, quod ex Cucurbita: atque in
Li.2.c.698. aliis proportione. Sed de iis aliter ſcripſit Auicēna. Tubera terrea magis conſtāt
ſubſtantia, aquea minùs: eſt & in iis aërea & ſubtilitas pauca, ſuntq; omnis ſaporis
expertia. Melancholicos & craſſos gignunt humores magis quàm quoduis aliud
cibi genus. Quare frequenter deuorati apoplexiam & paralyſim inuehunt. Præ-
tereà concoctu difficilia ſunt, & ventriculum grauant. Tuberibus deteriores ſunt
Fungi, qui Græcis dicuntur μύκητες, Arabibus *Hatar*, vel *Father*, Italis *Fongino*, Ger-
manis *Pſifferling*, & *Reysken*, Hiſpanis *Hongos*, *Cogomelos*, & *Cylherquas*, Gallis *Champi-
gnons*, & *Potirons*. Horum differentiam duplicem ſtatuit Dioſcorides. Aut enim
manduntur, inquit, aut perniciales ſunt. Multis de cauſis venenati gignuntur,
vbi videlicet clauus ferreus in quo ſit rubigo, aut pãni marcor adfuerit, aut ſi iuxta
ſerpentis cauernam, arborémve noxiam emergant. Cōtinent qui tales ſunt neſcio
quod ſtrigmentum, concretámque pituitam, terráque eruti quàm celerrimè pu-
treſcunt. Qui verò eſculenti ſunt, ſuauem in iuribus gratiam ineunt, largiùs ta-
men ſumpti nocent, & ægriùs concocti ſtrangulant, aut choleram morbum ci-
tant. Remedio eſt nitri (Oribaſius habet olei) potus, aut lixiuium cum acida mu-
ria, aut feruefactæ Satureiæ, aut Origani iuſculum. Debellantur etiam gallinacei
fimi potu ex aceto, aut eiuſdem delinctu cum melle multo. Corpus alunt, ſed ægre
diſſoluuntur, cùm magna ex parte integri cum recrementis alui deiiciantur. Hæc
Dioſcorides. Matthiolus eorum qui ſunt edules differētias multas reperiri ſcripſit,
præſertim in Hetruria inter omnes Italiæ regiones Fungorum feraciſsima. Sunt
enim, inquit, qui *Prignoli* vulgò dicuntur, ſingulis annis primis Aprilis imbribus
erumpētes, nō ſolùm odorem ſuauē ſpirãtes, guſtúque gratiſsimi, ſed etiam pror-
ſus innoxij. Secundum locum tenent porcini, hoc eſt ſuilli vulgò nuncupati, qui
priùs elixi, deinde farina óbliti, & in butyro, vel oleo frixi magnam cum palato
ineunt gratiam. Sed in eo genere plures pernicioſi quàm in aliis reperiuntur, qui
facilè dignoſcuntur cùm à terra & cortice purgantur, inciduntúrq; decoquendi.
Nam diſſectorum ſtatim, vt Plinius ait, dilutus aduenit rubor, rancidus ſubinde
aſpectus, liuidus intus color, rimoſa ſtria, pallidum per ambitum labrũ, poſtremò
accedit nigredo, & ita protinus computreſcunt. Rectè etiam ſcripſit Auicenna
eos nocentiores eſſe qui nigri ſunt, vel virides, vel in rubro purpuraſcentes. Sed
accidit plerumq; vt eos potiſsimùm Fungi perimant, aut in magnum diſcrimen
adducant, qui ſuper ferrea craticula, aut cineribus calentibus aſſatos deuorãt, quia
non diſſecti, noxij ab innoxiis non facilè ſecernuntur. Prætereà nō ſemper nocēt
Fungi, quia ex ſeſe lethiferi ſint, ſed quòd copioſiùs quàm par ſit ingerantur: cùm
enim

μυκης. fungus
μυω, e[st] claudo;
κυσης, et μυκη d.
[illegible] et compressio
hinc μυκης fungus
quia occlusus et com-
pressus a terra erum-
pat, et postea se dilatet

FVNGI.



enim lenti admodũ crassissimiq́; sunt suc ci arteriarum oscula ita obstruũt, vt conclusis intus spiritibus suffocent. Quod cùm norint Hetruscæ rusticę, raró Fungos edunt, nisi Allio & pipere additis. Asseruatur Fungi muria, inquit Matthiolus, præsertim qui vulgò porcini vocantur: sic enim innocentiores redduntur, deposito lentore. Idem multa alia Fungorum vulgaria genera recenset, *Prataioli, Turini, Boleti, Orceije, Cardarelle, Ordinoli, Parigioli, Vescie di Lupo.* Fungi etiam non tantùm humi, sed etiam in arborum caudicibus nascuntur, quos omni ferè periculo vacare putat Matthiolus, modò non sint arbores noxiæ, & è corticibus prodeant, quibus nec ferrum, nec tabefactus pannus, nec serpentis cadauer subsit. Ex eo genere præter Agaricum, quosdam Laricibus innasci, ait in Ananiésibus montibus, triginta librarum pondere, aureo colore, per ambitum insectos, in cibis gratissimos, sine vllo amarore, licet Agaricus, ex eadem arbore sit amarissimus. Sed optimè omnium Galenus dixit Fungum plantam esse admodùm frigidam & humidam: quamobrem ad deleteriam enecantémque facultatem accedere, ac sanè inter eas esse quæ interficiant, potissimùm qui ex natura mixtam habent qualitatem putredinosam. Et in lib. de Alim. Inter Fungos, inquit, Boleti si bellè in aqua elixi fuerint, propè accedunt ad cibos insipidos. Non tamen sic solis ipsis vulgò vtuntur, sed apparant variè & condiunt, vt alia omnia, quæ nulla insigni qualitate sunt prædita. Alimentum autem ex ipsis est pituitosum & frigidum, prauíque succi, si quis ipsis largiùs vtatur. Omnium igitur Fungorum ij minimùm sunt noxij. Secundi autem post hos sunt Amanitæ. Reliquos verò tutiùs est ne attingere quidem: multi enim ex ipsorum esu interierunt. Noui quẽdam, cui post Boletorum non satis elixorum (qui innocentissimi esse putantur) vsum largiorem, os ventriculi pressum, ac grauatum coarctatumq́; fuit, difficilémque habuit respirationem, & in animi deliquium incidit, sudoremq́; frigidum sudauit, ac demũ seruari ægre, sumptis iis quæ humores crassos incidunt, potuit: cuius generis est oxymeli ipsum per se, & cum hyssopo, & origano ipsi mediocriter incoctis. Is enim tũ hæc sumpsit, tum nitri spumam ipsis inspersam: post quæ Fungos quos comederat vomuit, qui iam quodammodo in succum pituitosum frigidumq́; admodùm, ac crassum erant mutati. Hîc non omittendus Fungus insignis, quem spongiosũ Dalechãpius cognominauit. Nascitur in asperis & saxosis, sæpe ad Castanorum radices, co- *Locus.*

FVNGVS spongiosus, Dalechampij.



fungus vel dicuntur à frigendo quia … vel dicunt à funere nat et plurimum periculosissimi sunt et interimunt

lore fuluo,corpore ſpongioſo,figura in metam deſinente,ſuauiſsimi guſtus:quamobrem in delitiis habetur variis modis præparatus , vt hominum palatum variis condimentis oblectatur.Galli vocant *Morilles*,inde fortaſſe,quòd ad Mori fructus figuram nonnihil accedat.

ASPHODELVS. CAP. XXI.

Nomina

GRAECIS ἀσφόδελος, Latinis Aſphodelus,& Haſtula regia, quòd dum floret prorſus ſceptri regij effigiem referat, & Albucum, ſiue Albucus vocatur, Officinis corrupta voce Afrodilus, Arabibus *Cheunce,Bhunte, Biruach* , *Abg*, ſeu *Axeras* ,Italis *Aſphodelo*, Germanis *Golduurtz*, Gallis *Afrodile* ,& *Hache Royalle* ,Hiſpanis *Gamones* & *Gamonites*. Florem ἀνθέρικον appellari ait Dioſcorides , Plinius caulem Anthericum , radicem verò , id eſt, bulbos, Aſphodelum. Theophraſtus etiam caulem ἀνθέρικον vocat , Albucum vertit Gaza Plinium ſecutus. Dioſcorides vnius Aſphodeli meminit. Plinius Dionyſium duo genera facere tradit, marem & fœminam. Recentiores tria obſeruarunt. Aſphodelum deſcribit Dioſcorides his verbis. Folia habet Porro maiori ſimilia , caulem læuem in ſummo florem ferentem, Anthericum vocatum : radices oblongas , rotundas,glandibus ſimiles,guſtu acres. Hunc Dioſcoridis Aſphodelum album vocant Herbarij quidam,alij marem,qui folia fert complura,oblonga,anguſta,Porri foliis ſimilia,acuminata:caulem rotundum,læuem, cubito longiorem , quem à medio ſurſum verſus multi quinque foliolorum flores patentes exornant , colore candidi,aut ex rubro valde diluto modicè purpuraſcentes , ſtaminibus in medio, poſt quos capitula ſequuntur orbiculata,in quibus ſemen durum,triangulum, nigricantis obſoleti coloris:radices ab vno capite complures exeunt,oblongæ, teretes,Pæoniæ minores,concolores fermè, acres , magnis glandibus quodammodo ſimiles,ſuccoſæ. Arida Narbonæ litora huius Aſphodeli feraciſsima ſunt,nec minùs montes à mari diſiti,vbi bulbis illius adultioribus roſtro effoſis quantumuis acribus ſues lubenter veſcuntur. Apud Germanos & Belgas non niſi ſatus prouenit. Floret Maio & Iunio menſibus,& particulatim quidē ab imis incipiens. Plinius, Aſphodelus, inquit, oblongum & anguſtum folium habet. Et mox, Aſphodeli mentionē & Homerus fecit. Radix eius Napis modicis ſimilis eſt : neq; alia numeroſior, octoginta ſunt aceruatis ſæpe bulbis. Theophraſtus & ferè Græci,principeſq; Pythagoras,caulem eius cubitalem,& ſæpe duûm cubitorum,foliis Porri ſilueſtris, Anthericum vocauêre:radicem verò,id eſt, bulbos, Aſphodelū. Noſtri illud Albucum vocant, & Aſphodelum Haſtulā regiam. Theophraſtus hæc de Aſphodelo. ὁ μὲν γὰρ ἀσφόδελος μακρὸν , καὶ στενότερον καὶ ὑπόγλισχρον ἔχει τὸ φύλλον. Id eſt, Aſphodelus longum,& anguſtum, & quadātenus viſcidum folium habet. Et, μέγιστον ὁ πάντων ἀσφόδελος. ὁ μὲν γὰρ μέγιστος ἀνθέρικος. Omnium maximū caulem Aſphodelus habet: Anthericus enim maximus. Et mox. ἔστι δὲ πολύκαρπος ὁ ἀσφόδελος, καὶ ὁ καρπὸς αὐτοῦ ξυλώδης, τῇ μὲν μορφῇ τρίγωνος, τῷ δὲ χρώματι μέλας. γίνεται δὲ ἐν τῷ στρογγύλῳ τῷ ὑποκάτω τοῦ ἄνθους,

Lib.21.c.17. &.lib. 22. cap.22.

Lib.7. hiſt. cap.12.

L.1.2. c.164.

Genera.

Ibidem.

Forma.

Locus.

HASTVLA Regia,ſiue Aſphodelus, Matth.



Lib.7 hiſt. ca.12.

ἄνθους, ἐκπίπτων δὲ τοῦ θέρους, ὅταν τοῦτο διαχάνῃ. τὴν ἄνθησιν (non ἄυανσιν, vt habent publica exemplaria) ποιεῖται κατὰ μέρος, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῆς σκίλλης. ἄρχεται δὲ πρῶτον ἀπὸ τῶν κάτωθεν. ἐν δὲ τῷ ἀνθερίκῳ γίνεται σκώληξ, ὃς εἰς ἄλλο μεταβάλλει ζῷον πτηνὸν ἀνθηνοειδές. εἶθ' ὅταν ὁ ἀνθέρικος αὐανθῇ, διεσθίων ἐκπέταται. δοκεῖ δ' ἴδιον ἔχειν πρὸς τὰ ἄλλα τὰ λειόκαυλα, διότι στενὸς ὤν, ἀποφύσεις ἄνωθεν ἔχει.

ASPHODELVS minor, Dodon. & Clusij.



ASPHODELVS bulbosus, Galeni.



Id est, Multi seminis est Asphodelus, estq; semẽ eius lignosum, forma triangulum, figura nigrũ. Gignitur hoc in rotundo quodam quod flori subest, excidens æstate cùm id dehiscit. Floret particulatim, vt & Scilla, incipiens ab imis. In Antherico nascitur vermis, qui in aliud animal volatile floridum transmutatur. Deinde cùm Anthericus exaruerit, ipso eroso euolat. Videtur autem hoc peculiare habere præ cæteris læui caule præditis, quòd, angustus cùm sit, propagines supernè habet. Hæc Theophrastus. Dioscoridis Asphodelo satis similis est caule, foliis, floribus, planta appicta, sed radicibus differt, quæ non glandulosæ, sed crassæ, fibratæ, numerosæq; ex vno capite nascuntur: folia Asphodeli minora & angustiora multò, breuioraq;, & dilutiore colore: è quorum medio sex, aut plures ex eadem radice assurgunt caules cubitales, ramosi, quos sine ordine nascẽtes exornant flores, superioribus similes, sed minores deinde triangulares siliquæ, primũ virides, deinde albicantes, & in his semen rugosum, triquetrum, altero minus. Dodonæus & Clusius Asphodeli minoris nomine plantam hanc donarunt: nullumq; alium ferè Asphodelum ait Clusius toto Valẽtino regno nasci, & Gadibus, & plerisq; Granatensis regni locis: inueniri etiã in lapidosa illa planitie supra Arelatem, secus vias. Huius meminimus in libro de iis quæ flore placẽt, cùm de Phalangio ageremus. Asphodelus fœmina Dodonæi, siue bulbosus, siue Hyacinthinus, folia habet porracea, sed tamen angustiora & tenuiora quàm primi Asphodeli: caulem rectum, rotundum, floribus similiter multis circũuestitum, rarioribus tamẽ, qui primi Asphodeli floribus, haud multùm sunt absimiles, ex sex paruis acuminatis foliolis, & aliquot in medio staminibus compositi: capitula quoque triangularia, sed longiora, in quibus semen, radix subest bulbosa, magnitudine esculẽti Bulbi, aut maior. Belgæ in hortis colunt. Floret eodem quo primus tempore, aut paulò tardiùs. Asphodelum esse caulis Antherico similis ostendit. Quare is erit Asphodelus, cuius meminit Galenus in libris de Alimen. facultatibus,

Lib 5. c. 80. hist. stirp. & de flori. cap. 39.

de quo posteà dicetur. Ab hac sententia non abhorrent Lobellius & Pena, qui Asphodelum fortè Galeni & Hyacinthinum appellant: quia ancipitis videtur figuræ & generis ex Asphodelo, cuius flores habet, & ex Hyacintho, propter similem radicem. Est & alius Asphodelus luteus, à florum colore luteo cognominatus, cui folia sunt oblonga, angusta, striata, in virore quasi cærulea, longiora & angustiora quàm primi: caulis rotundus, cubitalis: flores in eo à medio sursum versùs plurimi, alterius satis similes, sed colore lutei, staminibus in medio: capitula succedunt rotũda, in quibus semẽ: radices similiter cõplures, sed singulæ oblongæ & tenues, multò quàm primi & tenuiores & lõgiores, colore luteolæ, supra quas fibræ quædam è lateribus exeunt, per quas in plures alias stirps ipsa facilè multiplicatur. Hortis Belgij & Galliç familiaris est. Floret similiter Maio aut Iunio mense. Est & Asphodelus luteus palustris, de quo in lib. de Palustribus. Addit Lobellius Liriasphodelũ Liliflorũ, de quo egimus cap. de Hemerocallide. Præterea Liriasphodelũ phœniceũ, cui ex miniato flauẽte flores rutilãt: folia sunt Porri, Asphodeli albi vel Liriasphodeli vegetiora latioraq;, supernè reflexa: caulis rotũdus, durior, binos ternosq; cubitos interdũ superans, in cuius summo Liliacei itidem flores striati, Liliũ puniceum minus æquantes. Radix tuberosa teres, Asphodeli lutei minoris. Asphodeli ra

Dodon. de florib. c. 38.

ASPHODELVS luteus, Dodonæi.



ASPHODELVS luteus minor, Lobellij.



LIRIASPHODELVS phœniceus, Lobellij.



deli ra

deli radix, vt Diosc.tradit, calfaciendi vi prædita est. Vrinã & mẽses pota mouet. *Vires & Temper.* Lateris dolorib⁹, tussibus, cõulsionib⁹, ruptionibus drachmæ põdere ex vino pota medetur, vomitiones adiuuat ludicri tali magnitudine in cibũ accepta. A serpẽte demorsis datur vtiliter triũ drachmarũ pondere. Illinire aũt oportet morsus foliis radice & floribus cum vino: itẽ vlcera sordida & depascẽtia: mammarum quoq; & testiũ inflãmationes, tubercula & furũculos, decocta in vini fæce radice: ad recentes autẽ inflãmationes cũ polenta. Radicis succus adiecto vino vetere dulci, myrrha & croco simul decoctis, perquã vtile fit oculis medicamentũ. Ad purulentas aures per se, & cũ thure, melle, vino & myrrha tepefactus prodest. In contrariam aurẽ per se infusus dentiũ dolorẽ mitigat. Cinis è radice cremata illitus, alopecias capillis replet. Oleũ in excauatis radicibus igni decoctũ, illitũ exulceratis pernionibus, & ambustis igne cõducit. Dolori auriũ instillatus auxiliatur. Candidã vitiliginẽ linteo anteà perfrictã in Sole, illita radix emendat. Semen & flores in vino poti, scolopendræ & scorpionũ venenis egregiè aduersantur. Aluũ quoq; deiiciũt. Galenus tradit Asphodeli radicẽ vtilẽ esse sicut Ari, Arisari (exẽplaria falsò habent Asari) Dracõtij, nempe extergentis facultatis: vstæ autẽ cinerẽ calidiorem & exsiccantiorem, magis tenuium partium, & ad discutiendum potentiorẽ effici. Quare & alopecias sanat. Meminit Asphodeli etiam Hesiodus his versibus. Li 6. simpl.

Νήπιοι οὐδ᾽ ἴσασι ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε, καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ᾽ ὄνειαρ, Id est,

Ignorant stulti quantò plus dimidium sit
Toto, quámque bonum magnum in Malua Asphodelóque.

Sed cùm Asphodeli Dioscoridis radices acriores sint & ingratiores, quàm vt præsertim hominibus nostris in cibũ cedere possint, verisimile est Hesiodũ Asphodelũ aliquẽ aliũ intellexisse, fortè Galeni, cuius vis etiã nõ elixi ignauior multò, & feruor mitior. De quo sic scripsit. Radix Asphodeli & magnitudine & figura & amarore Scillę radici quodãmodo similis est, si tamen vt Lupini paretur, maximam partem sui amaroris deponit, in eóque à Scilla discrepat. Nam Scillæ qualitas difficillimè exuitur. Hesiodus certè Asphodelũ laudat. Equidẽ noui quosdam rusticos qui grassante fame vix tandem cõpluribus elixationibus decoctionibusq; in aqua dulci esculentam ipsam reddiderint. Porrò hæc quoque radix, quemadmodùm & Dracontij, facultatem habet tenuandi & aperiendi. Proinde quoq; pro summo remedio ipsius asparagum ictero laborãtibus exhibent. De eodem eduli Asphodelo hæc literis prodidit Theoph. πολλὰ δὲ εἰς τροφὴν παρέχεται χρήσιμα. καὶ γὰρ ὁ ἀνθέρικος ἐδώδιμος σαθευόμενος, καὶ τὸ σπέρμα φρυγόμενον. πάντων δὲ μάλιστα ἡ ῥίζα κοπτομένη μετὰ σύκου, καὶ πλείστην ὄνησιν ἔχει καθ᾽ ἡσίοδον. Id est, interprete Theodoro, Asphodelus permulta ad cibum vtilia adfert: quippe Albucũ tostum in cinere manditur, & semẽ torrefactum vsui est. Sed radix tusa cum ficu in vsu maximè omniũ venit, & vtilitatis plurimùm auctore Hesiodo præbet. Hæc ex Theophr. Plinius exscripsit, Asphodelus mãditur & semine tosto, & bulbo: sed hoc in cinere tosto, dein sale & oleo addito: præterea cũ ficis, præcipua voluptate, vt videtur Hesiodo. Traditur & ante portas villarũ satum remedio esse contra veneficiorũ noxiam. Quod postremũ Theoph. & Diosc. non de Asphodelo, sed de Scilla literis mandarũt, vt diximus. Idem Plin. prolixiùs Asphodeli vires exponit, sed quæ partim mari, partim fœminæ debẽtur.

Li.2. Alim. — Lib.7. hist. cap.12. — Lib.21.c.17.

MOLY. CAP. XXII.


ETsi Homerus Moly illud primus celebrauerit, quo contra Circes veneficia Vlyssem Mercurius armauit, ita canens:

Ὥς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον ἀργειφόντης
Ἐκ γαίης ἐρύσας, καὶ μοὶ φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν.
Ῥίζαν μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος. Odiss. 10.


Μῶλυ δὲ μὶν καλέϋσι θεοὶ. Id est,
Sic fatus diuulsam è terra porrigit herbam
Mercurius, simul & naturam me docet huius.
Radix magna huic, sed lactis flos concolor exit.
Lib.14. Metamor. *Moly vocant superi.* Et post Homerum Ouidius, dum canit:
Pacifer huic florem dederat Cyllenius album,
(Moly vocant superi) nigra radice retentum:

tamen cũ graues Græci & Latini rei herbariæ scriptores peculiaris herbæ bulbosę
Nomina meminerint, quæ μῶλυ Græcè dicatur, Latinè etiam Moly, eíque locos natales in quibus reperitur assignarint, de ea hîc dicendũ. Dictam autẽ volunt ἀπὸ τοῦ μωλύειν τὰς νόσους, id est, à mitigandis sedandísque morbis. Verùm cũ nomen istud non vni, sed pluribus posteà accõmodarint plantis, vt insigni quopiã odore, ita vi & figura
Li.3. ca. 47. Li.7. simpl. non ita dissimili præditis, vt Rutæ siluestri, auctoribus Diosc. & Galeno, tamen de Moly bulboso Diosc. hîc agimus. Folia, inquit, gramini similia habet, latiora, humi sparsa, flores Violæ albæ, lactei coloris, minores tamen, & cũ Violæ purpureæ floribus cõparandos: caulem album, quaternûm cubitorũ, in cuius summo inest quid
Li.25. ca.4. Allij speciẽ referẽs. Radix est parua, bulbosa. De alio Plinius scripsit. Clarissima herbarum est, Homero teste, quam à Diis vocari putat Moly, & inuentionẽ eius Mercurio assignat, contraq; summa veneficia demonstrat. Nasci eam hodie circa Pheneũ, & in Cyllene Arcadiæ tradunt, specie illa Homerica, radice rotunda, nigraq;, magnitudine Cepæ, folio Scillæ: effodi autẽ difficulter. Græci auctores florẽ eius luteum pinxere, quum Homerus candidum scripserit. Inueni è peritis herbarum Medicis, qui & in Italia nasci eam diceret: afferríq; è Campania vidi, aliquot diebus effossam inter difficultates saxeas, radicis triginta pedes longæ, ac ne sic quidẽ solidæ, sed abruptæ. Quæ magna ex parte ex Theoph. trãscripsit, cuius verba hęc sunt.
Lib.9. hist. cap.15. Τὸ δὲ μῶλυ περὶ φανεὸν (legendum ex Plinio φενεὸν) καὶ ἐν τῇ κυλλήνῃ. φασὶ δὲ εἶναι καὶ ὅμοιον, ὡς ὅμηρος εἴρηκε (sic habent vulgata exẽplaria: Gaza legit, καὶ ἐν τῇ κυλλήνῃ φασὶν εἶναι, ὡς ὅμηρος εἴρηκε,) τὴν μὲν ῥίζαν ἔχον στρογγύλην, προσεμφερὲς κρομμύῳ, τὸ δὲ φύλλον ὅμοιον σκίλλῃ. χρῆσθαι δὲ αὐτῷ πρός τε τὰ ἀλεξιφάρμακα, καὶ τὰς μαγείας. οὐ μὴν ὀρύττειν γε εἶναι χαλεπὸν, ὡς ὅμηρός φησι. Id est, Gaza interprete, Moly apud Pheneũ exit, atq; apud Cyllenem esse (quemadmodùm Homerus dixit) affirmant: radice rotunda nõ absimili Cepæ, folio Scillæ. Vsum eius contra veneficia summũ, non tamẽ effodi difficulter, vt ait Homerus. Hæc Theophr. De Dioscoridis Moly primùm dicemus. Id genuinũ doctis Herbariis
Forma. videtur esse, quod horti Patauini & Bononiẽses iamdiu, nunc etiã Belgæ colunt, cui bulbus exiguus, oblongus, fermè Porri, albicans, triticeis aut gramineis foliis: flos in cauliculis cubitũ altis, lacteus, Ornithogali aut Allij vrsini æmulus: semen in siliqua. Istud Moly Dioscoridis faciũt. Matth. Patauio missum à Cortuso pictum dedit. Idẽ prorsus esse opinor quod Clusius vidit Gadibus extra mœnia, Februarij initio florẽs, & ita describit. Habet hæc planta bina aut terna folia graminea, exteriore parte aliquantulùm lanuginosa, mollia, & ad terrã inflexa, inter quæ caulis exilit dodrantalis læuis, rotundus, vacuus, in cuius

MOLY, Matth.



MOLY foliis Narcißi, Lobellij.



cuius cacumine ex membranula quadam emergunt multi flosculi exigui, candidi, sex foliolis constantes: radix bulbosa, allij aut auellanæ magnitudine, nigricantibus mēbranis inuoluta, intus candida, succulenta, calidiuscula, & subingrato odore. Clusio plurimū ad Dioscoridis Moly accedere videtur, præsertim si pro πηχέων τεσσάρων, legatur δακτύλων τεσσάρων, id est, quaternū digitorum. Illi assentiuntur Lobellius & Pena. Idem Lobellius perelegans aliud Moly serpentinum exhibuit. Dioscoridis Moly ortu persimile, folio ad terram item reflexo, odore & bulbo, sed flos candore rubens, cui subiacent bulbuli nitidi, Indici Moly ritu. Radix cepaceo quodam inuolucro obtegitur: caulis pedalis & sesquipedalis. Belgis hortēse est. Addit aliud folio Narcissi, proceritate & caule non absimile, sed floribus cæruleis, & foliis compressis Narcissi similibus, & ferè paribus, oblongis, & albis radicis bulbis porraceis simul implexis & cohærentibus magno capitulorum stipatu, Allium odore præferentibus. Ab his differt Moly, quod ex Homero Theophrastus & Plin. descripserunt iis verbis quæ suprà memorauimus. Est enim horum Moly foliis Scillæ, tribus aut quatuor, lōgioribus: caule cubitali, crasso, concauo, rotundo, foliorum experte, multos flores candidos, stellatos in cacumine summo ferente, oblongis pediculis inhærentes: semine in capitulis triāgulis nigro, Ceparum ferè simili: radix crassa, alba, nigra membrana tecta. Iuxta caulem inter folia plerunq; exit alius cauliculus planus & folia-

MOLY serpentinum, Lob.



MOLY Liliflorum, Lob.



MOLY, Theophrasti & Plinij.



MOLY Indicum, Dodonæi.



ceus seu veriùs folium, quod in summo veluti Allij nucleum gerit, initio candi-
cantem, deinde pallescentem, qui terra exceptus germinat, & plantam eiusdem
profert. Moly Liliflorum vocat Lobellius. Aliter in hortis, & Maio mense floret.
Ita descripsit Clusius. In lib. Purgantium Dodonæus pinxit & descripsit. Præter-
eà aliud Moly Indicum cognominatum, quod alij barbaro nomine Caucason, cum
quod ex India primùm in Hispanias delatum est. Superiori, inquit Clusius, cum

Caucason ut Caucason Enumi barbarg.

PSEVDOMOLY, Dodonæi.



foliis tum reliqua forma simile est, sed nunquam
florens, & cui floris loco in extremo caule (qui pe-
dalis est, & planus ferè, nec attolli sine adminiculis
potest) conglomeratum caput est, multísque veluti
Allij spicis mespili vulgaris magnitudine constans,
primùm viridibus, deinde flauescentibus aut palle-
scentibus, quæ etiam sine terra repositæ germinant:
terræ autem commissæ in maiores bulbos adole-
scunt, foliáque & caules proferunt: radix vt alterius
cepacea, rotunda, alba, & tunicis amicta, quæ ve-
tustate separatur, & in alios bulbos multiplicatur.
Lib.4.c.50. Dodonęus in Historia stirp. Plinij Moly aliud quod
Lib. Quæ flore plac. peritis aliis Herbariis neq; Diosco. neq; Plinij Moly
esse videtur, sed potiùs Phalangium, vt suo loco di-
Ibidem. ximus. Idem Dodonæus Pseudomoly facit grami-
nis genus quoddam in maritimis prouenienς, valde
tenerum, paruum, foliis pusillis, angustis, breui-
bus, magna ex parte super humum iacentibus: cau-
liculis teneriusculis, breuibus, gracilibus, in summo flores in muscariis candidos
Lib.3.c.47. aut purpureos edentibus: radices teneræ sunt, graciles & longæ. Dioscorides
tradit Moly radicem habere ad aperiendas vuluas maximè vtilem, tritam cum
irino vnguento, & in pesso adhibitam. Hoc Moly Dioscoridis à Galeno μῶλυ
dici

dici demonstrant ea quæ Galenus ei attribuit, citato etiam ipso Dioscoride. Sic enim Galenus. Myles radix paruo Bulbo similis est, facultatis constringendi siue Lib.7. sim. contrahendi. Quare ipsam cum lolij farina admotam mederi vuluæ apertè scribit Dioscorides. At in nostris vulgatis Dioscoridis exemplaribus legimus, μετὰ ἴρινȣ μύρου, non μετὰ αἰρίνȣ ἀλεύρου. Cùm verò scribat Dioscorides, hanc radicem esse σφόδρα ἀγαθὴν πρὸς ὑστέρας ἀναστομώσεις, id est, summopere prodesse, non ad aperiendos vteros, videlicet conclusos, vt perperàm quis accipere possit, sed aduersus vteros apertos, vt videlicet constringantur atque concludantur, (est enim συνεκτικὴ μήτρας ἀνεστομωμένης, vt Galenus clarè dixit,) sitq; loliacea farina ad id idonea, ordine tertio calefaciens ac siccans, ineptum verò vnguentum irinum molliens vteri conclusionibus, & hæmorrhoidibus aperiendis vtile, perspicuum est ex Galeno reponendum in Dioscoride, μετὰ αἰρίνȣ ἀλεύρου, pro, μετὰ ἰρίνȣ μύρȣ: adstipulāte etiam veteris codicis lectione, vt annotauit Andreas Lacuna.

APIOS. CAP. XXIII.

Græcis ἄπιος & ἰσχὰς, & ῥάφανος ἀγρία, Latinis Apios similiter dicitur, & Ischas, & Rhaphanus siluestris, Cretensibus hodie Pyraria, Theodorus Caricam siue Pyrum vertit. Apion dixerunt Græci, quòd radicis extremum in pyri figurā turbinetur. Eadem ratione Ischas, id est, ficus, scilicet à radicis effigie, cuius hæc est ex Dioscoride delineatio. **Nomina**

Li.4.c.170. **Forma.** Ramulos duos aut tres, iunceos, tenues, rubentésque profert, qui supra terram parum se attollunt: folia Rutæ similia, longiora tamen & virentia, semen exiguum, radicem Asphodelo similem, & ad pyri figuram accedentē, rotundiorem tamen, & liquore plenam, intus candidam, foris nigro cortice contectam. Plinius iisdem penè Lib.26.c.8. verbis descripsit. Apios, Ischas, siue Raphanus agria iuncos duos siue tres spargit in terra rubentes, foliis Rutæ: radix Cepæ, sed amplior. Quare quidam Raphanum siluestrem vocant. Intus habet mammā candidam, extrà cortices nigros. Nascitur in mōtosis asperis, aliquando in herbidis. Effoditur Vere. Theophrastus. Lib.9. hist. cap.10. ἡ δὲ ἰσχὰς ἢ ἄπιος φύλλον μὲν ἔχει πηγανῶδες, βραχὺ, καυλȣ̀ς δὲ ἐπιγείȣς, τρεῖς ἢ τέτταρας, ῥίζαν δ᾽ οἷον ἀσφόδελος, πλὴν λεπυρώδη. φιλεῖ δὲ ὀρεινὰ χωρία καὶ κοχλακώδη. τίλλεται δὲ τȣ̃ ἦρος. Id est, Apios folium habet rutaceum, breue: caules per humum stratos tres aut quatuor: radicem veluti Asphodeli, verùm squamosam. Locis gaudet montosis & lapidosis. Legitur Vere. Apios vera ex Creta aduecta ex Matthiolo hîc depingitur, foliis exiguis, Rutæ vel Hyperico proximis, primo statim Vere ab radice exeuntibus, nigrioribus tamen, alba quadā linea in longitudinem procurrente: cauliculis iunceis, subrubentibus, lacteo succo madentibus: radice foris nigra, intus candida, pyri effigie: vnde & nomē. Cuius radicis mirabiles sunt vires. Nam eius superior pars Lib.4.170. sumpta, inquit Dioscorides, vomitione bilem pituitámque extrahit, inferior per aluum. Tota verò vtrinque purgationes mouet. Succus eius sesquioboli pondere haustus, vtraq; parte, hoc est suprà & infrà purgat. Cùm verò liquorem colligere volueris, tundito radices, coniectasq; in craterem aqua plenum agitato, tum penna collectum qui supernatabit liquorem siccato. De eiusdem radicis vsu hæc Plinius.

APIOS, Matthioli.



Lib.26.c.8. nius. Radix tuſa in fictili mergitur, deiectóque quod ſupernatat, reliquus ſuccus purgat vtraque parte, ſeſquiobolo in aqua mulſa. Sic & hydropicis datur acetabuli menſura. Inſpargitur & aridæ radicis farina potioni: aiúntque ſuperiorẽ partem eius vomitione biles extrahere, inferiorem per aluum. In quibus Plinius non niſi in ſucci collectione à Dioſcoride diſſentit. Theophraſtus quoque de eadem radice hæc tradit. τὸ μὲν οὖν μὴ πρὸς τὸ αὐτὸ πάντα τὰ μέρη χρήσιμα τυγχάνειν, οὐκ ἴσως ἄτοπον. τὸ δὲ τῆς αὐτῆς ῥίζης τὰ μὲν ἄνω, τὰ δὲ κάτω καθαίρειν θαυμασιώτερον. οἷον τῆς θαψίας, καὶ τῆς ἰσχάδος (ἣν ἄπιον καλοῦσι) καὶ τῆς λιβανωτίδος. Id eſt, Non omnes eiuſdem herbæ partes ad idem vtiles eſſe minimè abſurdum fuerit. Sed radicis partẽ vnam per ſuperiora, alteram per inferiora purgare admirabilius, vt Thapſiæ & Iſchados, quam Apion vocant, & Libanotidis. Ab hac legitima Apio & facie & viribus longiſſimè abeſt ea quam Fuchſius Apion fecit. Dodonæus χαμαιβάλανον vocat, id eſt, Glandem terreſtrem, Germani *Erdnuſz, Erdfeighen.* Cauliculos tres quatuórve profert, ſeu ſurculos teneros, paulùm à terra rubeſcentes, cum capreolis, quibus vicinis ſepibus, atque omnibus quæ nanciſci poteſt, ſe alligat: folia parua, anguſta, flores venuſtos, rubore tinctos odore non ingrato: ſiliquas exiguas ſemen exiguum cõcludentes. Radices longæ ſunt, graciles, à quibus pendent bulbi parui napis exiguis ſimiles, glandium ferè figura, foris nigricantes, intus albæ, guſtu ferè caſtaneæ. Prouenit copioſa in Hollandia, in frumentaceis agris, hordeaceis potiſſimùm, & in ſepibus. Sunt docti qui Aſtragalum eſſe arbitrentur. Matthiolus Pſeudoapion vocat. Caule eſt multiplici, inquit, cubitali, quandoque maiore, humi procumbẽte, Viciæ ferè modo foliis oblongis & ſubaſperis: floribus punicei coloris, Piſi æmulis, odoratis, racematim cohærentibus, quibus flacceſcẽtibus ſiliquæ oriuntur, in quibus eſt ſemẽ. Radices habet Fici aut Pyri figura, ternas aut quaternas è fibris pendentes, nigra exteriore cute, alba interiore pulpa nulla purgatoria vi prædita. Floret Iunio menſe. Paſſim naſcitur in Boëmia præſertim in vineis.

APIOS, Fuchſij.

Cap.46.hi. Lib.4.c.33.



ARVM. CAP. XXIIII.

Nomina Vide Phytogn. pag. 364.

ἌΡΟΝ Græcis, Arum Latinis, Syris *Lupha* dicitur, Arabibus & Officinis *Iarrus* & *Sara*. Quidam, quòd folium veſtigij bubuli effigiem præbeat, Pedem vituli appellant, Barbari *Aron* & *Barbam aron*, Dracunculum conteam minorem & Serpentariam minorem, quòd Dracunculum æmuletur ſola magnitudine diſcrepans. Vulgus, quòd piſtillum promit exerti ferè genitalis effigie, Sacerdotis penem nominat, Germani *Pfaffen pint*, Itali *Aro* & *Gigaro*, Galli *Pied de Veau*, & *Vid de preſtre*. Arum, vt deſcribit Dioſcorides, folia emittit Dracunculo ſimilia, ſed longiora, & minùs maculata: caulem dodrãtalem, purpuraſcẽtem, piſtilli figura, à quo Croci colore fructus exit. Radix illi candida, Dracunculo ſimilis. Plinius Arum cum Dracunculo cõfundit de Bulbis agens. Eſt inter genera bulborum & quod in Aegypto Aron vocant, Scillæ proximum amplitudine

Li.2.c.162. *Forma.*

plitudine: foliis Lapathi: caule recto, duûm cubitorum, baculi crassitudine: radice mollioris naturæ, quæ edatur & cruda. Quibus ferè verbis Dracontium descripsit Dioscorides. Arum in siluis, locis vmbrosis, humidis & frigidis nascitur. Officinis & Herbariis notum est, idque geminum. Etenim folia promit hederacea, cordis ferè effigie, Dracunculi longiora, minimè dissecta, paucioribus & albis respersa maculis: caulem dodrantalem, album, in purpureum leuiter tendentē, è cuius fastigio erumpit inuolucrum, quod mucronata in turbinem vaginula pistillum complectitur, & suo fouet sinu. Verùm vbi fructu prægnans fatiscit in hiatū, solida pistilli facies dilutiore purpura rutilans emergit, & anfractu penitus tandem patente, primùm viridia, dein crocea spectantur semina, quæ in coronæ modū concinnè cōtexta imam eius partem ambiunt. Radicem habet albam, bulbosam, oblongam, permultis stipatam fibris, Ellebori ferè modo, gustu perquàm acri. Matthiolus scripsit, in Bohemiæ montibus quibusdam copiosum admodùm cōuenire, sed Italico longè minùs, foliisque tenuioribus, & minori quoque radice. Quare hoc Arum minus vocat. Alteram Ari speciem ex Baldo monde à Francisco Calzolario ad Matthiolum missam hîc etiam expressimus, cui folia sunt sagittæ speciem referentia, caulis valde perspicuus, rubentium baccarum botrum in cacumine habens confertum, & in acutum desinentem. Radicibus nititur numerosis, tenuibus, circumquaque sese diffundentibus, è quibus bulbosi quidam globuli fabarum magnitudine dependent, alba intus pulpa, gustus acerrimi. Idem Matthiolus alio in loco aliud Arum, nimirùm Aegyptium, depinxit, & eum, opinor, secutus Dodonæus, Exit, inquit, & in Aegypto Arum, sed ab Europæo diuersum, maius videlicet & latioribus foliis, quod plerique perperàm Colocasiam appellant. Quos secutus est Clusius, vt ostendimus in Agro cap. de faba Aegyptia. In eadem est sententia Anguillara. Matthioli & Dodonæi sententiam Myconus approbat, non solùm eam ex simili plantæ illius cum Aro sapore confirmans, sed multò certiore argumento, quòd scilicet vaginam emittat Aro similē, petiolo crasso fultam, ex profundo & medio plantæ sinu ortum ducente. Primùm intra vaginam, deinde extrà flores visuntur, posteà semen racematim cohærens adnato illi longo ex vagina enato: folia & radix eadem quæ Matthiolus icone repręsentauit, vt in hac nihil prætereà spectare possis quàm vaginam, flores, & semē racemosum Florentem

Locus.

In ca. 162. lib. 2.

In cap. 99. lib. 2.

Lib. purg. 1. cap. 5.

Lib. 2. stir. Hispa. c. 19.

Li. 2. c. 162.

ARVM, Matthioli.



ARVM aliud minus, Matthioli.



ARVM Aegyptium cum flore, Myconi.



rentem hanc plantam ſe vidiſſe ait Myconus
Barcinone in horto Petri Gulielmi Regij phar-
macopœi Barcinonẽſis. Radix Ari cocta eſtur,
Li.2. c.162. inquit Dioſcorides, vt quæ minùs acris ſit. Fo-
lia ſale condiuntur ad eſum, & arida per ſe de-
cocta mãduntur. Radix, ſemen, & folia eaſdem
Vires & Temper. cum Dracunculo vires habent. Radix priuatim
cũ fimo bubulo illita podagricis prodeſt, Dra-
cũculi more reponitur. In totum ob mitiorem
eius acrimoniam edendo eſt. Arum miris lau-
Li.24. c.16. dibus extulêre Græci, vt ſcribit Plinius, primùm
in cibis fœminam præferentes, quoniam mas
durior eſſet, & in coquendo lentior. Pectoris
vitia purgare, & aridum in potione inſperſum,
aut ecligmate vrinam & menſes ciere. Sic & in
oxymelite potum ſtomacho, interaneiſque
exulceratis ex lacte ouillo bibendum: ad tuſſim
in cinere coctum ex oleo dedêre. Alij coxêre in
in lacte, vt decoctum biberetur. Epiphoris eli-
xum impoſuêre: item ſugillatim, tonſillis. Ex
oleo hæmorrhoidum vitio infudêre, lentigines
ex melle illinentes. Laudauit Cleophantus &
pro antidoto contra venena: pleuriticis, peri-
pneumonicis, quo tuſsientibus modo: ſemen intritum cum oleo aut roſaceo in-
fundens aurium dolori. Dieuches tuſsientibus aut ſuſpirioſis, & orthopnoicis, &
purulenta excreantibus farina permixtum in pane cocto dedit. Diodotus phthi-
ſicis è melle ecligmate, & pulmonis vitiis: oſsibus etiam fractis impoſuit. Partus
omnium animalium extrahit naturæ circumlitum. Succus radicis cum melle At-
tico, oculorum caligines, ac ſtomachi vitia diſcutit, tuſsim decocti vis cum melle.
Vlcera omnium generum, ſiue phagedænæ ſint, ſiue carcinomata, ſiue ſerpant, ſi-
ue polypi in naribus, ſuccus mirè ſanat: folia ambuſtis proſunt ex vino & oleo co-
cta. Aluum inaniunt ex ſale & aceto pota. Etiam luxatis cocta cum melle proſunt:
item articulis podagricis cum ſale, recentia vel ſicca. Hippocrates quaſlibet ad
collectiones cum ſale impoſuit. Ad menſes trahendos ſeminis vel radicis drach-
mæ duę in vini cyathis duobus ſufficiunt. Eadem potio, ſi à partu non purgantur,
& ſecundas trahit. Hippocrates & radicem ipſam appoſuit. Dicitur & in peſtilen-
tia ſalutarem eſſe in cibis. Ebrietatem diſcutit. Serpentes nidore cum crematur,
priuatimq́; aſpides fugat, aut inebriat, ita vt torpẽtes inueniantur. Perunctos quo-
que Aro & laureo oleo fugiunt. Ideò & contrà ictus dari potu in vino nigro pu-
tant vtile. In foliis Ari caſeus optimè ſeruari traditur. De eodem hæc ſtatuit Gale-
Li.2. Alim. nus. Manditur Ari radix eodem modo quo Rapi. In quibuſdam autem regioni-
bus acrior quodammodo prouenit, vt propè ad Dracontij radicem accedat. Et
dum ipſam coquis, priore aqua effuſa, in aliam calidam conuenit coniicere.
Ad Cyrenen planta hæc à noſtrate eſt diuerſa. Nam in illis locis Arum minimè
eſt medicamẽtoſum & acre, vt Rapis etiam ſit vtilius. Perſpicuum autem eſt, quòd
talis in cibo quidem eſt præſtantior. Si quis tamen humores craſſos vel lentos in
thorace vel pulmonibus collectos tuſſi velit eiicere, acrior ac medicamentoſa
magis eſt præferenda. Non obſcurum etiam eſt, quòd ſuccus qui ex ipſa in hepar
& totum corpus diſtribuitur, ex quo animalia aluntur, craſsior quodammodo eſt,
quemadmodùm de Rapis dictũ eſt: potiſsimùm quum radices ipſæ qualitatis me-
dicamento

dicamentosæ fuerint expertes, cuiusmodi sunt, quæ Cyrene adferuntur. Quandoquidem apud nos in Asia Arum magna ex parte est acrius, facultatémque habet iam medicamentosam. Et alio in loco. Arum terrena essentia constat, sed calida. Lib.6. sim.
Quare extergendi vim habet, verùm non valentem, sicut Dracontium. Est itaque in exsiccando & excalfaciendo primi ordinis. Radices eius maximè sunt vtiles: siquidem comesæ crassitiem humorum mediocriter incídunt, adeò vt & excreationibus ex pectore vtiles sint. Vbi Galenus de Aro quod non vehementi acrimonia pollet, locutus est. Est enim haud dubiè quod in tertio ordine calidum & siccum est, ob multam qua præditum est acrimoniam.

ARISARVM. CAP. XXV.

ἈΡΙΣΑΡΟΝ & Ἄρις Græcè, Arisarum Latinis & Aris Plinio. Apud Hippocratem ἄρις non pro herba, sed pro instrumento chirurgico legitur. Galenus autem in Glossis Hippo. ait. Ἄρις οὐ μόνον τὸ ὄργανον, ἀλλὰ καὶ βοτάνη τις οὕτως ὀνομάζεται. Aris non solùm instrumentum, sed herbam significat. *Nomina* Lib. de Art.
Arisarum tradit Dioscorid. paruam esse herbulam, quæ radicem habet oleæ magnitudine, maioris quàm Arum acrimoniæ. Lib.2. c.163.
Forma. Eius post Arum & Dracunculum meminit Plinius his verbis. Est & Aris quæ eadem in Aegypto nascitur, similis Aro, minor tantùm, minoribúsque foliis, & vtique radice, quæ tamen oliuæ grandis magnitudinem implet: alba geminum caulem, altera vnum tantùm emittens. Hæc Plinius. Li.24. c.16.
Huius plantæ genera duo Herbarij ostendunt. Matthiolus prius, cui folia sunt Aro similia, à Luca Ghinose accepisse ait, alterum ab Anguillara, quod non approbat, neque verum putat. In cap.163. lib.2.
Totidem statuit Clusius, prius latifolium, alterum angustifolium. Latifolium Hederæ aut Smilacis ferè folia habet tria aut quatuor, satis carnosa, mollia, viridia, & acria, oblongo fulta pediculo, qua illi adhærent vtrinque pinnata, vti Ari folia, sed obtusioribus multò

ARISARVM prius, Matthioli.



ARISARVM alterum, Matthioli.



angulis. Inter hæc pediculus duorum vel trium digitorum longitudine multis ru-
bris maculis variegatus erumpit, cui oblongus flos insidet, cuculli monachi, seu
floris Aristolochiæ modo efformatus, amplior tamen, extrema parte nigricantis
coloris qui deorsum radiatim desinit, in cæteris candidus, caninum olens, & qui
pistillum obtusum incuruum, & veluti ex cucullo spectans continet: radix rotun-
da & globosa, Aro minor, foris nigricans, intus alba, interdum tuberosa & oblon-
ga, initio dulcis, deinde acris, non adeò tamen vti Ari radix (licet veteres contrà
sentiant) fibris aliquot super eam expansis. Istud
à pictura Arisari prioris Matthioli aliquatenus
diuersum est. Alterum Clusij Arisarum planè
diuersa est forma: eius enim folia oblonga sunt
& angusta, Plantaginis angustifoliæ ferè modo,
viridia & splendentia, quinque aut sex, post quę
flos seu cucullus oblongus, mucronatus, & re-
trorsum inflexus candicánsque prodit, è cuius
rima longus veluti vermis exilit, spithamæ in-
terdum longitudine, inflexus, nunc purpura-
scente, nunc ex purpureo virescente colore, ex-
tremo non obtusus, sed acuminatus: fructus ra-
cemosus, albus, non ruber (vt quidam, qui non
obseruarunt, prodidere) víxque terra emergens.
Latifolium in collibus Lusitaniæ frequens est,
solo lapidoso, in sepibus iuxta vias, vbi Nouem
bri & Decembri floret, atque nonnullis etiam
Beturiæ locis solo fœcundo & pingui, iuxta se-
mitas & aggeres, vbi Ianuario & Februario. Lu-
sitani *Iaro* vocant, quod nomen etiã Aro com-
mune est, Hispani *Frailillos*, id est, fraterculos,
fortasse ꝙ eius flos cucullum monachi æmula-
tur. Alterum genus in vmbrosis ad olearum ra-

ARISARVM cum flore Myconi, angustifolium.



dices nascitur post vrbẽ Olyssiponem. Secũdum hoc Arisarum cum flore Myco-
nus ex Hispania misit, in cuius historia à Clusio in quibusdã dissidet. Ex eius ico-
ne, inquit ille, agnoscẽt omnes Ari seu Arisari speciem esse. Inuolucrum enim ha-
bet oblongum, intus ruffum, aliquantùm fœtidum, eiusdem cum Dracũculi inuo-
lucro coloris. Intra hoc semen continetur in processu longo, supernè læui, in-
fernè versus radicem aspero, racematim cohærens, cùm maturuit rubrum. Hanc
Li. 2. c. 163. plantam Guadalupi iuxta Carpentaniam collegisse ait. Arisari radix, auctore Dios-
Vires. coride, illita nomas sistit. Fiunt collyria ex ea ad fistulas. Corrumpit ea indita cu-
Li. 24. c. 16. iusuis animalis pudendum. Quæ sic tradit Plinius. Medetur vtraque radice vlce-
ribus manantibus: item combustis ac fistulis. Collyrio immisso nomas sistunt,
decoctarum in aqua, & posteà tritarum. Sed vnum miraculum ingens, contacto
genitali cuiuscunque fœminini sexus, animal in perniciem agi. Quæ cùm men-
dosa sint, vt ex Dioscoride intelligere licet, sic ex vetere codice emendat Corna-
rius. Fistulis collyrio immissa. Nomas sistunt decocta folia in aqua, & posteà
Lib. 6. sim. trita rosaceo addito. Arisarum scribit Galenus multò minus esse Aro. Radicem
habere oliuæ magnitudine, sed multò esse acrius.

DRACON


DRACONTIVM. CAP. XXVI.

Nomina. GRAECIS δρακόντιον, & δρακοντία, Dracunculus Latinis, Serpentaria, & Colubrina, Arabibus *Luf, Alluf*, Italis *Dragontea*, Gallis *Serpentaire & Serpentine*, Germanis *Schlaugenkraut*. Nomen autem à figura sumpsit: caulis enim glaber purpureísque respersus maculis, versicolori facie corpus anguinum repræsentat æquali longitudine. Vertex quoque sinuoso oris hiatu linguam exerens cruentam, caput exprimit. *Genera.* In antiquissimis Græcis Dioscoridis codicibus teste Marcel. Vergilio duo de Dracunculo capita leguntur, vnum de maiore, alterum de minore. At neque Galenus, neque post Galenum Paulus Aegineta diligentissimus in Græcis medicinæ auctor, & qui Dioscoridis dicta vbique bona fide retulit, Dracunculum priorem nouerunt, neque post Græcos Latini scriptores, Apuleius, Serapio, &, quod multi apud omnes momenti esse debet, in vetustissimis Latinis codicibus, vnicum est duntaxat Dracunculi caput, alterius vestigium nullum. Prætereà de vtroque eadem ferè traduntur, sed diuersis verbis, vt ex alio auctore id caput adscriptum fuisse videatur. Quare viri docti suppositítium esse illud censuerunt, quod δρακοντίαν μεγάλην describit: ideóque ipsum hoc loco exemerunt, & inter notha retulerunt. Plinius tamen, qui Arum cum Dracontio confundit, plura eius genera facit his verbis. *Li. 24. c. 16.* Quæ & Aron magnæ cum Dracontio litis. Quidam enim eandem esse dixerunt, Glaucias satu discreuit, Dracontium siluestrem Arum pronuntiando. Aliqui radicem Arum appellauerunt, caulem verò Dracontium, in totum alium si modò hic est, qui apud nos Dracunculus vocatur. Namque Aros radicem nigram, in latitudinem rotundam habet, multóque maiorem, & qua manus impleatur: Dracunculus subrutilam, & draconis conuoluti modo, vnde ei nomen. Quin & ipsi Græci immensam posuere differentiam, semen Dracunculi feruens mordáxque tradendo: tantumq; inesse ei virus, vt olfactum grauidis abortum inferat. Idem paulò inferiùs. Dracunculus, quem dixi, Hordeo maturescente effoditur Luna crescēte. Omnino habentem serpentes fugiunt. Ideò percussis prodesse in potu aiunt maiorem, vt & menses, si ferro non attingatur, sistat. Succus eius & aurium dolori prodest. Id autem, quod Græci Dracontium vocant, triplici effigie demonstratum mihi est, foliis Betæ non sine thyrso, flore purpureo. Hoc est, simile Aro. Alij radice longa, veluti signata, articulosáque monstrauere tribus omnino cauliculis, folia eius ex aceto decoqui contra serpentium ictus iubentes. Tertia demonstratio fuit, folio maiore quàm Cornus, radice arundinea, totidem, vt affirmant, geniculata nodis, quot haberet annos, totidémque esse folia. Hi ea ex vino vel aqua contra serpentes dabant. Theophrastus quoque quoddam Ari genus Dracontium appellari scribit his verbis: *Lib. 7. hist. cap. 11.* ἡ δὲ τοῦ δρακοντίου (καλοῦσι γὰρ τι δρακόντιον, ἄρον, διὰ τὸ τὸν καυλὸν ἔχειν τινὰ ποικιλίαν) ἄβρωτος καὶ φαρμακώδης. Est Dracontij radix (vocant enim quoddam Ari genus Dracontium, quòd caulem habeat variegatum) ad esum inepta & medicamentaria. De Dracunculo Dioscoridis ab Aro diuerso hîc agimus, quem scribit *Lib. 2. c. 16.* folia habere Hederæ similia, magna, albis maculis notata, caulem rectum bicubitalem, *Forma.* varium, anguis specie, purpureis notis aspersum, baculi crassitudine: fructus est in summo racemosus, colore primùm herbaceo, & cùm maturuit croceo, gustui mordax. Radix quodammodo rotunda est Bulbi specie, Aro similis, corticem habēs tenuem. Nascitur locis vmbrosis circa sepes. *Locus.* Hic Dioscoridis Dracunculus doctis Herbariis, vt Fuchsio, Dodonæo, Penæ, Serpentaria est maior vulgò dicta, foliis hederaceis, maculas albidas habentibus: caule recto, glabro, læui, extima cute serpentis exuuium maculis albis, fuscis, vipereis, pullis, puniceis, giluísque, transuersis, obliquis & fortuitis adeò exprimente, vt eminus repentè intuenti horro- *Cap. 86. hi. Lib. 3. c. 6. Pena in Aduers.*

DRACVNCVLVS siue Serpentaria maior, Dodon.



SERPENTARIA minor, Matthioli.



rem incutiat, ſeſquicubitali, bicubitalíq; in cuius ſum̄mo ex vaginula emicat cōgeſtus in conum racemus, planè Ari, cui radix etiam nō abſimilis, rotunda, maior, ſeſéque in latera propagans. Qui hanc Dracontium Dioſcoridis eſſe negant, folia hederacea obiiciunt, quòd nō ſint huiuſmodi. At illi, inquit Pena, actum agunt, nempe monent propter conſecutionem & arctam ſimilitudinē folia Dracontij dicta fuiſſe hederacea, cùm potiùs folia Ari hederacea debuerint dici, quia huius poſteà conferuntur cū foliis Dracunculi & radice. Vbi Dioſcorides ad vniuerſum habitum plantæ reſpexit, foliorum læuorem, virorem, colorem nitidum ſuperficiei contulit, quia eſſent perquàm affines plantæ, vt vides in collatione radicis: vbi ſingularis numeri nulla expreſsione maioris aut minoris Dracontij bis repetit collationem. Nec vniuerſo tractu Græciæ ab iis qui eam luſtrarunt, eodem Pena teſte, vlla alia vſpiam viſa Serpentaria quàm iſta, quæ etiam non procul mœniis Monſpelij inter ſegetes, Gladiolos, & Hyacinthos læta exit, alibíque in pinguibus aruis non diuerſa, niſi ætate, quando decuſsis ſeminibus, & ſummitatibus effractis à prætereuntibus, frequenter repullulant nouellæ. Quæ potuerunt Plinio perſuadere, vt plures cōſtitueret ſpecies Dracunculi, miſceretq; Ari, Ariſari cognatas differentias, vt in Bechio, aliiſq; locis illi contigit. Nec alterius plantæ videtur geminata deſcriptio apud Dioſcoridem, ſed ab alio quopiā paulùm diuerſè, vt ferè fit, deſcripta. Eandem Serpentariā Matthiolus Dracunculum minorem facit, maiorem longè aliam, cuius radix eſt Rapi effigie, quam tamē non deſcribit, vtrunque ſe Tridenti ac Venetiis vidiſſe affirmans. Vbi ſępius ſe fruſtra ſciſcitatum fuiſſe ait Pena: negauerunt enim Patauini, Veneti, Veronenſes pharmacopœi, & doctiſsimi cōplures vſpiam ſibi viſam: negauerunt item Cortuſus & Anguillara Penæ anxiè ſciſcitāti. Adiecerunt Herbarij Dracunculum paluſtrem, quem Arum paluſtre vocāt alij, Gallicè *Serpētaire d'eau*, vel *aquatique*, q̄ folia promit hederacea, maiora, ſupernè acuta è caule rotundo, humili, vix palmari: florem rubellum, odorum, non abſimilem Serpentariæ, è radice fibroſa, geniculata, latiùs ſerpente, & multis fibris humi depacta, nullo bulbo appenſo aut annexo, vrente guſtu & cruſtas excitante. Iuxta riuulos & labentes aquas frigidarum & calidarum regionum, vt in Belgio, Northmānia, Apulia, Hiſpania Granata ſponte emergit. Inde in hortos ſuos alij tranſplātarunt.

Serpenta

SERPENTARIA maior, Matthioli.



DRACVNCVLVS palustris.



Serpentariæ succus, auctore Dioscoride, ex semi Lib.2.c.161
ne expressus & cum oleo in aurem infusus, eius dolorem sedat. Lana exceptus & naribus inditus polypum consumit. Illitus carcinomata cōpescit. Triginta eius grana cum posca pota abortum faciunt. Odorem, postquàm flores emarcuerunt, recens conceptos fœtus enecare aiunt. At radix calfaciendi vim habet: orthopnoicis, ruptis, vulsis, tussis catharro auxiliatur. Humores pectoris excreatu faciles reddit tum cocta, tum assata, cū melle & per se ipsam in cibo accepta. Eadem arida trita cum melle delingitur. Vrinā ciet, & venerē stimulat cum vino pota. Vlcera maligna & phagedænica addita Bryonia alba, cum melle trita repurgat, & ad cicatricem perducit. Collyria item ex ipsa fiunt ad fistulas & fœtus extrahendos. Eum, qui radice manus suas confricauerit, à viperis feriri negant. Expurgat vitiligines cum aceto illita. Folia trita linamentorum vice recentibus vulneribus induntur. Eadem in vino cocta & imposita ad perniones faciunt. Et caseus foliis inuolutus à putrefactione tutus manet (Hoc foliis Ari Plinius adscripsit, vt suprà diximus.) Succus autem radicis ad nubeculas, albugines & caligines conuenit. Radix ad sanorum vsus oleris vice est, cruda coctáve editur. Dracunculi radicem bis ter've elixantes, quoad medicamētosum omne deponat, nonnunquam exhibemus mandendam, inquit
Galenus, quēadmodùm Ari: quando humores Li.2. Alim.
crassi & lenti, qui in thorace ac pulmonibus cō-
tinētur, vi maiore indigent. Et alio in loco, Dra Lib.6. sim.
cōtium, ait, quiddam Aro persimile habet tum foliis, tum radice. Cæterùm illo tum acrius est, tum amarius: quare calfactorium magis, tenuioribus partibus. Habet etiam leuiculam quandam adstrictionem, quæ quandoquidem cum prædictis duabus qualitatibus, acri scilicet & amara coniuncta est, medicamentum factū est, vt quæ maximè efficax. Nam radix viscera omnia expurgat, crassos potissimùm & lentos succos extenuans: optimūq; remedium est cōtumacium vlcerum. Expurgat extergetq́; strenuè tum alia, quę extersionem desiderant, tum vitiliginē cum aceto: tum folia, vt pote similem facultatē habētia, vlceribus, vulneribusq́; recēs inflictis accōmoda sunt, & quantò minùs fuerint sicca, tātò magis cōglutināt. Nā quæ sicciora sunt, viribus sunt acrioribus, quàm vt vulneribus cōueniant. Creditū quoq; est caseū humidū, si illis foris tectus reponatur, ob tēperaturę illorū siccitatē, à putredine cōseruari. Fructus valētior est nō foliis tantū, sed & radice. Itaq; & cācros & polypos eliquare creditus est. Succ[9] quoq; eius vitia oculorū expurgat.

CYCLAMINVS. CAP. XXVII.

Nomina. ΚΥΚΛΑ΄ΜΙΝΟΣ vel ἰχθυόθηρον Græcis, Cyclaminus, Rapum, & Tuber, Vmbilicúsque terræ Latinis, Cyclamen Officinis mutata voce, Panis porcinus & terræ, atque Archanita à nostræ ætatis Herbariis dicitur, Mauritanis *Buchormarien Buthermarien*, seu *Bothormarie*, Italis *Ciclamino*, & *Pan porcino*, Gallis *Pain de pourceau*, Germanis *Erduurtz*, & *Schuuenbrot*. Cyclaminum Græci ἀπὸ τȣ̃ κύκλȣ, id est, ab orbe dixerunt, tum ob folij circinatum ambitum, tum ob orbiculatum radicis bulbum. Ichthyotheron autem, quòd ea pisces necantur. Romani Rapum terræ, quoniam eius radix in terra velut Rapum extuberat: qua sanè ratione Tuber terræ, quòd in molem quandam intumeat, aut Vmbilicum terræ, quoniã, vt vmbilicus circinata figura emergit, sic & Cyclaminus sub terra conspicitur, etiam appellarunt. Panem porcinum haud dubiè primũ vocarunt subulci, qui pecori suo radicem huius gratam pabulis cognouerunt. Alij quia radicem in orbem circumactam sæpius intuerẽtur, quæ non in globum intumescens, sed veluti compressa sese in latitudinem explicaret, qua forma in quotidiano vsu panes visuntur, Terræ panem nominauerunt. *Genera.* Cyclamini species duas ponit Dioscorides. *Forma.* Cyclaminus prior folia habet Hederæ similia, purpurea, varia, suprà infráque albicantibus maculis: caulem longitudine quatuor digitorum, nudum, in quo flores Rosarum effigie, purpurei: radicem nigram, Rapo similem, & aliquantùm latam. *Locus.* Nascitur in vmbrosis, maximè sub arboribus. Cyclaminus altera, quam Cissanthemon, alij Cissophyllũ vocant, folia habet Hederæ, sed minora: caules crassos, geniculatos, qui vicinis arboribus capreolorum modo se obuoluũt: flores albos, odoratos. Fructus est velut vuæ acini, similis, Hederæ mollis, gustu leuiter acris & viscosus. Radix inutilis est. Nascitur in locis asperis. *Lib. 25. c. 9.* Duas etiam species describit Plinius, Dioscoridem ferè exprimens his verbis. Folia habet minora quàm Hedera, nigrioráque & tenuiora, sine angulis, in quibus albicant maculæ: caule exiguo, inani: floribus purpureis: radice lata, vt Rapũ videri possit: cortice nigro. Nascitur in vmbrosis: nostris Tuber terræ vocatur. *Ibidem.* Et paulò pòst de altera sic. Est & altera Cyclaminus cognomine Cissanthemos, geniculatis caulibus, superuacuis, à priore distans, circa arbores se voluẽs: acinis Hederæ, sed mollibus: flore cãdido, specioso: radice superuacua. Mihi & tertia Cyclaminos demõstrata est, cognomine Chamæcissos, vno omnino folio: radice ramosa, qua pisces necantur. Hæc Plinius. Prior Cyclaminus nota est Officinis & Herbariis sine cõtrouersia: altera non item. Matthiolus duas Cyclamini primi generis species Mesue auctore reperiri dixit, minorẽ & maiorem. Minorem se vidisse ait in agro solùm Tridentino in vallis Ananiæ montibus, vbi copiosè nascitur. Sed eam neque depinxit, neq; descripsit: dixit tantùm radice esse parua, nucis auellanæ cicerumq; magnitudine. *Lib. 2. c. 75.* Cyclaminum secundam fatetur se non vidisse. Tragus in Heluetia, non procul à Curia oppido, nec nõ prope Velcurium, in planitie inter quædam densa

CYCLAMINVS vulgaris, Lobellij.



CYCLAMINVS prior, Matthioli.




ac vliginosis locis sita arbusta, plantã quandam nasci scripsit elegantissimam, foliis rotundis, prorsus cõsimilem Asaro, ita vt primo quidem intuitu Asarum esse crederet. Sed cùm eam effodisset, radicem deprehendit rotundam, rufam, magnitudine radicis Croci, gustu aliquantulùm amaram: flores odoratissimos, Bresilij colore tinctos, odore & forma Violam Martiam purpureã referentes. Hanc ille Germanicè *Valdtzeitlosen* nominat. Quam cùm Hermodactylum esse aliquando falsò credidisset, posteà Cyclamini exiguæ veræ speciem esse iudicauit, quia Cyclamino priori per omnia respondet, nisi quòd non perinde acris est & feruens. Nascitur etiam in vmbrosis siluis. Dodonæus Cyclaminum alteram esse arbitratur, quæ hodie *Vitalba*, Gallis *Viorne* nuncupatur, Cordus Dulcamaram, alij Bryoniam nigram, alij Periclymenum alterum, aliis aliæ magis placent. Pena in montibus Alpinis Rheticis in Italiam proficiscentibus, locis vdis, & saxeis itineribus obuiam passim esse alteram Cyclaminum scribit, quæ non est folio circinato Asari, aut vulgaris Cyclamini, sed potiùs triplici mucrone distincto, herbæ Trinitatis, aut Hederę helicis modo. Eandẽ etiam Narbonæ riguis montibus & hortis crebram. Eius radices quæ vetustiores, magnitudine alterius sunt, quæ nouellæ, adeò exiguæ, vt auellanæ magnitudinem vix superent. Adultioribus caulis est exilis, teneriusculus, & in humum pronus, ex quo prælongis pediculis folia surrecta fastigium versùs, vbi sunt flores purpurei, vulgaris Cyclamini prorsus similes. Nonnunquam & luteos verno tempore exortos nondum foliis exortis meminit se vidisse. Florent enim Vere & Autũno interdum odorati, aliàs non. Lobellius Cyclamini alterius, plantæ hederaceis foliis in Italiæ collibus repertæ, rei herbarię studiosis iconem hanc & descriptionem exhibet. Herba est Hederæ foliis sinuatis, paribus, in mollibus, flexilibus, cubito prolixioribus cauliculis, floribus oblongis, galericulatis, ex purpura pallentibus. Dodonæus tradit præter Cyclaminum alterum Dioscoridis, eius qui orbiculari est radice, nempe primi, à recẽtioribus aliquot obseruatas fuisse species, & foliis quidem differentes. Prima foliis viret latis, angulosis ac Hederæ similibus, in ambitu leuiter serratis, superiore parte in virore nigricantibus, albicantibus tamen maculis variegatis, & vmbilico siue medio folij subalbido, inferiore verò ac prona purpurea, aliquando saturato colore, aliàs dilutiore. Flosculi ex tenellis pendent pediculis, deorsum nutantes, foliolis earum sursum reflexis, & purpureo Violæ nigrę colore non tamen intenso splendentes, odoris exigui. Succedunt capitula seminifera, pediculis in spicas contortis. Radix Bulbi aut Rapi modo in orbẽ circumacta, & aliquantulùm in latitudinem pressa, foris nigricat, intus candida, rugas inarescens contrahit. Hanc speciem pinxit etiam Lobellius nomine Cyclamini folio Hederæ. Alterius Cyclamini & lata quidem sunt folia, sed non angulosa, verùm quasi rotunda, nullis superiùs aut omnino obscurissimis apparentibus maculis, saturo colore virentia, inferiùs verò è punicante purpura rubentia: flores prioris similes, at odoratiores: radix aliquantò minor. Tertia species foliis est similiter haud angulosis, sed ambitu eorum aliquantùm crenato: maculata hæc sunt, sed

Trag. lib. 2. cap. 134.

Lib. 3. cap. 11. & 48.

Li. 1. de purga. cap. 13.

CYCLAMINVS *altera hederaceis foliis, Lobell.*



CYCLAMINVS *altera orbicularis, Dodon.*



vmbilico nigriore. Flos intensiore colore purpurascit, odoris suauissimi: radix quàm aliarum minor. Hæc ex Dodonæo. Vires Cyclamini non vulgares has edocet Dioscorides. Radix Cyclamini cum hydromelite pota pituitam aquámque

Li.2.ca.158. *Vires & Temper.* per inferna trahit: menses pota & apposita cit. Tradunt si prægnans mulier radicem transgrediatur, abortum fieri. Partum appensa accelerat. Bibitur & in vino cōtra lethalia, præsertim leporem marinum. Illita contra serpentium ictus remedio est. Immista vino ebrietatem facit. Regium morbum sistit tribus drachmis pota cum passo, aut diluta mulsa. Sed oportet eum qui bibit cubiculo calido reclinare multis vestibus contectum, quo sudet. Eiectus verò sudor felleus colore inuenitur. Succus eius ad purgandum caput naribus instillatur. Ad deiicienda etiam excrementa in lana subiicitur. Vmbilico, imò ventri, & coxæ illitus succus aluum mollit, (pro κοιλίαν μαλάσσει, vetus codex habet κοιλίαν ταράττει, id est, aluum turbat. Quæ lectio videtur alteri præferenda, quia purgationes, quas molitur Cyclaminus potus admotúsque, sunt admodùm violentæ & difficiles) verùm abortū efficit. Suffusis & hebetibus oculis inunctus cum melle succus prodest: medicamentis abortum facientibus admiscetur. Sedem procidentem cum aceto inunctus compescit. Exprimitur succus tusa radice, & ad mellis crassitudinem decoquitur. Radix autem extergit, exanthemata reprimit, vulneribus per se ex aceto, aut melle medetur. Illita lienem minuit, vitia cutis in facie à Sole, & alopecias emendat. Decocto eius luxata, podagra & capitis vlcuscula (ἑλκύδρια, id est, manantia vlcera) pernionésque vtiliter fouentur. Ipsáque in vetere oleo feruefacta, ad cicatricem perducit quæ oleo illo inuncta fuerint. Cauata radix oleo repletur, & cineri feruenti imponitur, adiecto interdum Tyrrhenicæ ceræ modico, vt strigmenti crassitudinē cōtrahat vnguentū, cū primis vtile pernionibus. Radix Scillæ modo concisa reponitur. Narrant ad amatoria assumi contusam, & in pastillos cōformatam. In veteri codice pro κοπεῖσαν, id est, contusam, legitur καεῖσαν, id est, combustam.

Cyclamini

Cyclamini alterius fructus drachmę vnius pōdere potus cū vini albi cyathis duobus, quadraginta diebus splenem liquat, ita per vrinam & aluum consumens. Bibitur & ad orthopnœam, & reliquias à partu purgat. Easdem vires variis in locis exponit Plinius. Bibitur Cyclamini radix, inquit, contra serpentes omnes, in omnibus serenda domibus, si verum est, vbi sata sit nihil nocere mala medicamenta, amuletum vocant: narrantq́; & ebrietatem repręsentari addita in vinum. Radix siccata Scillæ modo concisa reponitur: decoquitur eadem ad crassitudinem mellis. Suum tamen venenum ei est: traduntq́;, si prægnans radicem transgrediatur, abortum fieri. Lepori marino aduersatur & Cyclaminus. Purgat cum melle in nares addita, & vlcera capitis sanat illita. Ad hypochysim & caliginem Cyclaminū in pastillos diluunt. Soluit ex aqua pota, aut balanis subditis sedem conuersam Cyclamini radix ex aceto sanat. Eius radicis decoctum pernionibus prodest. Eruptiones pituitæ eadem emendat cum melle. Tribus drachmis bibitur in loco calido, & à perfrictionibus tuto: sudores enim felleos mouet. Sanguinis profluuium sistit Cyclaminus, si ore sanguis reiiciatur, siue è naribus, siue aluo fluat, siue fœminarum vtero. Vlcera manantia sanat Cyclamini radix, vel per se, vel ex aceto, vel cum melle. Eadem & contra steatomata efficax. Omnia corpori infixa extrahuntur Cyclamini radicibus cum melle: cutis maculas omnes emendat. Theophrastus de Cyclamini prioris viribus hæc prodidit. τοῦ δὲ κυκλαμίνου ἡ μὲν ῥίζα πρός τε τὰς ἐκπνεύσεις τῶν φλεγμονῶν, καὶ πρόσθετον ταῖς γυναιξὶ, καὶ πρὸς τὰ ἕλκη ἐν μέλιτι. ὁ δὲ ὀπὸς πρὸς τὰς ἀπὸ τῆς κεφαλῆς καθάρσεις ἐν μέλιτι ἐγχεόμενος: καὶ πρὸς τὸ μεθύσκειν, ἂν ἐν οἴνῳ διαβρέχων διδῷ τις πιεῖν. ἀγαθὴν δὲ καὶ τὴν ῥίζαν ἢ εἰς ὠκυτόκιον περιάπτειν, καὶ εἰς φίλτρα. ὅταν δὲ ὀρύξωσι, κατακαίουσι. εἶτα οἴνῳ διεύσαντες, τροχίσκους ποιοῦσιν ὥς τῆς τρυγὸς, ᾗ ῥυπτόμεθα. Id est, Cyclamini radix ad inflammationum exhalationes valet, & ad menses subdita, & ad vlcera ex melle. Succus autem ad purgandum caput cum melle infusus, & ad ebrietatem, si vino inspersum potui dederis. Confert & radix ad partus celeritatem appensa, & ad amatoria. Cùm autem effoderint, vrunt: deinde cùm vino subegerint, in pastillos formant sicuti fæcis vini, qua maculæ absterguntur. Cyclaminus vterque, auctore Mesue, est medicatorius, calidus siccus initio tertij ordinis. Galenus gradus non finit, sed absterget, inquit, incîdit, ora venarū aperit, attrahit, digerit, quod ex particularibus operibus eius perspicuū est. Nā succus eius hæmorrhoidas reserat, violentérque ad secessum prouocat in floccis appositus. Sic etiam medicamentis phymata, strumas, aliásque durities digerentibus commiscetur, ac suffusis cum melle illitus competit: adhæc per nares quoque expurgat. Adeò vehemens eius facultas est, vt abdomine illito ventrem subducat, & fœtum interimat. Nam & alioqui validum interimendo fœtui medicamen est in pesso additus. Tota autem radix succo imbecillior est, quanquam & ipsa vehemens sit: nam & menses siue pota, siue apposita euocat, & aurigini prodest, non modò ipsum viscus expurgans, sed etiam quæ in toto corpore bilis fuerit, eam per sudorem eiiciens. Proinde post potionem, sudoris adiuuanda prouocatio est. Modus eius bibendi est drachmarum trium, siue cum melicrato, siue cum passo. Cutem detergit cùm in aliis, tum quòd alopecias, ephelidas, omniáque exanthemata curet: lienem quoque induratum iuuat emplastri modo illita tum recens, tum arida. Sunt qui radicem siccam asthmaticis exhibeant. Porrò altera Cyclaminus radicem quidem superuacaneam habet, sed fructum admodùm efficacem: nam hic cum vino pluribus diebus potus lienes sanat, vrinam mouens, ac vētrem subducens: locos quoque eiicit, & asthmaticis prodest. Qualitas eius gustanti acris est & sublenta. Hæc Galenus. Cyclamini alterius vires, inquit Pena, communi priores, & vsus frequens Narbonensibus ad Hispanicam luem.

Lib. 25. c. 9.

Lib. 9. hist. cap. 10.

Li. 7. simpl.

LEON

LEONTOPETALON. CAP. XXVIII.

Nomina

Li 3. ca 49.

Forma.

Vide Phytog. pag. 640.



GRAECI λεοντοπέταλον vocant, Latini Leontopetalon, id eſt, Leoninum folium. Caulem, vt deſcribit Dioſcorides, emittit dodrantalem, aut etiam maiorem, plurimas alas habentẽ, in quarum cacuminibus ſiliquæ ſunt veluti in Cicere, & in his duo aut tria parua ſemina: flores punicei, Anemonæ ſimiles: folia ſimilia Braſsicæ, inciſa foliorum Papaueris modo; radices nigræ, Rapo ſimiles, eminentias habẽtes veluti nodos quoſdam. Naſcitur in aruis ac ſegetibus. Sic planè deſcripſit Plin. Leontopetalon alij Rapheion vocant, folio Braſsicæ, caule ſemipedali: alæ multæ, ſemẽ in cacumine in ſiliquis Ciceris modo: radix Rapo ſimilis, grandis, nigra. Naſcitur in aruis. Hanc plantam, eiúſque nigram extuberantemq́; radicẽ Rapi inſtar vidiſſe ſe ait Matthiolus non modò Venetiis & Patauij in quibuſdam hortis, verùm etiam in Hetruriæ aruis, aliíſque Italiæ locis, naſcíque frequentem in Apulia.

Locus.

Li.27.ca.11.

Vires & Temper. Huius radix, inquit Dioſcorides, in vino pota auxiliatur demorſis à ſerpentibus, breui dolorem omnem ſedans. Miſcetur


Ibidem. etiam infuſis per clyſterem in coxendicum affectione. Sic & Plinius. Radix aduerſatur omnium ſerpentium generibus ex vino pota: nec alia res celeriùs proficit.

Lib.7.ſim. Datur & iſchiadicis. Leontopetali radice maximè vtimur, inquit Galen. Digerẽdi facultatem, exſiccandi, excalfaciendíque in tertio ordine poſsidet.

COTYLEDON. CAP. XXIX.

VMBILICVS *Veneris, Matt.*

Nomen.



KOTΥΛΗΔῺΝ Græcè, Latinè Cotyledon, Acetabulũ, Vmbilicus Veneris nominatur, Italicè *Ombilico di Venere*, in Hetruria, quòd eius folia fictilium operculis ſimilia ſint, *Copertoiuole*, Hiſpanicè *Scudetes*, Gallicè *Eſcuelles*. Dicitur autẽ Cotyledon à concauo folio acetabulũ aut vmbilicum imitato. Folium enim habet, inquit Dioſcorides, rotundum, acetabuli figura, ineuidenter cauum: caulem in medio breuẽ, in quo ſemen eſt: radicem rotundam oliuæ modo. Sic delineauit Plinius. Cotyledon paruula herba, cauliculo tenero, puſillo, pingui folio & concauo, vt coxendices. Naſcitur in maritimis petroſiſq́;, viridis, radice oliuæ modo rotunda. Hæc Plinius. Vulgaris eſt notitiæ planta, à Matthiolo rectè depicta. Radicis & foliorum ſuccus circumlitus aut infuſus contecta genitalia nudat, auctore Dioſcoride. Inflãmationibus, eryſipelatis, pernionibus, ſtrumis, & ſtomacho æſtuanti auxiliatur. Folia cum radice comeſa calculos

Li.4.ca.87.

Forma.

Lib.25.c.13.

Vires.

calculos atterunt, vrinas cient, hydropicis cum vino mulso dantur. Herba vtuntur ad amatoria. Plinius, Oculis medetur succo. Et, Calculos herba & radix Cotyledonis sanat: itémque genitalium inflammationem omnem, pari pondere caulis & seminis, & myrrhæ. Cotyledon condylomata & hæmorrhoidas mirè curat. Et perniunculos curat cum axungia. Galenus sic definit. Cotyledon facultatis est mixtæ, nempe humidæ, subfrigidæ, & cuiusdam obscurè adstringentis, & cum ea leuiter amaræ. Vnde refrigerat, repercutit, abstergit & discutit. Itaque phlegmonas erysipelatodeis, & erysipelata phlegmonode curat: & maximè stomachi ardore æstuantis admodùm vtile est cataplasma. Putantur folia cum radice manducata calculos confringere, & vrinas mouere. Lib.25.c.13. Li.26.ca.8. Li.7.simpl.

IRIS. CAP. XXX.

ΙΡΙΣ Græcis, Iris Latinis appellatur. In quibusdam Theophrasti & Athænei codicibus ἱερὶς legitur, ob id à Gaza Consecratrix vertitur. A cælestis arcus similitudine, quam flores eius repræsentant, nomen accepit Iris. Eadem de causa ἱερὶς, οὐρανία, & θαυμαστὸς, id est, sacra, cælestis, & admirabilis dicta est. Arabes *Asmeni iuni*, siue *Aiersa* vocant, Itali *Iride*, *Giglio azurro*, seu *Giglio celeste*, Germani *Blauugilgen*, *Blauuschuuertel*, *& Veieluurtz*, Galli *Flambe*. Nomina

Dioscorides Iridis vnius meminit, sed quæ tātùm pro loci natalis varietate magis minúsve commendetur. Herbarij nostri aliam satiuam statuunt, aliam siluestrem, easq; multiplices. Iris, ita describēte Dioscoride, folia Gladiolo similia fert, maiora tamen, latiora & pinguiora: flores in caule æqualibus inuicem spatiis distantes, inflexos, varios: siquidem candidi, pallentes, lutei, purpurei, & cærulei conspiciuntur. Vnde ob hanc varietatem arcui cælesti Iris cōparata est. Radices subsunt geniculatæ, solidæ, odoratæ. Quæ simul atque fuerint dissectæ siccantur in vmbra, & filo traiectæ reconduntur. Melior est Illyrica & Macedonica, & inter has optima quæ densam & submutilam habet radicem, ægre fragilem, subfuluam, valde odoratam, gustu amariori (Græcè legimus γεύσει πυρωτέρα, id est, gustu feruentiori, qualis certè in Iride perspicitur, licet etiam amaricet. Ruellius legit πικροτέρα) odore syncero, & situm non redolente, & quæ dum tunditur sternutationes mouet. Secundum locum tenet Africana, candida, gustu amara. In vetustate teredines sentiunt, sed tunc odoratiores fiunt. Plinius hæc de Iride prodidit. Sed Iris radice tantùm commendatur, vnguentis & medicinæ nascens. Laudatissima in Illyrico: & ibi quoque non in maritimis, sed in siluestribus Drilonis & Narone. Proxima in Macedonia. Longissima hæc, & candicans, & exilis. Tertium locum habet Africana, amplissima inter omnes, gustúque amarissima. Illyrica quoque duorum generum est, Raphanitis à similitudine quæ melior: rhizotomos subrufa. Optima quæ sternutamenta tactu mouet (tractata pro tactu reponit Cornarius ex veteri codice, qua voce & posteà vtitur Plinius.) Caulem habet cubitalem, erectū. Floret diuersi coloris specie, sicut arcus cælestis, vnde & nomen. Non improbatur & Pisidica. Natura est feruens, tractatáque pustulas ambusti modo facit. Teredines non sicca modò, verùm & in terra celerrimè sentit. Galenus Irin Illyricam cæteris præstare testatur his verbis. Omnes Herbarij vnanimes scripserunt Irin in Illyrio natam optimam esse: Petroselinum verò quod in Macedonia prouenit: bitumen è Iudæa aduectum: item & Opobalsamum. Idem & in reliquis fecerunt, quorum dotes à regionibus acceptas, cū particulatim de vnoquoque loquemur, non omittemus. Id quod ante Galenum Theophrastus prodiderat his verbis. ἐν τῇ Εὐρώπῃ οὐδὲν ἔστιν ἔξω ἴριδος, αὕτη δὲ ἀρίστη ἐν Ἰλλυριοῖς, οὐκ ἐν τῇ πρὸς θάλατταν χώρᾳ, ἀλλ' ἐν τῇ ἀνακεχωρηκυίᾳ, κειμένῃ δὲ μᾶλλον πρὸς ἄρκτον. Id est, In Europa nihil præter Irin inueneris. Quæ optima apud Illyrios prouenit, non locis tamen maritimis,

Lib. 1. ca.1. Genera. Forma. Li.21. ca.7. Li.1.Antid. Lib.9. hist. cap.7.

Li.7 med. gener. timis,ſed mediterraneis, magíſque ad Septentrionẽ ſitis. Galenus in Aſclepiadeo
quodam acopo Macedonicam habet, ſicut etiã Carthaginenſem in quadam The
riaca, lib. 2. de Antidotis recipit. Quanquam eam quæ ex Lybia magna ſua ætate
plurima adferebatur, tantùm ab Illyrica diſtare ait, quantùm mortuum corpus à
Lib. 1. Antidot. viuo. Iris paſsim in hortis colitur, foliis acutioribus, rigidioribus & latioribus quã
Acori aut Gladioli, vt ſcribit Pena. Flores cõſtant ſenis potiſsimũ foliolis, quorum
Locus. tria deorſum repanda arcus modo curuantur, alia tria ſurſum, & contra ſe mutuò
reflexa ſtamina aliquot cõdunt, quibus marcidis Æſtate media ferè, ſiliqua Xyri-
dis aut Acori paluſtris non diſpar; anguloſum item ſemẽ erui, ſed minus ſe prodit,

IRIS domeſtica, Matth.



quod omiſit Dioſcorides. Radix eſt viuida plan
tæ ſemper virentis, plena, ſolida, albida, in mul-
tas propagines per ſummum ceſpitem fuſa, a-
maro, vehementi, acriore & feruidiore, dum
recens eſt, guſtu, vt & purgandi vi, quam arida
facta prorſus amittit, multúmque feruoris, in-
gratíque ſaporis remittit, & odoratior, eóque
commendatior euadit, præſertim Thuſca, ſiue
Florentina, hodie primam laudem adepta, vt
ſcripſit Pena. Quæ plurima in mediterraneis,
non procul à Florentinis montibus eruitur,
multùm temperie agri, & ætheris ad Illyricos
tractus accedentibus, ideóq; præſtantior Illyri-
ca habetur, quia hæc nõnihil rufeſcat, minúſq;
nitida ſit, Florentina verò candidior, & elegan-
tiore aſpectu, ſuauioréq; odore ſit. Neutra tamẽ
illic flaccida, rugoſa, raucida, fuſcáve aut muci-
da inſolatu fit, vt noſtrâs, pręſertim Septentrio-
Ibidem. nalis. Quamuis autem Galenus Illyricę palmam
ſtatuerit, cùm tamen idem ſanxerit quodlibet
ſimplex medicamentum in ſuo genere quo ſit
fragrantius, eo eſſe præſtantius, de eius ſenten-
tia Florentinæ poſtponat quis Illyricum, à cu-
ius bonitate tantùm abeſſe Africanam, quantùm animal vegetum à ſuo cadaue-
re Galenus dixit, vt ſuprà retulimus. Quare videtur Iris natalibus gaudere neque
admodùm feruidis, vt Africæ, neque ita frigidis, vt Septentrionum, ſed montoſis
temperatis & riguis, cuiuſmodi ex Hiſpania hodie valde odoratam & laudatiſsi-
mam ferunt. Sic ad Drilonis & Naronæ fluminum ripas, non in maritimis, Illy-
In Theria. ricam Irin naſci cecinit Nicander,

Ἶρίν θ', ἣν ἔθρεψε Δρίλων, καὶ νάρονος ὄχθη. Id eſt,

Irináq;, quam Drilonis & Naronis ripa aluit.

Vbi Scholiaſtes Illyricam Irin intelligit: Drilonem enim fluuiũ eſſe Illyriorum &
Narorum, qui Illyrios & Liburnos ſeparat, vbi Cadmus & Harmonia habitarunt
in ſerpentes tranſmutati. Et Ptolemæus Drilonem & Naronem fluuios eſſe ſcribit
in Dalmatia Illyrico vicina. Quare non genere aut ſpecie differunt hæ Irides, ſed
multiplicem hanc ſortiuntur varietatem non modò viribus, vt dictum eſt, ſed
etiam magnitudine, odore, & potiſsimùm florum colore. Cuius multiplicis venu-
ſta mixtura, vt ait Pena, non modò in diuerſis plantis, ſed etiam in vnius duntaxat
floribus ſpectanda eſt. Elegantiæ enim hortenſis amantes non modò purpuream
Iris vulgaris cãdidis floribus. (quæ vbiuis fermè Europæ ruri oritur, omniúmque frequentiſsima viſitur) ſed
etiam quaſdam floribus candidis, Liliaceis alunt, non item luteam, vt Dodonæus
putat

putat, ratus vulgarem aureis floribus vbique in pratis Acorũ, esse Iridem. Cuius radices, vt idem tradit, tantopere adstringunt, & Iridis facultatibus aduersantur, vt rectè scripserit hasce vel duntaxat appensas quemlibet sanguinis fluxum sistere. Hæc autem florum purpureorum & alborum varietas fecit, vt Herbariorum vulgus olim inter Iris & Ireos discrimen fecerint, vt vulgatus ille versiculus indicat,

Lib. 2. hist. ca. 35. & de florib. cap. 40. & 45.

Iris purpureum florem gerit, Ireos album.

IRIS siluestris, Matth.



Quæ distinctio ineptior est, quã vt refutatione egeat. Iris siluestris duûm est generum auctore Matth. Vna quæ plurimùm saxosis nascitur locis, satiuæ per omnia similis, minoribus tamen foliis: floribus, caulib⁹, & radicibus graciliorib⁹. Altera foliis Gladioli, lõgioribus: radice tenui, lignosa, geniculata, subrufa, inodora: caule breui: flore cæteris longè minore, odore Armeniaci mali, qui constat foliis nouem, purpureis, quorum extima superiore tantùm parte aureis pinguntur lineis. Siluestris vtriusque generis plurima, inquit, oritur in Goritiensi agro Saluatino monte, & Iapidiæ vallibus inter saxa, odore non ingrato. Pena duas etiam Irides, quas siluestres vocant recentiores, agnoscit, inodoras, minùs obuias, multóque minùs aromatica dote commendabiles. Vna hortensi fermè eadem, inquit, nisi quia tota gracilior, quæ plurimùm squallidis saxorum marginibus sponte oritur, cultáque retinet speciem, qua distat à satiua, etiã sapore ingrato, odore nullo. In subalpinis Ligurum & Taurinensium passim occurrit. Alteram non triuialis venustatis se primùm legisse ait in Nitiobrigum maritimis & sabuletis herbidis, non procul ab oppido Frontignano ex aduerso montis Cetij multam, nec vspiam alibi in vniuersa Gallia aut Italia facilem repertu, nisi maritimis: cuius radicis recẽs erutæ effractæq; nullũ vnquam se obseruasse Armeniaci mali odorem, qualem ei inesse scribit Matthiolus. Radix, caulis, folium, siliqua, & semen Iridis, sed minora, minúsque aromatica, saltem quibus locis natalibus illam obseruauit, scilicet humidis & incultis. Flores tamen Iunio aptiùs Xyridem colore & figura, foliolísque minùs repandis exprimunt. Sapor illi feruidus, amarus, tenuitas multa, quam etiam in medico vsu se cõpertam habuisse scripsit. His idem Pena aliam addit Iridem minimam & rarissimam omnium, saxatilem, Narbonensem etiam, quæ radicis plexu, substantia densa, & colore Illyricæ absimilis nõ est: caule verò nullo, præsertim natalitiis: folio latiusculo, rigido, mucronato, palmum alto,

IRIS siluestris altera, Matthioli.



cuiuſmodi Gladioli:flore,ſemine,ſiliqua Xyridis.Hæc ſtatim atque è terra aſſurgit
Dodon.de flori.ca.4.2 Chamæleontis albi modo puſilla humiliſque permanet : ob id à nonnullis Cha-
mæiris nuncupatur. Plurima oritur in agro Narbonenſi, locis aridis & ſaxoſis,ſe-
cus ſpecum illam ſeſquimiliari à Monſpelio diſsitam,via qua Frontignagnũ itur,
in cuius cautibus & rupium commiſſuris fre-
quens adoleſcit prope Ferulam. Chamæiris ſeu
alia perpuſilla Iris latifolia à Lobellio picta eſt,
quæ ex Monſpelienſi agro in Belgium & An-
gliam tranſmiſſa, frigido humidóque ſolo ex-
cepta,non ſecùs ac innumeræ calidarum regio-
num peregrinæ ſtirpes, ſoli & cæli tẽperie mu-
tata varias ſubit mutationes. Caulis illi dodran-
talis,alicubi pedalis:flores candidi,aut lutei,aut
violacei. Alibi caule carentes, dilutè rubentes,
violacei,ſtriati,& ex luteo pallentes obſeruãtur.
Idem annotat,Cluſium Irides Auſtriacas humi-
les, ſpecioſis rubris floribus, & violaceis odora-
tis Vienna Belgium miſiſſe, cum Chamæiride
purpureo odorato flore. Alterum Iridis genus
deſcripſit & depinxit Dodon. Chamæiridem
vocauit Lobellius Iridẽ perpuſillam,ſilueſtrem,
anguſtifoliã. Folia habet Gladiolo minora,an-
guſtiora, pinguiora : caulem palmi altitudine,
foliis breuiorem : è cuius ſummo flores ſinguli
ſuis pediculis inſidentes erumpunt odorati,ex
cæruleo violacei,aliquando ex purpureo viola-
cei, ex nouem foliolis conflati : radix gracilis,
minimo digito duplo minor, obliqua, foris ru-
fa,intus candida,acris, guſtu Xyridis. In Belgio
& Germania frequens,Maio menſe floret, folia
Hieme pereũt,Vere noua erumpũt. Dodonæus
longè diuerſam Iridem depinxit,quam tubero-
ſam vocat,cui folia ferè Chamæiridis oblonga,
anguſta,tenuis cauliculus,flos in cacumine,for-
ma Iridis, minor, anguſtiorúmque foliorum,
obſcurè virens, & quo aliis fimbria loco nigri-
cans.Capitulum ſatis magnum ſemine perfecto
dependet,in tres rimas fatiſcens. Semen rotun-
dum Ochro minus, initio albicat. Non vnius
formæ radix : ante florem duo vel tres veluti
bulbi parui cohærẽt: hoc enato in plures ſinguli
extuberant propagines, quarum nonnullę digi-
tum referunt: vnde illi Hermodactyli nomen
pleriq; dedêre, Irídis ſilueſtris genus eſſe poteſt
Dodonæi ſententia, non Ephemeri. Sunt qui
velint hũc eſſe quem Matthiolus perperàm pro
vero depinxit Hermodactylo. Eius tamẽ pictu-
ra parum cum hac conuenit. A quibuſdam Lon
chitis prior Dioſcoridis cẽſetu r eſſe. Item aliam
Dodonæus pinxit, quam bifloram appellat,
Cluſius

IRIS perpuſilla & ſaxatilis.



CHAMAEIRIS ſeu alia perpuſilla Iris latifolia, Lob.

Lib. purg.



Lib.purg.

IRIS tuberosa, Dodonæi.



IRIS biflora, Clusij, & Dod.



Clusius Lusitanicã seu biflorã, quã etiam pinxit & descripsit. Huius, inquit, folia breuiora sunt & angustiora vulgari Iride, alioqui haud absimilia: in summo caule, qui pedalis est, flos è vaginulis purpurascentibus prominet, senis foliolis constans, vt vulgaris Iridis, sed minor aliquantulùm, & colore omnino violaceo, seu purpureo saturatiore, qui deorsũ reflexis tribus foliis intensiùs nitet: villosa illa fimbria, quæ in vulgari lutea, in hoc omnino candida est. Vnicum autem plerumque in singulis caulibus florem profert, interdum sed rarò alterum, rarissimè tertium, singulari quemque vaginula inclusum, iucundissimo odore, & Liliũ cõuallium æmulante. Istius florem se vidisse ait Clusius, qui quaterna haberet folia deorsum vergentia, totidem ligulas bifidas fimbriam & stamina contegentes, & quaterna etiam folia sursum reflexa, & inuicem amplectentia, vt interdum in floribus Natura ludere solet. Semen angulosum & rugosũ in siliqua triangulari satis crassa sed rarò perficit. Radix subest nodosa ac veluti geniculata, solida, pollicari crassitudine incurua, intus candida, ingrati saporis, & paulò pòst feruidissimi gustus, multis fibris summa terra hærens, & in multas propagines è lateribus nascentes distributa. Nascitur passim in Lusitania supra Tagum, nunc pingui solo, nunc planè lapidoso. Bis floret, Vere cum aliis Iridis generibus, & Autumno: quam ob causam bifloram Clusius nuncupauit. Huic ferè similem esse ait eam, quam Alfonsus Pancius medicus Ferrariensis Belgium misit, nomine Dalmaticæ minoris, nisi quod paulò angustiore folio videtur, flores purpuræ dilutioris, & terni, aut quaterni in singulis caulibus, oblongiori pediculo inhærentes. Dalmatica maior, quam idem misit, vulgari forma & magnitudine similis, inquit Clusius, sed est aspectu hilaris & peruenustus foliorum exortus lateratim traiectus, vt describit Lobellius, & radiatim alas pauonis explicatas imitatur: floribus pluribus ex vno caule multis concauo alis, luculentæ magnitudinis, violaceis, nitentibus senis foliolis, alternatim etiam repandis. Vireta Belgica hanc in delitiis habent. His iungenda Iris flore cæruleo obsoleto, cinereóve polyanthes à Lobellio depicta. Aliquot alias plantas in Hispania obseruauit Clusius, quæ cùm flore sint Iridis aut Xyridis, tamen bulbaceas habet radices: quare eas Irides bulbosas nominauit. Prior sena sæpius habet folia longiuscula & latiuscula, inuicem alternatim amplectentia, mollia, in terram recurua, supernè ex viridi pallen- Li.2. Stirp. Hisp.c.11.

IRIS Dalmatica, maior.



IRIS flore cæruleo polyanthes, Lobellij.



IRIS bulbosa latifolia I. Clusij.




tia,infernè candicantia : è quorum medio flos
exilit vnicus,odoratus,cæruleus,interdum can-
didus,nouem foliolis constans,Iridis seu potiùs
Xyridis forma, quo marcescente vtrinque alij
singuli succedunt. Caulem non habet, sed flos
longo pediculo insidet vt in Croco : radix bul-
bosa,candida,auellanæ modo dulcis,multiplici
cortice nigricante inuoluta,cui(præsertim dum
floret)aliquot,præter fibras, radiculæ crassæ &
oblongæ subnascuntur, vt in Hyacinthis in-
terdum fieri solet. Inuenitur in Lusitania, Bæti-
cæq; collibus non procul ab Arna flumine si-
tis,& copiosè circa Antequeram & Cordubam.
Floret istic Ianuario & Februario. Lobellius
Hyacinthum poëtarum latifolium appellat.
Alteri sunt quinque aut sex folia tenuia, cubita-
li longitudine, interna parte canaliculata &
candicantia, externa autem striata, & viridis
cum cæruleo commixti coloris, caulem ample-
ctentia,qui sesquicubitalis est, interdum maior
rarò breuior,nodosus, florem vnicũ è vaginu-
lis promens Iridis siluestris, aut Xyridis ferè
forma,cuius la bra inferiora,& ad terram infle-
xa extima parte latiora sunt & candicantia,quóque loco fimbria villosa esse solet,
lutea macula insignita:folia alia his incumbentia subcærulei ex candido sunt co-
loris,extrema parte bifida & reflexa,ligulam vt Iridis generibus occultantia : reli-
qua tria erecta sunt & oblonga, & dilutioris ex cæruleo purpuræ. Totus flos
iucundo

IRIS bulbosa angustifolia flore vario, Clus. & Dodon.



iucundo spirat odore præmansi ferè Coriadri. Flori succedit siliqua longa, gracilis, triangula, subrufum angulosumq; semen continens. Radix bulbosa, candida, subdulcis, spadiceis aliquot membranis inuoluta, quæ nucleis vti Allium ferè separatur, & seri potest. Lobellius Hispanicum poëtarum Hyacinthum vocauit. Tertia iam dictæ per omnia similis ferè est, breuiore tamen caule, gracilioribúsque, & ex viridi pallescentibus foliis: flores bini contractiores latioresque & lutei, inodori: siliqua crassior & breuior: semen superiori simile: radix iam dictæ similis, quæ nucleis etiam separatur. Nascitur pingui solo, & petrosis collibus ad Tagum supra Olysiponem. Floret quo superior tempore. Lobellius Hyacinthum poëtarum luteum nuncupat. Priorem Clusius appellat latifoliam, & à floris colore purpuream, siue cæruleam, Hispani nunc *Lirio* simpliciter, nunc *Lirio Espadanal*, & *Lirios azules*, hoc est, Lirium ensiforme, & Lirium cæruleum. Alteram angustifo liam flore vario nuncupat, Hispani *Lirio Illyrico*. Tertiam Iridem bulbosam flore luteo, Lusitani *Reylla buey*. De harum Iridum viribus nihil adhuc compertum. His affine est Lirium maius Dodonæi, foliis Porro, aut Asphodelo similibus: caule cubitali: flore Iridis, aut Sisyrinchij, colore aut toto luteo, aut cæruleo purpureo, cum lineis luteis, quæ in inferioribus foliolis fimbriæ loco sunt: radice oblonga, bulbosa,

LIRIVM maius, aut Lirium verum, Dodonæi.



IRIS angustifolia flore luteo, Clusij.



Cepæ ſimili. λείριον videtur eſſe Theophr.quod Vere poſt Lilium exit, & aliud à
Lilio & Narciſſo eſt. Pleriſque Hiſpaniæ,Bæticæ,& Luſitaniæ locis ſponte gigni-
tur. His addemus duas Lobellij Irides.Prior admodùm rara eſt,cui flores Chamę-
iridis Monſpeliacæ, tribus foliis repandis, peregrina elegantia ſtriatis, obſcurè
violaceis. In Belgij hortis prouenit. Alterius florem vidit Bruxellis delatum, exi-
miæ magnitudinis,maculis fortuitis tranſuerſis & obliquis, giluis, cinereis & pu-
nicantibus variatum:foliis tantillùm gladij ritu vndantibus. Cætera omnia Iridi
vulgatæ,aut Dalmaticæ ſimilia. Cæteræ Irides calfaciendi extenuandiq; vim ob-
tinent. Contra tuſsim efficaces, humoréſque excreatu difficiles extenuant. Biles
Vires & Temper. Dioſc. li.1. cap.1. ex hydromelite drachmarum ſeptem pondere potæ purgant. Somnũ conciliant:
lacrymas cient:torminibus medentur. Cum aceto potæ venenatorum morſibus,
lienoſis,conuulſis,refrigeratis,rigentibus, & quibus genitura effluit, auxiliatur.
Menſes cum vino potæ ducunt. Decoctum ea-

IRIS lutea variata.



rum ad muliebria fomenta vtile, molliens ape-
riénſque locos. Iſchiadicis infunditur. Fiſtulas
& ſinus carne implent. Quinetiam glandis
modo cum melle appoſitæ fœtus extrahunt.
Strumas veteréſque duritias coctæ & illitæ
emolliunt. Aridæ vlcera explent, & cum melle
purgant. Nudata oſſa carne operiunt. Dolori-
bus capitis cum aceto & roſaceo vtiliter illi-
nuntur. Lentigines, vitia cutis in facie cũ Elle-
boro albo,& duabus mellis partibus illitæ emẽ-
dant. Peſsis,malagmatis,& acopis medẽtur. In
vniuerſum magni vſus ſunt. Infantibus circũ-
ligari ſalubre eſt, inquit Plinius, dentientibus
Li.21. c.20. præcipuè & tuſsientibus,tinearúmque vitio la-
borantibus inſtillari. Cæteri effectus eius non
multùm à melle differũt.Vlcera purgat, capitis
præcipuè, ſuppurationes veteres: aluum ſoluit
duabus drachmis cum melle. Tuſsim, tormina,
inflationes pota,lienes ex aceto. Cõtra ſerpen-
tium & araneorũ morſus ex poſca valet. Con-
tra ſcorpiones duarum drachmarum pondere
in pane, vel aqua ſumitur.Contra canum mor-
ſus ex oleo imponitur:& cõtra perfrictiones.Sic & neruorũ doloribus.Lũbis verò
& coxendicibus cũ reſina illinitur. Vis ei cõcalfactoria. Naribus ſubducta ſternu-
tamenta mouet,caputq; purgat. Dolori capitis cũ cotoneis malis aut ſtrutheis il-
linitur. Crapulas quoq; & orthopnœas diſcutit. Vomitiones ciet, duobus obolis
ſumpta. Oſſa fracta extrahit impoſita cũ melle. Ad paronychias farina eius vtun-
tur:cũ vino ad clauos vel verrucas,triduoq; nõ ſoluitur. Halitus oris cõmanducata
abolet, alarumq; vitia. Succo duritias omnes emollit. Somnũ cõciliat,ſed genitu-
ram cõſumit. Sedis rimas & cõdylomata, omniaq; in corpore excreſcentia ſanat.
In ca.1.li.1. Iris,auctore Matth.mãſa oris halitũ cõmendat,dẽtiũ dolores mulcet,ſi radicis de-
cocto ij colluãtur.Coquit,abſtergit,digerit,reſoluit,lenit,reſerat,expurgat & deij-
cit.Vulnerariis medicamentis admixta ſarcotica eſt.Radicis ſuccus bilem,pituitã,
& aquas pellit,hæmorrhoidas fotu elicit. Fit electarium ex ſucci radicis drachmis
tribus, galangæ,zedoariæ,ſingulorũ drachmis duabus,cinnamomi, caryophyllo-
rum,ſingulorũ ſeſquidrachma,braſsicæ marinæ ſemuncia,& melle quantũ ſufficit
ad excipiendũ,quo maximè iuuãtur hydropici,ſi quotidie ſemunciã ieiuni deuo-
rarint.

rarint. Radicum farina drachmarum quatuor pondere additis cinnamomi & anethi singulorum drachmis duabus, & croci scrupulo, tumores & dolores testiculorum mirificè tollit, si panni coccinei frusto meraco albo perfuso hæc omnia in puluerem trita excipiantur, & calida apponantur. Hæ radices vestibus interpositæ, eas à tinearum erosionibus tuentur, & odoris fragrantia commendant. Radix trita, & ex aceto pota omnibus aduersatur venenis. Succus naribus infusus cerebrum à pituita expurgat: ventriculo tamen nocet: ideò non exhibendus nisi cum mulsa & Indica Nardo. Potum radicis decoctum obstructiones aperit, præsertim cùm crassa materia impacta fuerit, ventris tineas pellit, vrinas ciet, renum calculos eiicit. Datur vtiliter potandum ictericis: sudores enim mouet, & auriginem exterit. Pulmones & thoracem expurgat, & iocinoris inflammationibus auxiliatur. Recentes radices saccharo conditæ aut melle, dantur vtiliter deuorandæ vnciæ pondere calculo affectis, anhelosis, hydropicis ac resolutis. Eædem in passo decoctæ contusæq; addita hordeacea farina & illitæ parotidas discutiunt. Illyricæ puluis sesquidrachmæ pondere datur ex passo calido ad iliacos affectus. Oleum, quod ex floribus & radicum succo paratur, resoluit, emollit, concoquit, frigidos dolores mulcet, attenuat, & mirificè prodest iocinoris & lienis doloribus. Podagricos iuuat, lenítque articulorum duritiem, & cæterarum corporis partium. Valet & ad frigidos vteri dolores, ad conuulsos, & aurium cruciatus. Vsus apud veteres radicum tantùm, florum apud recentiores. Hæc ex Matthiolo.

ACORVM. *CAP. XXXI.*

Ἄκορον Græcè, & ἄκορος Plinio, Latinè Acorum & Acorus. In Officinis nomen retinet, Arabicè *Vage* seu *Vgi*. Ἀφροδισίαν etiam Græci vocarunt Apuleio teste, id est, Veneream, & Piper apum, quòd ea in alueariis suspensa nunquam diffugiant apes. Dixerunt autem Græci ἄκορον, quia ταῖς κόραις, id est, pupillis, siue aciei oculorum caliginosæ mederetur. *Nomina* *Vide Phytog. pag. 59.* Pena in Aduers.

Acorum depinxit Dioscorides foliis Iridis, angustioribus tamen, radicibus non dissimilibus, implicatis, neque in rectum enatis, sed obliquis, & in superficie positis, quæ geniculis distinctæ sunt, subalbæ, gustu acres, odore non ingratæ. Præstat densum, candidum, non cariosum, plenum & odoratum, cuiusmodi est in Colchide & Galatia. Lib.1.c.2. *Forma.*

Acoros folia Iridis habet, inquit Plinius, angustiora tamē & longiore pediculo: radices nigras, minúsque venosas, cæterò & has similes Iridis, gustu acres, odore non ingratas, ruptu faciles. Optimæ Ponticæ, deinde Galaticæ, mox Creticæ. Sed primæ in Colchide iuxta Phasin amnem, & vbicunq; in aquosis. Recentioribus virus magis (alij, vires magis, legunt) quàm vetustis. Creticæ candidiores Ponticis. In his Plinius cum Dioscoride prorsus conueniret, nisi radices nigras tribueret, & minùs venosas esse, ac ruptu faciles adderet, quanquam in vetustis quibusdam legitur raptu, in aliis erutu. Legitimum istud Acorum scitè à Matthiolo expressum est, foliis Iridis, angustioribus longioribúsque, odoratis ac gustu feruidis: radicibus Iridis æmulis, frequenter geniculatis, firmis, subcandidis, innumeris ima parte adnatis fibris, odoratis, gustu acri ac subamaro, complicatis, haud in rectum descendentibus, sed in obliquum actis, & summa tellure sese diffundentibus. Caule est læui, ex quo ramuli prodeunt, in quorum cacuminibus nucamenta quædam exoriuntur (ita affirmante Quacelbeno medico: ea enim se nō vidisse ait Matthiolus) nucis Ponticæ iulis, aut longo Piperi similia. Talis est legitima Acori planta, quam Constantinopoli ad Matthiolum miserunt Augerius de Bousbecke, Ferdinandi Cæsaris ad Turcarum imperatorem orator, & Qua- Lib.25.c.13.

celbenus medicus, è Nicomedia, ex quodam vastæ magnitudinis lacu petita, vbi copiosum prouenit Acorum. Est enim Nicomedia Bithyniæ ciuitas, Galatis ac Colchis vicina, vbi optimum Acorum nasci tradit Dioscorides. Eandem Acori veri delineationem ex virẽtis plantæ inspectione tradidit Lobellius scitè admodũ & accuratè, id nimirùm folia Xyridis habere, sed oblõgiora & angustiora, sesqui-

ACORVM verum, Matthioli.



ACORVM cum flore, domini Robini, regis Francorum Herbarij.



cubito maiora, nitida, ex atro virentia, consimili radici eximia fragrantia prædi-
ta, quæ Iridis siluestris ritu Hieme marcescũt, & Vere pullulant: radices quales in
Officinis prostãt nomine Calami aromatici, implicatas, nec in rectum, nec altum
actas, sed cespite summo in obliquũ, vt rectè dixit Diosco. sparsas, subtùs numero-
sa coma fibratas, albicãtes foris, intus candidas, gustu acres & amaras, & geniculis
distinctas, ex quibus vtrinque alternatim alarum ritu aptantur pullulationes. Ne-
que caulem, neque florem edidisse ait. Idem de ea quam aluit prodidit Clusius:
quinimò asserit relatu Augerij de Bousbecke, Cæsaris ad Turcarum Imperatorem
oratoris, & Quacelbeni medici, nullum vbi nascitur sponte, neque florem ne-
que semen proferre, sed duntaxat nucamenta quædam iulis nucis Ponticæ simi-
lia, è ramulis ex læui caule prodeuntibus pendentia. Nascitur autem ingenti quo-
dam lacu ad radices montis præcelsi iuxta Prussiam Bithyniæ vrbem. Hæc ideò
inculcauimus, tum vt omnes apertissimè Acorum verum agnoscerent, tum vt in-
telligerẽt id prorsus esse (vt periti omnes huiusce tẽporis Herbarij censuere) quod
Officinæ falsò Calamum aromaticum vocant, non Galangam maiorem, vt qui-
dam opinati sunt, multo minùs Acorum nostratem palustrẽ, Gallis *Glaieul de ma-*
rais dictum, Germanis *Geelschuuertel* & *Drachenuurtz*, Belgis *Geellisch*: Officinæ olim
Acorum perperã appellauere, & maiori errore radicibus eius pro genuino Aco-
ro vsæ sunt: nam non forma modò, sed viribus potissimùm ab Acoro dissidet.
Lib.2. hist. cap. 35. & De florib. cap.45. Quare Pseudoacorum plerique nominarunt: Dodonæus Iridem luteam silue-
strem, aut potiùs Pseudoiridem nuncupare maluit, vtpote Iridi quàm Acoro si-
miliorem:

Calamus aromaticus offic.

ACORVS luteus falsus, Matthioli.



miliore:cùm contrà Acoro aut Galangæ quàm Iridi propter radicis vim adstrictoriam similior sit. Quidam Butomum Theophrasti esse volunt, & verè quidem, vt opinor: quia Butomũ Theophrasto lib.1.cap.8.caulem læuem & æqualẽ habet, vt & Cyperus: capite verò 17. lib.eiusdem foliũ habet Arundinis & Cyperi modo, velut ex duobus constans angulosum,& media parte velut carinatum: fructum,vt alij legunt, magnum,vt alij,nigricantem, magnitudine Sidæ proximũ. Quæ Acoro palustri conueniunt. Dictum autem Butomũ,quòd à bubus libenter edatur ac proscindatur. Est igitur Pseudoacorus planta foliis Iridis, longioribus & angustioribus, dorso aliquantulùm vtrinque extante, ensis figura: caulibus glabris, rotundis, cauis, nonnunquam bicubitalibus, in quorum cacuminibus flores multi exeunt, lutei, foliolis ternis deorsum vergentibus,ternis aliis multò minoribus & surrectis. Siliquæ crassæ succedunt triangulares, in quibus semina multa simul cõpressa, ordine digesta, plana, cartilaginea,lentibus maiora:radices obliquæ,longę, geniculatæ, cirrosæ, in propagines diuisæ, pallidè rubentes,gustu adstringentes. Nascitur in palustribus locis, humidis & riguis tractibus,Italiæ,Germaniæ,Galliæ,Belgióque familiaris. Floret Maio & Iunio mensibus. Tragus Pseudoacoro Gladiolum quendam cęruleum minorem subiungit, quem potiùs Pseudoacorum cæruleum vocare debuerat. In quibusdam humectis pratis, inquit, & campis, qui Rheno, & prope Vormatiam & Oppenheimium oppida adiacent, plantæ genus hoc inuenit, cuius flores aquei penè coloris,sed cum cæruleo mixti, ternis singuli versus terram inflexis foliolis prædi ti. Cæterùm quod ad reliqua attinet,folia,caulem,radicem, ea ad Iridem proximè accedunt, nisi quòd tota sua substantia magis exiguus, & angustioribus foliis & acutioribus illa esse deprehenditur. Semen fert in oblongis & triangularibus siliquis,non aliter ac Pseudoacorus.

Lib.2.c.50.

PSEVDOACORVS cæruleus,Tragi.



Vires & Temper. Lib.1. c. 2.

De singulorum viribus nunc dicendum. Acori radix calfaciendi vim habet, auctore Dioscoride. Decoctum eius potum vrinam cit. Prodest lateris,thoracis, & iecoris doloribus:torminibus, ruptis,conuulsis. Lienes minuit. Vrinæ stillicidio & venenatorum morsibus subuenit.Insessu, quemadmodùm Iris,ad muliebria vtilis est.Succus radicis caligines oculorum discutit. Antidotis radix vtiliter admiscetur. Vis ei ad calfaciẽdum extenuandumq; efficax, inquit Plinius,cõtra suffusiones & caligines oculorum succo eiusdem

Lib.25.c.13.

co eiusdem poto, contráque serpentes. Et variis in locis. Pectoribus subuenit, ideò antidotis miscetur. Iocinori medetur, thoraci quoque & præcordiis. Vrinam cit eius decoctum, & omnia vesicæ vitia sanat. Testium tumores radix decocta in vino, tritáque & illita mirè discutit. Duritias & collectiones omnes sanat, decocto huius herbæ fouentibus. Contusis & euersis pota duobus obolis in mulsi cyathis tribus radix prodest. Acorum quoque vtile est interioribus fœminarum morbis.

Lib.6. sim. Galenus scripsit Acori radicem gustu esse acri & modicè amaro, odoréque non iniucundo. Quare facultatis calidæ esse, & consistentiæ tenuis. Hinc cõsentaneum est vt vrinam moueat, & lienes induratos iuuet, tum corneæ membranæ crassitiem detergeat simúlque extenuet: sed ad hoc melior est succus ipsius. Omnino verò siccificum esse clarum est. Et sanè ordinis esse tertij in vtroque, calfaciendo scilicet & desiccando. Ab his Pseudoacori vires multùm distant. Desiccat enim citra calfactionem: radix adstringendi facultate prædita. Quare densat, cogit, contrahit. Igitur vrinam non cit, nec menses prouocat, sed potiùs supprimit. Sanguinem vndecunq; manantem cohibet, vt rectè Pandectarum auctor scripserit, eum, qui secum Acori radicem gestauerit, à nullo sanguinis profluuio corripi. Ex recentioribus aliqui hanc Pseudoacori facultatem obseruarunt, atque hinc adeò tradunt eius succum igne expressum menses nimiùm promanantes constringere posse. Dysentericis vtilis est.

Vires & Temper. Pseudoacori.

GLADIOLVS. *CAP. XXXII.*

Nomina ΞΙΦΙΟΝ & φάσγανον, & μαχαιρώνιον Græcis, Latinis Gladiolus, Ensis siue Ensiculus, Romanis Segetalis, Arabibus *Kasiſtõ*, Italicè *Gladiolo*, flores *Monacuccie*, Germanicè *Schuuertel*, Gallicè *Glais* & *Glaitel*. Xiphio, id est, Gladiolo seu Ensiculo nomen factum à folij figura, quæ tametsi eadem propemodū sit multis plantis, vt Iridi, Xyridi, Acoro, & bulbosis quibusdam, tamen huic præ cæteris remãsit, quia folium propiùs ensem mucronatum refert, striatúmque liris & neruis scabris rigidísque satis firmum. Quia in satis frequentissimè reperitur, Segetalem dixerunt.

ξίφος. gladius
ξιφίον gladiolus
φάσγανον ensis, gladius à σφάζω, iugulo
et μαχαιρώνιον idem gladiolus, quia μάχαιρα est gladius

GLADIOLVS, Matth.



Forma. Lib.4.c.20. Gladiolus Iridi similis est, vt describit Dioscorides, minor tamen & angustior, & gladij modo mucronatus, neruosúsque. Caulem emittit cubitalem, in quo flores purpurei, ordine à sese distantes: semen rotundum: radices duas, alteram alteri insidentem, velut paruos bulbos, quarum inferior gracilis est, superna crassior. Nascitur maximè in aruis. Plinius Lonchitidem à Xiphio discernens, cùm illam in sitientibus nasci dixisset, de Xiphio subiungit. E' diuerso Xiphion & Phasganion in humidis, cùm primùm exit, gladij præbet speciem, caule duûm cubitorum, radicis ad nucis auellanæ figuram fimbriatæ, quam effodi ante messes oportet, siccariq; in vmbra. In quibus à Dioscoride dissentit, qui nõ in humidis, sed in aruis nasci scripsit. Hic Gladiolus verus depictus est in aruis & satis frequens, interdum & in pratis reperitur. Cui caulis singularis, inquit Pena, rectus, rotundus, striatus, nitidus, è foliis quasi

quasi sese exerens, & flores conditos deinceps habens per interualla, interdum ad vnam tantùm caulis partem digestos, quemadmodùm in Narbonensi, interdum binis ordinibus, vtrinque vno, vt in Italico: flores rutilant hilari saturáque purpura, senis & septenis foliolis constantes, liliaceis similibus, vel Ornithogali, sed minus repandis aut diuulsis. Semen in folliculo rubrum erucæ magnitudine. Gemini bulbi radici sunt, quorum habitior & corpulentior interdū superior inferiori incumbit, interdum inferior maior & lāguidior. Vere exacto iam effœta multis pusillis bulbis propagatur Ornithogali modo: coma fibrosa subtùs radicantur glutinosi bulbi, & villoso inuolucro teguntur fusco, sapore non ingrato, acri. Superior radicis pars, auctore Dioscoride, cum vino & thure imposita, spicula & aculeos extrahēdi vim habet. Cum farina loliacea & aqua mulsa panos discutit: quare eiusmodi emplastris additur. Menses apposita trahit. Tradunt eandē superiorem radicē cum vino potam venerē stimulare, inferiorē verò steriles efficere. Quin & superiorem radicem cum aqua bibendam commodè exhiberi pueris enterocele laborantibus. Plinius eadem ferè tradit. Superior pars eius cum thure trita, æquo pondere admixto vino ossa fracta ex capite extrahit, aut si quid in corpore suppurat, vel si calcata sint ossa. Serpentis eadem contra venena efficax. (Lib.25.c.11.) Et alio in loco. Xiphij quoque radix superior vrinam ciet infantibus. Enterocelicis (Lib.26.c.8.) datur ex aqua, & illinitur vesicæ vitiis. Et rursus. Appetentiam veneris facit radix (Li.26.c.10.) ex Xiphio superior, data potu in vino. Xiphij radix, inquit Galenus, & maximè superior, attrahentem, digerentem, & desiccantem facultatem habet. (Lib.8.sim.)

XYRIS. *CAP. XXXIII.*

PLANTA, quæ Grecis ξυρὶς appellatur, & Theophrasto ἶρις ἀγρία, id est, Iris siluestris, Latinis quoque Xyris, Arabibus *Casoras*, Officinis & vulgo Spatula fœtida, Germanis *Vuandtleufkraut*, à cimicibus necandis, Gallis *Glaieul puant*. Prisci autem appositè ξυρίδα ob folij similitudinem, quasi rasorium cultrum aut nouaculam dixere. Est enim illi folium ancipiti nouaculæ similius, acutiore acie, & tenuiore rigidioreq; quàm Gladiolus aut Iris mucrone. Spatula autem fœtida, tum ob eandem folij figuram, (spata enim gladiū significat) tum quòd grauem exhalet odorem vulgò nuncupata est. Hanc his verbis delineauit Dioscorides. Xyris folia Iridi similia habet, sed latiora, & in summo acuta: è quorum medio caulis erumpit, satis crassus, in quo siliquæ sunt triangulares, & in ipsis flos purpureus, quod verò in medio est, puniceum est: semen in folliculis fabis simile, rotundum, rubrum, acre: radix est multis geniculis distincta, longa, rufa. Nascitur sponte in Galloprouincia teste Pena, & in Anglia quàm vberrimè prope vda prata, & litoreos maris aggeres. Alibi in hortis colitur. Veterum Xyridem, vulgi Spatulam fœtidam esse periti Herbarij credunt. Cùm enim obiiciunt, Xyridis radicem longam esse, geniculatam, & rufam, quæ in Spatula multifida sit, gracilis,

(Nomina — Vide Phyrog. pag. 6) (Pena in Aduers.) (Lib.4.c.22.) (*Forma.*)

XYRIS, Lobellij.



Pena in Aduers. cilis, fibratáque, prætereà florum colorem, facilè refelluntur, quòd radicis magnitudo & color, vt pleraque alia, facilè nōnihil non ita magna de causa mutantur. Etenim si Iridis radices & flores colore, magnitudine, densitate, bonitate & odore adeò variant, vt cum Florentina si nostram conferas, longè aliam colore & odore putes, quid ni possit tantilla mutatio Xyridi contingere? Illyricæ Iridis radix est subrufa, nostratis pulla & cinericia, Florentinæ candida eximia fragrantia, nostrâs verò ingrata fermè fœtet. Adhæc cùm πλαλύτερα folia Dioscorides dixit, & cacumine acutiora, innuit medium folij latius & ventricosius, summum verò multo angustiore mucrone, cuiusmodi prorsum spatulę spōte nascētis. Caules etiam eius cubito maiores, plures, glabri, teretes, crassitie mediocri per media folia recti assurgūt, florésque in summo promūt Iridis siluestris, ternis foliolis surrectis, nec inflexis, purpura saturatiore Violæ Martiæ, & in medio venis nōnullis luteis & phœniceis apparētibus, siliquis itē Iridis, triquetris, trinaq; carina dehiscētibus quādo maturuit semen, quod rubrum, nitidū, gemina secundū longitudinē serie conditur in siliquarū membraneis loculis vt in Pęonia, Orobi, vt quidā in Oribasio legūt, aut Fabæ, nō vulgaris nostratis, sed Diosco. quæ multo minor, & nostrate rotundior fuisse probatur à doctis. Radix parua (facilis enim & frequens est in Dioscor. deprauatio vocis μικρὰ in μακρὰ) geniculata, fibris multis donata, & Iridi concolor, similis, aut fusca. Postremò ea vi & acrimonia prædita est radix, tametsi Cotulam aut cimices oleat, vt multorum nostræ ætatis medicorum monumentis & experimentis constet ea præstare quæ Dioscorides Xyridi reddidit. Quin Iridi non modò similis facie, sed & viribus anteit, tum ad vlcera, ossáque desquamāda, tum intrò sumpto decocto aut succo vehementiùs lotium ciet, & sudores mouet, sed pharyngem adurit fermè. Si multa decocto bibatur, vomitum excitat, & tormina ventris, vt Iris facit. Hisce spatulam fœtidam esse Xyrida veterū astruit Pena. Cui has vires tribuit Dioscorides. Radix Xyridis ad capitis vulnera facit & fracturas. Educit aculeos & omne telum extrahit citra dolorem, admixta floris æris tertia parte, radicis Centaurij quinta, & melle. Sanat tumores & inflammationes cum aceto imposita. Radix cum passo contusa bibitur ad conuulsa, rupta, coxendicum dolores, vrinæ stillicidia, & alui profluuia. Semen ad ciendam vrinam efficacissimum est, trium obolorum pondere in vino potum. Idem & lienem liquat cum aceto potum. Xyris tenuium est partium, inquit Galenus, facultatis attrahendi, digerendi, atque desiccandi cùm radix, tum multo ampliùs fructus, qui & vrinam ciet, & lienes induratos sanare potest.

XYRIS, Matth.



Lib.4. c.22. *Vires & Temper.*

Lib.8. sim.

POLYGO

POLYGONATVM. CAP. XXXIIII.

ΠΟΛΥΓΟΝΑΤΟΝ Græcis, Latinis Polygonatum vocatur, Officinis, Herbariis, & vulgo Sigillum Salomonis, Italis *Fraßinella* & *Ginochieto*, Germanis *Vueiſzuurtz*, hoc eſt, radix alba, Gallis *Signet de Salomon*. Polygonatum autem à radice geniculorum frequentibus nodis ex interuallis tumẽte appellauerunt. *Nomina* Fuchſius, Dodonæus, aliíque recentiores Herbarij duo Polygonati genera dant. Vnum verum Dioſcoridis, latioribus foliis, alterum multò anguſtioribus. *Genera.* Polygonatum Dioſcoridis frutex eſt cubito altior, folia habens Lauro ſimilia, latiora & læuiora, quæ guſtanti ſimile quid malo cydonio aut punico exhibent cum quadam adſtrictione. *Forma.* Per ſingulos foliorum exhortus candidos flores promit numero maiore quàm folia, ſupputatione à radice facta. Radicem habet candidam, mollem, longam, geniculis plenam, denſam, graueolentem, digitali craſſitudine. Naſcitur in montibus. Iam ſi ſingulas Sigilli Salomonis no-

POLYGONATVM *maius, Matthioli.*



POLYGONATVM *anguſtifolium, Fuchſij.*



tas perſequi libeat, omnes, ne vna quidem reclamante, adeſſe comperies. Nam in montibus gignitur, frutice cubito proceriore: foliis Lauri, latioribus & læuioribus, quæ guſtata quendam mali cotonei aut punici ſaporem referunt cum quadam aſtrictione. Flores per ſingulas foliorum eruptiones exeunt candidi, qui folia numero ſuperant: etenim bini, terni, aut plures ab vnoquoque foliorum ſinu prodeunt. Radix illi candida, mollis, longa, crebris nodis articulata, denſa, graueolens, digiti craſſitudine. Floribus excuſſis baccæ piſi ferè magnitudine dependent, primùm virides, deinde nigricantes. Ab hoc Polygonatum ſiue Sigillum Salomonis minus foliis diſcernitur: cui radix & caulis, plantæq; habitudo & natales ſunt eadem, verùm folia anguſtiora multò, & ambitu ſtellato, rubræ maioris vel aſperulæ, quaterna aut quina: minores etiam flores inter folia *Pena in Aduerſ.*

herbacei, paruæq; baccæ piperis minores. Multùm hoc collibus Riuoli, & Taurino Pedemontium collibus siluosis vicinis, & arduis Veganij Narbonensis: Belgicis hortis charum & multũ. Vbi maius etiam in pratis siluosis sponte luxuriat. Ruri etiam Galliæ & Germaniæ prouenit crebrũ. Huius radix, auctore Dioscoride, vulneribus efficaciter illinitur. Quinetiam maculas delet in facie. Scribit Galenus Polygonatum mistam habere tum facultatem, tum qualitatem: habet enim adstrictionis pariter & acrimoniæ quidpiam, nec non fastidiosam quandam amaritudinem explicatu difficilem. Quocircà nec admodùm est vsui, sed tantùm quòd radicem eius quidam vulneribus illinunt. Sunt etiam qui næuos in facie illo detergent. Hæc Galenus. Hodie mulieres ex Polygonati radicibus aquam stillatitiam conficiunt, qua ad faciem detergendam proluendámque pro fuco vtuntur.

Vires & Temper.
Lib. 8. sim.

à figura floris coloribusque depicta nomen assumpsit flos. n. e. quamplurimis maculis notatus.

FLOS Tygridis, Dodonæi.



FLOS TYGRIDIS.

CAP. XXXV.

Lib. purg.

Forma.

DODONAEVS & Lobellius rarissimum florem Tygridis vocatum, pinxerunt, quem nunquã vidisse fatentur, sed illius iconem tantùm affabre coloribus expressam à D. Ioanne de Brancion communicatam, virentibus, oblongis, angustis, & acuminatis foliis, è pullo radicis bulbo: flore luteo, exiguis quamplurimis notulis punicantibus fortuitò variato, è cuius medio suaue rubens stilus exoritur. Omnibus rei Herbariæ studiosis ipsa planta hactenus incognita. Eius bulbus edulis fertur.

COIX. CAP. XXXVI.

Locus.
Forma.

PLANTAM hîc exhibemus à Mycono missam & descriptam his ferè verbis. Passim in pratis prouenit, altitudine dodrantali: caule vnico, rotundo, geniculato, qualis est Tritici calamus, in quo folia prorsus Gramini similia, in summitate veluti Auenæ paniculã habente. Pro radicibus bulbi duo subsunt, minor maiori insidet, vterque candidus, dulcis Graminis modo, vt inde Graminis speciem esse colligere possis. Si tamen planta est à veteribus descripta, eam potiùs esse suspicatur Myconus, quæ à Theophrasto κόιξ dicitur, alicubi κύιξ mendosè pro κόιξ. Etenim Coicem inter καλαμόφυλλα & γονυόφυλλα, id est, ea quæ folium habent arundinaceum & angulosum recenset. Quibus mox subiungit, folia hæc quasi ex duobus constare, & medium veluti carinam habere, vnde & cæteris meatus medius ampliùs porrigatur. Quæ folij forma graminibus competit, etsi folia habeant arundicaceis minora. Præterea idem Theophrastus Coicem bulborum generibus

Lib. 1. hist. cap. 16.
Lib. 7. hist. cap. 13.

COIX, *Myconi.*



generibus adſcribit, qui ſunt radice rotunda, non ſquamoſa. Quod huic plantæ conuenit. At duplicem radicem Coici Theophraſtus non tribuit, quæ reuerà in hac planta duplex cenſeri non poteſt, vt ex pictura iudicare licet: ſuperior enim non bulbus, ſed veſtigium tantùm & veluti bulbi rudimentum. Vulgare herbæ nomen & vſum Myconus ſe ignorare ſcripſit, audiiſſe tantùm lepores hac magnopere delectari, noctúque eius radices effodere. Quibuſdam τοῦ ξιφίου, id eſt, Gladioli ſpecies à noſtrate diuerſi, quem depinximus, videtur eſſe, aliis Siſyrinchium, in quo explicando Theophraſtus genuinam radicem adnotaſſe videtur. Lib.7. hiſt. cap.13. Quanquam aliud Siſyrinchium ex Dodonæo iam oſtendimus. Quid ſi Aegilopa Plinij Lib.19. c. 5. quis eſſe dicat, quam inter bulborum genera numerat?

HISTORIAE OMNIUM PLANTARUM

LIBER DECIMUS-SEXTUS,

In quo describuntur & ad viuum depinguntur Plantæ Catharticæ.

MERCURIALIS. CAP. I.

PRAETER differentias plantarum, quæ à locis natalibus & earum partibus sumuntur, de quibus hactenus egimus, alias esse diximus, quæ ab earundem facultatibus & viribus petuntur, de quibus hîc tractare instituimus. In his maximè admirabilis, & miseris mortalibus, qui tot ægritudinibus quotidie conflictantur, vtilissima, quæ καθαρτική, id est, purgatoria nominatur, vnde plantę καθαρτικαὶ, id est, vi purgādi præditę. Quid enim admirabilius, quàm stirpis particula aliqua deuorata, vel decocto aut succo epoto, humorem quempiam aut plures ab aliis secerni, attrahi, & vomitu aut ventris deiectione purgari? Quid vtilius, quàm ægros horum sarcina oppressos, vel praua qualitate cruciatos, hac ope veluti Deorum manibus subleuari, atque morbo liberari? Quamplurimas huiuscemodi munifica Dei beneficentia hominibus largita est, quas omnes nec nouimus, nec omnes à veteribus aut recentioribus memoratas cognitásve hîc persequimur. Sunt enim multæ iã sparsim locis idoneis explicatæ, & à quibus disiungi non poterant, vt Daphnoides, Rosa, Rosa Damascena, Senna, Cassia, Tripolium, Hippophaës, Hippophæstũ, Apios, Bryonia, Cnicus, Narcissus, Brassica marina, Brassica siluestris, Lactuca siluestris, Gratiola, Rhamnus purgatorius, Sambucus, Iris, Thapsia, Polypodiũ, atq; alia quędam. Alias hîc explicabimus, easque manifestè catharticas, & satis notas, à Mercuriali etiam mulierculis cognita exordientes.

vide Phytop. pag. 197.

Nomina Λινοζῶστις & παρθένιον Græcis, & ἑρμοῦ βοτάνιον, vel ἑρμοῦ πόα, id est, Mercurij herba dicitur, Latinis Mercurialis, quòd à Mercurio inuenta sit, Gallis *Mercuriale & Vignoble*, Italis *Mercorella*, Germanis *Ringelkraut*.

Genera. Eius genera duo tradidêre Herbarij, marem & fœminam, quæ semine internoscuntur, & foliis in mari nigrioribus, in fœmina candidioribus.

Forma. Lib.4.c.183. Mercurialis, vt tradit Dioscorides, folia Ocimo similia habet, Helxinæ cognata, sed minora, ramulos duplici geniculorum nodo cinctos, alarum caua multa, densa: fructum fœmina copiosum, racemosum, mas è foliorum sinu dependentem, paruum, rotundum, ceu binos testiculos vna cohærentes: frutex est dodrantalis aut minor. Plinius de eadem re paulo aliter scripsit. Lib.25.c.5. Linozostis siue Parthenium Mercurij inuentum est, ideò apud Græcos Hermupoan multi vocant eam, apud nos omnes Mercurialem. Duo eius genera, masculus & fœmina, quæ efficacior: caule cubitali, interdum ramoso in cacumine: Ocimi angustioribus foliis, geniculis densis, alarum cauis multis, semine

mine in geniculis dependente, fœminæ copioso, mari iuxta genicula stante, rario-ri ac breui contortóque, fœminæ soluto & candido. Folia maribus nigriora, fœmi-næ candidiora: radix superuacua, prætenuis. Nascuntur in campestribus cultis. Hęc Plinius. In vinetis nostris maximè prouenit, interdum tam copiosa & efficax, *Locus.*

MERCVRIALIS mas, Matthioli.



MERCVRIALIS fœmina, Matthioli.



vt vina etiam suo sapore inficiat, & bibentibus ingrata reddat. Augusto mense se-mine prægnans est. *Tempus.* Vtraque Mercurialis Medicis, seplasiariis omnibus, atque etiam mulierculis notissima est subnitroso sapore, & nonnihil viroso succo, pur-gãte, & medicato, ad multa perquàm vtili. *Vires.* Vtraq; enim, auctore Dioscoride, aluũ mouet, olerum modo comesta, cocta in aqua, & ea epota bilem & aquosa ducit. Creduntur prætereà fœminæ folia trita & pota, post purgationem pudendis ap-posita, vt fœminæ concipiantur efficere: masculæ verò similiter adhibitis, mares generari. Plinius de medico vtriusque vsu paulò aliter quàm Dioscorides tracta-uit, eundémque fusiùs ex Hippocrate declarauit, qui etiã hodie in libris illius ex-tat, maximè eo qui de sterilibus inscribitur, & in duobus de morbis muliebribus. Lib.25. c.5. Verba Plinij hæc sunt. Mirum est quod de vtroque genere eorum proditur, vt marés gignantur, hunc facere, vt fœminæ, illam. Hoc contingere si à conceptu succus protinus bibatur in passo, edanturq́; folia decocta ex oleo & sale, vel cruda ex aceto. Quidã decoquunt in nouo fictili cum Heliotropio, & duabus aut tribus Allij spicis, donec percoquatur. Decoctum dari iubent, & herbam ipsam in cibo altera die purgationis muliebris per triduum: quarto die à balneo coire eas. Hip-pocrates miris laudibus in mulierum vsu prædicauit has. At hunc modum medi-corum nemo nouit. Ille eas vuluæ cum melle, vel rosaceo, vel irino admouit. Item ad ciendos menses, ad secundasq́;. Hoc idem præstare potu fotuq́; dixit. Instillauit auribus olidis succum, inunxitq́; cum vino vetere. Aluo folia imposuit & epipho-ris. Stranguriæ, & vesicis decoctũ eius dedit cum myrrha, & thure. Aluo quidem soluendæ, vel in febri, decoquitur quantùm manus capiat, in duobus sextariis aquę ad dimidias: bibitur sale & melle admisto, nec non cum vngula suis, aut gallina-

ceo decocta. Salubriùs purgationis causa putauere aliqui vtramq; dandam per se,
siue cum Malua decoctã. Thoracem purgant, bilem detrahunt, sed stomachũ læ-
dunt. Mercuriali, inquit Galenus, vtuntur omnes, ad ventris purgationes dunta-
xat. Verùm si quis eius periculum facere voluerit in cataplasmate, sanè admodùm
eam esse digerentis experietur facultatis. Hæc Galenus. Eius hodie in enematibus
frequentissimus est vsus. Et multis in locis Pharmacopæi multùm vtuntur melle
quod Mercuriatum vocant. Succi expressi libris tribus incoquunt mellis boni li-
bram vnam cum semisse, vel libras duas, ad enemata, & muliebria encathismata.
In cap.183. lib.4. Matthiolus obseruatum fuisse scripsit, verrucas omnis generis vtriusque Mercu-
rialis foliis tolli, vel earum succo. Item vtriusq; semen cum Absinthio decoctum
ictericos mirificè iuuare: malis quæ serpunt succum cum aceto mederi. Quæ ante
Matthiolum literis mandauit Ruellius.

CYNOCRAMBE. CAP. II.

Nomina ΚΥΝΟΚΡΑΜΒΗ, vel κυνία, vel Λινοζώστις ἀγρία ἄῤῥαν Græcis, Canina
brassica, Cynia, & Mercurialis siluestris mas Latinis dicitur, Italis
Mercorella bastarda, Gallis *Chou-de-chien*, & *Mercuriale sauuage*, Germanis
Forma. *Vuildkingelkraut*. Cynocrambe, vt tradit Dioscorides, cauliculum bi-
Li.4.c.184. nûm dodrãtum altitudine emittit, tenerum, subalbidum: folia Mercuriali aut He-
deræ similia, certis interstitiis, subalbida: semen
foliis adhæret paruum, rotundum. In siluis co-
Locus. piosè prouenit. Semen Aprili mense profert,
Tempus. Maio maturescit. Herbam hîc pictam Fuchsius
Cap.167. Lib.1. c.51. & Dodonæus pro Cynocrambe proposuerunt:
quibus assentitur Pena. Quæ, inquit, in tota
Europa secus vmbrosas vias, & in siluis vdisque
locis, præsertim Septẽtrionalibus & minùs ca-
lidis copiosissima oritur, & vulgò siluestris Mer-
curialis vocatur, tantam cum mare habet simi-
litudinẽ, foliis per interualla binis, in geniculis,
& semine testiculis simili, gemino, in pediculis
longis, caulibus quadratis, tenellis, vt quin vera
sit Cynocrambe nulli sit dubium. Rectis hæc
binis, ternis, & interdum quaternis non alatis
cauliculis prouenit: folia subpallida sunt, quàm
Mercuriali longiora: sapor, & odor oleraceus,
& subuirosus: radix latior humiq; serpens, spar-
sa. Tota facies Mercurialem esse testatur. Vsus
eius nullus, tametsi optimus futurus ad serosos
humores & melancholicos educendos. Cyno-
In cap.184. lib.4. cramben eandẽ Matthiolus pictam dedit, quæ
notis omnibus Dioscoridis delineationi respondeat, præter semen, quod foliis nõ
adhæret. Quam ob causam dubitat an hæc legitima sit Cynocrambe. Dioscoridis
sanè oratio προσκεῖσθαι τοῖς πετάλοις καρπὸν scribit, μικρὸν, καὶ στρογγύλον: quod verum
est, si καρπὸν non solùm geminos velut testiculos intelligamus, sed præterea susti-
Li.4.c.184. nentem eos pediculum. Scribit Dioscorides caulem & folia pota, & olerum mo-
Vires. do in cibo sumpta aluum ciere: ius decoctæ bilem & aquas detrahere. Huius Cy-
nocrambes neque Theophrastus, neque Galenus, neque Paulus, neque Aëtius
meminere. Verùm Galenus, Paulus, & alij, atque etiam Dioscorides alterius Cyno-
Lib.4.c.76. crambes mentionem fecere sub nomine Apocyni, à superiore multùm diuersæ.

CYNOCRAMBE, Matth.



Κραμβη· brassica κυον, κυνος, canis hinc herba brassica canis ideo Galeno D'. et. κυνια

STAPHIS

STAPHISAGRIA. *CAP. III.*

ΣΤΑΦΙ'Σ ἈΓΡΙ'Α & ἀςαφὶς ἀγρία, Latinis Herba pedicularis, & pituitaria, Officinis & Italis Staphiſagria, Arabibus *Alberas*, *Habebras*, *Muibazagi*, *Miubezygi*, Gallis *Staphiſagre*, & *Herbe aux pouilleux*, Germanis *Biſmijntz*, Hiſpanis *Fabaras paparaz*. A foliorũ diuiſura, qua Labruſcam, ſiue Vitẽ ſiluestrem imitatur, nomen duxit Staphiſagria, id eſt, Vitis ſiluestris: pedicularis autem, ſiue pituitaria, à viribus quas habet. Pediculos enim necat, & commanducata feruore ſuo multam pituitam trahit. *Nomina* *Vide Phytogr. pag. 649.*

Folia habet Labruſcæ, fiſſa, cauliculos rectos, molles, nigros: florem fert Glaſti: ſemen in folliculis viridibus, velut cicer, triangulum, aſperum, ex nigro ſubfuleſcẽs, intus album, guſtu acre. Ita deſcripſit Dioſcorides, & ſic breuiter Plinius. Aſtaphis agria, ſiue Staphis, (Vuam Taminiam vocant falſò: ſuũ enim genus habet) cauliculis nigris, rectis, foliis Labruſcæ, fert folliculos verius quàm acinos, virides, ſimiles ciceri: in his nucleum triangulum. Matureſcit cum vindemia, nigreſcitq́;, cùm Taminiæ rubentes norimus acinos, ſciamúſque illam in apricis naſci, hanc non niſi in opacis. Hæc Plinius. *Forma.* Li.4. c.150. Lib.23. c.13.

Hodie in hortis noſtris ſeritur. In Iſtria, Dalmatia, Apulia, Calabria copioſiſsimè prouenit, auctore Matthiolo. *Locus.*

Æſtate floret. Monſpeſſuli quidem vbiuis naſcitur. Hæc eſt omnium tum Medicorum, tum Officinarum conſenſu Staphiſagria, cuius hodie vſus eſt ad eadem, quæ à veteribus præſcripta ſunt. Verumtamen Dioſcorides ei flores Iſatidis tribuit, qui ſunt lutei pallidíve, cùm Staphiſagriæ ſint cærulei, venuſti, & ſtellati, in quinque, aut ſex foliola diuiſi. Eſt autem Glaſti color intelligendus, non qualis viſitur in Glaſti flore, ſed qualis fit Glaſti ſucco, nempe ſubcæruleus. In cap.150. lib.4. *Tempus.*

Eius grana decem aut quindecim, inquit Dioſcorides, ſi trita in aqua mulſa dentur, craſſa per vomitus purgant. Sed qui hauſerũt ambulare debent. Prudenter tamen animaduertendum eſt, vt aqua mulſa continuò potui detur, quoniam ſtrangulationis periculum inferunt, & fauces vrunt. Trita herba, & ex oleo illita aduerſus morbum pedicularem, pruritus & ſcabiem valet. (Hæc in veteri codice ſic leguntur, τριφθεῖσα καθ' ἑαυτὴν, καὶ μετὰ σανδαράχης, καὶ ἐλαίῳ συγχρισθεῖσα, &c. Id eſt, Trita per ſe, vel cum ſandaracha, poſteaq́; ex oleo illita, &c.) Cit plurimam pituitam commanducata: decocta in aceto dentium dolori, ſi ea colluantur, ſubuenit: rheumatiſmum gingiuarum ſiſtit: vlcera oris, (aphthas vocant) cum melle ſanat. Vrentibus malagmatis imponitur. *Vires.* Li.4. c.150.

STAPHISAGRIA,
Matthioli.



De iiſdem ita diſſerit Plinius. His nucleis ad purgationem vti non cenſuerim, propter ancipitem ſtrangulationẽ, nec ad pituitam oris ſiccãdam: fauces enim lædunt. Phthiriaſi caput & reliquum corpus liberant triti, faciliùs admixta ſandaracha: item pruritu & pſoris. Ad dentium dolores decoquuntur in aceto: ad auriũ vitia, rheumatiſmũ cicatricum, vlcerũ manantia. Flos tritus in vino contra ſerpentes bibitur: ſemen enim abdicauerim, propter nimiam vim ardoris. Quidã eam pituitariam vocant, & plagis ſerpentium vtique illinunt. Hactenus Plinius. In quibus quod dixit rheumatiſmos cicatricũ, perſpicuè Lib.23. c.1.

lapsus est, vel corrupta sunt Dioscoridis exemplaria: non enim οὐλὰς, id est, cicatrices, sed οὖλα ῥευματιζόμενα, id est, gingiuarum rheumatismos, siue gingiuas fluidas dicere oportet ex Dioscoride, itémque vlcera oris depascentia. Astaphis agria, inquit Galenus, vehementer acrem facultatem obtinet, adeò vt ex capite purget, quod ἀποφλεγματίζειν Græci dicunt, abstergatq; valenter. Itaque ad psoram accommoda est. Sed & vrendi vim habet.

Li.6.simpl.

RICINVS. CAP. IIII.

Nomina

KIKI vel κρότων Græcis, Ricinus Latinis, Mauritanis *Kerua*, Officinis nonnullis Cataputia maior, quibusdã Pentadactylon, & Palma Christi, Mesuæ granum Regium, Italis *Girasole*, Germanis *Underbaum*, vel *Creatzbaum*, Gallis *Paume de Christ*, Hispanis *Figuera de l'inferno* dicitur. Croton autem & Ricinus à similitudine animalis, quod semen eius refert. Est enim Croton Latinis Ricinus, inquit Plinius, animal eiusdem turpitudinis, infixo semper sanguini capite viuens, atque ita intumescens, vnum animalium, cui cibi non sit exitus: dehiscitq; nimia satietate, alimento ipso moriens. Nũquam hoc in iumentis gignitur, in bubus frequens, in canibus aliquando, in quibus omnia: in ouibus & in capris hoc solùm. Et alio in loco. Minùs mirentur hoc, qui sciunt fœdissimum animalium quantùm magnificent ricinum: quoniam vni nullus sit exitus saginæ, nec finis alia quàm morte (mendosè, legendum enim, nec finis alii quàm morte) diutiùs in fame viuenti. Septenis ita diebus durasse tradunt, at in satietate paucioribus dehiscere. Palmã Christi vulgus vocat à foliorũ digitata effigie, quæ volam palmámque expansis digitis quadantenus æmulatur.

Li.11.ca.34.
Li.30.c.10.

Forma. Ricinus, vt describit Dioscorid. arbor est paruæ Ficus magnitudine, folio Platani, maiore, læuiore & nigriore: ramis caudicibúsq; cauis arundinis modo: semine in vuis asperis, quod cortice nudatum, ricino animali simile est. Plinius de oleo factitio loquens, Proximum fit, inquit, & Cici arbore in Ægypto copiosa: alij Crotonem, alij Sesamum siluestre appellant: ibiq; non pridem. Et in Hispania repentè prouenit altitudine Oleæ: caule ferulaceo: folio vitium: semine vuarum gracilium, pallidarúmque. Nostri eum Ricinum vocant à similitudine seminis. Coquitur id in aqua, innatánsque oleum tollitur. At in Ægypto, vbi abundat, sine igne & aqua sale aspersum eximitur, cibis fœdum, lucernis vtile. Hæc omnia nostræ Palmæ Christi ita quadrant, vt nihil magis. Est enim ei caulis crassus, rotundus, cauus, quinque aut sex cubitorum, geniculatus: folia ampla, alterno situ in pediculo ficulneo hærentia, septenis & nouenis, altioribus diuisuris Ficus, Platani, Castaneæ equinæ, Staphisagriæ, vel Ellebori nigri, subnigra aut subcærulea, pinguia: flores in summitate racematim compacti, quorum infimi luteoli sunt, & sine fructu pereunt, summi rubri & siliquas proferunt triangulares, in quibus terna grana, cinerea, phasiolis minora, medullosa, ac multùm olei, si premantur, reddentia. Non nisi in hortis satus prouenit. Carpitur Autumno dum semine abundat. Clusius suis Annotationibus in Historiam simplicium medicamentorum

Li.4.c.158.
Lib.15.c.7.

RICINVS, Matthioli.



Locus.

dicamentorum ex Occidentali India Nicol. Monardus ſcribit ſe vidiſſe in Hiſpania circa Malacam & Calpen ad fretum Herculeum, aliiſq; maritimis Bæticæ locis, Ricini plantas craſsitudine hominis, altitudine trium, multis prægrandibus ramis brachiatas inſtar aliarum arborum, qui rami illic tertio aut quarto quoque anno amputari ſolent, adamuſsimq; cõuenire Dioſcoridis deſcriptioni illas plantas aſſerit. Refert etiam Bellonius, magnas in Creta Ricini arbores ſe vidiſſe. Theophraſtus aliarum arborum folia ſibi ipſis ſimilia eſſe ſcribit, ſed Populi, Hederæ, & eius, quæ Croton vocatur, diſsimilia, & figura diuerſa: noua enim rotunda ſunt, vetuſtiora anguloſa, quod & alio in loco repetit. ὁ δὲ τῶν φύλλων μεταχηματισμὸς καὶ ἑτέρων κοινὸς, ἐπεὶ καὶ τὰ τοῦ κρότωνος ἔνια περιφερῆ φυόμενα τὴν ἀρχὴν, ὕστερον ἀπογωνιοῦται, καθάπερ ἀναδιαρθρούμενα. Id eſt, foliorum transformatio etiam aliorum communis eſt, nam Crotonis nonnulla initio cùm proueniunt, rotunda ſunt, deinde in angulos formantur, tanquam perfectè articulata. Quod & Plinius adnotauit. Maxima foliorum vnitas in ſuo cuiq; genere permanet, præterquàm Populo, Hederæ, Crotoni, quam & Cici diximus vocari. Huic vires iſtas reddidit Dioſcorides. Ex ſemine Ricini oleum nomine Cicinum vel Ricininum exprimitur, ad edendum minimè aptum, alioqui tamen lucernis & emplaſtris vtile. Grana triginta, putaminibus purgata, trita & pota, pituitam, bilem, aquáſque per aluum extrahũt, vomitionéſque mouent. Sed iniucunda admodùm eſt & moleſta purgatio: ſtomachum enim vehementer ſubuertit. Tuſa & impoſita varos & faciei maculas à ſole contractas expurgant. Folia cum polenta trita oculorum tumores & inflammationes ſedant, mammáſque turgentes cohibent. Per ſe aut cum aceto illita, eryſipelata reſtinguunt. Plinius de eadem re hæc tradit. Oleum Cicinum bibitur ad purgationes vẽtris cum pari calidæ menſura. Priuatim dicitur purgare præcordia. Prodeſt & articulorum morbis, duritiis omnibus, vuluis, auribus, ambuſtis: cum cinere verò muricum ſedis inflammationibus, item pſoræ. Colorem cutis commendat, capillumq; fertili natura euocat. Semen ex quo fit, nulla animans attingit. Ellychnia ex vua fiunt claritatis præcipuæ: ex oleo lumen obſcurũ propter nimiam pinguitudinem. Folia igni ſacro illinuntur ex aceto: per ſe autem recẽtia mammis, & epiphoris. Eadem decocta in vino inflammationibus cum polenta & croco: per ſe autem triduò impoſita faciem purgant. De eiuſdem purgatrice facultate manifeſtiùs hęc ſcripſit Meſues. Ricinus calidus ſuccus ordine tertio, Hamech in principio tertij. Pituitam ac interdum bilem valenter purgat deiectione, & vomitu, materias quoque & aquam ſeroſam à iuncturis attrahit. Dantur autem grana eius cocta & trita in iure galli antiqui: conferunt colico dolori, & iuncturarum, vt podagræ, iſchiadi: aut coquuntur in aqua caſei, aut lac caprinum ſuper ea mulgetur & colatur, & datur hydropicis vtiliter. Oleum autem Ricininum colico dolori à pituita & flatibus confert. Quoniam ventriculo nocet, corrigitur aſſatione, & ſi coquendo ſemen Aniſi & Fœniculi addatur. Ricini fructus, inquit Galenus, quemadmodùm expurgat, deterget ac digerit, ſic quoque folium, ſed vndequaque debilius. Oleum quod ex ſemine conficitur, tum calidius eſt, tum tenuiorum partium quàm oleum commune: quare potentiùs quoque digerit.

Li.1. obſer. cap.15.
Lib.1. hiſt. cap.16.
Li. 16. c.22.
Li.4. ca.158.
Vires.
Li.23. ca.4.
Li.2. purg. cap.28.
Li.7. ſimpl.

ELLEBORVS ALBVS. *CAP. V.*

ἘΛΛΕΒΟΡΟΣ λευκὸς dicitur à Græcis, à Latinis Elleborus albus, & Veratrum album, Arabibus *Cherbachem*, ſeu *Chaebech Abaid*, Italis *Elleboro bianco*, Germanis *Vueiſnieſz uurtz*, Hiſpanis *Herba de Baleſte*, Gallis *Ellebore blanc & Veraire*. Elleborum autem dictum volunt, quòd cibum corporis eripiat, Veratrum quòd mentem vertat. Album à radice vocarunt, quæ cùm nigri radice comparata, candida eſt. Ellebori albi & nigri tantũ meminit

Nomina.
Vide Phytog. pag. 33[illegible]
Genera.

Lib.25.ca.5. meminit Dioſcorides:& Plinius, Genera prima duo ſunt, inquit, candidum & ni-
Li.4. c.145. grum. Hoc radicibus tantùm intelligi tradũt plerique. Elleborus albus, vt deſcri-
Forma. bit Dioſcorides, Plantagini ſimilia folia habet, aut Betæ ſilueſtri, breuiora tamen, nigriora & colore rubentia (id de coſtis intelligendum:) caulem palmi altitudine, cauum, quum ſiccari incœperit, corticibus, ſeu tunicis inuolutum, à cuius ſummo, quod Dioſcorides omiſit, alternis pediculis ſurrecti florum thyrſi, vt in Botry, racemoſis floribus onuſti colore albicante viſuntur, quibuſdam in hortis purpureo. Radices ſubſunt numeroſæ, tenues, ab exiguo & oblongo capite Ceparum modo prodeuntes. Plinius albi folia eſſe tradit Betæ incipiẽtis, (Dioſcorides ſilueſtris) hæc quoque nigriora, & canalium dorſo rubeſcentia. Vtraq; caule palmi, ferulaceo, bulborum tunicis conuoluto: radice fibrata, Ceparum modo. Hęc Plinius, in cuius veteri codice exaratum reperias fimbriata pro fibrata, vt non fibras, ſed fimbrias variè ſectas radices accipiat Cornarius: ſitq; id quod Theophraſtus dixit, πολύῤῥιζον δὲ σφόδρα μάλα ταῖς λεπταῖς καὶ χρησίμοις, id eſt, multis radicibus, iiſque tenuibus & vtilibus, & Dioſcorides, ῥίζαι δὲ ὕπεισι πολλαὶ, λεπταὶ, ἀπὸ κεφαλίου μικροῦ, καὶ ἐπιμήκους ὥσπερ κρομμύου συμπεφυκυῖαι. Quod autem Plinius habet, Hæc quoque nigriora & canalium dorſo rubeſcentia, facit vt in Dioſcoride legendum ſuſpicetur, μελάντερα καὶ ἐρυθρὰ τὴν ῥάχιν, cùm vulgata exemplaria habeant, ἐρυθρὰ τὴν χροίαν, id eſt, colore rubro. Naſcitur Elleborus albus in montoſis & aſperis locis. Circa meſſem radices colligendæ. Candidũ probatur Oetæum, inquit Plinius: ſecundum Ponticum: tertio loco Eleaticum, quod in vitibus naſci ferunt: quarto Parnaſium, quod adulteratur Aetolico. Quæ ſequũtur voces duæ, ex vicino, in vulgatis codicibus, in vetuſto exemplari deſunt. Veratrum album legitimum hîc depictum eſſe, tum omnium conſenſus, tum experimenta infinita & certiſsima comprobant. Optimum habetur, quod mediocriter extẽtum eſt, album, fragile, carnoſum, nec tamen Iunci modo mucronatum, aut cùm frangitur puluerulentum, tenuem interiorẽ medullam habens, guſtu non admodùm feruens, neque ſaliuam confertim ciens. Huiuſmodi autem ſtrangulat. Primatum Cyrenaicum tenet, Galaticum autem & Cappadocicum candidiora, & puluere quodam obſita celeriùs ſtrangulationem mouent. Purgat vomitionibus, varia educens, auctore Dioſcoride: miſcetur collyriis, quæ claritati oculorum officientia purgare poſſunt. Menſes ducit, & fœtus in vtero appoſitum enecat. Sternutamenta cit: mures interficit cum melle & polenta ſubactum. Carnes ſimul coctum colliquat. Datur ieiunis per ſe, & cum Seſamo, aut ptiſanæ ſucco (Græca habẽt θαψίας χυλῷ, id eſt, Thapſiæ ſucco, ſicuti & legitur in Actuario, pro πτισάνης χυλῷ) aut alicæ, aut aqua mulſa, aut pulte, aut lenticula, aut alia ſorbitione. Pani compinſitur & torretur. Dant aliqui cum copioſa ſorbitione, aut ſucco multo, aut modicum cibum dari præcipientes ſtatim Elleborum offerunt, præſertim iis in quibus ſuſpecta timendáue erit ſtrangulatio, aut corporis imbecillitas imminet: tuto enim ſic peragitur purgatio, quòd nõ intempeſtiuè medicamentum corporibus cibo munitis accedat. Sed etiam balani ex

Lib. 25. c.5.

ELLEBORVS albus, Matthioli.



Lib.25. c.5.

Locus.
Tempus.
Ibidem.

Electio.

Vires.
Li.4. c.145.

Li.5. meth.

Elleboro ſubditę cum aceto, vomitiones eliciunt. De vtroque Elleboro ſimul Galenus & Plinius diſſerunt, quæ proximo capite explicabũtur. Album Meſues mortiferum eſſe prodidit, quòd facilè homines ſuffocare poſsit, ideoq; prorſus reiiciẽdum. Matthiolus tamen ſcribit antiquos Medicos albi Veratri puluerẽ propinaſſe comitialibus, melancholicis, vertiginoſis, inſanientibus, lymphaticis, conuulſis, podagricis, hydropicis, elephanticis, ſed nunc eius vſum exoleuiſſe, quòd eius puluis, non ſine periculo dari poſsit, quamuis eius diluto multi abſque incommodo vtantur. Id dilutum ſe melancholicis quibuſdam exhibuiſſe teſtatur, nullo eorum incommodo. In lixiuio decocta eius radix pediculos & lendes necat. Decoquitur in lacte ad muſcas perimendas: cùm enim deguſtauerint, paulò pòſt moriuntur. Mures quoque necat & gallinas. Paratur ex earũdem radicum ſucco arte quadam præſentaneum venenum, quo quibuſdam in locis venatores ſagittas inficiunt. Id, vt ſæpe in brutis animantibus & pullis gallinaceis ſe periculum feciſſe Matthiolus affirmat, vbi ſanguinem contigerit, facto ſagittæ ictu vulnere, paulò pòſt vulneratum animal interit. Sed id permirum, quòd deuoratum id venenum, niſi magna quantitate, nihil ferè incommodi adfert, eóque ipſo veſci venatores affirmãt Hiſpani, cùm purgationes moliri cupiunt. Quare nihil mirum, ſi ferinæ carnes hoc veneni genere infectæ, nihil comedentibus obſint. Verùm vbi facto à iaculo vulnere ſanguini ſe commiſcuerit venenum, nulla alia antidoto ſeruari poteſt animal, quàm deuoratis malis cotoneis. Id quod ſe à Cæſare Ferdinãdo primùm audiiſſe ait. Hac de re Hiſpanus quidam venandi peritiſsimus, rogatus, ita ſcripſit, Celtiberos, ſeu Nauarros ſuccum albi Veratri ſeruare in vaſis corneis, aut fictilibus fuſo lythargyro ſublitis, donec exactè fermenteſcat. Id cognoſci filo intincto, & inſerto acui, ſi rana transfixa moriatur: celeriùs enim interire animalia cætera cũ ſagittis eo ſucco illitis vulnerata fuerint: venatores ſtuparum eo ſucco imbutarum puluillo ferrum ſagittarum cum haſtulę parte quadam obuoluere, ne humore ſiceſcente vis exhalet: integris viribus ſuccum diu cuſtodiri, ſi mala Cydonia, vbi reponitur, nulla fuerint, quia Cydoniorum odor vim eius obtundat: illam autem reſtitui mixtis vuæ bene maturæ acinis colliſis, aut pipere trito & iniecto: quamuis feris pernicioſum id venenum ſit, occiſarum tamen carnem eſſe teneriorem, ac ſuauiorem, illam præſertim, quæ circa vulnus eſt. Lobellius ſcribit eſſe Elleborialbi differentiam ex vario flore, albo, ſubuiridi, & ex albo rubente in horto Mutoni: quod poſtremum ante aliud germinat, foliis etiam maioribus, latioribus & longioribus. Ex horum medio caulis exit tricubitalis, aut amplior, in quo flores non albi, ſed ex atro rubentes, ſtellati, quibus ſuccedit ſemen foliaceum alterius æmulatione: paucioribus fibris radix longior donata: cuius peculiari icone opus non eſt, cùm ſola ſit in floribus differentia.

ELLEBORVS NIGER. CAP. VI.

ΕΛΛΈΒΟΡΟΣ μέλας, Μελαμπόδιον, ἔκτομον, πολύῤῥιζον, & μελανόῤῥιζον Græcè dicitur, Latinè Elleborus niger, & Veratrum nigrum, quibuſdam Luparia, Arabicè *Cherbachem*, ſeu *Charbech Aſued*, Italicè *Elleboro nero*, Gallicè *Ellebore noir*. Melampodium, auctore Dioſcoride, quòd Melampus caprarum paſtor Prœti filias furore correptas eo purgaſſe, ac ſanaſſe creditur. Recentiores Ellebori nigri ſpecies aliquot faciunt, vt ex ſequentibus perſpicuum fiet. Is, vt depinxit Dioſcorides, folia habet viridia, Platani foliis ſimilia, ſed minora, ad Spondylij folia accedentia, pluribus inciſuris diuiſa, ſed nigriora, ſubaſpera: caulem aſperum: flores albos, purpureos, racematim cohærentes: ſemen Cnici, (in Anticyra Seſamoides vocant,) quo deiectiones moliuntur: radices ſubſunt tenues, nigræ, veluti à quodam capitulo Cepæ ſimili prodeuntes, quarum eſt vſus.

Nomina.
Li.4.c.146.
Genera.
Li.6.c.146.

Locus. est vsus. Nascitur in asperis, editioribus, ac siccis locis. Optimum quod ex huiusmodi
Elect.o. modi petitur terris, vt ex Anticyra. Nigrum ibi probatissimum gignitur. Eligi debet
bet corpulentum & plenum, in quo tenuis sit medulla, acre gustu feruénsque. Pli-
Lib.25. c.5. nius de eodem hæc tradit. Melampodis fama diuinationis artibus nota est. Ab hoc
appellatur vnum Ellebori genus Melampodium. Aliqui pastorem eodem nomi-
ne inuenisse tradunt, capras purgari pasto illo animaduertentem, datoq; lacte ea-
rum sanasse Prœtidas furentes. Genera prima duo sunt, candidum & nigrũ. Hoc
radicibus tantùm intelligi tradunt pleriq;. Alij folia nigri Platani similia, sed mi-
nora, nigrioráq;, & pluribus diuisuris scissa. Vtrumq; caule palmi ferulaceo, bul-
borum tunicis cõuoluto: radice fimbriata Ceparum modo. Et aliquantò pòst. Ni-
grum alij Entomum vocant, (Dioscorides Ecstomum) alij Polyrrhizon. At verò,
vt Plinius in his cũ Dioscoride de Elleboro vtroq; consentire, ita Theophrastus
Lib.9. hist. cap.11. dissentire videtur. Scribit enim: ὁ δὲ ἐλλέβορος, ὅ, τε μέλας, καὶ λευκὸς, ὥσπερ ὁμώνυμοι
φαίνονται. περὶ δὲ τῆς ὄψεος διαφέρουσιν. οἱ μὲν γὰρ ὁμοίους εἶναι, πλὴν τῷ χρώματι μόνον δια-
φέρειν. τὴν γὰρ ῥίζαν τοῦ μὲν λευκὴν, τοῦ δὲ μέλαιναν. οἱ δὲ τοῦ μέλανος δ' φύλλον δαφνῶδες, τοῦ
δὲ λευκοῦ πρασῶδες. τὰς δὲ ῥίζας ὁμοίας, πλὴν τῶν χρωμάτων. οἱ δὲ ὁμοίας λέγοντες, τοίαν δέ
φασιν εἶναι τὴν μορφὴν: καυλὸν δὴ ἀνθερικώδη, βραχὺν σφόδρα. φύλλον δὲ πλατυσχιστον, ὅμοιον
τῷ τοῦ νάρθηκος, μῆκος ἔχον εὐμηκες, εὐθὺς δὲ ἐκ τῆς ῥίζης ἠρτημένον τε καὶ ἐπιγειόφυλλον, πο-
λύρριζον δὲ εὖ μάλα, ταῖς λεπταῖς καὶ χρησίμοις. Id est, Elleborus niger & albus velut
homonymi esse videntur. De figura varia sentiunt. Alij enim similes esse aiunt,
sed colore tantùm differre: huius enim radicem albam esse, alterius nigram. Alij
nigro folium Lauri, albo Porri tribuunt, radices autẽ similes dempto colore. Qui
similes putant, talem eorum figuram esse dicunt: caulem Antherico similem, sed
valde breuem: folium latè fissum, Ferulæ simile, bene longum, statim à radice pen-
dens, & humi sparsum: radices multas prætenues, atque vtiles. Et paulò suprà scri-
psit Elleborum καρπὸν ἔχειν σησαμοειδῆ, id est, fructum ferre Sesamo similem. Quæ
Cap.10. cum Dioscoridis descriptione haud conueniunt, qui nigro Elleboro Platani
folia & Spondylij, Theophrastus Lauri tribuit.
At si Theophrasti locus is diligentiùs expen-
datur, haud alium quàm Dioscorides Elleborũ
delineasse videbitur. Cùm enim nigri folium
ait esse δαφνῶδες, albi πρασῶδες, subaudiendum
τὴν χροίαν, vt de colore intelligat. Quid enim
ineptius, quid tam graui auctore indignius, quã
Elleboro vlli Porri folium assignare? Cùm autẽ
vtrique Ferulæ folium tribuit, tam absurda
comparatio demonstrat locum hunc vitiatum
esse, quia veterum nullus Veratri folium Feru-
læ folio comparauit. Quare locus sic videtur
emendandus. καυλὸν δὲ ἀνθερικώδη, ἢ ὅμοιον τῷ τοῦ
νάρθηκος, βραχὺν σφόδρα, φύλλον δὲ πολύσχιστον (aut,
vt apud Dioscoridem legitur, πολυσχιδέστερον)
μῆκος ἔχον, &c. Id est, caulem Asphodeli, aut Fe-
rulæ similem, sed valde breuem: folium multũ
fissum, &c. Quam lectionem Plinius confirmat
his verbis. Vtrumq; caule palmi ferulaceo, &c.
Ellebori nigri tria sibi nota esse genera scribit
Matthiolus: primum, quod flores fert purpu-
reos: alterum, quod candidos: tertiũ, quod her-
baceos. Ei, cui flos est purpureus, numerosa sunt
folia

ELLEBORVM nigrum, Matth. flore purpureo.



In cap.146. cap.4. Elleb.nig. flore purp.

folia,robusta,saturatè virentia,septena simul ex apice canaliculatiq; pediculi prodeuntia,quorũ sena,vtrinque videlicet terna in exortu coniuncta sunt: quod medium est,solũ,& sine comite est.Caulem habet cubito paulò breuiorem,rotundũ, glabrum,ac solidum:flores Rosarum effigie,in purpura albicantes,è quorũ medio inter alba quædam capillamenta,octo exoriuntur siliquæ,paruæ,coniunctæ, corniculorum figura,in quibus semen oblongũ. Radicibus nititur numerosis, tenuibus,longis,saturatè nigricantibus,tenui intus matrice, à bulboso capitulo, vnde caulis exit,prodeuntibus,amaro acriq; gustu,& qui facilè stomachũ moueat,odore insuaui,& ingrato,præsertim cùm exenteratæ radices siccescunt. Ab hoc facie nihil distat Elleborus is,cui flores candidi,nisi florum colore. Eandem plantã pro gemino Dioscoridis Elleboro agnoscunt Pena & Lobellius. Niger Elleborus, inquit ille,iam plurimus ex Pyreneis & Alpinis in hortos translatus ineunte Hyeme,vel paulò post brumam flores profert,in candore roseos,interdũ albos, nonnunquam purpureos,è pediculis statim à radice ortos,Cyclamini modo.Folia habet in singulis pediculis maiora,breuiora, rotundiora, & retusiora supernè, qua duntaxat paululùm crenata sunt,ex atro viridia,minùs crassa,aut rigida.Radix intexta,& intricata innumera fibrarum nigrarum sobole,eodẽ fermè superno complexu appẽsa,amara valde & ingrata. His reclamat nota vna à Dioscoride posita, nempe florum τὸ χῆμα βοτρυῶδες,id est,florum forma racematim cohærens.Ij autẽ in vero Elleboro sunt primũ Rosarũ compressarum & nõdum reclusarũ, deinde expansarum effigie,quæ figura à racemosa multùm abest. Quare non βοτρυώδη in Dioscoride periti quidam legendum censent, sed βοστρυχώδη,facili lapsu in tanta nominum affinitate,id est,comæ,siue capilli in modum. Sunt enim βόστρυχες siue βόστρυχοι cirri muliebres,capilli,cæsaries,& plexus muliebris, quẽ scitè exprimũt in medio florum Ellebori velut Rosarum capillamenta,alba, deinde siliquæ octo paruæ coniunctæ. Præterea caulem τραχὼ,id est,asperum,Elleboro nigro tribuit Dioscorides,qui in nostro glaber læuisq; est,non asper. At τραχὼ etiam rigidum firmumq; exponi posse Pena putat. Tertius Elleborus,quem Matthiolus fœminã,aut Pseudoelleborum appellandum censet, habet folia digitorum nouem instar ad pediculum vsq; dissecta,Aconiti cynoctoni ferè modo, sed lõgioribus diuisuris,nigricantia, vndequaq; serrata, & è longo planoq; pediculo, caua per medium excurrente linea ortum ducentia. Caulem edit vegetum,subasperum:flores cæteris similes, sed herbaceo colore subuirides, quinq; aut plures, emergentibus è medio corniculis acuminatis, & vtrinque compressis,in quibus semen.Radicibus cohæret numerosis,tenuibus,palmã longitudine,ac etiam longioribus, colore nigricãte, ac perinde vt in aliis è cepaceo capitulo enascentibus, odore similiter graui, & sapore amaro,acuto,ac nauseam mouente.Nascitur in montibus & conuallibus.Germinãt omnia hęc Ellebori genera Ianuario,ac Februario mensibus,& sæpe germinãdo niues perforant: florẽt Martio.Dodonæus Ellebori nigri nomine tres plãtas complexus,primũ genuinum Dioscoridis Elleborũ nigrũ esse asserit, cui folia aspera,

ELLEBORVS niger III. Matthioli.



Elleb. nig. flore albo.

Locus.

Tempus.

Elleb. nig. Dodon. Lib.3. hist. cap.26.

nigricantia, in quaternas, aut quinas crenas profundiùs fissa, Vitis, aut, vt Dioscorides ait, Platani foliis similia, sed minora: caules læues, è quorum verticibus flores aceruatim exeunt in paruis vmbellis, veluti in Scabiosa, dilutè purpurei: deinde semen grano tritici haud absimile: quamplurimæ subsunt fibræ, tenues, longæ, nigræ, ab vno capitulo prodeuntes. Idem Dodonæus alio in libro eundem Elleborum nigrum verum Dioscoridis esse, non Theophrasti, pertinaciùs astruit, eiusq; descriptionem ei ad amussim quadrare contendit, caulem asperum illi tribuens, quem illic læuem esse dixerat. Præter formam vires etiam cōuenire ait. Sed id hominem torquet, quòd scribat Dioscorides semen Ellebori nigri in Anticyra Sesamoides vocari, eiusq; ad purgationes vsum esse: ideò hanc lectionem vitiatam esse opinatur. Nam si Sesamoides, inquit, à Sesami similitudine nomen habet, impropriè Veratri nigri semen, non Sesami, sed Cnici æmulum, Sesamoides nuncupabitur. Ex his colligit aliunde hæc verba Dioscoridi accessisse, & fortasse ex Theophrasto translata: scribit enim, ὁ δὲ ἐλλέβορος ἐπὶ ταῦτα τῇ τε ῥίζῃ, καὶ τῷ καρπῷ χρήσιμος. εἴπερ οἱ ἐν Ἀντικύρᾳ, καθάπερ φασὶ, τῷ καρπῷ καθαίρουσιν· ἔχει δὲ σησαμοειδῆ τοῦτον. Id est, Elleborus ad eadē & radice & fructu vtilis est: siquidē in Anticyra, vt aiunt, fructu eius purgant, quē Sesamo similem fert. Et aliquantò pòst, οἱ ἐν Ἀντικύρᾳ τοῦ σησαμοειδοῦς ἐλλεβόρου διδόασιν, ᾧ τινι καρπὸς ὅμοιος σησάμῳ. Id est, Anticyrenses Sesamoidea Elleborum propinant, cuius fructus Sesamo similis est. Hæc verò non ab alio Dioscoridi adscripta, vt arbitratur Dodonæus, sed ab ipsomet Dioscoride ex Theophrasto mutuò sumpta fuisse non dubito, cùm scribit, καὶ ἐν ἄλλῳ καρπὸς κνίκῳ ὅμοιος, ὃν αὐτὸν καλοῦσιν οἱ ἐν Ἀντικύρᾳ σησαμοειδῆ, χρώμενοι πρὸς τὰς καθάρσεις αὐτῷ. Quæ sic vertit Ruellius. Semen Cnici, quod in Anticyra Sesamoides vocant, quo purgationes moliuntur. Hæc si rectè intelligantur, vera sunt, & legitimi Ellebori fructū optimè referunt. Nam fructum Sesamo similem, auctores illi non semen, sed siliquas integras intelligūt, in quibus inclusum semē est Cnico simile: quas similes siliquas in iis Elleboris cōtemplari potes quos depinxit Matthiolus, nō in eo quē Dodonæus legitimū Dioscoridis Elleborū nigrū statuit. Hæc nota, atq; aliæ quædam cū in eo desiderētur, illegitimus Dioscor. Elleborus niger habēdus, est Sanicula fœmina Fuchs. Astrantia nigra Gesnero. Alteram plantā à veri Ellebori nigri viribus parū dissentientē posuit Dodonæus, quæ à Belgis *Heylichkerstcruyt*, id est, Herba Christi aut natalitia dicitur, quòd Hyeme clemētiore ad Domini natalem diē floreat, quibusdam Planta Leonis. Huic folia sunt lata, spissa, in septenas, aut octonas partes diuisa, quarum singulæ oblongæ, acuminatæ, margine vtrinq; à medio sursum versùs serrato: caule caret: flores in pediculis palmum altis è radicibus erūpunt, magni, primū niuei & venusti, deinde purpurascētes, postremò virentes, cū videlicet è mediis staminibus luteis exortæ siliquæ increuerint, quatuor aut quinque coniunctæ, in quibus semen. Pro radicibus multę sunt crassęq; fibræ, nigræ, in quibus medius tenuis neruus. Tertium genus Dodonæus Elleborum nigrum adulterinū cū Fuchsio nuncupat, à Germanis *Christuurtz* appellatū, à Belgis *Viercruyt*, quæ vox Herbam ignis significat, quòd quadrupedum morbo,

Hist. purg.

Lib. 9. hist. cap. 10.

Cap. 14.

ELLEBORVS niger, II. Dodon.

Elleb. nig. II. Dodo.



Elleb. nig. III. Dod. Ca. 105.

ELLEBORVS niger III. Dodonæi.



ELLEBORVS niger adulterinus siluest. Fuchs.



morbo, quẽ ignẽ rustici vocãt, medeatur. Superiori quadãtenus similia folia habet, minora, in multa etiã alia nouena scilicet diuisa, angustiora, toto ambitu vndequaque serrata: caulẽ pedalem, aut maiorẽ, cacumine in ramulos diuiso, à quibus flosculi deorsum nutãtes depẽdent, minores, coloris ex pallido herbacei: quatuor etiã, aut quinque siliquæ paruæ succrescũt, semenq; nigrũ & rotundũ continent. Radicis fibræ sunt tenuiores, nigricantes, inter sese implicatæ. Enneaphyllõ Plinij esse quibusdã doctis placet. Enneaphyllõ, inquit, longa folia nouena habet, causticæ naturæ. Est Elleborus niger tertius Matthioli, flore herbaceo. Fuchsius Elleborum nigrum genuinũ Dioscor dis non describit, sed adulterini genera duo. Prius, Elleborũ nigrum adulterinũ hortẽsem, quod tertiũ esse Dodonæi modò diximus. Alterũ, Elleborũ nigrũ adulterinum siluestrẽ, quod Germani *Leuszkraut*, id est, pedicularem vocãt, quòd pediculos interimat. Hunc Elleborũ inter Aconita recẽset, & Lycoctonum primũ appellat: in alio libro Elleborum nigrũ tertiũ facit, proximè descripto nõ admodùm dissimile. Caulẽ proceriorẽ habet & crassiorem: folia minora & angustiora, in sena, vel septena alia diuisa, ambitu vndiq; serrato: flores magnitudine superioris, pallidos: siliquas paruas, Sesamo similes, in quibus semẽ: radicẽ lignosam, breuẽ, cũ foliis plurimis & subnigricãtib⁹. Nascitur in montibus asperis & petrosis, atque inter sepes. Hyeme aut eius fine floret. Allobroges *Maßitre* vocãt. Tragus Elleborũ nigrũ adulterinũ eundẽ cũ priore Fuchsij posuit, genuinũ verò longè alium, tenerrimis videlicet foliolis, Abrotoni exigui, vt mox dicemus. Elleboro affines sunt Elleborastri & Cõsiligines, sic dictæ à rusticis, quòd in aruis inter Siliginẽ frequẽtissimè reperiatur, vel fortasse quòd cierent aluum. Matthiolus plantã hìc appictã Consiliginẽ esse suspicatur, nõ asserit: quoniã nullus tum veterũ, tum recentiorum Consiliginis notas memoriæ prodiderit. Verùm quia huiusce plantæ radices per auriculas pecorũ perforatas insertæ, à pulmonaria, atque aliis morbis ea liberãt, Ellebori nigri modo, suspicio est Columellę & Plinij Cõsiliginem esse. De hac sic Columella. Præsens remediũ cognouimus radiculæ, quã pastores Consiliginẽ vocãt. Ea in Marsis mõtibus plurima nascitur, omníque pecori maximè est salutaris. Læua manu effoditur ante Solis ortũ: sic enim lecta maiorẽ vim habere creditur. Vsus traditur talis. Aenea subula pars auriculæ latissima circũscribitur, ita vt manãte sanguine tanquã O literæ ductus appareat orbiculus.

Lib. 27. c. 9.

Elleb. nig. adulterinus, Fuchs.

Lib. 3. hist. cap 78. In Histor. purgant.

Lib. 1. c. 135.

Lib. 6. ca. 5.

Hoc & intrinſecus, & ex ſuperiore parte auriculæ cùm factum eſt, media pars deſcripti orbiculi eâdem ſubula tranſuitur, & facto foramini prædicta radicula inſeritur, quam cùm recens plaga comprehendit, ita continet, vt elabi non poſsit. In eam deinde auriculam omnis vis morbi, peſtilénſque virus elicitur: deinde pars, quæ ſubula circunſcripta eſt, demortua excidit, & minimæ partis iactura caput conſeruatur. Plinius. Noſtra ætas meminit herbam in Marſis repertam. Naſcitur & in Æquicolis circa viſis repertam. Naſcitur & in Æquicolis circa vicum Neruesiæ, Conſiligo vocatur. Et radix herbæ Conſiliginis, quam nuper inuentam diximus, ſuum quidem & pecoris omnis remedium præſens eſt pulmonum vitio, vel traiecta tantū in auricula. Bibi debet ex aqua, haberíque in ore aſsiduè ſub lingua. Planta itaque, cuius hîc imago expreſſa eſt, ſiue ſit Conſiligo, ſiue Pſeudoelleborus, ad duorum palmorum altitudinem aſſurgit: cauliculos profert tenues ac molles: folia longiuſcula, tenuia, quadātenus Abrotoni: flores Buphthalmi, paulò maiores, ex quibus capitula prodeunt oblonga, moris Ruborum ſimilia: radicibus nititur nigris, nigro Elleboro ſimilibus, tenuioribus tamen, & aliquantò nigrioribus. Plurima naſcitur in Boëmia, præſertim in agro Pragenſi. Ea vtuntur illic tum Medici, tum pharmacopœi omnes pro Elleboro nigro, peculiariter ad pecorum morbos magno ſucceſſu. Tragus legitimum Elleborum nigrum perperàm eſſe vult, vt diximus, alij Elleborum ferulaceum Theophraſti. Sed iam oſtendimus Elleborum Theophraſti à Dioſcoridis Elleboro diuerſum non eſſe. Geſnero Seſamoides minus eſt hæc planta, Dodonæo & Anguillaræ Buphthalmum. Elleboraſtrum, ſiue Conſiliginem geminam tradunt Pena & Lobellius, Maximam, quæ in ſegetibus reperitur paſsim circū Biturigas, & variis aruis Vidugaſſum (Beauciam vocant) Galliæ Aquitanicæ & Narbonenſis, vt iuxta Ladum amnem Monſpelio vicinum, copioſo prouentu foliorum florumq́;. Caules producit ſeſquicubitales, geniculatos, ſquamoſa cute, ex viridi nigricante vel atra, in alas multas diuiſos, quæ denſa folia fulciunt, ſingulæ ſeptena, leuiter crenata, digitata, Lupini, Platani, vel Viticis diuiſura & figura, ſed longiora, craſſa, rigida, odore & ſapore ferè Laureolæ. Porriguntur inde multiplices pediculi, qui in flores herbaceos, vel buxeos, pallentes, rugoſos primùm explicantur. Deinde ſuccreſcunt cornicula membranoſa, pallentia, quadamtenus *Aquilegiæ*: ſemen teres, atrum, *oblongum*, grano Tritici minus, te

PSEVDOELLEBOrus, ſiue Conſiligo, Matth.

Lib.25. c.8.

Vide Phytogr: pag. 339.



Lib.1. c.135.

ELLEBORASTER maximo flore & ſemine prægnans.



nus,recludentia Sole Arietem ingresso. Perennis bruma frigidissima etiã Septen-
trionalibus perstat,florétque Christi natalibus ferè. Altera Consiligo minor est *Consiligo Belgarum.*
tota,paucioribúsque caulibus,& foliis,sed maioribus & latioribus magisq́; serra-
tis. Hæc nihil aliud est quã Elleborus niger Matthioli flore herbaceo, Consiligo
Ruellij,Sesamoides Cordi,Elleboraster Belgarum Lobellio. Annotat Pena nostra
memoria pharmacopœos vtraq; Consiligine vsos fuisse Ellebori nigri penuria
& ignoratione, nonnullos etiam quòd verum Elleborum nigrum esse sibi per-
suasissent: quæ tametsi ad illum non parum accedunt,tamen ei neutiquam tutò in
vsu medico substitui posse. Superest vt Ellebori nigri vires explicemus. Purgat,in- *Vires.*
quit Dioscorides,(legendum τὴν κάτω κοιλίαν ex Plinio, Purgat per inferna.)Pituitã *Li.4.c.146.*
& bilem detrahit datus per se,aut cum scammonia, & tribus obolis,siue drachma
salis:decoquitur etiam cum lente & iusculis, quæ purgationis causa sumuntur.
Prodest epilepticis,melancholicis, insanientibus, arthriticis & resolutis. Menses
inditus trahit,partus enecat,purgat fistulas impositus,& post tertium diem exem-
ptus.Item contra grauitatem auditus in aurem immittitur,ibíque in alterum, aut
etiam tertium diem esse sinitur. Scabiem sanat illitus cum thure,aut cera, & pice,
cedrinoq́; oleo:vitiligines,impetigines,lepras ex aceto sanat: coctus cũ aceto do-
lorem dentium collutione mitigat:erodentibus medicamentis commiscetur: ex
eo,farina hordeacea & vino vtile fit hydropicis cataplasma. Consitus prope vitiũ
radices,vinum purgatorium efficit.Ipso domos respergunt,expiandi vim habere
putantes:quare cùm effodiunt,stantes Apollinem & Æsculapium precantur, vi-
tantes aquilam,aduolare enim non sine periculo aiunt, quia mortem adfert auis,
si Ellebori effosionem conspexerit. Celeriter autem effodere oportet, quoniam
capitis grauitas ex odore oboritur:quapropter qui effodiunt, ad id arcendũ Alliũ
edunt,& vinum bibunt,ita nulli noxæ oportuni redduntur. Emedullatur Veratri
albi modo. De vtriusque Ellebori vsu multa præclarè à Plinio literis mãdata sunt. *Lib.25.c.5.*
Nigrum,inquit,purgat per inferna. Candidum autem vomitione, causasq́; mor-
borum extrahit,quondam terribile,posteà tam promiscuum,vt plerique studiorũ
gratia ad peruidenda acriùs quæ commẽtabantur,sæpius sumptitauerint. Carnea-
dem respõsurum Zenonis libris, Drusum quoque apud nos Tribunorum popula-
rium clarissimum,cui ante omnes plebs stans plausit,optimates verò bellũ Mar-
sicum imputauere,constat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in An-
ticyra insula. Ibi enim tutissimè sumitur, quoniam sesamoides admiscent. Farina
eorum per se,& mista radicula qua lanas diximus lauari, sternutamentum facit,
amboq́; somnum discutiunt. Nigrum medetur paralyticis,insanientibus, hydro-
picis,dum citra febrim,podagris veteribus,articulariis morbis. Trahit ex aluo bi-
lem pituitasq́;. Ex aqua datur ad leuiter molliendam aluum, plurimùm drachma,
modicè quatuor obolis. Miscuere aliqui & scammoniam, sed tutiùs salem. In dul-
cibus datum copiosius periculum infert, oculorum caliginem fotu discutit:
ob id quidam & inunxere trito. Strumas,suppurata,duritias concoquit & purgat:
item fistulas tertia die exemptum. Verrucas tollit cum squama æris, & sandara-
cha.Hydropicorum vẽtri imponitur cum farina hordeacea, & vino. Pecorum &
iumentorum pituitas sanat,surculo per aurem traiecto,& postero die eadem ho-
ra exempto. Scabiem quadrupedum cum thure,aut cera ac pice. Album optimũ
quod celerrimè mouet sternutamenta, sed multò terribilius nigro, præcipuè si
quis apparatus poturorum apud antiquos legat,contra horrores,strangulatus,in-
tempestiuas somni vires,singultus infinitos aut sternutamenta, stomachi dissolu-
tiones,tardiores vomitus,aut longiores,exiguos,aut nimios. Quippe alia dari so-
lita,quæ concitarent vomitiones,ipsumq́; Elleborum extraherent medicamentis,
aut clysteribus,sæpe etiam sanguine venis emisso. Iam verò & cũ prospere cedit,

terribili visu variis coloribus vomitionum,& post vomitiones obseruatione alui, balinearum dispensatione,totius corporis cura, antecedente omnia hæc magno terrore famæ. Namque tradunt absumi carnem si coquatur vnà. Sed antiquorum vitium erat,quod propter hos metus parciùs dabant:cùm celeriùs erumpat, quo largiùs sumitur.Themison binas non ampliùs drachmas dedit: sequentes & quaternas dedêre,claro Herophili præconio, qui Elleborum fortißimi ducis similitudini æquabat. Concitatis enim intus omnibus,ipsum imprimis exire. Prætereà mirum inuentum est,quod incisum forficulis, vt diximus,cribrant: cortex remanet:hunc inaniunt:medulla cadit:hæc in nimia purgatione data vomitiones sistit. Cauendum est felici quoque cura,ne nubilo die detur:quippe impatibiles cruciatus existunt. Nam Æstate potiùs quã Hyeme dandum, non est in dubio. Corpus septem diebus antè præparandum cibis acribus,abstinentia vini, quarto & tertio die vomitionibus,pridie cœnæ abstinentia. Album & in vino dulci datur,aptißimè verò in lacte,aut pulte. Nuper inuenere dissectis Raphanis inserere Elleborũ, rursusq; comprimere Raphanos,vt transeat vis, eoq; lenimento dare. Reddi post quatuor ferè horas incipit. Totum opus septenis peragitur horis. Medetur ita morbis comitialibus,vt diximus,vertigini,melancholicis,insanientibus, lymphaticis,elephantiæ albæ,lepris,tetano,tremulis,podagricis, hydropicis, incipientibusq; tympanicis,stomachicis,spasticis, cynicis, ischiadicis, quartanis quæ aliter non desinant,tussi veteri,inflationibus, torminibus redeuntibus. Vetant dari senibus & pueris:item mollis ac fœminei corporis,animíve,exilibus,aut teneris, & fœminis minùs quàm viris.Item timidis, aut si exulcerata sint præcordia, vel tumeant,miniméve sanguinem excreantibus,causariis vel latere, vel faucibus. Medetur extra corpus eruptionibus pituitæ cum axungia salsa illitum: item suppurationi veteri. Mures polentæ admistum necat. Galli sagittas in venatu Elleboro tingunt,circuncisoq; vulnere teneriorem sentiri carnem affirmant. Muscæ quoq; necantur albo trito,& cũ lacte sparso. Eodem & phthiriasis emendatur. Hæc de
Li.6.simpl. Elleboro Plinius. Elleborus vterque tum albus,tum niger,inquit Galenus, extergentis simul & excalfacientis est facultatis.Quamobrem ad alphos, impetigines, scabies,lepràsque accommodi sunt.Quinetiam niger si in fistulam callo induratã immissus fuerit,duobus tribúsue diebus callum detrahit. Dentibus prodest cum aceto colluentibus. Sunt autem in tertio ordine excalfacientium & deficcantium.
Li.5. meth. Porrò niger gustu calidior est,candidus,subamarus.Veratrũ album,inquit Actuarius,varios humores vomitione educit: datur ieiunis per se, & cum Sesamoide, Thapsiæ succo,halica, aqua mulsa, lenticula aut sorbitione quapiam. Nonnulli exiguo cibo anteà exhibito Veratrum offerunt, iis potißimùm quibus strangulationis suspicio imminet,aut corporis imbecillitas adest. Siquidem in iis qui ita assumunt purgatio periculo vacat,quòd medicamentum citra mediũ corporibus non apponitur. Quin & glandes ex eo sedi inditæ, vomitiones cient. Veratrum nigrum atram bilem & flauam vndique ex corpore trahens, deorsum pellit, non tamen cum difficultate:quocirca ipsum in febribus circuitu redeũtibus & diuturnis exhibemus. Datur etiam furore percitis,altera capitis parte dolẽtibus, & quos cephalæa diu infestauit. Est autem longè omnium aptißimum intestinis, vtero, vesicæ medicamentum purgans exhibentibus. Maxima eius vis est educendi peculiariter si quid permixtũ est sanguini,quod ipsum vitiare poßit: quare & in vetustis arquatis commodum est, & aspritudinibus quæ in summa cute exoriuntur, qualis est lepra,impetigines, & id genus alia: quin & elephantia laborantibus est accõmodatum. Modus exhibitionis sunt scrupuli tres,paulò plus minúsve,tenuium fibrarum è radicibus pendentium,in aqua paululùm maceratarum, deinde cortice detracto,& in vmbra siccato,proiectáque tenui quæ ipsi subest medulla. Datur
ex passo

ex paſſo & in oxymelite:verũ ſuauitatis gratia quædã ex odoratis ſeminibus ſunt inſerenda.Si verò efficaciorẽ cupis purgationẽ,ſcammonij pauxillùm adiicito.De vtriuſq; etiã vſu diſtinctè admodũ ſcripſit Meſues his ferè verbis.Elleborus duplex albus & niger, ideq́; albo ſalubrior : quin & albus ſymptomata terribilia minatur: niger autẽ corpus incolume,& velut iuuenile tuetur. Calidus eſt & ſiccus ordine tertio,tenuat,terget,reſoluit,carnẽ vlceribus ſuperexcreſcentẽ exedit. Adde quõd ſi ad arboris alicuius radices creſcat,fructus ipſius purgatorios reddit. Albus calidus ſiccus in medio tertij , ſimiliter terget,mordet : ſed vomitu multo purgat , & ſternutamẽta valenter mouet.Vitandus autẽ hic eſt,quòd ſtrangulet.Niger autem omnium conſenſu ſumendus,præſertim caſtigatus natura & arte:ſolis robuſtis & animoſis dandus,& Vere ipſo.Datus autẽ quando & cui cõuenit, temperamẽtum melius:ob id mores quoq; probatiores reddit, & corpus incolume ac velut iuuenile efficit.Hæc enim propria ipſius ſunt opera.Corpus enim totũ excremẽtis corruptis expurgat,clementer ac ſine moleſtia vacuat bilẽ vtramq; & pituitã : ſanguinẽ proinde puriorẽ reddit,attrahẽdo ſcilicet excrementa in venis miſta, nõ à ſolis cauitatibus partiũ,ſed à toto corpore, & à remotis partibus,& cute ipſa. Ad cerebrũ quoq; purgandũ,& caput totũ,& ſenſuũ inſtrumẽta,& neruos & viſcera,& veſicã & vterũ eſt efficaciſſimus:cerebri quoq; affectibus,vt cephalalgiæ,hemicraniȩ,maniæ,melãcholiæ,vertigini,epilepſiæ,paralyſi,aquarũ in oculos defluxui apertè cõfert,iuncturarũq; quoq; morbis,vt nodis, & tumoribus ſcirrhoſis, ſtrumis etiã. In ſumma eſt velut Theriaca,& per antonomaſiã medicina cãcri,elephãtiȩ, herpetis, eryſipelatis,exãthematis,phagedęnarũ.Puluis quoq; tenuiſſimus Ellebori nigri viſum roborat.Acetũ quoq; cum hoc decoctũ, auri inſtillatũ tinnitui cõfert, & auditũ roborat.Idẽ acetũ,ſi os colluatur,dentiũ dolori confert:prætereà ſplenis affectibus,febribus diuturnis,quartanæblioſæ,reliquis affectibus melancholicis ſanat contumacibus:vrinã & menſes mouet:corporis colorẽ & odorẽ bonum efficit, ac etiã oris. Cutis affectus,alphos vtroſq;, quouis vtẽdi modo ſanat:ex aceto affrictus cuti,eius fœditatem & panos delet. Albus autẽ vomitu immodico & violẽto ſymptomata excitat horrẽda:foris autẽ affrictus cutis vitia,ſcabiem,impetiginem, lentigines valenter iuuat.Vterq; autẽ fiſtulis & vlceribus putridis ac malignis medetur.Albus autẽ quia huius tẽpeſtatis corporibus eſt moleſtus,quin & velut venenum præſertim ſuffocans vitatur.Nigri autẽ virtus ad noſtra vſq; tẽpora eſt tolerabilis,licet etiã difficilis. Sanis etiã corporibus Elleborus eſt moleſtus,inquit Hippocrates.Arte autẽ & induſtria noſtra caſtigatũ quãdo, & cui conuenit rectè propinamus,agitq́; ſalubriter. Filius autẽ Zezar manna melli ſimili,tepida, quantitatẽ corticis radicularum Ellebori aptam horis octo macerat,colatũ dat, in quo virtus eſt Ellebori. Idẽ fit in melle vuæ paſſæ aut iure gallinarũ vel carnium,aut oxymelite,aut vino dulci,aut condíto,aut ſyrupo,aut ſapa aliqua , ſuperaddentes polentam vel orizam,aut pultem, & ſorbẽdum ita datur. Sunt qui in radicem Raphani perforatam Ellebori fibras immittũt die vno,poſtridie fibris ablatis dant Raphanum Ellebori vires habentem. Daucus item & piper longum , aniſum,petroſelinum, hyſſopus,ſuccus Calaminthæ , origanum , ſuccus Cyrenaicus efficaciorem ipſum reddunt : & præter hæc Epithymum,Polypodium , ſal Indus & ſimilia:ſeſe enim hæc confirmant. Ex hoc catapotia formauit Haly ad affectus melancholicos,elephantiam, alphos nigros contumaces efficaciſſima , quæ recipiunt Hieræ picræ drach. duodecim, Ellebori nigri,Polypodij ana drach. quinque, Epithymi, Stœchadis ana drach.ſeptem,agarici,lapidis Cyanei,ſalis Indi, Colocynthidis ana drach. tres. Dantur tutò à drach. vna ad aureos duos. Vtriuſque autem Ellebori virtutem ex corpore deturbat mulſa, decoctum vuarum paſſarum,aut hordei, aut gallorum,aut gallinarum,cum oleo nucum,vel amygdalarum dulcium,vel ſimili:

Lib. purg. cap. 30.

puluerem verò Ellebori ſumere tutum non eſt. Datur autem à ſiliquis ſex ad tertiam drach. vnius, vel vſque ad drach. vnam.

TITHYMALI. CAP. VII.

Nomina TIΘΥΜΑΛΟΣ & Τιθύμαλον Græcis, Latinis Lactaria herba, Lactuca marina, & Lactuca caprina, Mauritanis *Xanxer*, & *Ethulia*, Italis *Tithimalo*, Germanis *Vvolffz milch*, Gallis *Tithymal*, vel, *Herbe au laict* dicitur. A' ſucco lacteo, quo turgent ſpecies omnes, nomen commune inditum Tithymalis, vel per diphthongum potiùs Tithoimalis, quòd mammam

Vide Phytop: pag. 571. ſiue papillam vberis exitioſam ſiue viroſam, non inſcitè quis interpretetur: τιθὸς enim mammam, μαλὸς exitioſam ſignificat. Similiter Lactariæ ob commune omnibus lac vocitatæ: atque ob eandem cauſam Lactuca, quòd ex hac herba haud

Genera. ſecùs atque ex Lactuca ſecta lac fluit: caprina, quòd capræ Tithymalis veſcantur. Septem ſunt Dioſcoridi & aliis veteribus Tithymalorum genera. Sed plura hodie à recentioribus ſunt obſeruata. Primus Dioſcoridis Tithymalus eſt mas, Characias, id eſt, vallaris cognominatus, quòd vallis ſeptíſque muniendis idoneus ſit, à quibuſdam Cometes, aut Amygdaloides, aut Cobius nominatus. Secundus fœmina, Myrtites, aut Myrſinites, id eſt, Myrtifolius, à Myrti foliorum figura, aut à nucibus, quibus ſimilem fert fructum, Caryites. Tertius Paralius, id eſt, marinus, quòd in maritimis naſcitur: quidam Tithymalida, & Mecona, id eſt, Papauer nuncupauerunt. Quartus Helioſcopius, hoc eſt, Solem aſpiciens, quia eius coma ad Solis curſum circumagitur. Quintus Cypariſſias, à Cupreſſi foliorum ſimilitudine. Sextus Dendroides, quòd ad arboris magnitudinem creſcit. Septimus Pla-

Lib. 26. c. 8. typhyllos, id eſt, Latifolius à foliorum latitudine. Plinius eadem & totidem genera

Lib. 9. hiſt. cap. 12. recenſet: Theophraſtus tria tantùm, Paralium, Marem, & Myrtiten, vt dicemus.

Forma. *Li. 4. c. 159.* Characiæ caules, vt delineauit Dioſcorides, cubitum excedunt, rubri, acri &

CHARACIAS, Matth.
ſecundus, Dodonæi.



TITHYMALVS Myrſinites
ſeu fæmina, Matth.



albo

TITHYMALVS Myrſinites meliùs expreſſus.



TITHYMALVS Paralius, Matthioli.




albo ſucco pleni: folia circũ ramos, Oleæ ſimilia, ſed longiora, & anguſtiora: radix craſſa, & lignoſa. In ſummis caulibus coma eſt, qualis iuncearũ virgarum, & ſuper ipſis caueolæ peluibus ſimiles, in quibus ſemen eſt. Naſcitur in aſperis & montoſis. *Locus.* Myrſinites ſimilis natura Daphnoidi eſt, foliis ſimilibus Myrti, maioribus, firmis, in cacumine acutis & ſpinoſis. Sarmenta à radice mittit palmi altitudine: fructũ fert alternis annis nuci ſimilem, mordaci guſtu. Naſcitur & hic in aſperis. Paralius naſcitur in maritimis: ramos habet palmi altitudine, ſubrubẽtes, quinos ſenóſve, à radice, circa quos folia ex ordine parua, ſubanguſta, oblonga, Lini foliis ſimilia: caput in ſummo rotundum, in quo ſemen velut eruum, colore varium, flores albi. Totus autem frutex & radix ſucco albo turget. Helioſcopius Portulacę folia ſimilia habet, tenuiora rotundioráque: ramulos emittit à radice quatuor aut quinque, dodrantales, tenues & rubentes, lacte copioſo plenos: caput eſt Anethi ſpecie, & ſemen velut in capitulis. Huius coma cum Sole circumagitur, vnde Helioſcopij nomen accepit. Naſcitur maximè in ruderibus, & circa oppida. Colligitur ſuccus & ſemen, vt aliorum. Cypariſsias caulem profert dodrantalem, vel maiorem, ſubrubrum, ex quo folia oriuntur Piceæ foliis ſimilia, teneriora tamen & rotundiora, & in totum Piceam naſcentem æmulantia, vnde nomen traxit. Candido ſucco madet. In petris naſcitur. Tithymalus Dendroides cognominatus, in cacumine amplus & largam ſpargens comam, ſucco prægnans, ſubrubentes ramos habet, circa quos folia Myrto tenui ſimilia, ſemen Characiæ ſimile. Platyphyllos Verbaſco ſimilis eſt. Plinius eadem genera iiſdem ferè verbis deſcripſit. *Lib. 26. c. 8.* Tithymalum noſtri Herbam lactariam vocant, alij Lactucam caprinam, narrántque lacte eius inſcripto corpore, cùm inaruerit, ſi cinis inſpergatur, apparere literas: & ita quidam adulteras alloqui maluere, quàm codicillis. Genera eius multa. Primus cognominatur Characias, qui & maſculus exiſtimatur, ramis digitali craſſitudine, rubris, rugoſis, (repone ſuccoſis ex veteri codice) quinque aut ſex, cubitali longitudine, à radice foliis pendulis, in cacuminibus coma Iunci. Naſcitur in aſperis maritimis. Alterum genus Tithymali Myrſiniten vocant, alij Caryiten foliis Myrti, acutis & pungentibus, ſed mollioribus, (maioribus, non mollioribus, vetus codex habet) & ipſum in aſperis naſcens. Tertium genus Tithymali Paralius vocatur, ſiue

Tithymalis,

TITHYMALVS helioſcopius, Matthioli.



TITHYMALVS Cypariſſias, Matthioli.



TITHYMALVS dendroides, Matthioli.



Tithymalis, folio rotundo, caule palmum alto, ramis rubentibus, ſemine albo. Quartum genus Helioſcopium appellant, foliis Portulacæ, ramulis ſtantibus à rad ice quatuor aut quinq; rubentibus, ſemipedali altitudine ſucci plenis. Hoc circa oppida naſcitur ſemine albo, columbis gratiſſimo, quod colligitur incipiente vua. Nomen accepit quoniam capita cum Sole circumagat. Quintum Cypariſſiam vocant propter foliorum ſimilitudinem, caule gemino, aut triplici, naſcentem in campeſtribus. Sextũ Platyphyllum vocant, alij Corymbiten, alij Amygdaloidẽ à ſimilitudine, nec vllius latiora ſunt folia. Septimum Dendroides cognominãt, alij Cobion, alij Leptophyllon, in petris naſcens, copioſiſſimum ex omnibus maximè (maximis in veteri codice legitur) cauliculis rubentibus, & ſemine copioſiſſimum. Hactenus Plinius. Dioſcorides Characiam Cobion appellatum fuiſſe ſcripſit, quam appellationẽ Plinius Dendroidi attribuit: item ille Characiam Amygdaloidẽ vocari, Plinius Platyphyllon. Theophraſtus de tribus generibus hæc literis mandauit.

Lib. 9. hiſt. cap. 12. τῶν δὲ τιθυμάλων μὲν παράλιος καλούμενος κόκκος, φύλλον ἔχει περιφερὲς, καυλὸν δὲ τὸ ὅλον μέγεθος ὡς τῆς σπιθαμῆς, τὸν δὲ καρπὸν λευκόν. ὁ δὲ ἄῤῥην καλούμενος τὸ μὲν φύλλον ἐλαιῶδες ἔχει, τὸ δὲ ὅλον μέγεθος διπηχυαῖον. ὁ δὲ μυρτίτης καλούμενος τιθύμαλος, λευκὸς, τὸ μὲν φύλλον ἔχει καθάπερ ὁ μύῤῥινος, πλὴν ἀκανθῶδες ἐπ᾽ ἄκρου, κλημάτια δὲ ἀφίησιν

TITHYMALVS dendroides, Dodon. ex Codice Cæsareo.



TITHYMALVS leptophyllos, Matthioli.



ἀφίησιν ἐπὶ γῆς, ὡς σπιθαμιαῖα. ταῦτα δὲ οὐχ ἅμα φέρει τὸν καρπὸν, ἀλλὰ παρ᾽ ἔτος, τὰ μὲν νῦν, τὰ δὲ εἰς νέωτα, πεφυκότα ἀπὸ τῆς αὐτῆς ῥίζης. φιλεῖ δὲ ὀρεινὰ χωρία. ὁ δὲ καρπὸς αὐτοῦ καλεῖται κάρυον. Id est, Ex Tithymalis est Paralius, granum vocatus, folio rotundo, caule tota magnitudine palmum attingente, fructu candido. Qui mas vocatur folio est Oleæ, magnitudine duos cubitos æquat. Myrtites, qui Tithymalus albus dicitur, foliū habet Myrti, nisi quòd in cacumine spinosum est, sarmenta parua per terram emittit, palmi longitudine, quæ non simul, sed alternis annis fructum ferunt, alia hoc anno, alia proximo, exorta tamen ab eadem radice: fructus Nux vocatur. Matthiolus hæc Tithymalorum genera depinxit, Characiam, Myrsiniten, Paralium, Helioscopium, Cyparisiam, Dendroiden: Platyphyllum vulgaris notitiæ prætermisit, & alium, cuius Dioscorides non meminit, Leptophyllon addidit, quo Leptophylli nomine Plinius Dendroiden nuncupauit. Cap. 159. lib. 4. Pena affirmat Characiam Matthioli, Tithymalum Platyphyllum esse. Est enim longioribus, latioribúsque foliis quàm cęteri, ramis sesquicubitum & cubitos duos altis, alioqui Dendroidi assimilatur. In Narbonæ, Gallicæ Prouincię, Lugdunensis præfecturæ, & aliis plurimis Galliæ & Germaniæ siluosis, & fluentorum ripis, nihil frequentius. Floret Maio & Iunio vnicaulis sæpius, eoq; Dendroidi affinior. Characiam verò huic Platyphyllo admodùm similem, sed minorem caule & foliis, ait Pena frequentiorem etiam esse in Germania, & Aureliæ vicinis siluosis, quam calidiori solo, nullibi quàm in Anglia copiosiorem: primò Vere florere, caulésque complures à radice lignosa, fusca, rubentes mittere, in quibus folia multò minora, purpurascentia, amygdalinis similia, quàm Paralij maiora: luteolos flosculos, ex quibus deinde per Iunij messes oriuntur triangulares siliquæ, in quibus terna grana, paulò superiùs quàm sint concaua folia, quę pertranseunt vmbellarum ramuli. Dodonæus in Historia purgant. Characiæ species quinque constituit. Primus caules profert cubitales, teretes & rubentes, folia tenuia, oblonga, angusta & longiora, maioráque quàm Oleæ, sed amygdalinis angustiora, com

TITHYMALVS Characias primus, Dodon.



TITHYMALVS Characias quartus, Dodon.



ra, comam in cacumine largam, & Iunci ferè
modo effuſam, quæ concaua quædam ſurſum
ſpectantia profert, vaſculis ſiue acetabulis ſi-
milia, ex quibus floſculi ſublutei: deinde tri-
quetra exeunt capitula, parua, in quibus ſemi-
na: radix dura fibras multas habet. Monſpe-
liẽſibus Amygdaloides dicitur, in agro Mõſpe-
lienſi ad crepidines Ledi amnis cis põtem Ca-
ſtri noui, item Lugduni ad Athenæum cœno-
bium in peninſula, Aureliæ, Biturigibus, & ali-
bi in Gallia plurimus: folio Characiæ Anglici,
ſed longiore, molliore, & longè maiore, latiore
magíſque ſparſa fœtura, peltata coma: radix fi-
brata. Eſt Cluſio Characias legitimus Dioſco-
ridis, cui florem nigrum tribuit, nõ ſubluteum
aut palleſcẽtem. Eſt altera Characiæ ſpecies, fo-
liis ſuperiori ſimilis, ſed durioribus: caules quo-
que nonnihil, tamẽ minùs rubent: coma altior,
& qui hanc fert caulis, foliis haudquaquam vt
prioris exuitur: illius enim comam peltatam
facientis folia ferè ſemper defluunt: vaſcula,
flores, ſemina, & radices ſatis conueniunt. Hic
eſt Characias Matthioli. Ad hoc genus perti-
nere videtur, non caulibus rubẽs, ſed candidus
Tithymalus. Caules ei teretes ſunt, ramoſi, cu-
bito ſæpe altiores, folia quoque oblonga, angu-
ſta, albida, tenuíque lanugine pubeſcentia: vm-
bella contractior: floſculi parui, luteoli: ſemi-
na trigemina in acetabulis, vt aliorum. Tithy-
malus Characias quartus Dodonæi foliis eſt ſi-
militer longis, anguſtíſque, paulò quàm primi
aut ſecundi minoribus, etiam albicantibus, ſed
minimùm lanuginoſis, vmbella ex viridi ſublu-
tea, quę, priuſquàm explicetur, oblongioris fru-
ctus, veluti amygdalæ, rudimentum præſefert,
eiuſdem tamen cum reliquis foliis coloris: floſ-
culi & ſemina aliorum ſimilia: radix altè de-
mittitur. Eſt Myrſinites altera, & Turbith Ale-
xandrinũ quorundam, multò tamen cognatio-
rem Characiæ quàm Myrſiniti putarunt Bel-
gæ, inquit Lobellius, quamuis priuſquàm vm-
bellas pandat, ſuprema folia proferat occluſa,
quæ veluti nucem amygdali adumbrare viden-
tur, vt diximus: foliis enim eſt pallidè virenti-
bus, Characiæ æmulis, ſed minoribus anguſtio-
ribúſque: fructus & flores luteos herbaceos cæ-
terorum Tithymalorum ritu fert. E' Narbonenſi agro & Gallica Prouincia in
hortis Belgicis colitur. Quintus Dodonæi Characias, nobis eſt Tithymalus Myr-
ſinites ſerratus, de quo mox dicemus. Matthioli Myrſinites habet folia circa cau-
lem totum craſſa, acuta, Myrto ſimilia. Idẽ Paralium naſci ait in maritimis tãtùm,
Senenſibus

TITHYMALVS paralius, Dodonæi & Penæ.



Senensibus, Argentario promontorio, & in toto illius regionis tractu, item in Aquileiensi agro esse frequentissimum. At Pena Paralij & Myrsinitæ effigies à Matthiolo propositas esse commentitias, neque ex plantis ipsis expressas ait, Paraliúmque, nusquam, nisi sabuloso sterilíque litorum solo mediterranei, occidui, & Germanici maris, copiosè prouenié̃tem, describit, virgis à radice rectis, rubellis, tactui glutinosis: foliis densè stipantibus, subnigris, lino latioribus: flosculis ex herbaceo luteolis, in summis pediculis circinata foliola media traiicié̃tibus, sicq; vmbellam efformantibus, & semen edentibus tricoccum, Chamælææ aut Lathyridis non dissimile, minus & coactius: intus esse tria medullosa grana: radice simplici, prolixa, lignosa. Eundem Paralium descripsit & pinxit Dodonæus in Histo. stirpium. Pena Dioscoridis Myrsiniten, id est, Myrtifolium, siue fœminam, siue repentem Tithymalum, proxima Paralio facie esse scribit, sed breuioribus, pedalibus, pinguioribus surculis humi repere, quos folia prorsum Chamælææ, latiora Myrti, vel Rusci, mucronata, crebra stipant, vt Paralium, pallidè virentia, & in summo magis sparsa, Sedi maioris aut Laureolæ ambitu, è quo trans folia concaua & vmbilicata sparguntur quaterni aut quini pediculi, qui Iunio & Iulio flores luteos herbaceos, pusillos, muscosos ferunt, & semina triquetra Paralij, Augusto matura, maiora, quę Lib. 3. c. 29.

TITHYMALVS helioscopius, Dodonnæi.



TITHYMALVS paralius, Dodon. ex Hist. purgant.



etiam tribus constans lateribus,& in trigonas valuulas dehiscunt,quæ singulę singula grana,teretia, oblonga , fusca concludunt , medulla alba , acri , non ingrata. Hunc, inquit, Angliæ, Belgij , Franciæ horti sæpius alunt , nec alibi natum vidi. Eum certè multò meliùs pinxit Dodonæus , additis flore & capitulis affabre expressis. Idem in Historia purgantium Paralium diuersum à Matthioli Paralio exhibuit , & ab eo,quem ex Historia stirpium monstrauimus. Illi cauliculi quini seníve assurgunt , cubitales, tenues, dilutè rubentes, quos multa parua, angusta , oblonga vestiunt foliola,instar Lini, sed candida densioráq;: rotundæ , sed minimè amplæ in cacuminibus vmbellæ , in quibus flores & semina perinde vt aliorum. Tithymalus Helioscopius,inquit Matthiolus, vulgaris notitiæ est : nascitur enim passim prope vrbium & oppidorum mœnia,in agris cultis & incultis, hortis & collibus.Dodonæus & Pena eundem Helioscopiũ depinxerunt,qui Germanis *Sonne-vvende-vuolfzmelk*, Belgis *Croonkens cruyt* , Gallis *Reueille-matin* dicitur,omnibꝰ familiaris & notior, foliis Portulacæ, minùs crassis, ambitu nonnihil crenato : caules paruos,pedales, teretes, in humum flexos , quaternos & quinos cingentibus : floribus ex luteo in pallidum languentibus,in vmbellam collectis:semine cæteris simili.Sed Narbonæ , vbi maturuerit , adeò spiritu vaporoso turget , vt in solo relictum quasi sese moueat, exiliat, mediúmque crepet, puerísque grato sit spectaculo, quēadmodùm & Tamaricis semen. Hæc Pena.Cyparissias,inquit Matthiolus , ea est planta quam Esulam minorem perperàm vocant Itali, cuius pro omni Tithymalo inualuit vsus.Ab hoc multùm differt Cyparissias Dodonæi in Histo. purgant. & ab eo, quem ipse in Historia stirpium depinxit. Illi enim foliola sunt oblonga quidem , sed perangusta , & quàm Esulæ minoris angustiora, satis ad Piceæ folia accedentia , molliora tamen ac tenuiora : cauliculus nonnihil rubet , dodrante altior,ramulos effundit complures, in quorum medio vmbella cum acetabulis purpurascentibus:floribus seminibúsque perpusillis : radix fibrata.Idē videtur esse, qui Leptophyllos Matthioli : cacuminibus tamen differunt. Huius species quędam minor reperitur, auctore etiam Dodonæo , palmum duntaxat alta , tenuibus cauliculis , oblongis & angustissimis foliolis, vmbella exigua, flosculis luteolis, seminibúsq; minutis. Matthiolus Dendroiden vidisse ait extra Terracinam,agri Neapolitani vrbem,inter saxa

TITHYMALVS *Helioscopius, Dodonæi.*



TITHYMALVS *Cyparißias, Dodonæi.*



ter saxa antiquissimi specus, plantæ arborescentis effigie, & in Tergestino litore, non procul à Timauo fonte in saxosis quibusdam rupibus arborescens, Anguillara in Thuscia, Liguria, & prope Massiliam. Bellonius refert in Creta ad duorum hominum altitudinem crescere, caudicem habere crassitudine corporis humani. Platyphyllū, id est, Latifolium genuinū se reperisse credit Clusius. Is pedali, interdum maiore altitudine aliquot à radice ramos emittit, nonnunquam simplici caule assurgit, circa quem ampla folia, mucrone rotūdiore, ad Isatidis nouellæ foliorum formam accedentia, viridia aliquantulùm carnosa, & succo pallescente acríque turgentia: flos ex luteo purpurascens ramulis insidet, ac veluti acetabulis quibusdā continetur: radix crassa est & candida. In solo Valentino regno inter Biar & Huentimente via salebrosa inter medios frutices duntaxat se obseruasse ait, florentem mense Martio. Eundem pictum dedit Dodonæus in Historia purgant. Duos alios Tithymalos ex Dalechampio hîc exhibemus. Prior est Tithymalus serratus, qui in agro Monspeliensi vbiuis gignitur, radice multiplici, candida: caulibus multis, pede altioribus, rotundis: foliis ima parte longis & angustioribus, superiore latioribus, serratis in ambitu, vnde cognomentum: flore subluteo, fructu anguloso. Tota planta lacteum succum fundit acrem & erodentem. Summa caulium parte, vt in Tithymalo Characia, folia duo iuncta quasi lacunatum alueolum efficiunt, è quo pediculi florem ac fructum sustinētes exeunt. Alter est Tithymalus verrucosus, qui in aridis & sabulosis gignitur prope Lugdunū, ad Rhodani fluenta: radice breui, sed surculosa: caulibus multis, cubitalibus: folio Myrti, inæqualibus spatiis disposito, candicante, minimè per ambitum diuiso: flore ex herbaceo subluteo: fructu rotundo, verrucarum tuberculis simili, qua de causa Verrucosum cognominarunt. Tota planta lacte manat, vt & cætera Tithymalorum genera. Nunc de eorum viribus dicēdum. Characiæ liquor lacteus, auctore Dioscoride, vim habet aluum per inferna purgandi: pituitam & bilem ducit, duorum obolorum pondere ex posca sumptus. Cum melicrato autem potus vomitiones cit. Appetente vindemia lacteus hic liquor colligitur. Depilat is recens ex oleo in Sole inunctus, renascentesq; capillos flauos & exiles efficit, tandémque omnes perimit. Cauernis dentium inditus leuat dolores, sed cera dentes oblinendi, ne effluēs fauces aut Li. 4. c. 159.

TITHYMALVS platyphyllos, Clusij & Dodon.



TITHYMALVS serratus, Dalechampij.



TITHYMALVS verrucosus, Dalechampij.



linguam vitiet. Idem inunctus formicātes ver-
rucas pensiles, thymos & impetigines tollit.
Valet etiam aduersus pterygia, carbunculos,
phagedænas, gangrænas fistuláſque. Semen &
folia eadem quæ lacteus ſuccus præſtant, dimi-
dio acetabulo pota. Radix drachmæ pondere
cum hydromelite inſparſa & pota, per inferna
purgat. Decocta cum aceto colluto ore, den-
tium dolori auxiliatur. Huic conſimilem facul-
tatem habent Myrſinitæ ſuccus, radix, ſemen,
folia, ad ciendas tamē vomitiones imbecillior
hic eſt. Paralij vſus ſupradicto ſimilis eſt. Helio-
ſcopius vim eandem habet cum ſuperioribus,
ſed non adeò validam. Cypariſſiæ vis etiam ea-
dem quæ præcedentibus. Dendroides quoque
eiuſdem effectus cuius ſuperiores. Platyphylli
radix, ſuccus, & folia, per inferna trahūt aquas.
Piſces necat tuſus, & aqua dilutus. Plinius eorū-
dem Tithymalorum vires partim ex Dioſcori-
de, partim ex Theophraſto, partim ex aliis tra-
didit his verbis. Tradunt toties purgari hydro-
Lib.26.c.8. picos fico ſumpta, quot guttas lactis Characiæ
exceperit. Eſt & ſemen in vſu cum melle deco-
ctum ad catapotia ſoluendæ alui gratia. Semen & dentium cauis cera includitur.
Colluuntur radicis decocto è vino aut oleo. Illinunt & lichenas ſucco: bibúntque
eum, vt purgent vomitione, & aluo ſoluta, aliàs ſtomacho inutilem. Trahit pituitā
ſale adiecto in potu, bilem aphronitro. Si per aluum purgari libeat, in poſca: ſi vo-
mitione, in paſſo aut aqua mulſa. Media potio tribus obolis datur, ficos à cibo
ſumpſiſſe melius eſt, fauces vrit leniter: eſt enim tam feruentis naturæ, vt per ſe
extrà corpori impoſitus, puſtulas ignium modo faciat, & pro cauſtico in vſu ſit.
Myrſinitæ fructus demetitur cum meſſium maturitate, lauatúrque, deinde ſicca-
tur, & datur cum Papaueris nigri partibus duabus, ita vt ſit totum acetabuli mo-
dus. Minùs hic vomitionibus purgat quàm ſuperior, cæteri item. Aliqui ſic & fo-
lium eius dedêre, nucem verò ipſam in mulſo, aut paſſo, vel cum ſeſama. Trahit bi-
lem & pituitam per aluum. Oris vlcera ſanat. Ad nomas oris folium cum melle
eſtur. Paralij ſemen colligitur incipiente vua, & ſiccatum teritur, ſumitúrque ace-
tabuli menſura ad purgationes. Trahit bilem per inferna in oxymelite dimidio
acetabulo: cæteri vſus qui Characiæ. Cypariſſiæ eadem vis quæ Helioſcopio aut
Characiæ. Platyphyllos piſces necat, aluum ſoluit, radice, vel foliis, vel ſucco, in
mulſo, aut aqua mulſa drachmis quatuor. Detrahit priuatim aquas. Dendroides eſt
Lib.8.sim. eiuſdem effectus cuius Characias. Galenus dilucidiùs has vires expoſuit his ver-
bis. Tithymali omnes vincentem habent acrem calidámque facultatem: ineſt ve-
rò & amaritas. Validiſſimus Tithymalorum liquor eſt. Secundum locum tenet ſe-
men, & folia. Sed & radix earūdem facultatum particeps eſt, verùm non ex æquo.
Sanè ipſa cum aceto decocta dolores dentium ſanat, maximè qui illis eroſis pro-
ueniunt. At liquores vt qui valentiorem vim habeant, in foramina quidem ipſa
dentium induntur. Cæterùm ſi aliam corporis partem contigerint, continuò
adurunt, vlcerántque: quapropter foris illis cera circumuoluitur. Sic pilos quoq;
ſuccus inunctus tollit. Porrò quum vehementior ſit, oleo miſcetur: & ſi id ſæpe
fiat, tandem prorſus radices pilorum aduſtæ corrumpentur, corpúſque depile red-
detur.

detur. Eadem facultate myrmecias, acrochordonas, pterygia, & thymos auferunt, detergéntque lichenas & psoras, quia scilicet illis abstergendi facultas inest propter amaritudinem. Præterea vlcerum phagedænica, anthracode, & gangrænode, quia valenter calfaciunt & abstergunt, si in tempore & moderatè quis vtatur, iuuare poterunt. Verumenimuero & fistularum callos eadem facultate adimunt. Porrò hæc omnia genere quidem similiter, imbecilliùs tamen & folia & fructus præstare possunt. Quibus sanè & ad pisces in aqua stagnante capiendos vti assolent. Celerrimè namque ab illis in vertiginem acti, ac semimortui redditi ad aquæ superficiem feruntur. Cæterùm cùm septem sint eorum genera, valentissimus est, quem Characiam nominant, & Myrsinites, & qui in petris nascitur instar arboris: deinceps qui Verbasco similis est, & Cyparissias, pòst Paralius, denique Helioscopius. Proportione verò cōprehensæ eorum facultatis & cinis, & lixiuium erit.

TITHYMALVS TVBEROSVS siue Apios. CAP. VIII.

TVBEROSVS Tithymalus exiguos promit cauliculos, aliquantulùm rubentes, tenues ac teretes: circa quos exigua & parua foliola, forma quidē foliorum Hyperici aut huiuscemodi Rutæ syluestris, at minora, Chamæsyces æmula. Vmbellæ in fastigiis raræ, in quibus acetabula: flosculi pallentes lutei: semina asperiuscula triquetra, vti aliorum Tithymalorum, minora tamen: radix tuberosa pyri modo turbinatur, inferiore parte angustior, foris nigricans, interiùs candida. Manat ex hoc lacteus quoque succus, quacunque eius vulnerata aut læsa parte. In Apulia Italiæ prouincia gignitur, nec non in Græcia ac vicinis insulis, vt Creta, Lemno, aliisq; , & quidem illic locis montosis. Exit vno loco longioribus cauliculis: aliis tenerioribus breuioribusq;. Huius quandoq; maior: illius verò subinde minor est radix. Memini siquidem me ab excellentissimo clarissimoq; viro Iacobo Antonio Cortuso, patritio Patauino, duas olim huius plantas accipere. Vnius radix maior crassiorq; : folia verò & ramuli minora: alterius verò radix minor, sed ramuli lōgiores, & folia paulò maiora. Hunc Tithymalum Græci ἄπιον à figura & similitudine pyri nūcupant: dicitur quoq; & ἰχὰς & à Gaza Latinè Carica, quod ἰχάδα, id est, Caricam siue ficum aridam radix referat: item & χαμαιβάλανος, siue terrestris glans, & à figura quoq;. Sunt tamen & alij χαμαιβάλανοι Germaniæ familiares ac edules, de quibus in historia frumentorum. Pempt. 4. scripsimus.

TITHYMALVS tuberosus siue Apios, Dodon. purg.



Bellonius χαμαιπύδια modò in Græcia Apion dici scribit. Facultate autem & temperamento Tithymalus iste, siue Apios, vehementer calidis ac siccis est, reliquis Tithymalis similis, ac perinde quoque humano corpori molestus ac noxius. Pars radicis superior, Dioscorides ait, sumpta vomitione bilem pituitámque educit: quæ ad radicē inferior, per aluum. Tota vtrinque purgationes mouet. Succus sesquioboli pondere, vtraque etiam parte purgat. Hydropicis, inquit Plinius, datur acetabuli mensura.

PITYVSA. CAP. IX.

Nomina. ΠΙΤΥΟΥΣΑ Græcis, Latinis Pityuſa, Mauritanis *Alſebram*, & ſine articulo *Scebran* & *Scobran*, quod ex Serapione facilè intelligi poteſt, qui nomine Scobran, id eſt, Eſulæ, vt ipſe interpretatur, totum Dioſcoridis de Pityuſa caput tranſcripſit, Officinis Eſula ſiue Ezula nominatur. Pityuſa autem à
Li.4.c.160. dictione πίτυς, quæ Piceam ſignificat, quòd Piceæ folia referat. Hanc Dioſcorides Tithymalorum generibus aſsignauit: attamen cùm Cypariſsiæ Tithymalo nomi-
Vide Phytop. pag. 577.
ne, viribus, natalibus, foliis præſertim, ſit adeò affinis, ne quem falleret hæc ſimili-
Forma. tudo, Dioſcorides ſpecie à Cypariſsia differre monuit, ſcripſitq; caulem habere cubito altiorem, multis geniculis cinctum, foliis acutis, tenuibus, Piceæ ſimilibus circundatum: flores paruos, veluti purpureos: ſemen latum inſtar lenticulæ: radicem albam, craſſam, ſucco plenam. Inuenitur quibuſdam in locis magnus hic fru-
Lib.24.c.6. tex. Plinius de herbis propter cognationem nominis cum Pino & Picea agens, breuiùs deſcripſit. Cum honore & Pityuſa, inquit, ſimili de cauſa dicetur, quam quidam in Tithymali genere numerant. Frutex eſt ſimilis Piceæ, flore paruo, purpureo. In quibus hæ duæ voces, cum honore, quæ in vulgatis codicibus leguntur, redundant, & penitus ineptæ ſunt. Quare legendum ex veteri codice, Et Pityuſa ſi-
In cap.160. lib.4. mili de cauſa dicetur, &c. Matthiolus cenſet Alſcebran, ſiue Scebran minus, eam eſſe plantam, quæ Officinis Eſula minor dicitur, Dioſcoridi Tithymalus Cypariſsias: Alſcebran maius, ſiue Meheſelengi Auicennæ, eam eſſe, quæ Græcis dicitur Pityuſa, Officinis Eſula maior, quæ in Italia paſsim ferè prouenit, facie minoris Eſulæ, ſed longè in omnibus maior, adeò vt in quibuſdam regionibus, vt in Apulia, arbuſculæ ſpeciem referat. Copioſa naſcitur in Veronenſi agro, ea planitie qua ad Benacum tranſitur, ſed quòd aridiſsimum hîc ſit ſolùm, non valde adoleſcit. Dodonæus, Pena, Lobelius Pityuſam Eſulam minorem eſſe cenſent. Cùm enim Dioſcorides non totum Pityuſæ habitum & lineamenta Piceæ compararet, ſed folia duntaxat, Eſula minor Piceam foliis ſatis refert, quàm Cypariſsiæ maioribus latioribuſq;. Prætereà Eſulę vox ex Pityuſa videtur detorta: ſublatis enim duabus primis ſyllabis Pity, ex Vſa videtur deminutum nomen Vſula, & mutata prima vocali Eſula. Cùm etiam Dioſcorides Pityuſam, id eſt, Eſulam minorem delineaſſet, inuenit eius alteram eſſe ſpeciem maiorem, ſcribens fruticem hunc quibuſdam in locis reperiri σφόδρα εὐμεγέθη, id eſt, valde magnum, quæ eſt Eſula maior, vnica nota repugnante: ſcribit enim Dioſcorides Pityuſæ fructum eſſe πλατὺν ὡς φακὸν, id eſt, latum Lenticulæ inſtar, quum Eſula flores & fructũ habeat non Lentis, ſed Tithymali, id eſt, triquetra capitula, in quibus ſemen. Sed mendoſum hunc locum eſſe credunt docti viri, rei ipſius cognitione, & virium experientia ſuffragante. Vtriuſque Eſulæ iconem ex Dodonæo in hiſtoria purgant. hîc proponimus, quæ & à Matthioli pictura hîc etiam poſita, & ab Eſula in Hiſto. Stirpium picta differre videtur, vbi Eſulam maiorẽ pinxit, quem Fuchſius Tithymalum platyphyllum fecit,

PITYVSA Matth. ſiue Eſula maior.



ESVLA maior, Dodonæi Histor. purgant.



Vide Phytog. pag. 526.

fecit, minorem, quem ille Tithymalum Cyparissiam. Esula maior, vt describit Dodonæus, fruticosa stirps est: caules eius complures, teretes, supra cubiti altitudinem assurgentes, foliis vestiuntur oblongis, angustis, quàm Tithymali Characię minoribus: vmbellæ angustiores sunt: flores semináque Tithymali: radix ampla, ramosa, crasso cortice obducta, succo lacteo plena, vti tota stirps. Reperitur in collibus quibusdam Germaniæ, circa Scaphusiam & Basileam. Minor priori similis est: caules tamen eius breuiores, teneriorésque: folia etiam oblonga, angusta, acuminata, minora: flosculi fructusq; respõdent: radix tenerior, lignosior, tenuiori cortice vestita. Tota similiter lacteo succo prægnãs est. Hæc Turpetum nigrum est Actuarij, quamuis dixerit Dioscorides, Pityusæ radicem candidam esse: nam interiorem pulpam intelligit, non exteriorem corticem, qui viridis rufescit, siccatus nigricat. His subiungit Lobellius Pityusam, siue Esulam minorẽ alteram, floribus rubris, quam Pityusæ speciem alunt Belgæ, inquit, stirpium peritiores, spithamam & pedem altam, foliolis Esulæ paruæ, flosculis rubris, & semine Pepli, peltata foliola transmittentibus, Tithymalorum ritu. Esula maior Dodonæi ex Histor. purgant. videtur esse Esula maior Germanica, à Pena depicta, cuius apud Germanos & Belgas pharmacopœos

ESVLA minor, Dodonæi Histor. purgant.



PITYVSA siue Esula minor, Dod. Hist. stirp. Tithym. platyphyllos, Fuchs.



PITYVSA siue Esula minor,
Dodon. Histor. stirp. Tithym.
Cyparißias, Fuchs.



frequens est vsus, prægrandis Pityusa Diosco-
ridis, quam ille luculentiùs descripsit his ferè
verbis. Ex ampla multísque adnatis implexa
radice, crasso, denso, pullóque cortice amicta,
innumera eriguntur virgulta, minimum digi-
tum crassa, & binos cubitos alta, virentia, quæ
folia habēt crebra, Lathyridis, aut arbo rescētis
Tithymali: nec semen dissimile, sed partim se-
cundùm caulis & foliorum interualla, partim
in vmbella, sed minùs lata, & minùs in orbem
collecta. Cætera non dissident à reliquis Ti-
thymalis. Verùm rarior hæc in Italia & Gallia,
frequens in Germania superiori & inferiori
ad Rhenum. Alia Esulæ genera obseruarunt
Herbarij. Pena & Lobellius Esulam raram ex
Lio Venetorum insula monstrarunt, quæ ses-
quicubitum, & cubitos duos longos caules
emittit, fungosos, rugosos, fuscos, minimum di-
gitum crassos, in ramulos multos pedales di-
uisos, in quibus bina folia per interualla, maio-
ra quàm Alypi, lenta, pinguia, Thymeleæ: flo-
res penduli, purpurascentes: radix foris pulla,
sesquicubitum longa, digitum minimum cras-
sa, succo plena. Tota planta lactescit. Non ali-
bi quàm in litoribus, queadmodùm Tithymalus Paralius, & insulis maris Adria-
tici facilè reperitur, & Lio, insula parua. Est hæc Venetis Medicis & pharmaco-

PITYVSA siue Esula minor altera floribus rubris, Lobell.



ESVLA maior Germanica, Penæ.



ESVLA rara, Penæ & Lobell.



ESVLA rara elio Venetorum Insula Pen. alia.



ESVLA siluestris, Tragi.



pœis Pityusæ species, & hac Esulæ vulgaris vice vtuntur in confectione Benedictæ, & catapotiis catharticis: purgat enim non segniùs, quàm Esula communis. Quibusdam creditur Alypum Dioscoridis, aliis, sed perperàm, nigrū Turbith, quod Actuarius Pityusam esse arbitratur, vt diximus. At Pityusa quidem ea non est, sed persimilis, ideò rara Esula nominata. Tragus tres alias exhibuit. Siluestrem, quæ in sabulosis siluis prouenit, caule procero, cubiti altitudinem ferè attingente, elegantioribus, ac magis rubris vmbellis: alteram dulcem, quæ in vmbrosis ac vliginosis montibus & vallibus alpium Heueticarum nascitur, caule, flore, foliis, radice & lacteo succo Tithymalis & Lathyridi adeò propinqua, vt ab illis vix discerni posiit. At gustus ipsius lactei succi & radicis dulcis est: semen rotundum, luteum, ad milium accedens, è vasculis suis cùm maturuerit exilire solitum. Est Trago alia Esulæ exiguæ species, quæ in agris quibusdam à messe autūnali tempore reperitur, frutex dodrantalis, surculosus, minutissimis foliis, Thymo similibus, vestitus: semen in tripartitis loculamentis continetur.

Li.1.ca.100.

Pityusæ radix, vt auctor est Dioscorides, purgat per inferna duarum drachmarum pondere, data cum aqua mulsa. Seminis autem drachma vna datur: succi verò cochlearis vnius mensura. Excipitur hic farina, & in catapotia formatur. At foliorum drachmæ tres dantur. Plura tradit Plinius. Bilem, inquit, & pituitam

Li.4.c.160.

Vires & Temper.

Lib.24.c.6.

tuitam per aluum detrahit radix, decocti hemina, aut ſeminis ligula in balanis.
Folia in aceto decocta furfures cutis emendant: mammas quoque miſto Rutæ de-
cocto, & tormina, & ſerpentiũm ictus, & in totum collectiones incipientes. Pi-
Li.8. ſimpl. tyuſam, inquit Galenus, quidam ſpeciem eſſe putant Tithymali, quòd ſuccum illi
ſimilem habeat, quodq́; ſimiliter purget, & in cæteris omnibus ſit illi viribus adſi-
Lib. purg. cap. 23. milis. Multa de hac planta tradit Meſues diligenter notanda. Eſula, inquit, her-
barum lactariarum ſpecies, ruſticorum eſt purgatorium. Vna eſt magna, altera
parua. Magna vlcerat viſcera, ob id pernicioſa. Parua eſt præſtantior, præſertim
cortice radicis tenui, leui, fragili, ſubrubro Caſsiæ modo, ante ſex menſes collecto:

ESVLA dulcis, Tragi.



ESVLA minima, Tragi.



nam recens quo menſe collecta mala eſt, & orta loco aliquo prope thermas. Col-
ligenda eſt Veris initio. Lac, quòd calidius, tum acrius, ac valentius ſit, fine Veris.
Calida ſicca principio tertij gradus. Subſtantia conſtat tenui, ignea, acri, inciden-
te, tenuante, fundente, ſiccante, aperiente, & terrea ſtyptica etiam, ſiccante mate-
rias altiùs immerſas. Purgat valenter pituitam, aquas, atram bilem etiam, à iunctu-
ris: ob id harum doloribus confert, & hydropi inſigniter, ſed nocet cordi, ſtoma-
cho, hepati, viſcera excoriat, venarum ora diſrumpit, corpus immodicè ſiccat, ſe-
men abſumit, febres inflammando excitat, lacte ſuo maximè. Ob id miſcenda ei
ſunt cardiaca, ſtomachica, hepatica. Ad hæc glutinoſa, cogentia & aſtringentia:
glutinantia, vt gummi, tragacanthum, bdellium, muccago Pſyllij, ſuccus Portula-
cæ: poſtremò refrigerantia. Infundantur ergo in acetum, præſertim quo Cydo-
nia ſint macerata, & in ſuccũ Intybi, vel Sonchi, vel Portulacæ, vel Solani: additis
etiam myrobalanis, abſinthio, aloë præſtantior euadit. Radicẽ Eſulæ maioris, in-
quit Lobellius, aceto & lacte præparatam, in pulverem redactam à granis duode-
cim ad grana ſexdecim enemate infundere ſolemus, & in medicamẽto cholago-
go grana ſex vel octo ſine moleſtia: pituitoſis verò ad tempus tantillum ideſt ſub-
moleſtum, quia ægriùs pituita expellitur.

LATHYRIS. CAP. X.

ΛΑΘΥΡΙΣ Græcis, Latinis etiam Lathyris, quibuſdam Tithymalus, *Nomina.*
& inter Tithymalos numeratus teſte Dioſcoride, Officinis Catapu-
tia minor, quòd in pilulis quibuſdam, ſeu potiùs catapotiis ſemen fe-
rat, vel potiùs quia dixit Dioſcorides, ἐν καταποτίῳ λαμβανόμενα, id eſt, in
catapotiis ſumpta grana purgare, Arabibus *Menſana*, ſeu *Mahendane*, Italis *Ca-
taputia minore*, Inſubribus *Cacapuzza*, Gallis *Eſpurge*, Germanis *Sprinkraut.* Caulẽ *Forma.*
profert cubitalem, vacuũ, vt deſcribit Dioſcorides, digiti craſsitudine, in cuius ca- Li.4. c.161.
cumine ſunt alæ: folia in caule oblonga, amygdalinis ſimilia, latiora tamen & læ-
uiora. Quæ in ſummis ſunt ramulis, minora, Ariſtolochiæ, aut Hederæ oblongæ
figura. Fructum fert in ſummis ramis, tribus loculamentis diſtinctum, rotundum
ceu capparim, in quo terna ſunt ſemina, mẽbranis diſcreta, rotunda, maiora eruis,
quæ cùm corticibus exuuntur, candida ſunt & dulcia: radix illi tenuis, & inutilis.
Totus frutex lacteo ſucco Tithymali modo turget. Plinius paulùm à Dioſcoride Lib.27.c.11.
diſsidet, hæc ſcribens. Lathyris folia habet multa, Lactucæ ſimilia, tenuiora, germi-
na multa, in quibus ſemen tuniculis continetur, vt Capparis, quæ cùm inaruere,
eximũtur grana piperis magnitudine, candida, dulcia, facilia purgatu. Hæc poſtre-
ma omnium Tithymalorum Lathyris, notiſsima eſt omnibus & vſitatiſsima, Ca-
tapucia noſtra minor, cui omnia aptiſsimè quadrãt. Naſcitur in hortis, & in agro- *Locus.*
rum marginibus occurrit. Carpitur Autumno, dum fructu prægnans eſt, ſemenq́;

LATHYRIS, *Matthioli.*



LATHYRIS *minor, Dalech.*



eximitur dũ tuniculæ quibus includitur inaruere. Lathyridis grana ſex aut ſeptẽ, *Vires &*
vt tradit Dioſcorides, purgant aluum in catapotio, aut cum caricis, aut palmulis *Temper.*
deuorata, ſed aqua frigida poſteà ſorbenda. Trahunt autem pituitam, & bilem, & Li.4. c.161.
aquas. Succus Tithymali modo exceptus eundem effectum præſtat. Folia cum
gallinaceo, aut oleribus decoquuntur ad eoſdem effectus. Plinius verò eius grana Lib.27.c.11.
vicena in aqua pura, aut mulſa pota, hydropicos ſanare tradit. Trahunt & bilem,
inquit.

inquit. Qui vehementiùs purgari volunt, cum folliculis ipsis sumunt ea: nam stomachum lædunt. Itaque inuentum est, vt cum pisce, aut iure gallinacei sumerentur. Sunt qui dicant, inquit Galenus, Lathyrim etiam Tithymali esse speciem, tum quòd similem illis succum habeat, tum quòd eodem modo purget, totaq; illis facultate similis sit, nisi quòd semen gustantibus videatur dulce. Quod sanè etiam

Li.5.meth. maximè purgatoriam vim habet. De eadem Actuarius hæc scripsit. Lathyris vehemētiùs pituitā purgat: dantur eius grana maiora quindecim, & minora viginti. Atq; iis, qui vberiùs purgari cupiunt, mandi: iis verò, qui multa euacuatione opus non habent, integra deuorari iubentur, præsertim si eius qui sumit stomachus vitiatus fuerit. Lathyris minor in pinguibus nascitur, radicibus multis, crassiusculis, tenuissimis fibris huc illuc vagantibus: ramulis ad radicem compluscúlis, humi sparsis, in quibus folia sunt Polygono similia, paruula. Caulis dodrantalis, aut paulò altior: foliis inæquali situ vtrinque prodeuntibus, oblongis, Hyssopi ferè modo. Floribus in eius summo vertice conglomeratis, planta tota lacteum succum fundit.

PEPLVS, PEPLIS. CAP. XI.

Nomina — Vide Phytop. pag. 579.


GRAECIS πέπλος, συκὴ, & μήκων ἀφρώδης dicitur, Latinis Peplus, Officinis Esula rotunda, Gallis *Reueille-matin des vignes*, Germanis *Teuffelsmilch*. Peplus autem nominatur, auctore Pena, quòd ramulorum ambitu, & quasi rotundo amictu velum efformet: est enim πέπλον velū, & stragulum. Vel potiùs ob purpuream foliorum superficiem, sanè xerampelinam, quæ Peplo in vinetis, & Peplidi in maritimis nascenti sæpius inest. Peplum enim fuisse purpurei, vel phœnicei coloris multæ historiæ declarant. πέπλις, & ἀνδράχνη ἀγρία, id est, Portulaca siluestris. Hippocrati πέπλιον, Latinè etiam Peplis & Peplum, vt nomine, sic effigie Peplum referens, & propiùs adhuc etymum Pepli exprimens, idcircò θάμνος ἀμφιλαφὴς à Dioscoride dicitur, id est, largiùs & vberiùs fruticans vndequaque.

PEPLVS, *Matthioli*.



Li.4.c.162. *Forma*. Peplus, vt describit Dioscorides, exiguus frutex est, albo liquore plenus, foliis paruis, vt Rutæ, latioribus tamen. Tota eius coma dodrātalis, rotunda, humi sparsa: semine sub foliis paruo & rotundo, minore quam candidi Papaueris. Radix vna, ex qua totus frutex prouenit. *Locus*. Nascitur in hortis & vineis. Colligitur messibus, siccaturq; in vmbra, & cōtinuè vertitur. Li.27. c.12. Plinius, Peplo, inquit, quā aliqui Sycem, alij Meconium aphrodes vocant (alij Meconium, alij Mecona aphrode vocant, vetus codex habet) ex vna radice tenui fruticat, foliis Rutę, paulò latioribus: semine sub foliis rotūdo, minore quàm cādidi Papaueris (huic lectioni Dioscorides assentitur: repugnāt quædam exemplaria, quę habent, minùs candido, quā Papaueris, vt hîc color, illic magnitudo indicetur.) Inter Vites ferè colligitur messibus, siccaturq; cū fructu suo, subiectis aquis in quas excidat. Quod postremum perspicuè falsum est. Quid enim siccari opus erat, si in subiectas aquas excidere debeat? Quare ex veteri codice legendum, subiectis in

PEPLIS, *Matthioli.*



iectis in quæ excidat, vt intelligamus vasa, aut substrata lintea. Peplis autem, Dioscoride auctore, frutex est vndequaque amplus, candido succo plenus: foliis Portulacæ hortensi similis, rotundis, & infernè rubrum quid habentibus: semine sub foliis rotundo, velut in Peplo, feruente gustu: radice singulari, superuacua, tenui. Vtraque hîc depicta est. Quibus Dalechampij Peplion, & Peplin minorem adiecimus. Illud in litorum arenis gignitur, radice vnica, tenui, sex digitos longa, nonnihil capillata, supernè rubente, infernè candida: caulibus multis, humi sparsis, & circũquaque terram operientibus, rubris, lacte manantibus: semine rotundo, gemino ferè, foliis annexo, vt in Chamæsyce, & Peplo, feruidi gustus. Peplis minor in vinetis gignitur, radice crassiuscula, tortuosa, paucis fibris capillata: caulibus multis, palmum altis, surculosis: foliis ima caulium parte Lino similibus: quâ verò caules in surculos diuiduntur, amplioribus, proximè caulem latioribus, in acutum desinentibus: flore subluteo, minuto: fructu gemino testiculorum modo, in alueolis lacunatis reposito. Lacteo succo tota planta turget, & corpus vehementer purgat. De Pepli viribus hæc scripsit Dioscorides: Herba ipsa multos habet vsus, radix verò inutilis. Semen eius tusum, feruidaq; aqua madefactum reconditur. Pituitam & bilem acetabuli pondere cum hydromelitis cyatho potum ducit. Obsoniis mixta herba aluum conturbat.

Peplion Dalech.

Peplis minor Dalec.

Li.4.c.162. *Vires & Temper.*

PEPLION, *Dalechampij.*



PEPLIS *minor*, *Dalech.*



Li.27. c.12. Cōdi̇́tur in muria. Eadē Plinius tradit. Pepli ſemine poto aluus ſoluitur, bilis ac pituita detrahitur. Media potio eſt acetabuli menſura, in aquæ mulſæ heminis tribus. Et cibis inſpergitur, obſoniiſq; ad molliēdā aluū. Peplis, vt Dioſcorides tradit,
Li.4. c.163. colligitur, ac reponitur, & datur quemadmodùm Peplos, muria item condîtur: vires denique eaſdem quas Peplos habet. Portulacam, etiam Peplion, ob ſimilitudinem foliorum vocari præfatus Plinius, Portulacæ vires prolixè memorat, à Peplij facultate diuerſas. Galeno Peplos frutex ſuccum habet ſimilem Tithymalis, cùm in aliis, tum quia purgat, ceu illi. Peplion quoque frutex paruus ſuccum habet ſicuti Tithymali. Naſcitur plerumq; ad mare: radicem habet ſuperuacuam, vt & Peplos: ſuccum verò validum, non tamen admodùm vtilem: ſed ſemen vtile eſt, & flatuoſum, ſimiliter ac ſemen Pepli purgans. Eo in loco in Græcis codicibus falsò φυσῶδες legitur, & ab interpretibus flatuoſum conuertitur, quod Dioſcorides & Paulus πυρῶδες τῇ γεύσει eſſe dicunt, id eſt, feruentis guſtus: quare & hîc apud Galenū pro φυσῶδες legendum πυρῶδες. Præterea Aëtius ex Hippocrate ait Peplion eſſe φυσῶν καταῤῥηκτικὸν, id eſt, flatus diſrumpere, ac diſcutere, quare flatuoſum dici minimè poteſt.

CHAMAESYCE. CAP. XII.

Nomina. Li.4.c.164. Forma. Vide Phyt. pag. 510. Locus.

GRAECIS χαμαισύκη, & συκὴ nominatur, Latinis ſimiliter Chamæſyce. Ramos profert, inquit Dioſcorides, quaternûm digitorū, per terram ſtratos, rotūdos, ſucco plenos: folia Lentis ſpecie, Peplo ſimilia, parua, tenuia, humi ſtrata: ſemen eſt ſub foliis, rotundum, velut Pepli ſemen. Sed neque florem, neque caulem habet: radicem tenuem, & inutilem. Naſcitur in petroſis & ſquallidis locis. Ex his intelligere licet Chamæſycen Peplo valde affinem, aut eius ſpeciem aliquam eſſe. Chamæſycen Dalechampij hîc appinximus,

CHAMAESYCE, Dalechampij.



quæ in agro Monſpelienſi gignitur, exili radice, longiuſcula, candida, dura, ſimplici & ſingulari: ramulis multis, quatuor digitorum longitudine, humi in orbem ſtratis, lacteo ſucco manantibus: folio Lentis ordine per ramulos diſpoſito, in adulta planta ferè rubeſcente, acris & feruidi guſtus: ſemine rotundo, exiguo, ſub foliis abdito.
Chamæſyce Penæ. Chamæſycen aliā Pena depinxit, quæ Peplo, ac Peplio rarior eſt multò, nec vſquam in Germania, aut Italia, ſed duntaxat in Narbonenſis Galliæ oliuetis vinetiſq; reperitur, vbi plurima, præſertim in aridis & ſabuloſis, non procul à Monſpelio ad patibulum via, & tractibus maritimis. Pulchella tota, & tenera, ramulis & foliolis numeroſis, humi reptantibus, ex pallido virentibus, Herniariæ nō diſsimilibus.

non dissimilibus, sed lactescens, vti duæ superiores: simile quoque semen, folliculum, & flores habet, sed cuncta minora. Chamæsyces ramuli in vino triti, vt tradit Dioscorides, vteri dolores sedant, in pesso appositi. Tumores, verrucas pensiles, & formicantes tollunt impositi. Decocti & in cibo sumpti aluū soluunt. Ipsorum succus idem pręstat, & illitus aduersus scorpionum ictus auxiliatur. Valet & ad hebetes oculos, caligines, incipientes suffusiones, cicatrices, & nubeculas cum melle illitus. Plinius nō eadem prorsus tradit. Chamæsyce Lentis folia habet, nihil se attollentia, in aridis petrosisq; nascens. Claritati oculorum, & contra suffusiones vtilissima, & cicatrices, caligines, nubeculas in vino cocta, & inuncta. Vuluæ dolores sedat apposita in linteolo. Tollit & verrucas omnium generum illita. Prodest & orthopnoicis. Linteolum pro pesso posuit, & de orthopnoicis addidit, quod Dioscorides non habet. Chamæsyce, inquit Galenus, abstergentem simul & acrem vim habet. Itaque acrochordonas, & myrmecias, caules eius teneriores in modum cataplasmatis admoti, quíque ex eis profluit liquor, auferunt. Cum melle verò crassas oculorum cicatrices detergunt. Sed & hebetudinem visus à crassitie natam adiuuant, sicut sanè & suffusionum principia.

Vires & Temper. Li.4.c.164. Li.24. c.15. Li.8. simpl.

SCAMMONIA. CAP. XIII.

SKAMMONI'A. planta Græcis dicitur, Latinis similiter Scammonia, Arabibus *Scammonea*, & *Sachmunia*, Italis *Scammonea*, Gallis *Scammonee*. Radicis liquor Scammonium, Græcis etiam σκαμμαίνιον, quod recentiores Græci δακρύδιον, id est, lacrymam, Officinæ corrupta voce Diagridium vocant. Scammoniam tradit Dioscorides ramos multos ab vna radice producere (Oribasius addit, τρεῖς ἢ τέσσαρας, id est, tres aut quatuor) tricubitales (Oribasius, ἢ τετραπήχεις, vel quatuor cubitorum) pingues, ἐμφαίνοντάς τι καὶ δασύτητος, ac nonnihil hirsutos (Ruellius legit, παχύτητος, vertitq;, & qui nonnihil crassitudinis præ se ferant. Sed prior lectio ramulis Scammoniæ maximè accommodatur, quam etiam confirmat Serapio, qui ex Dioscoride transscripsit. Scammonea est planta habens ramulos egredientes ab vna radice, quorum longitudo est trium, aut quatuor brachiorum, super quos est viscositas adhærens manui, & parum borræ, & habet folia pilosa.) Sed & folia hirsuta sunt, similia Helxinæ, aut Hederæ, molliora tamē, & triangula: flores albi, rotundi, caui instar calathi, graueolentes: radix admodū longa, crassitudine cubitali. (In vulgatis codicibus legitur, παχεῖα ὅσον πῆχυς, at in veteri παχεῖα ὅσον βραχίων, & ita legunt Oribasius & Hermolaus, id est, crassitudine brachij. Quæ lectio melior est, cùm nunquam, nisi impropriè, dicatur aliquid esse crassitudine, sed longitudine cubitali, præcipuè apud hunc auctorem. Serapio ineptè vertit, habet radicem grossam sicut pollex) alba, graueolens, succo plena. Plinius paucis huius delineationem perstrinxit. Scammoniū est succus herbæ, à radice ramosæ, pinguibus foliis, triāgulis, albis, radice crassa, madida, nauseosa. Nascitur pingui & albo solo. Dioscoridi pingues sunt ramuli, Plinio folia. Illi flores & radix candicant, huic folia. Quod Dioscorides

Nomina Vide Phytop. pag. 5050. *Forma.* Li.4. c.165. Cap.303. simp. Lib.26.c.8.

SCAMMONIA, *Matth.*



dixit radicem eſſe ὀπȣ̃ μεςὴν, καὶ βαρύοσμον, id eſt, ſucco plenam & graueolentem.
In cap.165. Lib.4. Plinius vertit madidam, ac nauſeoſam. Matthiolus Scammoniam plantam, cuius effigiem hîc proponimus, Conſtantinopoli ad ſe Viennam miſſam fuiſſe ait ab Augerio de Busbecke, ad Turcarũ Imperatorem legato, quam curauit illic tranſplantãdam à Bono Baldino Myropola, eamq́; ſoli humore reſtitutam, paulò pòſt viticulas, folia & flores emiſiſſe. Sed eam non oratione, verùm penicillo tantùm depictam oſtendit. Pena anno ſexageſimo primo, aut ſecundo ſupra ſeſquimilleſimum, Sequinum Martinellum pharmacopœum Venetum ex Syriaco Alepo miſiſſe ait pluſquàm centum libras glebæ Scammonij Anthiocheni ſucci cõcreti, cui exprimendo interfuerat: conchas etiam non paucas, lacryma plenas, ſeu Diacrydio antiquorum, cum ſeminibus anguloſis, volubilis. Hæc ſemina tum Patauij, tum Venetiis primo Vere terræ mandata in luculentam volubilem, ſeu volulum abiiſſe, adeò ſinuoſis ſmilaceis foliis triquetris, vel potiùs Ciſſampeli foliis, floribus, facie ſimilis, vt planè cum noſtra Ciſſampelo eadem videatur. Verùm radice inſigni fuit, & mole grandem Bryoniæ radicem æquante, atque teneritudine æmulante, foris pulla, aut cineritia, intus albida carne: cuius fiſſæ cor medium exemptum, planè idem eſt, aut ſimile radicis communis & probatioris Turbith Officinarum. Verùm hæc faciliùs aliquãtò frangitur, tametſi perinde gummoſa ſucco lacteo turgeat, atque Turbith. Communis etiam Herbariorum conſenſus

Scammonium marinũ Mõſpelienſ. Scammoniam vocat volubilem hîc depictam, quæ in Mediterranei maris litore, & tota ora Monſpelienſi cum Scilla, Peplo, & Pancratio prouenit: quoniam Scammoniæ folia imitatur, eius modo lacteum ſuccum fundit, Catharticam vim Scammonia, Tithymalo, aliiſq́; id genus nõ multò inualidiorem obtinet. Radice eſt candida, pollicis craſsitudine, ſuccoſa, in arenam altiùs defoſſa: caulibus multis, bipedalibus, ſurculoſis, rectis: foliis Hederæ, læuibus, mollibus, pallidis: flore quoque albo. Succo lacteo tota planta manat. Quomodo Scammoniæ ſuccus, cuius vſus eſt, ſit colligendus, & ſyncerus ab adulterato ſecernendus docet Dioſcorides. Colligitur ſuccus capite radicis ablato, & ipſa in fornicis formam excauata: confluit enim in ipſam ſuccus, qui conchis deciſ mum excipitur. Alij effoſa ad teſtudinis formam terra, & ſubſtratis nucis foliis ſuccum excipiunt, & ſiccatum extrahunt. Quod ab Oribaſio ſic declaratur. Alij ſcrobes in terra mortarij inſtar effodiunt (θυλοειδῶς legit, non, θολοειδῶς, id eſt, inſtar fornicis) in quos ſubſtratis nucum foliis radices abradentes, liquorem effundunt, atque ita ſiccatum extrahunt. Probatur

Li.4.ca.165.

Lib.12.

SCAMMONIA maritima Monſpelienſis.



qui pellucidus eſt (διαυγὴς, Ruellius ex Plinio, nitidum vertit) leuis, taurini glutini colore, foramina tenuia habens, ſpongioſus. Talis eſt qui ex Myſia Aſiæ adfertur. Nec verò ſolùm attendere oportet, ſi ad tactum linguæ albeſcat: hoc enim euenit etiam admixto ipſi Tithymali ſucco, ſed magis conſiderandæ ſunt prædictæ notæ: etſi non vehementer linguam exurat, id quod etiam Tithymalo admixto ſolet contingere. At Syriacus & Iudaicus peſsimi ſunt, graues, denſi, Tithymalo & erui
Lib.26.c.8. farina adulterati. Scammonij hiſtoriam paulò aliter tractauit Plinius. Radix circa

Canis

Canis ortum excauatur, vt in ipſam confluat ſuccus, qui ſole ſiccatus digeritur in
paſtillos. Siccatur & ipſa, vel cortex. Laudatur natione Colophonium, Myſium,
Prienenſe: ſpecie autem nitidum, & quàm ſimillimum taurino glutini, fungoſum
tenuiſsimis fiſtulis, citò liqueſcens, virus redolens, gummoſum, linguæ tactu lacte-
ſcens, quàm leuiſsimũ, cùm diluitur albeſcens. Hoc euenit & adulterino, quod fit
erui farina, & Tithymali marini ſucco, in Iudæa ferè, quod etiam ſtrangulat ſum-
ptum. Deprehenditur guſtu, Tithymalus enim linguam excalfacit. Quod Scam-
monium Dioſcorides ſpõgioſum, Plinius fungoſum dixit. Præterea citò liqueſcẽs,
virus redolens, gummoſum, linguæ tactu lacteſcens, cùm diluitur albeſcens, Dioſ-
corides inter bonitatis notas nõ recenſet. Hic adulterari erui farina, & ſine diſcri-
mine Tithymali cuiuſuis ſucco, ille Tithymali marini tantùm ſucco retulit, atque
quod adulteratum ſit, ſumptum ſtrangulare, quod Dioſcorides non habet. Scam-
monij facultates nunc ſunt explicandæ primùm ex Dioſcoride. Succus drachmæ Li.4.ca.165.
vnius, aut obolorum quatuor pondere hauſtus ex aqua, aut aqua mulſa, purgat per *Vires.*
inferna pituitam ac bilem. Verùm ad aluum ſoluendam oboli duo cum Seſamo,
aut alio ſemine ſumpti ſufficiunt. Dantur etiam ad efficaciorem purgationẽ ſuc-
ci tres oboli, Ellebori nigri oboli duo, & aloës drachma vna. Fiunt etiam ſales pur-
gatorij drachmis viginti ſucci Scammoniæ ad ſex ſalis cyathos adiectis. Horũ mo-
dus eſt proportione virium, integer cochlearia tria, medius duo, minimus vnum.
Purgat & radicis drachma vna, aut duæ, cum iis quæ dicta ſunt. Quidam decoctũ
ipſius bibunt. Cocta cum aceto, & trita cum farina hordeacea iſchiadicis fit cata-
plaſma. Succus necat partus in lana vtero appoſitus. Tubercula diſcutit cum mel-
le aut oleo illitus. Coctus autem in aceto, & illitus, lepras exterit. In diuturno ca-
pitis dolore cum aceto & roſaceo caput ex eo irrigatur. Qua de re ita Plinius ſcri- Lib.26.c.8.
pſit. Scammonium quoque ſtomachi diſſolutionem facit, bilem detrahit, aluum
ſoluit, præterquàm ſi adiiciantur aloës drachmæ duæ obolis eius duobus. Et mox,
Bulbi more, nec antè, nec pòſt vtile (vetus quidã codex habet, vſus bimo, nec antè,
nec poſteà vtile. Alius verò: Bimatu, nec antè, nec pòſt vtile: quæ neque ad Bulbum
referri poſſunt, neque Bulbus ad Tithymalum, de quo modò dixit linguam excal-
facere.) Dedêre & per ſe ex aqua mulſa, & ſale, quaternis obolis. Sed vtiliſsimè cum
aloë, ita vt incipiente purgatione mulſum bibatur. Fit & decoctum radicis in ace-
to ad craſsitudinem mellis, quo lepræ illinuntur, & caput vngitur in dolore, cum
oleo. Dandi Scammonij, ac ſumendi modus longè apertiùs à Dioſcoride quàm à
Plinio hîc traditus eſt. Deinde, Scammonio roſaceo & aceto diluto, in vetuſto ca-
pitis dolore Plinio caput vngitur, Dioſcoridi irrigatur, ac perfunditur, qui nec tra-
didit vſum bimo eſſe, nec antè, nec pòſt vtile. Certè Meſues viginti annis ſeruari
ait. Galenus Scammoniæ in ſimplicium catalogo nõ meminit. Paulus verò Scam- Lib.7.ca.2.
moniam ſcribit calfacere, diſcutere, & tilioſa extergere, magiſq; eius liquorem,
qui iam & phymata diſsipat, fœtus appoſitus corrumpit, lepras exterit, diuturno
capitis dolori cum oxyrrhodino ſuperfunditur. Radix tum ipſa, tum decoctũ eius
potum purgat: cum aceto autem & farina hordeacea decocta, coxendicum dolo-
ribus applicatur. Et alio in loco. Scammonia perinde ac Veratrum purgat, magis Lib.7.ca.4.
flauam bilem. Cæterùm inter omnia quæ purgationes moliuntur, aduerſiſsima
ſtomacho eſt. Datur igitur iis qui febre carent, & ſtomacho ſunt meliori, ad pon-
dus quatuor obolorum cum ſale, aut pipere, aut zinzibere, aut quodam ſtomacho
vtili, quod protinus corpus permeat, aut etiam cum melle: item cum gummi quoq;
fiunt catapotia. Theophraſtus, τῆς δὲ σκαμμωνίας, inquit, ὀπὸς μόνον χρήσιμος, ἄλλο δὲ Lib.9. hiſt.
οὐδὲν. Id eſt, Scammoniæ ſuccus tantùm vtilis eſt, & nihil aliud. In his quæ à veteri- cap.22.
bus de Scammonio produntur, duo ſunt expendenda: eius delectus, & in purga-
tionibus doſis. Laudant enim illi leue, pellucidum, colore quàm ſimillimum

taurino glutini. At vulgare noſtrum ſqualidum eſt, & cineritio colore, & aſpectu
triſtiore: quia non ſuccus, aut liquor manans, aut lacryma Scammoniæ ad nos ad-
fertur, ſed ſuccus vi expreſſus. Scammoniæ lacrymam, quam Venetiis apud Alber-
tum Martinellum vidit Pena in Syriacis conchis allatam, Colophoniæ concolo-
rem, concretione ſimili, ex fuſco cæruleam fuiſſe ait, cuius coloris non eſt Scam-
monium noſtrum. Sic differt Meconium ab Opio, quod eſt manans liquor, ſeu
lacryma Papaueris, flaua & limpidior. Verùm cùm pura ac mera lacryma Scam-
moniæ tam frequenti vſui non ſufficeret, ſuccum multum vi expreſſum ad nos
aſportari oportuit: cuius maximè delectus habendus, quia nullus niſi variè adulte-
ratus ad nos adfertur. Nam aliquando ex eodem corpore, eadem morbi cauſa, &
eodem planè modo affecto, grana aliquot ſumpta facilè, & ſine vllo cruciatu, bi-
lem pituitámque expurgabũt, ex eadem prorſus gleba fruſto paruo effracto mul-
tò plura grana ſumpta minùs euacuabunt, nec ſine moleſtia, & cruciatu. In cauſa
eſt diſsimilis molis concretio, quæ hîc plus, illic minùs, aut lactis Tithymali, aut
Lathyridis, aut alterius ſtirpis valentioris ſucci accepit: vnde diſsimiles purgatio-
nes conſequuntur. Cùm autem veteres, aut drachmam, aut quaternos obolos, aut
maiorem aliquam doſim præſcribunt, purum & merum ſuccum imperant.

CHAMELAEA. CAP. XIIII.

Nomina XAMEΛAIʹA Græcis & χαμελαία ξίκοκκος, Latinis etiam Chamelæa,
& Oleago, Oleaſtellus, Mauritanis *Mezereon*, & *Almezerion*, Prouincia-
libus *Garoupe*. Chamelæa autem, id eſt, humilis Olea, vel Oleago, vel
Oliuella dicta eſt, ob eam quam cum Olea ſortita eſt ſimilitudinem.
Chamelæa, vt tradit Dioſcorides, frutex eſt ſurculoſus, ramis dodrantalibus, foliis
Oleæ, ſed tenuioribus, dẽſis, amaris, quæ guſtum mordent, & arteriam deradunt.
Li.4.c.166. Plinius ex Chamelæa oleum factitium parari dicit, ipſamq; deſcripſit his verbis.
Forma. Simillimum huic eſt ex Chamelæa frutice ſaxoſo, non altiore palmo, foliis Olea-
Lib.15.ca.7.

CHAMELAEA, *Matth.*



ſtri bacciſq;. Quo in loco pro ſaxoſo, fortaſſe
legendum ſurculoſo, vel ſarmentoſo: eſt enim
Dioſcoridi frutex φρυγανώδης, nam reliqua, vt
Dioſcorides, etiam Plinius habet: & prætereà
Lib.24.c.15. baccas & oleum. Eadem repetit Plinius alio in
loco. Chamelæa ſimilitudinem foliorũ Oleæ
habet. Sunt autem amara, odorata in petroſis,
palmum altitudine non excedente. Matthio-
lus Chamelæam & Thymelæam copioſè in
vallis Ananiæ montibus, & Tridentino agro
prouenire ſcribit, & vtramque fructum ferre
Myrti baccis ſimilem, qui tamen Chamelææ
longior ſit quadantenus, & oliuæ formam re-
ferat. Vtrique initio vireſcit, mox per maturi-
tatem rubeſcit, denique exſiccatus niger con-
ſpicitur. Dodonæus, Chamelæa, inquit, in Ita-
Lib.3. hiſt. cap.57. liæ & Galliæ Narbonenſis incultis, aſperis &
deſertis reperitur, humilis & fruticoſa ſtirps,
pedalis, aut altioris magnitudinis, multis te-
nuibus virgulis ramoſa, foliis oblõgis, Oleæ ſi-
milibus, ſed minoribus & nigrioribus: flores
ex aliis foliorum exigui, ſublutei: fructus inde
tricocci,

CHAMELAEA,
Dodonæi.



CHAMELAEA Alpina
incana, Penæ.



tricocci, vt in Tithymalo, & Lathyri, primùm virides, deinde rubentes cum maturuerunt, qui decerpti nigreſcunt, oleoſamq; pinguitudinem contrahunt olearum inſtar, ſapore acres & mordaces, faucéſque exurentes, veluti folia & cortex, oſsiculis duris lignoſis, piperi ſimilibus: radix lignoſa. Huic Chamelææ aliam addit Pena, quam Chamelæam Alpinam incanam vocat, ſuperiori valde ſimilem guſtu, facie, viribus: foliis & virgultis ligneis, gracilibus, concoloribus, rugoſo cortice amictis, quæ tamen ab illa facilè diſcerni poſsit, fructu nimirùm Mezerei Germanici, Oleaſtri, aut Philyreæ, non tricocco, & foliis ſummis non ex atro virentibus, ſed tenui, mollíque & incana lanugine obductis, quemadmodùm & flores pallentes è lagenulis argenteis, Stramoniæ ſimilibus, ſed minoribus cōſpiciuntur. Commanducata, non ſecùs ac Mezerei Germanici, grana fauces exurunt: ideóque etiam plebs ruſticum piper vocat. Manducata folia lentorem remittunt, vti Sardanellæ, Thymelææ, & Chamelææ Narbonenſium. E' Lemani & Allobrogum vicinis Alpibus ſolùm habuiſſe ait. Chamelææ folia pituitam & bilem purgant per inferna, auctore Dioſcoride, præſertim in catapotia deuorata: ita vt duplum abſinthij cum vna Chamelææ parte miſceatur, & hæc aqua aut melle excepta in catapotia formentur. Non liqueſcunt ea in ventre, ſed quotquot accepta fuerint, per aluum egeruntur. Iiſdem foliis tritis & melle exceptis ſordida & cruſtoſa vlcera repurgantur. Plinius, Chamelæa, inquit, aluum purgat: detrahit pituitam bilémque, foliis in duabus abſinthij partibus decoctis, ſuccóque eo cum melle poto. Foliis impoſitis & vlcera purgantur. De eadem breuiter hæc Galenus. Chamelæa vincentem habet qualitatem amaram. Quamobrem admodùm ſordida vlcera, & maximè quæ cruſtas habent, commodè purgare poteſt.

Vires & Temper.
Li. 4. c. 166.
Li. 24. c. 15.

THYMELAEA. CAP. XV.

Nomina

GRAECIS θυμέλαια, ſic & Latinis Thymelæa nominatur. Quæ appella-
tio effigiem naturamq; plantæ quadantenus adumbrat. Videtur enim
Thymelęa quaſi Tithymelęa dicta, ex Tithymali & Oleæ mixta facie.
Arabes etiam *Mezereon* vocant, eam cum Chamelæa confundentes.
Eius ſemen κόκκος κνίδιος, id eſt, granũ Cnidium
dicitur, Eubœenſes Apolinum vocant, alij Li-
num, quòd ſatiuo Lino frutex hic ſimilis ſit. Fal
luntur qui Granum Cnidium Chamelææ fru-
ctum eſſe putant, foliorum ſimilitudine dece-
pti. Virgas producit longas, vt deſcribit Dioſ-
corides, multas, bicubitales: folia Chamelææ
ſimilia, ſed anguſtiora & pinguiora, viſcoſa &
glutinoſa dum mãducãtur: flores albos, & inter
ipſos fructum Myrti baccæ modo paruum, ro-
tundum, initio viridem, tandem rubentem, eu-
ius fructus inuolucrum durum eſt & nigrum,
intus album. Naſcitur in aſperis & montoſis lo
cis. Plinius breuiter hæc complexus eſt. Et in
quo naſcitur Granum Cnidiũ, quod aliqui Li-
num vocant, fruticem verò Thymelæam, alij
Chamelæam, alij Pyros achnen, alij Cneſtrũ.
Eſt ſimilis Oleaſtro, foliis anguſtioribus, gum-
moſis ſi mordeãtur, Myrti magnitudine: ſemi-
ne, colore, & ſpecie farris, ad medicinæ tantùm
vſum. Quæ mendoſa ſunt, & ex Dioſcoride ſic
corrigẽda, Myrti magnitudine, ſemine, colore
& ſpecie foris. Thymelæam cum Chamelæa in
Ananiæ montibus & Tridentino agro copioſè
naſci ſcripſit Matthiolus, vti ſuprà diximus.
Eius Thymelæam hîc appinximus. Meze-
reon quidem ille Germanicum potiùs, eiuſ-
que ſemen, piper ruſticum ſeu montanum ap-
pellatum, quàm Thymelæam veram eiuſque
Granũ Cnidium nobis propoſuit. Genuinam
Thymelæam deſcripſit Dodonæus in Hiſto.
Stirp. cuius iconem hîc poſuimus. Feliciùs pi-
ctam dedit in Hiſtor. purgantiũ: item Cluſius,
qui eam acuratiſsimè delineauit his ferè verbis.
Thymelæa frutex eſt pollicari interdum craſſi-
tudine, cubitalis, aut amplior, qui in multas vir-
gas diuiditur cubitales, pulchras, tenues, rectas,
quas veſtiunt perpetuò virentia folia, Lini, ma-
iora & latiora, mucronata, non cuſpide obtuſa,
vt in Chamelæa, neq; ita fragilia, ſed lentiora,
& gummoſum quid præbẽtia, ſi dentibus atte-
rantur. Flores fert in extremis virgis, candidos,
Oleæ ferè ſimiles, quatuor foliolis conſtantes,
copioſos, racematim ferè propendentes: deinde
fructum

THYMELAEA, Matth.



Forma.
Li. 4. c. 167.

Locus.
Lib. 13. c. 21.

THYMELAEA, Dodon.



THYMAELAEA vera Clus. & Dodon. Histo. purgant.



fructum baccarum Myrti interdũ magnitudine, oblongiorẽ paulò, per initia virentem, cùm maturuit rubrũ corallij modo, carne ſucci plena & aquoſa vt in Ceraſiis, ſub qua latet vnicũ ſemen, nigra fragiliſque pellicula, albam & feruido guſtu medullam continens. Radix lignoſa & dura, in teneris plãtis Raphani modo efformata, & craſſo cortice tecta, lentóque & admodùm tenaci, quemadmodùm & tota planta. Floret Iulio, & toto ferè Autumno, deinde ſemen profert. Naſcitur locis aſperis per totam ferè Hiſpaniam, & pleriſque Galliæ Narbonenſis. Quod Pericarpium dixit Dioſcorides, non totius baccæ rubentis inuolucrum intelligit, ſed inuolucrum ſeminis in bacca concluſi, cuius ſeminis medulla alba eſt, & in ea feruor ille quę ſitus in grano Cnidio. Quę, eodem Dioſcoride Li.4.c.167.
auctore, per inferna bilem, pituitam, & aquas *Vires.*
purgat, ſi viginti granorum interna pars bibatur. Verùm fauces vrit. Quare cum farina aut polenta dari debet, aut in vuæ acino, aut melle cocto obducto deuoranda. Eadem trita cum nitro & aceto illinitur iis qui ægre deſudant. Folia, quæ peculiariter Cneoron vocãtur, circa meſſem colligi debent, & in vmbra ſiccata repõni. Qui dare volunt tundere debent, & neruos eximere. Purgat ex ipſis acetabuli menſura vino diluto inſperſa (legendum enim ἐπιπασσόμενον, non ἐπιπλασσόμενον, vt habent exemplaria multa, quæ ſecutus Ruellius vertit, illitum). Sed moderatiùs purgat mixta cum lente cocta, & tritis oleribus. Eadem folia trita cum vuæ acerbæ ſucco in paſtillos redacta reponuntur. Herba ſtomacho infeſta eſt, partus appoſita necat. Cocco Cnidio, inquit Plinius, color corni, magnitudo grano piperis maior, vis ardens. Itaque in pane deuoratur, ne adurat, cùm gulam tran- Lib.27.c.9.
ſit. Huic vis præſentanea contra cicutam. Siſtit aluum. Quæ ex Theophraſto ſumpta ſunt. ὁ δὲ κνίδιος κόκκος στρογγύλον, ἐρυθρὸν τῇ χροιᾷ, μεῖζον δὲ τοῦ πεπέριος, ἰσχυρότερον δὲ πολὺ τῇ θερμότητι. διὸ καὶ ὅταν δίδωσι κατὰ ποτὸν (διδόασι γὰρ πρὸς κοιλίας λύσιν) ἐν ἀλφίτῳ ἢ σταιτὶ περιπλάττουσι. καίει γὰρ ἄλλως τὸν φάρυγγα. Id eſt, Granum Cnidium rotundum eſt, colore rubrum, maiuſq; pipere, ſed multò validiore caliditate. Quare Lib.9. hist. cap.22.
in potu dantes (exhibent verò ad aluum ſoluendã) pane aut farina ſubacta obductum id præbent: alioqui enim id fauces adurit. Quod hîc exhiberi ad aluum ſoluendam vertimus, Plinius ſiſtere aluum non rectè videtur dixiſſe, cùm granum id catharticum ſit, vel Galeno teſte, qui ſcribit Granum Cnidium purgare, ſed acris Lib.7. ſim.
eſſe & adurentis facultatis. Attentiores in eo loco Plinij legunt: Ciet aluum. Myconus herbariæ rei ſtudioſiſſimus fruticem & eius iconem ex Hiſpania miſit, quẽ Thymelææ ſpeciem eſſe ſuſpicatur. Frutex hic paſſim in locis ſiccis & ſiluis naſcitur, inquit, maximè in quercetis, altitudine cubitali, ramoſus, & circumquaque ramulos diffundens. Folia eius minima ſunt, Myrto ſimilia, ſed minora: flos luteus minimus, ab ea folij parte, qua caulem attingit, naſcens, vt in Chamæpity: radices lignoſæ, præſertim ſuperiore parte, cortice è nigro rufeſcente, craſſitudine pollicari, non altiùs in terram demiſſæ, ſed per ſummum ceſpitem diffuſæ, flexiles, guſtu valde ingrato, cum acrimonia amaro, & fauces abradente quemadmodùm Thymelæa Dioſcoridis. Totius fruticis odor grauis eſt, & ſapor inſuauis. Totus

etiam

THYMELAEAE species, Myconi.



etiam lignoſus eſt, & vitilis. Vis ei purgatoria & vehemens, & quàm in Chamelæa valentior. Nam drachmæ dimidiæ modus potentiſſimè aluum ſoluit: aquas potiſſimùm vacuat, non ſine torminibus & magno cruciatu. Datur in iure aut vino. Hoc remedio Hiſpani agricolæ vtuntur, vocántque Herbam de Monteferrato, quòd ibi, & vicinis in locis frequens ſit. Alij, vt Catalani Arragoniæ finitimi, Bruſalagã & Ciegegato vocant. Hæc planta ad Thymelææ ſpecies referenda Mycono videtur, ſi guſtum, odorem, facultatem conſideres. Picta videtur à Cluſio in Hiſtoria ſtirpium Hiſpanicarum, Sanamundæ primæ nomine: effigies enim & delineatio cõueniunt. Cubitalibus ramis ab eadem radice fruticat, inquit Cluſius, flexilibus, cortice exteriore nigreſcente obductis, alium interiorem lentum in tenuia fila ſeſe diſſoluentem complectente: folia Chamelææ æmula, ſed multò minora, breuiora, carnoſa, ad Tithymali paralij aut Myrti folia proximè accedunt, ſed hirſuta aliquantulùm, circa ramulos confertim & ſerie quadã vt in Myrto diſtributa, gummoſa ſi mordeantur, & guſtu amaro, deinde admodùm acri & adurente: flores interfolia Oleæ ſimiles, oblõgi, in quatuor foliola per extremum diuiſi, colore luteo: fructu Thymelææ ferè, ſed nigricante: radix craſſa, lignoſa. Frequens eſt in regno Valentino & Granatenſi. Martio & Aprili floret. Illic ab Herbariis Sanamunda vocatur, à ruſticis *Mierda-cruz*, propter purgandi facultatem, cuius cauſa ruſticis eius regionis apprimè in vſu eſt. Hæc Cluſius.

SESAMOIDES. CAP. XVI.

Nomina ΣΗΣΑΜΟΕΙΔΕΣ μέγα, & σησαμοειδὲς μικρὸν Græcis, Seſamoides magnum, & Seſamoides paruum Latinis, à ſeminis ſimilitudine dicuntur. Seſamoides magnũ, quod in Anticyra Elleborum, vel, vt ait Theophra-

Li.4.c.147. ſtus, Elleborinen vocant auctore Dioſcoride, quia in purgationibus Elleboro al-

Forma. bo miſcetur, herba eſt ſimilis Senetioni aut Rutæ: foliis lõgis: flore albo: radice gracili, inefficaci: ſemine ſeſamo ſimili, guſtu amaro. Seſamoidi paruo, quod album vocat Galenus, cauliculi ſunt palmi altitudine, folia habẽtes Coronopo ſimilia, hirſutiora tamen & minora. In ſummo cauliculorum capitula ſunt floſculorum ſubpurpureorum, medio eorum albo, in quibus ſemen ſeſamo ſimile, amarũ, fuluum:

Locus. radix tenuis eſt. Naſcitur in aſperis locis. De quo hæc Plinius. Seſamoides à ſimili-

Li. 22. c.25. tudine nomen accepit, grano amaro, folio minore. Naſcitur in glareoſis. Deinde

Ibidem. de altero. Eſt etiamnum aliud Seſamoides Anticyræ naſcens, quod ideò aliqui

Li.4.c.147. Anticyricon vocant: cætera ſimile Erigerõti herbæ. Seſamoidis magni ſemen, vt docet Dioſcorides, purgat pituitam & bilem per ſuperna, quantùm tribus digitis capi poteſt tritum, & ſumptum cum Ellebori albi ſeſquiobolo in aqua mulſa. Paruí item ſemen purgat bilem & pituitam per inferna acetabuli mẽſura potum cum aqua mulſa. Idem impoſitum cum aqua tubercula & tumores diſcutit. Eadem ferè

Li.22. c. 25. Plinius habet. Granum Seſamoidis datur in vino dulci ad detractiones, quantùm tribus

tribus digitis capitur, miſcéntque Ellebori albi vnum & dimidium obolum, purgationem eam adhibentes maximè inſaniæ, melancholiæ, comitialibus, podagris. Et per ſe drachmæ pondere exinanit. Et Seſamoides paruum detrahit bilem in aqua potum. Semen illinitur igni ſacro: diſcutit panos. Galenus, Seſamoides magnum, inquit, quod & Anticyricus Elleborus appellatur, quia ſemen eius vt Elleborus purgat, hoc & reliqua facultate Elleboro ſimilis eſt. Nam & in abſtergendo, excalfaciendo, deſiccandóque ſimilem illi vim obtinet. Seſamoidis albi ſemen vehementer amaram qualitatem continet, non ſolùm mediocrem. Calfacit itaque, rumpit & extergit. Herbas iſtas catharticas Herbarij ſibi ignotas eſſe fatentur. Pena tamen ſuſpicatur Hormalam Syriacam in odoratis depictam ex Lobellio Seſamoides maius eſſe. Matthiolus verò Seſamoides minus oſtendit, quod Cortuſo acceptum refert. Permulti opinantur Seſamoides maius eſſe eam

Lib.8.ſim.

In cap.147. lib.4.

SESAMOIDES maius multorum, Dalech.



herbam, quæ in tota ora Maſſiliæ & Liguriæ, Corſica ac Sardinia gignitur, illícque vernacula lingua *Tartouraire* appellatur. Fruticoſa eſt, pede non altior, radiculis ſubflauis, gracilibus, tenuibus, ſi totam plantam ſpectes, ſuperuacuis: ramis multis, rotundis, denſa lanugine villoſis, ſurculoſis: foliis Rutæ ſimillimis, numeroſis, hirſutis, candidis: flore in ſummis ramis copioſo, exiguo, candido, denſiùs congeſto, intra lanuginem deliteſcente: ſemine paruo, nigro, guſtu tam feruido, vt ſi quis herbam mandat, diutius ardere fauces videantur, tam pertinaci vredine, vt nulla oris collutione deleri poſſit. Minor ſanè eſt in Chamelæa, Thymelæa, Laureolæq; generibus acrimonia, ac vrendi vis, quàm in hac planta. Hodie impoſtores, ac quidam ignari quātùm malefica ſit huius plantæ vis, & corporibus noſtris noxia, ex vino albo, vel cicerū decocto, vel elixæ carnis iuſculo bibendā propinant drachmam vnam vel alteram, in validiſsimis naturis, tanta purgandi poteſtate, vt ſæpe ob hypercatharſim ſanguis erumpat. Educit autem ſic ſumpta bilioſa, pituitoſa, aquoſa, id quod & Dioſcorides teſtatur: vt mirum non ſit, in Anticyra dictum olim fuiſſe Elleborum, admiſceriq; ſolitum potionibus ex Veratro albo paratis, vt facilius & citius Veratrum, quod vomitiones magis ciet quàm deiectiones, aluum commodiùs detraheret. Hoc fortaſſe Elleborum eſt, quod fructum Seſamo ſimilem edere Theophraſtus ſcripſit, quo in Anticyra purgationes fiebant. Quanquam non ſolùm fructu, ſed etiam radice vtile eſſe ſcribit: quod negat Dioſcorides, qui radicem ἄπρακτον, id eſt, imbecillem, ſiue ignauam eſſe dicit, ſemínique purgandi vim tribuit, quam etiam foliis & ramulis ineſſe experientia docuit. Planta hæc Cluſio eſt Sanamundæ tertium genus, Cortuſo Erica Alexādrina, Alfonſo Pautio Cneorum. Thymelææ congenerem eſſe, & iiſdem facultatibus pollere putat Cluſius. Plantam alteram hîc etiam appictam Seſamoides minus quidam nominant, non ad Dioſcoridis quidem hiſtoriam referentes, ſed ad eam quam cum ſuperiore cognationem habet originis, ſaporis, facultatis catharticæ. Quidam Phacoides volunt eſſe Oribaſij, ob foliorum cum Lente ſimilitudinem. In maritimis, vt & alterum prouenit, ſed Corſicæ magis quàm Galliæ, Liguriæ've: caule pedali, in ramulos pluri

los plurimos & graciles diuiſo, lanugine molli veſtitos ſuperioris modo: foliis numeroſiſsimis, minimis, lætiùs virentibus, Lenticulæ ſimilibus, circa ramos denſiſsimè coaceruatis, vt ramorum conſpectum adimant, Aizoi acris ſpecie: flore copioſo, tenui, candido, per totos ramos foliis interſparſo, ſuauiſsimi odoris, nec moſcho diſsimilis, & quaſuis acres plantas ſuperantis. Purgat, & eoſdem humores educit quos Seſamoides maius, ſed laborioſiùs, præſentioréque

SESAMOIDES minus, Dalechampij.



SESAMOIDES minus, Matthioli.



nimiæ vacuationis diſcrimine. Eius tuſæ ac cribratæ drachmam ptiſanæ immixtam ſorbendam dedit Dalechampius cuidam neruorum diſtentionibus laboranti Lugduni in publico valetudinario, cui non ſegniùs aluus deturbata eſt, quàm ſi colocinthidem ſumpſiſſet, reſtitutáque ſanitas. Seſamoides minus à Matthiolo poſitum Pena approbat, ſcribítque optimè Cyanis comparari. Folia enim prorſus ſunt Cyani parui, inciſura & ortu Coronopi, hirſutiora, maiora (fortè μακρότερα pro μικρότερα in Dioſcoride legendum, qui error in eo auctore frequens eſt:) flores radiati, prorſus Cichorij concolores & ſimiles ſupernè, ſubtùs capitula ex ſquamulis compacta Cyami aut Iaceę modo habentes: ſemine intus Seſami: radice Tragopogoni, exiliore. In Narbonenſi agri ſquallidis collibus, etiam herbidis ad Ladum copioſè prouenit hæc planta, atque etiam in Longobardia. Huic Matthiolus non rectè Phalaridis flores & capitula affinxit. Hæc ex Pena. Quidam Catanancen priorem eſſe putant.

EMPE

EMPETRVM. CAP. XVII.

EMΠΕΤΡΟΝ Græcis, & φακοειδὲς dicitur, Latinis Empetrum & Phacoides, & Calcifraga Plinio. Id non descripsit Dioscorides, sed dixit tantùm in maritimis & montosis nasci, gustu salso, quod verò propiùs terreno prouenit, amarius esse. Purgat pituitam & bilem, & aquas, si in iure aliquo, aut aqua mulsa exhibeatur. Eadem prorsus Plinius tradidit. Empetron, quam nostri Calcifragam vocant, nascitur in montibus maritimis, ferè in saxo: quo propiùs mari fuerit, minùs salsa est (Deprauata hæc in vulgatis codicibus lectio, sic corrigenda, quæ propiùs mari fuerit, salsa est) potáque bilem trahit ac pituitas: quo longiùs magísque terrena, amarior sentitur. Trahit aquam. Sumitur autem in iure aliquo, aut in hydromelite. Galenus scribit Empetrum ad solas purgationes esse vtile, bilem ac pituitam educens, gustu salsum esse, quare ad alia quoque vti licere, ad quæ pollet substantia salsa: item nominari Prasoides. Idem planè Aëtius & Paulus ex Galeno exscripserunt, vt vox phacoides vel in Dioscoride, vel prasoides in aliis meritò suspecta sit. Addit Paulus, quia salsum est, extergendi vi præditum esse. Cùm verò Dioscorides, Galenus, atque alij Græci medici ipsos sequentes scribant Empetrum ad purgationes tantùm vtile esse: Plinius contrà his quę modò citauimus subiiciat, vetustate vires perdere, recens vrinas ciere decoctum in aqua vel tritum, calculósque frangere, & qui fidem promisso huic quærunt, affirmare lapillos, qui subferuefiant vnà, rumpi: perspicuum est eum, alterum Empetrum Saxifragum dictum cum maritimo Empetro confudisse. De quo Saxifrago, siue Empetro altero, caput extat in multis excusis exēplaribus Dioscoridis, cui calculos vesicæ frangendi, & vrinas ciendi vis tribuitur: quanquā caput hoc inter Dioscoridis notha & adscititia à peritis herbariis referatur. Pręthereà ex iisdē Græcis auctoribus colligere licet fœniculum marinum, siue Herbam Sancti Petri, Empetrum non esse, hoc loco descriptum, quod quidam crediderе: quia ei nulla bilem purgandi, pituitamq́; facultas insit. Quare diuinare potius, quàm certò statuere licet, quæ planta legitimum veterum Empetrum asseri possit. Si tamen cōiecturæ locus sit, Dalechampius Empetrum esse opinatur plantam, quę à vulgo Narbonensiū Herba terribilis vocatur, cuius capite de Alypo mentionē faciemus, ob violentam in corpore purgando facultatē. Ea nunc in ipso maris litore prouenit salsum humorē bibente eius radice, ac tum salso gustu est, vt cæterę plantę, quarū radix marinā aquam sugit: nunc in montibus mari vicinis, vt in monte Cestio, vulgò *Cap de Ceste* prope Agatham, nullo maris succo imbuta, sed tantū obiecta eius afflatui, ac tum salsuginis expers, gustāti perquā amara sentitur. Cubiti est magnitudine, & eo maior, cortice purpurascēte, ramosa, folio Lētis, sed Lētis modo per æquales versus nō disposito, per ramos & surculos nullo ordine prodeūte, supernè viridi, infernè candicante, capitulis in ramorum vertice purpureis & rotundis, Aphyllanthi non dissimilibus. Purgandi vim habet Sesamoide vtroq; non imbecilliorē. Purgat autē bilem, pituitam & aquas non aliter, quàm Tithymalus.

Nomina. Li. 4 c. 174. *Locus.* *Vires.* Lib. 27. c. 9. Lib. 6. sim.

EMPETRVM phacoides, Herba terribilis Narbonensium.



CVCVMIS SILVESTRIS. *CAP. XVIII.*

Nomina ΣΙΚΥΣ ἄγριος, Cucumis ſilueſtris Latinis dictus eſt, & Cucumis errati-
cus, & anguinus, Officinis Cucumis aſininus, Arabibus *Chete allimar, Kate-
alhener,* ſeu *Cheta alhamar,* Italis *Cocomero ſaluatico,* Germanis *Vuilder cucumern,*
& *Eſele cucumern,* Hiſpanis *Cogombrillos amaragos,* Gallis *Coucombre ſauuage.* Cucumin
Li.4.c.149. ſilueſtrem tradit Dioſcorides ſolo fructu diſtare à ſatiuo Cucumere, quem longè
minorem parit, oblongis glandibus non diſſimilem: folia atque ſarmenta ſatiui
Forma. referre: radice candida, magna. His notis Cucumerem noſtrum ſilueſtrem de-

CVCVMER agreſtis, Matthioli.



ſignari nemo eſt qui non apertè videat. Is fla-
gella per terram ſpargit, bicubitalia, minimi
digiti craſſitudine, rotunda, breuibus aculeis
aſpera, ſolida, & anguium modo inflexa. Folia
edit ex longis, craſsis, & aculeatis pediculis pen
dentia, in obtuſum mucronem deſinentia, ſu-
pernè viridia, infernè pallidiora, & crebris in-
tricatíſque venis, rugoſa, vtrinq; aſpera: flores
tota æſtate ex foliorum alis, quinis, latis, acu-
minatis, & flauis foliolis conſtantes, quoſdam
ſteriles, quoſdam fœcundos. Steriles terna in-
tus trifida veluti complicata, & per ambitum
crocea, nec hirſuta ſtamina habent, nullúmque
poſteriore parte capitulum, futuri fructus rudi
mentum. Fœcundi in medio ternas hirſutas &
flauas furculas ſtaminum vice continent: re-
tro hirſutum & oblongum extuberat tubercu-
lum, quod flacceſcẽte flore paulatim cum pe-
diculo accreſcit, donec maximæ glandis ma-
gnitudinem ſuperauerit, quod vndique breui-
bus aculeis armatur, & in maturitate cũ ſplen-
dere, gliſcere, & candicare, vel palleſcere cœpe-
rit, ſponte ſua, aut leuiter tactum ex pediculo
exilit, & cum impetu oblonga, foris nigra, intus candida ſemina cum aqueo ſucco
eiaculatur. Radice nititur craſſa, rotunda, carnoſa, rapo oblongo haud abſimili,
radiculis multis huc & illuc diſperſis. Tota planta vehementer amara eſt, præ-
ſertim fructus amariſsimus, ſola ſeminis medulla dulcedinem habet, quæ etiam
mures alliciat, inquit Cordus. Quare miratur Galenum huic ſemini amarum ſa-
porem tribuere, quòd fortaſſe tantùm corticem ſeminis deguſtauerit, qui amarus
eſt, non ipſum nucleum, qui propriè ſeminis appellatione venit. At falsò Gale-
num à Cordo reprehendi Matthiolus arbitratur, quòd nuſquam ſcripſerit Gale-
nus Cucumeris ſilueſtris ſemina amara eſſe, ſed Cucumerum ſemina quædã ama-
ra eſſe, quemadmodùm & amygdalæ: nec diſertè dixiſſe Galenum aut ſatiui aut
ſilueſtris Cucumeris ſemen quandoq; amarum reperiri, coniicere tamen ex con-
textu facilè eſſe de ſatiui ſemine intelligere, & lectores admonere voluiſſe huiuſ-
modi ſeminum nucleos, qui natura dulces ſunt, aliquando ſoli in quo naſcuntur
Locus. vitio amaros effici. Naſcitur Cucumis ſilueſtris in ſabuletis, ac ruderibus: eſtq;
in Gallia Narbonenſi & Hetruria frequens. Frigidioribus locis ſeritur in hortis
Tempus. ab Herbariis. Auguſto menſe floret. Autumno fructum producit. Inſtillatus fo-
Li.4.c.149. liorum ſuccus aurium dolori conuenit, inquit Dioſcorides. Illita ex polenta ra-
Vires & Temper. dix veterem omnem tumorem diſcutit. Impoſita cum reſina terebinthina tuber-
cula

cula rumpit. Iſchiadicis infunditur: podagras diſcutit decocta ex aceto & illita. Eius decocto dentes in dolore colluuntur. Aridæ farina impetiginem, lepras & vitiligines abſterget: nigris cicatricibus colorem reddit, & in facie maculas expurgat. Radicis ſuccus ſeſquioboli pondere, item cortex acetabuli quarta parte, bilem pituitámque deiiciunt, præſertim in hydropicis: deiectiones autem citra ſtomachi iniuriam mouet. Radicis ſelibra in vini, præſertim Lybici, hemina conteritur, dantúrque ex eo terni cyathi triduo, dum tumor abundè deprimi cernatur. Quæ poſtrema ſententia ſic legitur in vetere codice. Δεῖ δὲ τῆς ῥίζης λαβόντα ἡμίλιτραν μετὰ δυοῖν ξεστῶν οἴνου, μάλιστα αἰγυπτίου γλυκέως, λεαίνειν, καὶ διδόναι ἐκ τούτου κυάθους. γ. νήστει ἐπὶ ἡμέρας τρεῖς, ἕως ἂν ὁ ὄγκος ἱκανῶς συσταλῇ. Id eſt, cùm ſelibram eius acceperis, oportet eam læuigare cum binis ſextariis vini dulcis, præſertim Aegyptij, propinaréque ex ipſo tres cyathos ieiuno trium dierum ſpatio, donec abundè tumor ipſe ſubſidat. De foliorum & radicis vſu medico, idem quod Dioſcorides Plinius apertè tradidit. Radix ex aceto cocta podagris illinitur, ſuccóque dentium dolori medetur. Arida cum reſina impetiginem & ſcabiem, quæ pſoram & lichenas vocant, parotidas & panos ſanat, & cicatricibus colorem reddit. Foliorum ſuccus auribus ſurdis cum aceto inſtillatur. Sed in his quæ de Elaterio ſcripſit, à Dioſcoride diſſentit. Cucumin ſilueſtrem eſſe diximus, inquit, multò infra magnitudinem ſatiui. Ex eo fit medicamentum, quod vocatur Elaterium, ſucco expreſſo ex ſemine. Qua in re Plinius Theophraſtum ſecutus eſt: ſcribit enim. καὶ τοῦ σικύου δὲ τοῦ ἀγρίου τὴν μὲν ῥίζαν ἀλφοὺς καὶ ψώρας βοσκήμασι (legendum, ἀλφοῖς καὶ ψώραις) βοηθεῖ. τὸ δὲ σπέρμα, &c. Eſt enim id, quod Dioſcorides antè dixit. ξηρὰ δὲ λεία ῥίζα ἀλφοὺς, λέπραν καὶ λειχῆνας σμήχει, nulla facta pecudum mentione) τὸ δὲ σπέρμα χυλισθὲν ποιεῖ τὸ ἐλατήριον. τίλλεται δὲ τοῦ φθινοπώρου, τότε γὰρ βέλτιον. Id eſt, Cucumeris ſilueſtris radix vitiliginem & ſcabiem ſanat. Ex ſemine verò ſucco expreſſo fit Elaterium. Legitur Autumno: tunc enim melius. Dioſcorides verò ex fructu Cucumeris elaterium fieri docet, vt ſimul etiam quod in ipſo carnoſum exprimatur. Deinde quod ſcripſit Dioſcorides. Sunt qui ad hauriendam protinus ſucci abundantiam cribratos cineres humi inſpergant, & medium cauantes triplicatum linteum obſendunt, per quod Elaterium cum ſua humiditate diffundatur, ſiccatúmque in pila conterunt, Plinius non ſatis expreſſit. Semen quoque, inquit, cinere conſpergitur, ad coërcendam ſucci abundantiam, qui expreſſus ſuſcipitur aqua cæleſti, & ſubſidit, deinde ſole cogitur in paſtillos ad magnos mortalium vſus. Paulò pòſt de Elaterio, Nec vllum, inquit, ex medicamentis longiore æuo durat. Incipit à trimatu. Si quis recentiore vti velit, paſtillos in nouo fictili igne lento in aceto domet. Melius quo vetuſtius: finítque iam ducentis annis ſeruatum, vt auctor eſt Theophraſtus, & vſque ad quinquageſimum lucernarum lumina extinguit: hoc enim veri experimentum eſt, ſi admotum, priuſquàm extinguat, ſcintillare ſurſum ac deorſum cogat. Locus Theophraſti, quẽ Plinius citat, is eſt. πάντων δ' ὅλως τῶν φαρμάκων πλεῖστον διαμένει χρόνον τὸ ἐλατήριον, καὶ τὸ παλαιότατον ἄριστον. ἰατρὸς δ' οὖν τις ἔλεγεν οὐκ ἀλαζὼν, οὐδὲ ψεύστης ὡς εἴη παρ' αὐτῷ διακοσίων ἐτῶν, θαυμαστὸν δὲ τῇ ἀρετῇ, δεδῶσθαι δὲ τινὰ αὐτῷ δῶρον. αἰτία δὲ τῆς χρονιότητος ἡ ὑγρότης. διὰ γὰρ ταύτην καὶ ὅταν κόψωσι, τιθέασιν εἰς τέφραν ὑγρὸν, καὶ οὐδ' οὕτως ξηρὸν γίνεται, ἀλλ' ἄχρι πεντήκοντα ἐτῶν σβέννυσι προσαγόμενον τοὺς λύχνους (non ἀυχμοὺς, vt in vulgatis exemplaribus legimus) φασὶ δὲ μόνον μάλιστα ὑπέρινον ἄνω ποιεῖν τῶν φαρμάκων (non ὑπὲρ ἴνων, vt habent vulgati codices) ἀλλὰ μὲν οὖν ἰδιότης τῆς δυνάμεως. Id eſt, Omnium quidem in vniuerſum medicamẽtorum maximè diuturnum eſt Elaterium, & quod vetuſtiſſimũ optimum. Itaq; medicus quidam, vir haud glorioſus neq; mendax, ſibi eſſe Elaterium ducentorum annorum dicebat, virtute mirabili, donatum à quodam. Diuturnæ conſer-

Lib. 20. c. 1.

Lib. 9. hiſt. cap. 10.

Lib. 9. hiſt. cap. 14.

uationis eſt humoris copia: eam enim ob cauſam etiam cùm triuerint, in cinere
humidum reponunt, ac ne ſic quidem ſiccatur, ſed vſque ad quinquageſimum an-
num lucernis admotum eas extinguit. Aiunt autem ſolùm hoc ex omnibus me-
dicamentis maximè purgationem immodicam per ſuperiora efficere. Hæc igitur
eius medicamenti propria vis. In his Theophraſti verbis Gaza hæc prætermiſit,
φασὶ δὲ μόνον μάλιστα ὑπέρινον ἄνω ποιεῖν τῶν φαρμάκων. Eſt autem ὑπέρινος, ὁ ὑπερκεκαθαρ-
μένος ἄνθρωπος, vt Galenus in Gloſſis Hippocraticis exponit. Dioſcorides Elaterium
ſcribit à bimatu ad decennium deiectionibus vtile eſſe. Theophraſtus id mirabili
virtute ducentis annis ſeruatum eſſe. Scribit idem Theophraſtus σβέννυσι προσαγό-
μενον τοὺς λύχνους, quæ Plinius cõuertit, lucernarum lumina extinguit. Contra Dioſ-
corides ait, προσαχθὲν λύχνῳ εὐκαὲς, id eſt, quòd lucernarum luminibus obiectum
facilè flagret, vel ad lucernã admotum facilè ardeat. Sed potior videtur eſſe Theo-
phraſti ſententia, vt videlicet Elaterium propter humoris copiã lucernarum lu-
mina extinguat, &, vt Plinius ait, ſcintillare ſurſum ac deorſum cogat. Nam omne
humidum, quod pingue non ſit, ignis flammam protinus extinguit. Quare Elate-
rium, in quo humiditas aquea multùm exuperat, lucernæ flammam extinguet po
tiùs, quàm ardebit admotum, excitato videlicet in humido à calore flatu, id quod
experientia confirmari poteſt. Itaque eum Dioſcoridis locum mendo non carere
ſuſpicantur viri docti, & pro εὐκαὲς legendum eſſe putat Cornarius οὐ καίεται, id eſt,
Ibidem. non ardet. Elaterium bilem ac pituitam vtrauis parte extrahit, inquit Dioſcorid.
Vires & Temper. Optima ſuſpirioſis eſt purgatio. Quod ſi in animo eſt deiectionem moliri, adie-
cto ſalis duplo, & ſtibij quod colorare ſufficiat, ex aqua, erui magnitudine, catapo-
tia dato, poſteà cyathus vnus aquæ tepidæ ſorbeatur. Ad citandas tamen vomitio-
nes aqua diluens Elaterium ſubiectas linguæ partes penitiſſimè penna oblinito.
Quod ſi quiſquam difficiliùs euomat, oleo aut vnguento irino reſoluto, ſomnum
inhibeto. Porrò his, qui eximiè vacuantur, continuè vinum & oleum dare conue-
nit: etenim vomendo reſtituuntur. Quod ſi vomitiones non finiantur, aqua frigi
da, polenta, poſca, poma, & quæ ſtomachum denſando corroborant, offerenda
ſunt. Ciet Elaterium mẽſes: partus necat in peſſo ſubditum: morbo regio medetur
cum lacte naribus infuſum, à diuturnis capitis doloribus liberat. Efficaciſsimè an-
ginis illinitur cum vetere oleo, melle, aut felle taurino. Hæc & alia quædã Plinius
Lib.20.c.1. habet. Obſcuritates, inquit, & vitia oculorum ſanat, genarúmque vlcera. Tradunt
hoc ſucco tactis radicibus vitium, non attingi vuas ab auibus. Contra phthiriaſim
bibitur, & hydropiſes. Illitum anginas & achoras cum melle & oleo ſanat. Et pau-
lò pòſt. Podagris & articulorum morbis decoctum in aceto illinunt, præſenti re-
medio: lumborum verò dolori ſemine ſolo ſiccato, dein trito, triginta denariorum
pondere, in hemina dato aquæ. Sanat & tumores ſubitos illitum cum lacte mulie-
rum. Purgat eas Elaterium: ſed grauidis abortum facit. Suſpirioſis prodeſt, morbo
verò regio in nares coniectum. Lentigines ac maculas è facie tollit in Sole illitum.
Adiecit & eius modum ex Dioſcoridis ſententia. Modus proportione virium à di
midio obolo ad ſolidũ. Copioſius necat. Integer modus, inquit Dioſcorides, obo-
lus eſt, minimus ſemiobolus, pueris chalci duo, ſiquidem copioſius periculum ad-
Lib.8.ſim. fert. Galeno Cucumeris agreſtis tum fructus, tum fructuum ſuccus, quem vocant
Elaterium, tum non minimè radicis, & foliorum, ad medicationes perutilis eſt.
Elaterium itaque mẽſes ciet, & fœtum interimit appoſitum, ceu alia omnia ama-
ra, & ſubtilium partium, maximè ſi quam habeant caliditatem, velut Elaterium:
nam ſummè amarum eſt, leuiter calidum, vt ex ſecundo ſit ordine excalfaciẽtium.
Porrò tale protinus digerendi quoque vim habet. Sic igitur eo angina laborantes
inungunt quidã cum melle, & oleo vetere. Bonum item eſt morbo regio affectis,

fusum cum lacte in nares, dolores capitis sanat etiam hoc vsu. Atq; Elateriũ quidem eiusmodi est. At radicis succus, vt & foliorum Elaterio similem vim habeat, imbecilliorem tamen. Sed & ipsa radix similem facultatem habet: abstergit enim, digerit, emollit. Porrò cortex potentiùs ea desiccat. Mesues de huius Cucumeris facultate, viribus, noxa, & eius correctione fusiùs disserit his ferè verbis. Succi ex Cucumeris siluestris fructu laus est præcipua, secunda radicis. Is fructus iam absolutus si maturitate pallescat, viridísque esse desierit, & amaritudine sit eximia, succúmque remittat album & subpinguem, est calidior. Imperfectus autem tam est noxius, vt sanguinem educat. Succus quidem exeunte Æstate excipitur: radix fine Veris colligitur. Eadem in medicamenta multùm efficacia & celebria recipitur. Succus calidus est & siccus ordine tertio: substantia ignea & terrena constat. Purgat potenter pituitam vomitu, & deiectione, & interdum bilem, si vacuari parata est: serosum quoque excrementum etiam euulsu contumax, atque ideò à iuncturis mirificè trahit, præsertim succo & radice. Ob id earum dolorem sanat: ischiadem etiam iuuat apertè cataplasmate impositus, vel clystere iniectus. Radices eius cum absinthio in aqua & oleo percoctæ hemicraniam molestam, & curatu difficilem sanant, si ipso decocto tempora fricentur, & si ægris radices eædem cum herba tritæ cataplasmate applicentur. Succus quoque ipsius cum pauco lacte naribus iniectus idem efficit: excrementa enim cerebri euacuat, & nasi fœtorem ab horum putredine ortum persanat: cephalalgiam quoque veterem, & epilepsiam. Idem cataplasma, præsertim si stercus caprinum addatur, tumores magnos & duros, & strumas resoluit. Succus quoque & decoctum tum fructus, tum radicis hydropem iuuat potu (valenter enim aquas serosas euacuat.) & icterum, & obstructiones lienis, & hepatis. Puluis radicis cum melle cicatricem fœdam tenuat, ecchymomata contusionibus succedentia dissipat. Succus radicis cum farina fabarum, sordem faciei, & fœditatem cutis illitus terget. Radix ex aceto forti alphis affricta, eos delet & lentigines. Resoluit enim, tenuat, terget, siccat. Soluit molestè & tardè: aperit obstructa, & ora venarum. Quæ ne aperiat & vlceret hic succus, ac cum torminibus, & anxia molestia vacuet, datur cum Bdellio, vel Tragachantho, vel lacte dulci, recenter mulso, aut mulso & sale: promptiùs autem purgat cum pauco sale gemmæ & aromatibus. Succus ex fructibus per maturitatem pallentibus clementer sine compressione multa extractus, siccatur vt Scammonium aut aloë. Nonnulli inter siccandum ei immergunt aromata nodulo ligata, quem extrahunt dum siccando cogi incipit. Alij alia immittunt pro variis scopis. Triennio seruatur, post sex menses vtendus. Noxam autem ab eo corpori impressam delent aqua hordei, mulsa, vinum, oleum. Datur succus à granis decem ad drachmæ vnius partem tertiam. Puluis radicis à granis quindecim ad drachmæ semissem. Decoctum ab vnciis duabus ad vncias quatuor.

Li.2 med. purg.c.9.

COLOCYNTHIS.

CAP. XIX.

ΚΟΛΟΚΥΝΘΙΣ, θῆλυς, quasi Cucurbitula, deminuto à κολόκυνθα nomine, nam fructus eius cum Cucurbitæ satiuæ fructu collatus, longè minor est, Latinis similiter Colocynthis, & Cucurbita siluestris appellatur, Arabibus *Chandel*, *Handel*, siue *Handal*, Officinis, Hispanis & Italis *Coloquintida*, Germanis *Coloquint*, & *Vvildekurbsz*, Gallis *Coloquinte*, & *Courge sauuage*. Quibusdam Fel terræ dicitur, Arabibus Plantarum mors, quòd herbas

Nomina

alias ſibi vicinas veneni modo interficiat, vt vicina illi terra aduſta videatur.
Hippocrates Colocynthidem ſæpe συκυώνην vocat, & σικύην, & συκυώνης σπόγγον,
κολοκυνθίδος τὸ ἔντον, Colocynthidis ſpongiam, eius interiorem partem, & σικύην
ἄτμητον, κολοκυνθίδα διαιρέτον, in ſectilem Colocynthida, vt Galenus in Gloſſis ex-
Forma. ponit. Colocynthis aſpera viticulos foliáque per terram ſtrata emittit, Cucu-
meri, quem hodie Citrulum vocant Officinæ, ſimilia, in mucronem deſinentia,

COLOCYNTHIS,
Matthioli.



atque vtrinque ex obliquo & profundiùs in
ternas plerumque partes ſecta, quæ partes ſuas
quoque habent inciſuras: flores iuxta folia pal-
lidos ſiue flauos: fructum rotundum, pilæ for-
ma in orbem coactum, primùm viridem, de-
inde flauum, cortice neque ſpiſſo, neque duro
contectum, qui cùm exaruit, ſummè læuis eſt,
fungoſa candidáque intus pulpa, in qua cauer-
nulæ ſeminibus pyro ſimilibus plenæ, duro cor-
tice candidum nucleum claudentibus. Radice
nititur oblonga, fibrata, candida. Fructus ſapo-
re eſt amariſſimo, qui ſiccatur, & ad vſum me-
dicum aſſeruatur. Hæc eſt Dioſcoridis Colo-
Li.4.c.171. cynthis: ſic enim deſcribit. Colocynthis ſar-
menta foliaq; ſatiui Cucumeris emittit, per ter-
ram repentia, diuiſa: fructum in ſpeciem me-
diocris pilæ conglomeratum, vehementer ama-
rum, quem legere oportet cùm cœperit in pal-
Li.2.c.130. lidum colorem permutari. Auicennas & Me-
Lib.2.c.4. ſues duplicem faciunt Colocynthidem, marem
Genera. & fœminam. Mas eſt foris lanuginoſus, nigri-
cans, ſubaſper, grauis, durus: fœmina præ-
ſtantior, præſertim ſi eſt magna, perfectè ma-
tura, alba, lenis, rara, leuis: vti eius interior
medulla albiſsima, rara, lenis & leuis: quóque leuior, eo melior: ſitq; ex agro
laxo, arenoſo, libero, Autumno lecta, cùm langueſcente virore cœperit in co-
lorem luteum mutari. Inmutata & his notis deſtituta, mala: flatus torminoſos
& moleſtiſſimos excitat, immodicè purgat, vt etiam ſanguinem educat, & ſæpe
mortem adferat. Peſsima eſt etiam ac venenoſa, quam producit vnicam tota
vna planta. Quæ planta ſi loco illo eſt vnica, multò perniciorem fructum
parit, præſertim ſi locus ille eſt vliginoſus, vel puluerulentus, vel thermis
Lib.3.c.41. propinquus, vel ſerpentibus abundet. Dodonæus alterum Colocynthidis ge-
nus reperiri tradit ſuprà à nobis deſcriptæ haud multùm ſimile, quod viticulis
longis, aſperis alta ſcandit, & Cucurbitæ ſatiuæ modo iis omnibus, quæ obuia
ſunt, capreolis ſuis ſe inuoluit. Folia fert Cucumeri ſilueſtri ſimilia: fructum
Cucurbitæ prorſus ſimilem, ſed multò minorem, pyri ſolùm magnitudine, &
effigie: cortice duro tegitur, viridi, lignoſo: intus ſucco plenus eſt amariſſimi
Lib.1.de gustus. Hanc Lobellius pingendam curauit. Cordus ſex Colocynthidum ſpe-
plant. cies recenſet, Colocynthidem grandem, oblongam, quæ viticulis multis per
cap.98. I. terram ſpargitur, ex interuallo geniculis præcinctis, iuxta quæ capreolos emit-
tit, & ſingula erigit folia longitudine & latitudine pedali, in tres partes Lupuli
modo ſecta, tactu aſpera, & breuioribus aculeis horrida, pedalibus aut cubitalibus,
teretibus, aſperis, concauíſque pediculis inſidentia. Ab iiſdem geniculis radices
in terram

Colocynthis Pyriformis, Lobellij.



in terram demittit tenues, quibus nutriendo fructui succurrit. Flores secus foliorum exortũ profert, quibus decidentibus grandis, & humi procumbens excrescit fructus, longitudine plerumq; dodrantali, ea craßitudine, quam vtraq; manu circùm amplecti vix poßis. Is primùm viridis est, posteà candicantibus maculis conspergitur, postremò maturus totus luteo pallet, & circa pediculũ eminentibus angulis distinguitur. Dissectus corticem primò ostendit durum lignosumq;, mox flauam cartilaginosamq; carnem, & in medio sex ordines seminum candidorum, oblongorum, acuminatorum, latorũ & planorum, in quibus candidus inest nucleus. Radice nititur breui, à qua multæ aliæ candidæ in diuersas partes exeunt, cubitales, & tenues. Hæc planta ad cameras perticis extructas admota capreolis eas apprehendit, & attegias scenasq; facit. Sapore fructus est amarißimo, & graui odore: seminis nucleus dulcis est. Seritur spectaculi gratia in latis hortorum areis. Altera Cordi Colocynthis grandis, & rotunda, supradictæ viticulis, capreolis, floribus, foliorũ magnitudine, asperitate, radicibus, deniq; aliis omnibus similis, & æqualis, demptis duntaxat duobus, quòd scilicet folia in quinas partes dissecta habet, & fructus minores, globi instar rotundos, aut modicè planos, colore primùm viridi, in maturitate pallido, pulpa, seminum ordine & figura superiori similes. II.

Tertia Colocynthis turbinata, viticulas, capreolos, folia & flores primæ similes profert, & similiter per terram repit, sed omnes partes tenuiores habet: fructum pyri modo turbinatum, ouo maiorem, in maturitate flauũ, & candicantibus lineis per longitudinem distinctum, foris durum, & lignosum, intus fungosa carne plenum, in qua quatuor oblongorum, paruorum, pleniorum, ac candidorum seminum ordines continentur. Radicibus nititur supradictis similibus, sed minoribus: sapore est amaro, vt cæteræ, similiterq; colitur. III.

Quarta Colocynthis oblonga, glabra, viticulis, capreolis, foliis, flore & radicibus primæ similis, & æqualis est. Folia tamen quoquo versus dodrantem vix excedunt, & non longè à mucrone duabus incisuris, sed non profundis, in tres partes diuiduntur. Fructum habet oblongum, primæ similem, glabrum, minorem, colore primùm viridi, in maturitate obscurè luteo, ac in pallorem saturatum degenerante, seminum ordine, quantitate, atque pulpæ substantia, colore, ac sapore præcedentes Colocynthidas æmulatur, similiter etiã in hortis colitur. IIII.

Quinta Colocynthis oblonga, candida, grandis, viticulis, foliis, capreolis, floribus, fructus quantitate, semine, radicibus, asperitate, atque amaro sapore primæ similis est. Solo ferè colore huius fructus ab illius fructu differt: etenim principio viret, mox albicantibus, & inæqualibus maculis, seu nubeculis aspergitur, postremò in maturitate totus albicat. Colitur in hortis supradictarum modo. V.

Sextam Colocynthidem ponit, fungosam illam, & læuem, vulgaremq;, quam descripsimus. Hæc colitur à quibusdam Herbariis in hortis, sed rarißimè prouenit. VI.

Locus. In Italia & Hispania, & trans maria in calidioribus locis sponte in asperis gignitur. Eius flores in æstate, seu fine æstatis apparent: fructus Autumno, siue eius fine maturescunt, & durant integris natura & viribus ad quinque annos.

Li.7. simpl. Colocynthis, inquit Galenus, gustu amara est, sed quæ amaritudinis illi, dum
Vires & Temper. potatur, adsunt opera, ea euidenter efficere nequit, ob purgatoriam facultatem quam validam in se continet: nimirùm cum iis, quæ expurgat antè & ipsa per aluum excerni præuertens. Viridis ipsius succus intritus ischiadibus prodest.
Li.4.ca.171. Dioscorides verò enucleatiùs eius effectus declarat. Medulla fructus purgatoriam vim habet, si quatuor oboli cum aqua mulsa, melle cocto, myrrha & nitro excipiantur, & cogantur in catapotium. Arefactæ pilæ teruntur, & infusæ clysteribus prosunt neruorum resolutioni, coxendicũ doloribus, & coli vitiis, vt quæ bilem, pituitam, & strigmenta, interdum etiam cruorem eliciant. Fœtus admotæ enecant. Dolorem dentium tollit, si vnà repurgetur, & in ea luto óblita acetũ & nitrum inferuescant, eo decocto decocti dentes colluantur. Si aqua mulsa, aut passum in eadem incoquatur, & sub diuo refrigescat, potu crassum humorem & strigmenta alui detrahet. Stomacho supra modum aduersatur. Subdita ex ea balano alui excrementa reiiciuntur. Virenti succo vtilissimè ischiadici perfricantur.
Lib.20. c.3. Plinius perspicuè etiam eius vires exponit. Colocynthis vocatur alia (Cucurbita subaud.) ipsa plena, sed minor quã satiua. (Sic fortasse rectiùs legas. Vtilior pallida ad medicinam quàm herbacea, medulla fructus per se inanit aluũ. Arefacta infusaq; clysteribus, &c.) Vtilior pallida, quãdo eius sunt medicinæ. Herbacea arefacta per se inanit aluum. Infusa quoque clysteribus, intestinorum omnium vitiis medetur, & renum, & lumborum, & paralysi. Eiecto semine aqua mulsa in ea decoquitur ad dimidias, sic tussienti bibitur obolis quatuor. Prodest & stomacho, farinæ aridæ pilulis cum decocto melle sumptis. In morbo regio vtiliter semina eius sumuntur, & protinus aqua mulsa. Carnes eius cum absinthio & sale dentium dolorem tollunt. Succus verò cum aceto calefactus mobiles dentes sistit. Item spinæ & lumborum, ac coxẽdicum dolores cum oleo, si infricetur. Prætereà, mirum dictu, semina eius si fuerint pari numero adalligata febribus sanare dicuntur quas Græci periodicas vocant. Hæc Plinius. Ex quibus Cornarius locos aliquot declarari scribit, hactenus à nullis interpretibus, vt ille arbitratur, rectè intellectos. Primùm duos modos sumendi medullam Colocynthidis in vnum coaluisse, paucis particulis omissis, vt pro δύναμιν δ' ἔχει ἡ μὲν ἐντεριώνη τοῦ καρποῦ καθαρτικὴν, τετραβόλου πλῆθος μετ' ὑδρομέλιτος λαμβανομένη σὺν νίτρῳ, καὶ σμύρνῃ, καὶ μέλιτι ἑφθῷ εἰς καταπότιον, sicuti habent publica exemplaria, quæ interpretes secuti sunt, legunt, δύναμιν δὲ ἔχει ἡ μὲν ἐντεριώνη τοῦ καρποῦ καθαρτικὴν, τετρωβόλου πλῆθος μετὰ ὑδρομέλιτος λαμβανομένη, καὶ σὺν νίτρῳ δὲ καὶ σμύρνῃ, καὶ μέλιτι ἑφθῷ εἰς καταπότιον. Id est, Medulla fructus purgatoriam vim habet, si quatuor oboli cum aqua mulsa sumantur. Sed & si cum nitro, & myrrha, & melle cocto cogantur in catapotia.
Lib.3.ca.55. Priorem modum apertè tradit Aëtius. Dantur ex medulla eius scrupuli duo in aquæ mulsæ cyathis duobus. Posteriorem docet Plinius, cùm ait, Prodest & stomacho, farinæ aridæ pilulis cum decocto melle sumptis. Alij tamen legere malunt ex Dioscoride, Obest stomacho. Farinæ aridæ pilulæ cum decocto melle sumuntur. Deinde rectè dixit Plinius, Eiecto semine aqua mulsa in ea decoquitur ad dimidias. Quod in Dioscoride nonnulli longè aliter intellexerunt, ipsam scilicet medullam in aqua mulsa coqui debere. Hoc falsum esse Aëtius perspicuè ostendit. Quod si minùs purgare volueris, inquit, sumito Colocynthidem iustæ magnitudinis, eámque aperito supernè, & semen totum eximito. Deinde quicquid tomenti speciem præ se fert in ipsa, rursus citra semen in ipsam indito, & repletam ipsam sapa, aut vino dulci vetere, diem ac noctem macerari sinito. Deinde excolatum per pannum vinum calefactum bibendum dato. Hoc tamen interest, quòd Dioscorides aquam mulsam, aut passum in ipsa priùs coquendum, deinde sub dio exponendum præcipit. Aëtius sapam aut vinum dulce vetus diem solum, ac noctem

ac noctem macerari sinit. Sic etiam Paulus habet. Colocynthidem semine reiecto, sed quæ medullam reseruet, passo implebis, sinesq; totam noctem commadescere, manè passum auferetur, potuiq; dabitur. Qui sanè vsus hodie quoque Medicis frequentissimus est, Colocynthidem, aut alia pharmaca in liquore aliquo macerandi. Infusionem vulgò vocant. Sed præcipuè Medicis scitu necessaria sunt, quæ cùm Mauritani cæteri, tum Mesues de Colocynthidis temperatura, viribus, & remediis ex ea aduersus varios morbos, de eius vi malefica, de correctione, præparatione, dosi, & sumendi modo tradidit in libro secundo de purgantibus medicamentis. Colocynthis, inquit, calida est, & sicca, ordine tertio, ignea substantia & terrea per vstionem tenuata, eximiè amara constat. Pituitam & alios humores crassos & glutinosos magis ex profundis partibus & distantibus, vt cerebro, neruis, musculis, iuncturis, pulmone, thorace, quàm ex venis attractos, vt censet Dioscorides, purgat, (non ita Dioscorides censet, sed pituitam, bilem & strigmenta purgare. Paulus Colocynthidis medullam scribit bilem potissimùm vacuare, & muccosa, non à sanguine tantùm, quemadmodùm Veratrum, & Scammonium, sed & à neruis, & neruosis partibus) ac etiam bilem flauam, vt voluit Humain. Quapropter harum partium morbis mirè subuenit, cephalgiæ antiquæ, dolori cranij totius hemicraniæ contumaci, epilepsiæ, apoplexiæ, vertigini, aquosæ fluxioni in oculum, podagræ frigidæ, ischiadi maximè ac reliquis neruorum iuncturarumq; affectibus: asthmati itẽ ac tussi antiquæ, dyspnœæ ex thoracis repleti angustia. Ac præterea summè omnium prodest colico dolori tam à pituita, quàm à flatibus, & hydropi. Omnia autem hæc siue sumpta, siue clystere, aut balano intestinis immissa præstat. Vtero autem imposita fœtum necat. Eadem cum aceto forti affricta alphos, lepram, psoram, elephantiam sanat. Oleum denique super calidos cineres incoctum cortici eius inanito, capillos illitu nigrat, eósque ne cadant firmat, canitiem tardat. Idem auri instillatum eius dolorem, ac tinnitum sanat. Eodem oleo & felle bubulo interaneorum vermes necantur, si simul misceantur, & calida ventriculo illinantur. Acetum similiter incoctum collutione dentium dolorem sedat: incîdit enim, tenuat, terget, digerit. Ne autem cordi, ventriculo, hepati, & cæteris visceribus noceat turbando, subuertendo, violenter trahendo, miscenda sunt quæ has partes roborant, vt mastiche, gallia: misceantur & glutinosa, lubricando citiùs deturbantia, acrimoniam mordacem obtundentia, vt gummi, Tragacãtha, Bdellium, & similia, ne ampliùs vias vlceret per quas feratur, & ora venarum adeò vehementer aperiat, vnde sanguis manet. Serapio Colocynthidem mulsa, cui incocta fuerit Ruta, macerabat, siccabat, læuissimè terebat, ex mulsa prædicta dabat. Græcus quidam Colocynthidem oleo rosato fricabat, & cum æquali portione Ladani in catapotia formabat, vtilia prædictis affectibus. Mesues eam minutissimè forficibus incîdit, muccagine Traganthi, aut Bdellij perlinit, siccat, tenuissimè terit: cum Ladano vel mulsa, vel mastiche oleo rosato dissoluta in pastillos cogit, citra molestiam purgantes. Quod si noxam corpori impresserit, mulsa, vel vuarum passarum decoctum cum oleo amygdalino, vel oleo nucum eam abolet. Longam decoctionem sustinet, éstque pulueranda tenuissimè, vt eius facultas malefica permista illi exquisitè alia, plenius obtundatur, vtq; viscera celerrimè permeet, neque in ipsis ob partium minùs tritarum crassitiem cesset: qua fortasse fit, vt in visceribus pigra retineatur, eáque vlceret, præsertim cùm sensu percipi possint eius particulæ. Datur à siliquis sex ad decem. Cap. 4.

ALYPVM

ALYPVM. CAP. XX.

Nomina. A'ΛΥΠΟΝ Græcis, Latinis Alypum & Alypia dicitur, id eſt, indolens, ſiue expers doloris remediũ, κατ' ἀντίφρασιν, niſi quis malit dictũ quaſi ἅλυκον, id eſt, ſalſum vel maritimum, quod ſecus mare, vt Dioſcorides ait, oriatur. Herba eſt ſurculoſa, inquit ille, ſubrubra, gracilibus ramulis: tenuibus foliis: flore molli, leui, copioſo: radix velut Betæ eſt, tenuis (Oribaſius nec Betæ ſimilem, nec tenuem radicem eſſe ait:) ſemen velut Epithymi (thymi habet Actuarius.) Naſcitur in locis maritimis, maximè Libyæ, plurima: ſed & aliis locis vberrima. Plinius, Alypum, inquit, cauliculus eſt molli capite, nõ diſſimilis Betæ, acre guſtatu, ac lentum, mordenſq; vehementer & accendens. Actuario Alypum eſt Officinarum Turpetum, *Turbith* Arabibus dictum, quod album vocant. Nam in minoris Trypheræ compoſitione ſcribit: Si hoc medicamento, pituitæ deiectionem moliri inſtituas, Alypum, id eſt, album Turpetum addas. Et alio in loco, Turpetum, quod radix eſt Pityuſæ, & album Alypiæ, glutinoſam detrahit pituitam. At cũ idem Actuarius iiſdem ferè verbis quibus Dioſcorides, Alypum deſcripſerit, ſubiunxeritq; huius ſemen atrã bilem per inferna ducere, credidêre quidam Alypum ab Alypia differre, quæ non atram bilem, sed pituitam vacuet. Verùm is aliam radicibus, quas Turpeti nomine donauit, aliam ſemini Alypi, ſiue Alypiæ vim ineſſe intellexit, neque tamen hanc ab illo differre: quod confirmat Paulus his verbis. Alypi ſemen infernè atram purgare bilem, pari Epithymi menſura, cum ſale, & aceto dictum eſt: inteſtina verò, ſi fidẽ Dioſcoridi damus, leuiter exulcerat. Eſt autem meo iudicio quæ nunc Alypias vocatur. Meſues ſcribit Turbith radicem eſſe herbæ lactariæ, foliis Ferulæ. Serapio Tripolium Dioſcoridi Turbith appellat. Quare difficile eſt quæ'nam ſit hodie planta, quę verum Dioſcoridis Alypum dici queat, decernere. Matthiolus plantam hîc pictam à Luca Ghino Piſis ad ſe miſſam pro Alypo fuiſſe ſcribit, ſed pingendo deprauatã fuiſſe, ait Pena.

Forma.

Li. 4. ca. 173.
Li. 5. meth.
Li. 27. ca. 4.
Li. 5. meth.
Lib. 7. ca. 4.
Li. 3. purg. cap. 2.
Cap. 330. ſimpl.
In cap. 173. lib. 4.

ALYPVM, Matthioli.



ALYPVM, Pena, Herba terribilis Narbonenſis.



hec figura eadē cum superiore pag. 1671.

ait Pena. Qui nullam habuit quæ æquè bene, imò vllo modo (præter Ferulas) Alypo congruat, siue lineamẽtis, siue efficacia purgandi, quàm frutex maritimus hîc depictus. Herbam terribilem vulgus Narbonensium appellat, de qua capite de Empetro diximus. Hanc Hippoglossi Valentini nomine depinxit Clusius, qui florentem vidit mense Februario & Martio in Bæticæ solitudinibus, & in regno Murciano, totóque Valentino. Bætici *Coronilla de froyles*, *& Siempre enxuta*, quòd semper arida & exsucca videatur, appellant: Murciani verò & Valentini *Segullada*, nonnulli Valentini professores Hippoglossum, quamuis nihil cum Hippoglossis Dioscoridis commune habeat, nisi quis fortè ob foliorum cũ Rusci foliis affinitatem sic d ctum putet. Quæ tamen in hoc frutice circa pediculum sunt oblongiora & angustiora: prætereà facultates sunt etiam dissimiles. Eidem Clusio Alypum esse non placet, cùm planè arida sit & exsucca planta. Cæterùm circũforaneos Bæticæ Medicos scribit eius decoctum propinare iis qui scabie Hispanica laborant, non sine fœlici, vt aiunt, successu. Est & hæc planta Ptarmica, & Coniza tertia quibusdam. Semen Alypi, Dioscoride auctore, purgat atram bilem, si mensura Epithymo pari cũm sale & aceto sumatur. Intestina tamen leuiter exulcerat. Plinio verò aluum soluit in aqua mulsa, addito sale modico. Minima potio drachmarum duarum, media quatuor, maxima sex. Ea purgatio datur è gallinaceo iure.

Li.4. c.173. *Vires.* Lib.27.c.4.

PYCNOCOMVM. *CAP. XXI.*

ΠΥΚΝΟΚΟΜΟΝ Græci, Latini quoque Pycnocomum vocant. Folia habet, vt scribit Dioscorides, Erucæ similia, sed aspera, crassa, & acriora, caulem quadrangulum, florem Ocymi, semẽ Marrhubij (πρασίε habent vulgata exemplaria, alia πράσε, id est, Porri, sicuti & Oribasius legit) radicem nigram, rotundam, pallidam, exigui mali figura, terram olentem. Nascitur in locis saxosis. Eadem breuiter Plinius tradit. Aluum soluit & Pycnocomum, Erucæ foliis crassioribus & rarioribus, (Hæc vox, rarioribus, Pycnocomi nomenclaturæ repugnat; sic enim a densa coma dictum videtur. Quare pro rarioribus repone acrioribus, veteri etiam codice, atque Dioscoride lectionem hanc confirmantibus) radice rotunda, lutei coloris, terram olente: caule quadrangulo, modico, tenui: flore Ocymi. Inuenitur in saxosis locis. Ex rei herbariæ scriptoribus nullum aut audiui, aut legi, qui Pycnocomum verum se nosse asseueret. Quod si quis diligens & industrius aliquando repererit, sciat ex Dioscoride & Plinio non contemnendas esse eius vires. Semen drachmæ pondere potum, inquit Dioscorides, vim habet grauia & tumultuosa insomnia faciendi. Cum polenta impositum tumores discutit, aculeos & spicula infixa extrahit. Sed & folia imposita tubercula & furunculos discutiunt. Radix aluum soluit, & bilem vacuat. Datur drachmarũ duarum pondere in aqua mulsa. Ex Dioscoride Plinius hæc videtur exscripsisse. Radix eius in aqua mulsa denariorum duûm pondere, & aluum, & bilem, & pituitam exinanit. Semẽ somnia tumultuosa facit, vna drachma in vino potum. Rursus, Passim & in quacunque parte, ac maximo incommodo nascuntur, qui furunculi vocantur, mortiferum aliquando malum confectis corporibus. Remedio sunt Pycnocomi folia trita cum polenta, si nondum caput fecerint. Et alio in loco, Spicula sagittarum extrahit Pycnocomi semen.

Nomina Li.4.c.169. *Forma.* Vide sub pag. 1456. *Locus.* Li.26.ca.8. *Vires.* Lib.26.c.8. Li.26. c.12.

EPITHYMVM. *CAP. XXII.*

QVOD Græcis ἐπίθυμον, Latinis quoque Epithymum dicitur, Arabibus *Epitimo*, Gallis *Teigne de Thym.* Epithymum scribit Dioscorides florem esse Thymi durioris, & Thymbræ similis. Habet capitula tenuia, leuia, & in eis caudiculas veluti capillamenta. Plinius magna ex parte

Nomina Vide Thym pag. 414. Li.4. c.172. *Forma.* Li.26.ca.8.

Dioſcoridi aſſentitur. Aluum, inquit, purgat Epithymum, qui eſt flos è Thymo Satureię ſimili. Differentia, quòd hic herbaceus eſt, alterius Thymi albus. Quidam Hippopheon vocant: ſtomacho inutilis, vomitiones mouet, ſed tormina & inflationes diſcutit. Sumitur & ecligmate ad pectoris vitia cũ melle, & aliquãdo Iride.

EPITHYMVM, Matthioli.



EPITHYMVM Græcorum & Arabum, Lobellij.



Aluum ſoluit à quatuor drachmis ad ſex, cum mellis exiguo, ſaliſq;, & aceti. Mox aliã de Epithymo ſubiungit opinionem. Quidam aliter Epithymum tradunt ſine radice naſci, tenuis ſimilitudine pili, rubens: ſiccari in vmbra, bibi ex aqua acetabuli parte dimidia, detrahere pituitam, bilémque. Meſues ſcribit Epithymũ

Lib.med. purg.c.16.

Thymo, Thymbræ, & cuidam ſpeciei Origani ſupercreſcere Caſſuthæ modo. Duplex id eſſe, Creticum, idemq́; præſtantius, præcipuè capitulis florulentis, ſubrufum, acre etiam, odoratu abſolutum, graue. Alterum Syriacum minus, rufum, ignobilius, vt etiam pallidum, & ſubcitrinum. Hæc Meſues. Epithymum Arabum, ſiue id quo hodie vtimur, nihil aliud eſt, quàm capillaceum quiddam inter ſeſe implicatum, ſine radice Thymo innaſcens, & ſeſe circũuoluens. Quare dubitauere pleriq;, Græcorúmne, an Arabum, ſiue noſtrum idem ſit, quod dixerit Dioſcorides florem eſſe Thymi durioris. At certè noſtrum, ſiue Arabum Epithymum, idem planè eſt cum Dioſcoridis Epithymo. Sed ſcire oportet, vt perſpicuè docet Pena, Thymum duplex eſſe. Vnum maius, foliis Thymbræ, aut Hyſſopi, cuius ſurculi capitulis ſpicatis Stœchadis ritu operti, floribus ex pallido purpuraſcentibus, atque numeroſa fibrarum coma implicantur, cuius vires præſtantiores. Hoc ex Syria Venetias aſportatur. Alterũ vulgare nigrum Plinij, Serpyllum zygis Dioſcoridis, in Narbonæ maritimis collibus puſillum naſcens: folio & flore Serpylli, rigidiore, paſsim etiam Epithymi cincinnis & capillamentis delicatiſsimis obuolutum. Dioſcorides prioris tantùm, ex quo prodit hæc fœtura meminit. Hoc nihil aliud eſt, quàm capitati floſculi, geminatíue, quibus aptantur caudiculæ capillamenti inſtar, coloris fuſci, vel rubelli nitentis. Floſculi interdum candidi, nonnunquam herbacei, Thymo verò vtrique purpuraſcunt. Altero Epithymo vulgari Thymo innaſcente vtimur: Syriacum enim rarius. Potum cum melle purgat per inferna pituitam & bilem atram. Priuatim prodeſt melancholicis & inflatis acetabuli menſura ad Drachmarum quatuor pondus cũ melle, ſale, & aceti modico.

Vires. Dioſc.li.4. cap.172.

Scribit

Scribit Galenus Epithymum Thymi facultatem habere, ad omnia efficacius: exsiccare & excalfacere in tertio gradu. Paulus, Epithymum laudatissimum esse remedium scribit inter ea, quæ atræ bili vacuandæ sunt: dari ipsius drachmas quinq; læuigatas ex lactis hemina. Li.6. simpl. Lib.7.ca.4.

CASSVTHA. CAP. XXIII.

RECENTIORIBVS Græcis χασσύθα dicitur, Latinis Cassytha, vel y, in v, transeunte Cassutha, Herbariis & Officinis hinc deflexa quadam pristini nominis vmbra Cuscuta, *Chassuth*, vel *Cuscuth*, Arabibus. *Nomina* Quidam, quòd Lino maximè sese obuoluat, Podagram Lini vocãt, & Anginam Lini, quòd quasi cõpedibus id cui insederit illiget, nec vinctum eo facilè possit extricari. Galli *Goutte*, vel *Agourre de lin* vocant, Germani *Filtzkraut*, vel *Flachszeiden*. De hac veteres Græci nihil, quod sciam, memoriæ prodiderunt. Plinius tamen de iis loquens, quæ in alia stirpe viuunt, sicut viscum, Est, inquit, & in Syria herba, quæ vocatur Cassytas, nõ tantũ arboribus, sed ipsis etiam spinis circumuoluens sese. Li.16.c.44. In cuius vulgatis codicibus Cassytas sine spiritu legitur, librariorum fortasse vitio Cassytas pro Cassythas scribentium. In quibusdam Cadytas habetur, non Cassytas. Quæ vox Cadytas etiam in Theophrasto reperitur, ex quibus ista mutuatus est Plinius: scribit enim, ἔτι δὲ τὸ συριακὸν βοτάνιον, ὁ καλούμενος καδύτας, καὶ δένδροις, καὶ ἀκάνθαις ἐμφύεται καὶ ἄλλοις τισί. Lib.2.caus. cap.23. Id est, & Syriaca illa herbula, quę Cadytas vocatur, arboribus & spinis, atque aliis quibusdam innascitur. Cassutha, vt depingit Ruellius, herbosis fruticibus adnascitur, eorum adminiculo fulta, radice nulla, sed velut ab alarum sinu prodeunte cirro capillamentóve miræ longitudinis, statim ab ortu ramulis sese circumuoluente: quæ iam velut clauiculis nixa, sensim proserpens herbarum fastigia scandit, & crebris voluminibus opere topiario per vertices rotata, comas herbarum complectitur, tam volubilis illi natura est. Lib.2.c.131. *Forma.* Foliis vidua cernitur: florem fundit album: semine quoque scatet tenui: cirri dilutiore rutilant purpura, nonnunquam ex rubro rufescunt, fidibus lyrarum crassitie pares.

CASSVTHA, Matthioli.



Non in terra, sed in herbis passim nascitur Cassytha, quas tam spisso sæpius irretit contextu, vt tectorij modo herbosum cespitem à sole vindicet. *Locus.* Nonnunquam cacuminibus impendens stirpes humi deturbat, propriámque parentem suis laqueis strangulat, aut continuò materni alimenti suctu perducit ad tabem. Hæc Ruellius. Sed vt de Epithymo & Epithymbra, ita & de Cassutha à multis meritò ambigitur, inquit Pena, suapténe adolescat radice, atque inde surrecta finitimis plãtis sese implicet, vnde alimentum vberius nacta, radiculæ illæ exarescãt. Qua de re ita decernit ille. Epithymo, Epithymbræ, atq; Cassuthę nascẽdi & rependi conditio par. Cassutha enim orta primùm & amplexata Vites Narbonenses, tam multis osculis per quandam quasi synastomosin earum succum populatur, & genium defraudat, vt radices sui muneris minùs iam necessarij oblitæ, feruore arescant & abrumpantur (non secùs ac Vrachi exarescunt fœtu exclu so, & mutato alimenti ductu) pendulis illis

capitulis & staminibus Cassythæ in Vitium aliarúmve stirpium amplexibus relictis, vbi ideò putantur enatæ. Sic à sese deprehēsum in vinetis & semine collecto & sato veram Cassutham prodiisse asserit. Eam in primo esse calfaciētium ordine,

Temper. & desiccantium secundo statuendum: quandam enim resipit amaritudinem.

Lib.2.c.131. *Vires.* Eiusdem vires ex Arabibus has Ruellius recenset. Abstergendi naturam obtinet, & cum quadam adstrictione roborandi facultate prædita est. Iocinoris impedimenta laxat, infarcti & obstructi lienis expedit vitia, venas pituitosis atque biliosis exonerat humoribus, pellit vrinam. Regio morbo subuenit, qui iocinoris obstructionibus contrahitur. Febribus iis auxiliatur, quæ pueros malè habent: sed vsu nimio stomachum sua adstrictione grauat: verùm noxa tollitur, si anisi modicum adiiciatur. Natura eius flauam bilem per aluū exigere, sed præsentiorem cum absinthio effectum præbet. Hæ quidem & Pœnorum & Arabum sententia facultates Cassuthæ tribuuntur, quæ vtique vires illius magis gliscere pollicētur, si parentis ingenium ei patrocinetur. Hinc est quòd hanc forsitan veteres Græci, quamuis triuialem, eo nomine subticuerunt, quòd natiuas suæ merito parentis dotes adsciuisset, è sinu cuius vernaculum ebibens humorem aleretur. Nam, vt testatum iidem Arabicæ factionis medici reliquerunt, si calidæ insidet herbæ, arborive, calidam sortietur facultatem, &, si incubuerit frigidæ, vim frigidam vendicabit. Hæc ex Ruellio. Lobellius etiam scribit Cassutham plantæ, cui innascitur, vires quodammodo referre. Ideò Cassutham è Lino à Practicis & Officinis præferri, quòd citra calorem minùs astringit, magis emollit, lenit, exterget, & ad euacuationem & discusionem præparat, iocinoris & lienis infarctus à bile & pituita leniendo reserat, vrinam ciet: ideò morbo regio medetur, febres tertianas, quartanas & pituitosas curat, vti Mesues auctor est, flauamq; bilem per aluum expurgat, sed efficaciùs absinthio addito. Epicnides, seu in Vrtica natæ magnam copiam se vidisse ait Lobellius in agro Sommerseti Angliæ, quæ vrinis potentiùs ciendis, & obstructionibus aperiendis est efficacior.

GLANS VNGVENTARIA. CAP. XXIIII.

Nomina BÁΛΑΝΟΣ μυρεψικὴ Græcis dicitur. Theophrasto Βάλανος simpliciter, Latinis Glans vnguentaria, Plinio eadem vocis significatione Myrobalanos, Arabibus *Habben*, seu *Ben*, Italis *Ghianda vnguentaria*, Hispanis *Auellana de la India*. Fructus effigies triquetra, vt scribit Pena, & Glandis, præsertim Fagi, æmula, huic generi nomen dedit: oleum verò, quod expresione emittit, Myrepsicæ, id est, vnguentariæ nomine à cæteris Glandibus distinxit, quòd eo vnguentarij plurimùm vtātur. Hanc Dioscorides sic descripsit.

βαλανος, s. glans. μυρου. i. unguentorum hinc μυροβαλανος glans unguentaria

Li.4.c.154. *Forma.* Balanus Myrepsica fructus est arboris Myricę similis, magnitudine nucis Auellanæ, cuius interior pars expressa veluti amygdalæ amaræ humorem emittit, quo

Locus. ad pretiosa vnguenta pro oleo vtuntur. Nascitur in Æthiopia, Ægypto, Arabia, & in Petra Iudææ. Præfertur quæ recens est, alba, plena, & quæ facilè delibratur. Theophrastus verò sic: ἡ δὲ βάλανος ἔχει μὲν τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τοῦ καρποῦ. φύλλον δὲ αὐτῇ παραπλήσιον τῷ τῆς μυῤῥίνης, πλὴν προμηκέστερον. ἔστι δὲ τὸ μὲν δένδρον εὐπελὲς μὲν καὶ εὐμέγεθες, οὐκ ἀφυὲς δὲ (Gaza legit, οὐκ ὀρθοφυὲς, vel εὐθυφυὲς) ἀλλὰ παρεστραμμένον. τοῦ καρποῦ δὲ τοῖς κελύφεσι χρῶνται οἱ μυρεψοὶ κόπτοντες: εὐῶδες γὰρ κατέχει: ὁ δὲ καρπὸς πρὸς αὐτὸ ἀχρεῖος. ἔστι δὲ τὸ μέγεθος, καὶ τὴν ὄψιν παραπλήσιος τῷ τῆς καππάρεως. ξύλον δὲ ἰσχυρὸν, καὶ εἰς ἄλλα τε χρήσιμον, καὶ εἰς τὰς ναυπηγίας. Id est, Balano à fructu nomē inditū. Foliū eius Myrto simile est, sed oblongius. Arbor est patula & ampla, non recta, sed distorta. Fructus corticibus contusis vtuntur vnguentarij: odorum enim suauitatem retinent: fructus ipse ad id inutilis est: magnitudine autē & aspectu Capparis fructui similis.

ſimilis. Materies valida, & cùm ad alia,tum ad nauigia vtilis. His verbis Theophraſtus declarat vnguentarios ſuis compoſitionibus addere ſolitos Balani corticem tuſum,pro ſtymmate,ſiue ſpiſſamento,conſeruandi odoris gratia,quem ad vſum nucleus eſt inutilis. Plinius de eadem hæc tradit. Myrobalanus Troglo- Li.12.ca.21.
dytis & Thebaidi,quæ Iudæam ab Ægypto diſterminat, communis eſt, naſcens vnguento,vt ipſo nomine apparet. Quo item indicatur & glandem eſſe arboris, Heliotropio,quã dicemus inter herbas,ſimili folio.Fructus magnitudine Auellanæ nucis. Ex his in Arabia naſcens Syriaca appellatur, & eſt candida. Contrà in Thebaide,nigra. Præfertur illa bonitate olei quod exprimitur, ſed copia Thebaica. Inter hæc Troglodytica viliſsima eſt.Sunt qui Æthiopicam iis præferãt,Glandem nigram, ac pinguem, nucleoq; gracili, ſed liquore qui exprimitur odoribus aptiori,naſcentem in campeſtribus:Ægyptiam pinguiorem eſſe, & craſsiori cortice,rubente:& quamuis in paludibus naſcatur, breuiorem ſiccioremq;. E diuerſo Arabicam viridem ac tenuiorem: & quoniam ſit mõtoſa,ſpiſsiorem.Longè autem optimam Petræam ex quo diximus oppido, nigro cortice, nucleo candido. Vnguentarij autem tantùm cortices premunt,Medici nucleos,tundentes, affuſa eis paulatim calida aqua. Vides in eiuſdem arboris & fructus delineatione auctorum veterum diſcordiam. Dioſcorides eam μυρεψικῆς, Theophraſtus μυῤῥίνης, Plinius Heliotropij folio eſſe ait. Cùm autem harum folia multùm à ſeſe diſtent, vt in horum aliquo mendum ſit neceſſe eſt. Fructum Dioſcorides nuci Ponticæ aſsimilat, Plinius magnitudine nucis Auellanæ eſſe ait, Theophraſtus fructui Capparis & magnitudine & ſpecie ſimilem. Dioſcorides ſcribit interiorem fructus partem tundi, & velut amaras amygdalas humorem reddere, cui aſſentitur Galenus,ſcribens carnis eius ſucco vnguentarios vti. Theophraſtus fructus corti- Li.6.ſimpl.
cibus contuſis eoſdem vti,fructum eſſe inutilem: Plinius vnguentarios cortices tantùm premere,ſed addidit medicos nucleos tundere. Meſues Balani Myrepſicæ Lib.med.
fructum alium magnum,alium paruum facit.Magnus,inquit, nucis Auellanæ eſt purg.c.12.
magnitudine,triangulus. Paruus verò ciceri ſimilis,malus: vterq; tamen medulla leni & vnctuoſa. Magnus eſt præſtantior, præſertim Syriacus. Cortice eſt albo, læui,tenui,medulla intus alba,leni,pingui. Paruus,ſi ex nigro albeſcit, & medulla eſt alba,leni,pingui,& recens,eſt innocentior. Nullus verò fructum hunc magis ad viuum expreſsit,atque Pena, quem & deſcripſit his ferè verbis.Siliqua eſt admodùm elegans, palmum longa,ex carinula bifori compacta,teres,rotunda, gracilis, biniſq; loculis ventricoſa, nempe ima ſupremáque ſui parte qua protuberat, glandem vnam vtroque loculo claudens: ſumma verò acuto ſtilo, roſtri inſtar, mucronem protendit,intus ſubrufo colore, foris pullo cinereóue,& ſecundùm longitudinem ſtriis rugíſq; exarata,coriacea tota, flexilis & corticoſa, inſipida,ſubadſtringens & ſicca.Hæc Pena. Glans vnguentaria,auctore Dioſcoride, trita,& drachmæ pondere cum poſca Li.4. c.154.
ſumpta, ſplenem liquat. Imponitur etiã ipſi cum Lolij *Vires.*
farina & aqua mulſa. Podagricis itidem. Cum aceto cocta deterit ſcabiem, lepram:cum nitro vitiligines,& cicatrices nigras. At cum vrina tollit lentigines, varos, maculas à ſole cotractas,faciei exanthemata. Vomitus mouet: aluum cum aqua mulſa ſoluit. Stomacho multùm aduerſatur. Oleum quod ex ipſa exprimitur, aluum ſoluit. Cortex eius magis adſtringit. τὸ δὲ ἐκκοπείσης καὶ ἐκθλιβείσης αὐτῆς

GLANDIS vnguentariæ ſiliqua cum fructu, Penæ.



ἐκπίεσμα, id est, interprete Cornario, Quod verò ex ipsa cõtusa & expressa superest retrimentum miscetur smegmatis aduersus scabritias, & prurigines idoneis. Alij ἐκπίεσμα succum verterunt, verùm tusæ, inquiunt, & expressæ. Superiorem conuersionem approbat Galenus, qui cùm de carnis succo dixisset, subiunxit, ἀπόθλιμμα ὑπόλοιπον, id est, reliquum quod ab expresione restat, idem quod Dioscoridis ἐκπίεσμα. Illius de hac tota re verba sunt. Balanus Myrepsica defertur ex Barbaria regione. Vtuntur vnguentarij carnis eius succo, qui facultate calidus est. Reliquiæ autem, vnde expressus est succus, terrestres, scilicet & duræ, vincentem habent qualitatem amaram. Sed & admista quædam est adstrictio. Quare extergentem simul & incidentem, contrahentémque & stipantem effectum habent. Itaq; ad ionctos, lentes, ephelin, & pruritum, deinde & ad psoram & lepram conueniunt. Verùm & lienes liquant, iecúrque indurescens. Quod si quis carnem eius drachmæ pondere cum melicrato bibat, medicamentum experietur vomitorium. Sæpe etiam per inferiora aluum largiùs subducit. Itaque cùm hoc medicamento vtimur ad viscerum expurgationem, & maximè iecoris, lienísque, ex oxycrato ipsum exhibemus. Gaudet verò maximè aceto ad actiones externas. Adeò enim efficax est, vt & psoras & lepras detergeat, & multò etiam magis quæ his sunt minora, lentes, vitiliginem, ionthos, ephelin, exanthemata, achoras, tum vlcerosa, & quæ crasi sunt succi omnia. Porrò cùm illinenda est lieni, præstat admistam esse farinarum quampiam exsiccantem, cuiusmodi est erui & lolij farina. Hæc Galenus. Mesuæ Glans Myrepsica maior calfacit initio ordinis tertij, siccat secundo. Humiditatem habet excrementosam & acrem, qua ventriculum subuertit, nauseam excitat, viscera conturbat. Pituitam crassam & lentam vomitu & deiectione purgat: quare confert colico affectui pituitoso, & flatulento sumptus, balano, clystere iniectus, cataplasmate ex ipsius medulla, hordei farina & melle appositus, & calore suo neruorum frigidis affectibus, spasmo, tetano, contractioni. Tumores quoque duros, strumas, nodos resoluit cum melle. Hepati autem aut lieni obstructo, vel durato cum farina lupinorum, & spica confert imposita. Ad hæc autem Glans minor, & eius oleum efficaciùs admouentur. Idem etiam auribus infusum tinnitui, sibilo, surditati auxiliatur: cicatrices fœdas, lentigines, alphos, & cætera cutis vitia emendat. Incîdit enim, tenuat, terget, expurgat, aperit obstructa. Parua Glans ad omnia est efficacior, molestè purgat, vires deijcit, sudorémque frigidum mouet. Ob id non vtenda etiam oleo, nisi emplastro, vnctione, cataplasmate. Glans ne ventriculo noceat, facit assatio. Ea enim humiditatem excrementosam & acrem horum symptomatum caussam coquit, & resoluit: túncque solùm deiectione purgat. Adiicitur præterea ipsi, præsertim coquendo, semen anisi & fœniculi. Hodie Officinis & Myropoliis, tum ad valetudinem, tum ad voluptatem ex Glande vnguentaria oleum exprimitur, vt nullo odore iucundum, ita nullo rancore, aut fœtore vnquam veterascens. Quare ad quamlibet odoris suauitatem ac vim, vt moschi, zibetti, ambari integram, ac vegetam tuendam, omnium oleorum id vnum aptissimum est, nullámque labem, aut sordem chirothecis, ac vestibus illinit.

Li. 6. simpl.

Temper.
Vires.

MYRO

MYROBALANI. CAP. XXV.

FRVCTVS cathartici, de quibus hîc agimus, veteribus Græcis Lati-
nísque fuere incogniti, præterquàm ex recentioribus Græcis Actua-
rio, ab Arabibus inuenti, & ad leuiores purgationes frequenter vsur-
pati, qui omnes generis nomine Auicennæ Dilegi, siue Delegi di- Li.2. c.457.
cuntur, & Serapioni Hatilig. Tametsi librariorum vitio Hatilig pro Delegi cor- *Nomina*
ruptè legi putat Garcias Histo. Aromat. Ind. auctor, quòd omnes Medici Arabes Lib.1. c.27.
illi affirmarint Myrobalanos omnes Delegi nuncupari. Has cùm viderent inter-
pretes quodammodo ad glandis formam accedere, impropriè Myrobalanos ver-
terunt, cùm pruna, quibus similia sunt, meliùs vertissent. Ad hæc cùm Myrobala-
ni vox Balanum myrepsicam significet, id est, glandem vnguentariam, perperàm
istis fructibus nomen id inditum, quòd vnguentis apti non sint. Sunt in vniuer- *Genera.*
sum quinque earum genera: flauæ seu luteæ, seu citrinæ, *Azfar* Arabibus dictæ.
Indicæ siue nigræ, *Asuar*: Quebulæ, *Quebulgi*: Bellericæ, *Belleregi*: & Emblicæ, *Embelgi*.
Emblicæ Seniticæ sunt Auicennæ, minutæ, & leuiores. Quod docet Serapio his Cap.107.
verbis. Myrobalani de Seni sunt ex speciebus Myrobalanorum: habent corticem simpl.
subtilem, quæ nota Emblicis conuenit. Mesues Myrobalanos citreas, nigras, cepu-
las eiusdem arboris fructus esse quibusdam videri ait, vt immaturi sint citreæ, ma-
turi nigræ. Cumq; arbor his auctoribus sit bifera, primi partus sunt citreæ & ni-
gręe, secundi verò cepulę: aliis diuersarum arborum fructus videri, idq; credi, quòd
eorum facultates & opera variant. Id confirmat Garcias auctor Histor. Aromat. Lib.1. c.27.
Indic. Falluntur, inquit, tam ij qui omnia Myrobalanorum genera in eadem ar-
bore nasci putant, quàm qui flaua & cepula tantùm Nam quinque sunt diuersa
arborum genera, &, quod magis mireris, in regionibus sexaginta aut centũ leucis
à sese distantibus nascuntur. Nonnulla in Goa & Batecala, alia in Malanor & Da-
bul. In toto regno Cambayę quatuor earum genera inueniuntur. Kebula verò in
Bisnager, Decam, Guzarate, & Bengala. Cęterùm, quę in Lusitaniam deportãtur,
magna ex parte collectę sunt in regione, quę est inter Dabul & Cambaya. Nam
experientia compertum habemus, eos fructus, quos regio Septentrioni vicinior
producit, minùs putredini obnoxios esse. Inuenio autem, inquit Garcias, apud eos
hæc Myrobalanorum genera, quorum vsus est in purgationibus leuibus, & sine
molestia. Primum, quod rotundum est, & bilem purgat, indigenę Arare vocant,
Medici, Aritiqui: nobis sunt flauę. Alterum genus, incolis Rezenuale: nostrę sunt
Indicæ, siue nigræ. Tertium genus, Gotim incolis nuncupatum, rotundum: nobis
Bellericæ. Chepulæ verò nostræ, quæ pituitam purgant, illis Aretca appellantur.
Hæc sunt quatuor Myrobalanorum genera, quæ illis sunt in vsu medico. Nam
quinto genere Anuale iis nuncupato, nobis Emblico dicto (tametsi apud eos re-
periatur) non vtuntur nisi in densandis coriis rhois coriariorũ vice, & atramen-
to conficiendo. Sunt tamen etiam nonnulli, qui iis viridibus vescuntur excitan-
dæ appetentiæ causa. Porrò Flauę teretes sunt: arbor Sorbi folia profert. Emblicę *Forma.*
arbor foliis est minutim incisis, Palmę magnitudine. Inda Myrobalanus octo-
gona est. Arbori folia Salicis similia. Bellericę arbor foliis est Lauri, sed pallidio-
ribus, & subcinericiis. Chebulæ magnæ sunt, & rotundæ, oblongiores tamen, cum
ad perfectam maturitatem peruenerunt, & angulosæ. Arboris folia Persicæ simi-
lia. Sunt autem singulæ arbores Pruni magnitudine, omnésque siluestres, & spon-
te nascentes, non domesticæ. Cùm autem gustu sint adstringente & acido, sorbo- *Temper.*
rum immaturorum modo, ex frigidorum & exsiccantium classe esse dixerim. Præ-
parationis modus apud Indos non inualuit, vtpote qui iis non vtantur purgatio- *Vsus &*
nis, sed adstrictionis tantùm gratia. Nam si purgari velint, eorũ decocto vtuntur, *Vires.*

MYROBALANI.



Li.5. meth.

MYROBOLANI EMBLICAE.



& maiori doſe quàm nos in Europa. Solent
autem iis ſaccharo conditis vti, magno ſucceſ-
ſu. Chebulorum autem maior eſt gloria. Con-
diuntur in Biſnager, Bengala, & Cambaya, fla-
uæ: Indicæ in Batecala, & Bengala. Ex iis, quod
iubere ſoleo, immaturis ſtillatitius liquor or-
ganis elicitur, quem poſt ſumptam aliquã cō-
ſeruam adſtringentem propino, & ſyrupo ad-
miſceo ſi quando opus eſt. Flauas & Bellericas
præſcribere ſoleo initio menſę, iis qui alui pro-
fluuio, aut ſtomachi relaxatione laborant: tali-
bus enim cōuenit huiuſcemodi cibus propter
adſtrictionem cum pauca aciditate coniunctã.
Prætereà immaturorum ſuccum in alui pro-
fluuiis admodùm efficacem eſſe expertus ſum.
Hactenus Garcias in Aromat. Indicorum Hi-
ſtoria. Actuarius de iis ita ſcripſit. Inter ea, quæ
perquàm modicè purgant, fructus quidam
noti & lignoſi cenſentur, qui è Syria & Ægy-
pto ad nos deferuntur: quorum alij Lutei, alij
Chepulæ, alij Migri nominantur, omnes com-
muni nomine Myrobalana nuncupati. Duæ
aut tres eorum drachmæ læuigatæ purgandi vim obtinent, & priuatim ſuperua-
cuum capitis humorem exhauriunt. At Lutei bilem flauam euacuant, pituitam
Cepulæ, atram bilem Nigræ. Cæterùm ventriculum, ac inteſtina ſua adſtrictione
confirmant, roborantq;. Torrefactæ Myrobalani ablutæq; plurimùm vis purga-
toriæ exuunt, ſed tenuiorum partium euadunt, exſiccantq; magis. Quare quibus
defluxio ad inferiora procumbens moleſta eſt, & inteſtina vlcerat, hæc aſſumi-
mus, quæ modicè humorem defluentem ſubducunt, & notatu dignum robur in-
teſtinis conciliant. Eandem & conſimilem facultatē obtinet, quod Empeliliz, &
quod Emplitzi barbara voce appellatur. Hæc Actuarius. Duo potiſsimùm Myro-
balanorum genera condîta ad nos deferuntur. Primum, Kebula ſiue Chepula, quę
pluris fit, omnium maxima, oblōga, puſilli Limonij, aut Perſici effigie, compacta,
calloſa, nigraq; carne, ſapore iuglandis condîtæ. Alterum Bellerica minor, rotun-
dior, tenerior edendo. Bellerico citrina ſimiliora facie, cute, nucleo oblongo &
pulpa, ſed fulua, vnde nomen. Inda nigra eſt, notiſsima de colore, nuclei expers,
callo penè lapideo. Hanc concolorem melancholicum humorem aptiùs educere
putant. Poſtremò Emblica, potiùs fragmenta, quàm integra pruna, quadantenus
triangula, Bellericis minora. Myrobalani, inquit Meſues, medicamenta ſunt be-
nigna. Tantū enim abeſt vt purgando vires deiiciant, vt etiã cor, vētriculum, he-
par, corpuſq; reliquū cōfirment, cogēdoq; in vnum roborēt: qua re vnica his in-
commodant, qui ſunt obſtructionibus obnoxij, has enim excitãt. Prætereà medi-
camentis acribus, & purgãdo exoluētibus, vt Scammonio, perfectè corrigēdis re-
ctè miſcētur: ſed huic præſertim citrinæ ſunt miſcēdæ. Id enim cōtraria tum ſub-
ſtãtia, tum qualitate frangit, & purgationem iuuat. Hæc & multò plura lege apud
Meſuem de Myrobalanis. Omnium effigies hac pictura expreſsit Lobellius, qui
de Emblicis & Bellericis hæc literis mãdauit. Emblicæ parùm refrigerãt, ſiccãt or-
dine primo, pituita etiam putri vētriculum purgãt, eumq; & cerebrū, neruos, cor,
hepar, & partes laxas cōſtringendo roborãt: ob id tremori cordis cōferunt, appe-
tentiam inuitãt, vomitum ſiſtunt, furorem & latratus bilis cohibent, vim animæ
rationalem

rationalem augent, calorem viſcerum inſigniorem, & inde natam ſitim extinguunt. Præſtantiores ſunt magnæ, carnis multæ, denſæ, graues, oſsium paruorum. Largiùs purgant, & rugis ventriculi minùs incommodant, ſi aqua in ſole macerentur, donec humectatæ tumefiant: poſteà expreſſæ mulſa biduo macerantur, igni lento coquuntur: vbi coctæ refrixerint, mellis albiſſimi parte quarta exceptæ reconduntur. Aromatibus, Cinnamomo, Xyloaloë, Cardamomo, Croco, Gallia, & ſimilibus nonnulli condiunt. Bellericæ etiam ſunt benignæ, & roborant: frigidæ primo gradu, ſiccæ ſecundo, cætera Emblicis viribus proximæ. Optimæ ſunt magnæ, multa & denſa carne, graues. Hæc Lobellius.

TAMARINDI. *CAP. XXVI.*

AEQVE ac Myrobalani veteribus Græcis incogniti fuere Tamarindi ab Arabib⁹ nominati, id eſt, Dactyli Indi, ſiue Palmulæ Indicę: Tamar enim illis dactylum ſignificat. Sed vt Myrobalanos, ita Tamarindos minùs aptè illi vocarunt: quoniam eorum arbor Palmæ ſimilis non eſt, nec ex Palmarum generibus, vt dicetur, niſi ad effigiem fructus reſpexerint, quæ dactylum ſiue digitum inflexum refert. Garcias in Aromat. Indicorum Hiſtoria tradit in Malauar *Puli*, in Guzarate *Ambili* nuncupari, eóque nomine reliquis Indiæ prouinciis notos eſſe. Arbor eſt, inquit, Fraxini, aut Iuglãdis, aut Caſtaneæ amplitudine, materie firma, non fungoſa: ramis foliis multis ornatis, & minutim inciſis, palmi magnitudine: fructu in arcus aut digiti incurui figuram efformato. Huius immaturi cortex viret, ſiccatus verò cinereus eſt, & facilè auellitur: nucleos intus continet ſatiuorum lupinorum magnitudine, quodammodo rotundos, ſed planos, colore furuos, læues, quibus abiectis pulpæ vſus eſt, quæ lenta eſt, & viſcida. Illud verò mirum & obſeruatione dignum tradit, quòd hic fructus in arbore adhuc pendens, noctu foliis ſeſe inuoluat vitandi frigoris cauſſa, interdiu verò ſeſe expediat, & è medio foliorum emergat. Acidus eſt dum viret, ea tamen aciditas ſuauitate non caret. Naſcuntur Tamarindi multis Indiæ locis, inquit idem Garcias. Sed qui locis montoſis, & ad Septentrionem verſis proueniunt, præferuntur, & diutius incorrupti manent: quales ſunt quos Cambaiete & Guzarate gignit. Idem Meſuen reprehendit quòd Tamarindos fecerit Palmæ ſilueſtris Indicæ fructum, cùm tota India Palmas non reperias, ſed eò deferuntur Palmæ fructus ex Arabia magna quantitate, eduntúrque ſiccæ, atque etiam in maſſam compreſſæ, abiectis oſſibus. Garcias vidiſſe ſe ait in Cambaya & Guzarate ſilueſtre quoddam Palmæ genus, ſed ſterile, & longè diuerſum à Tamarindifera arbore. Idem Serapionem etiam redarguit, quòd ſcripſerit ex auctoritate Abohaniſa Tamarindos in Cæſarea Aman prouenire: nullos enim in Cæſarea Aman, quæ eſt Syria, prouenire certũ eſſe ait Garcias, cùm à negotiatoribus ex India deferantur. Nonnulli, inquit ille, Tamarindos à ſaporis aciditate Oxyphœnicem vocant, quorum ſententiam nec probo, nec improbo. Sed quod Lacuna Commentariis in Dioſcoridem lib.1.cap.126. à Thebaicis palmulis non differre ſcribit, minimè probo, quemadmodùm nec quod eius arborem Palmæ ſilueſtris genus facit, foliis oblongis, & per extremum acutis. Tamarindorum iconem hîc poſitam Lobellio debemus. Quare quæ de iis etiam prodidit ſubiungenda. Tamarindorum ſemina recentia, inquit, Caſſiæ quadantenus ſimilia, ſed maiora & anguloſa quadrati piſi ritu, compreſſiora tamen è ſiliquis carnoſis, & multis fibrarum cirris implexis quàm Phaſeli noſtratis maioribus, quales in inſtructiſsimis Officinis Antuerpiæ proſtant (minimè è palmulis, aut eius generis fructibus, vt multi credidêre qui non viderunt) in horto ſata G. Drieſch, nobis perelegantes arbuſculas

Nomina

Lib.1.c.28.

Forma. Ambili apud Indos est Tamarindi

Locus.

Cap.348. ſimpl.

TAMARINDI folia, fructus, semina, Oxyphœnicum perperàm creditum, Lobellij.



sesquipalmares sæpe pepererunt, quæ hyemis rigoribus periere. Earum vnam pingendam curauit is scriptor, ex qua hanc expressimus, foliis vtrinque ex aduerso oppositis, ordine secundùm costæ aut pediculi longitudinem, Osmundæ filicis modo digestis, virentibus, & gustu acidis, quæ contrahuntur & claudūtur per imbres, etiam ad Solis occasum. De eorum facultatibus hæc ferè Mesues. Tamarindi dactyli Indici medicamentum excellens ac innocens, frigidum siccum ordine secundo (Exemplaria hîc mendosa esse censet Garcias, quia Tamarindi refrigerant & exsiccant ordine tertio.) Ob id humorum acrimoniam reprimit, bilem purgat, eiusq; & sanguinis feruorem furoremq; compescit, febres acutas lenitione egentes & icterum sanat: sitim ac omnem ventriculi hepatisque ardorem extinguit, vomitum sistit. Lobellius etiam refrigerare & exsiccare initio ordinis tertij scribit: picrocholis saluberrimos esse: infusione purgare biliosum humorem, & extinguere: pituitamq; incidere & attenuare, sitim delere. Refert Garcias se illis expurgatis plurimùm vti cum saccharo, ídque feliciori successu, quàm si syrupo acetoso vteretur: ægros eorum infusione purgare, vt Tamarindorū vnciæ quatuor aqua frigida, aut stillatitia intybi macerentur tribus horis, facta expressione eximantur, & modico saccharo inspergantur. Euacuant biliosum humorem pituitam incídunt, & attenuant. Indos sine molestia iis sese purgare cum oleo nucis Indicæ sumptis: medicos verò folia trita partibus erysipelate affectis imponere.

Lib. purg. cap.7.

Vires & Temper.

EVPHORBIVM, ANTEVPHORBIVM. CAP. XXVI.

Nomina

ΕΥΦΟΡΒΙΟΝ Græcis, Latinis etiam Euphorbium nominatur, Arabibus *Euforbium* & *Forbium*, Italis *Euforbio*, Hispanis *Alforuian*, Gallis *Euforbe*. Plinius herbam Euphorbiam nominauit, eius succum Euphorbium. Euphorbium, auctore Dioscoride, arbor est Libyca, Ferulæ specie, quæ in monte Atlante iuxta Mauritaniam nascitur, succo referta acerrimo, quem timentes incolæ ob eximium eius feruorem, ventres ouillos elotos arbori circumligant, & eminus caulem contis incídunt, statímque velut ex vase quodam multus succus in ventriculos effunditur, sed ex vulnere etiam humi spargitur. Sunt autem duo succi genera, vnum pellucidum velut sarcocolla, magnitudine erui: alterum in ventriculis vitreum, & compactum. Eligendum est translucens, & acre. Adulteratur sarcocolla & glutine admixtis. Sed non difficile experimentum gustu sumptum, quia vellicata semel lingua feruor diutius permanet, vt quicquid offeratur Euphorbium esse putetur. Eius inuentio tempore Iubæ Regis Libyæ cognita fuit. Eius rei locis aliquot meminit Plinius. Iuba Prolemæi pater, qui primus vtrique Mauritaniæ imperauit, studiorum claritate memorabilior etiam quàm regno, similia prodidit de Atlante: prætérque gigni ibi herbam Euphorbiam nomine, ab inuentore medico suo appellatam. Cuius la-

Lib.3. c.80.

Forma.

Lib.5. c.1.

ꝺteum ſuccum miris laudibus celebrat in claritate viſus, contráque ſerpentes & venena omnia priuatim dicato volumine. Et Euphorbiam è monte Atlante, vltráque Herculis columnas, in ipſo rerum naturæ defectu. Et rurſus, Inuenit & patrum noſtrorum ætate Rex Iuba quam appellauit Euphorbiam, medici ſui nomine & fratris Muſæ, à quo D. Auguſtum conſeruatum indicauimus. Sed Iubæ volumen quoque extat de ea herba, & clarum præconium. Inuenit eam in monte Atlante: ſpectatur foliis achantinis (Lege ex veteri codice & Dioſcoride, ſpecie Ferulæ, foliis, &c.) Vis tanta eſt, vt è longinquo ſuccus excipiatur: inciſæ conto ſubditur excipulum ventriculo hœdino. Humor lactis videtur effluere, ſiccatus cùm coiit thuris effigiem habet. Qui colligunt clariùs vident. Contra ſerpentes medetur, quacunque parte percuſſa, vertice inciſo, & medicamento addito. Hæc Plinius. Ex quibus perſpicuum eſt deprauatè in Dioſcoride legi, ἐν τῷ τμώλῳ Mauritaniæ, cùm Tmolus mons ſit Lydiæ in Aſia minori, rectéque Ruellium Atlantem legiſſe ex Plinio. Euphorbium plantam qui repreſentarit, nullus adhuc extitit, quod ſciam, præter Dodonæum, ex quo hanc expreſsimus. Natum fuiſſe ſcribit anno 1570. Bruxellæ in horto Io. Boiſot viri generoſiſsimi & doctiſsimi, à quo vnum terræ commiſſum folium in plura multiplicatum eſt, & radicem demiſit in obliquos ramulos diuaricatam. Ioannes Leo in Africæ hiſtoria, ex vno ſolo, vt ipſe nominat, fructu, vigintiquinque, aut triginta quandoq; prouenire ſcribit, è quibus maturis & vulneratis ſuccus effluit lacti ſimilis, qui lentorem contrahens concreſcit, & colligitur. Euphorbium iſtud, vt deſcribit Dodonæus, folia habet oblonga, craſſa, virentia, in rotunda ac terete figura anguloſa. Cucumerem ſatiuum referrent, ſi non anguli eminentiores, & albicantibus ſpinis plurimis duplici ferè ordine obſiderentur. Effluit ex his vulneratis liquor vehementer acris, & mordax, facilè concreſcens. Succus illitus, auctore Dioſcoride, vim habet ſuffuſiones diſcutiendi: potus tota die exurit: quare melli collyriíſque pro acrimoniæ ratione admiſcetur. Coxendicum doloribus prodeſt in odorifera potione hauſtus. Squamas oſſium eadem die eximit: verùm eo vtentes oportet linamentis aut ceratis communire carnem oſsibus circunſitam. Narrant quidam percuſſos à ſerpentibus nihil mali paſſuros, ſi inciſa oſſe tenus capitis cute, intritus ſuccus infundatur, & poſteà vulnus conſuatur. Euphorbium, inquit Galenus, causticæ ſiue vrentis & tenuium partium facultatis eſt, perinde ac alij multi ſucci. In his neque alibi, quod legerim, Dioſcorides, neque Galenus purgatricis facultatis Euphorbij meminere, quam Plinius non omiſit. Vettonica ſoluit aluum, &c. Item Euphorbium, vel Agaricum drachmis duabus cum ſale modico potum ex aqua, aut in mulſo obolis tribus. Fuſiùs eam explicarunt Aëtius & Actuarius. Euphorbium, inquiunt, pituitam, ſed potiùs aquas ſubducit: eſt autem acutiſsimum, & maxima ignea vi præditum. Quapropter colicis, & quibus venter frigidior eſt, exhibetur: alios vehementer conturbat, ſitímque maximè mouet. Quidpiam ex odoratis ſeminibus ei permiſcetur, & trium obolorum pondere ex aqua mulſa præbetur:

sed

EVPHORBIVM, *Dodonæi.*



Lib. 27. procem.
Lib. 25. c. 7.
In purgan. Histo.
Lib. 9.
Vires.
Lib. 3. c. 80.
Lib. 6. sim.
Lib. 26. c. 8.

ſed præſtat vt cum melle cocto in catapotia formetur. Meſues hanc & alias eius facultates recenſet his ferè verbis. Euphorbium igneum eſt, calidum ſiccum ordine quarto, omnium lacrymarum calidiſsimum, tenuiſsimum. Vrit, ruborem excitat, vlcerat, penetrat, terget. Tam valenter agit, vt præ anguſtia & labore ſyncopem & ſudorem frigidum accerſat. Purgat autem præter cætera pituitam craſſam & lentam, quantumuis impactam, etiam à neruis & iuncturis remotis, & profundis, ſumptum, ſed correctum. Idem ex oleo Leucoij lutei ſolutum affectibus neruorum frigidis, paralyſi, ſtupori, tremori, ſpaſmo, ſpaſmo cynico, nodis, illitu mirè conducit. Hepatis quoque & lienis tumoribus, & dolori ab intemperie frigida, & flatu, & ei, qui per iuncturas & partes alias turget, occurrit. Puluis eius ex aceto alphos valenter affrictus delet: idem ſternutamentum valentiſsimè ciet. Cum oleo de ſpica illitum occipiti, lethargicæ obliuioni prodeſt, aquas quoque vacuat. Ventriculo & hepati nocet ſua actionis vehementia: ob id minùs tenuiter eſt terendum, & miſcendum acrimoniam obtundentibus, calorem flammeum extinguentibus, lubricantibus, & horum omnium tanta copia, vt ſuperficies eius vndiquaque tegatur. Hæc Meſues. Sed difficile eſt Euphorbium, inquit Dodonæus, aliis ita vel inuoluere, vel permiſcere, vt non vrendi vim exerat. Nam & plurimo contemperatum oleo foris inunctum veſicas excitat, præſertim in corporibus mollioribus: quare tutius eſt intrò in corpus non admittere. Tunditur etiam non ſine moleſtia, niſi naribus diligenter obturatis ac munitis. Si quando enim acrimonia ad nares peruenerit, mox pruriginem, ſternutamentúmque excitat, deinde ardore ſummo copioſam pituitam ac muccum, tandem verò & ſanguinē elicit non ſine perpetuis lacrymis. Aduerſus hanc Euphorbij acrimoniam indigenis remedio fertur eſſe herba, quæ ab effectu, & contrariis Euphorbio facultatibus Anteuphorbij nomen accepit.

Lib purg. cap. 20.

ANTEVPHORBIVM, *Dodonæi.*



Forma. Hæc cauliculos emittit multos, rotundos, virentes, atq; circa eos folia, qualia Portulacæ. Radix multas habet propagines. Succo quoque prægnans eſt, ſed nequaquam acri, verùm lento & refrigerante, ardorem & acrimoniam Euphorbij retundēte.


Vires. Creuiſſe ait Dodonæus etiam in horto Boiſſoti, eodē quo Euphorbium anno, atque vna cum eodem periiſſe. An veteres de ea herba literis aliquid mandarint, nondum compertum. Videtur tamen Dodonæo ad Telephij ſpecies referri poſſe.

ALOE. CAP. XXVIII.

Nomina. MEDICAMENTORVM omnium vulgatiſsimum & præſtantiſsimum eſt, quod ἀλόη, tam herba quàm ſuccus eius Græcis dicitur, Latinis Aloë, Officinis Aloës, Gallis *Aloë & l'herbe du Perroquet*, à foliorum virore. Quia verò Aloë in maritimis naſci proditur, non abs re quis ſuſpicetur, inquit Pena, nomen illi factum à ſale, vel ſalo ſiue mari, cuius afflatu imprimis gaudet, fortè itidem & nonnihil ſalſedinis foris continet, vt cæteræ maritimæ.

ritimæ. Sunt etiam qui à craſsis foliis, & ſimilitudine, quā cum Semperuiuo habet, Semperuiuum marinum nominent: Dodonæus Semperuiuum amarum Columellæ. Græcorum quoque vulgus Aizoon hodie vocat, quia ſemper viret. Arabes, Perſæ, Turci, teſte Garcia in Aromat. Indicorum Hiſtoria, *Cebar*. Nam quòd *Laber* à Serapione vocatur (codex meus habet, *Saber*) interpretis errore, aut librariorum negligentia factum fuiſſe exiſtimat.

ALOE, Matthioli.



ALOE cum floribus, Matth.



Siquidem Arabicum exemplar *Cebar* habet, inquit: Guzarate verò & Decan incolæ *Areaa*, Canarini, qui maritimum hunc tractum habitant, *Catecomer*, Hiſpani *Acibar*, Luſitani *Azeure* appellant. Scillæ foliū habet Aloë, vt deſcribit Dioſcorides, craſſum, pingue, modicè latum, rotundum, repandumq́;. παρ' ἑκάτερα δὲ τὰ μέρη ἔχει ἐκ πλαγίων ἀκάνθια ἀραιῶς ἐξέχοντα, κολοβά: id eſt, ab vtraque parte habet ex obliquo ſpinulas rariùs eminentes, mutilas. Alij legunt, παρ' ἑκάτερα δὲ τὰ μέρη ἔχει τὰ φύλλα ἐκ πλαγίων ἀκανθώδη, ἀραιῶς ἐξέχοντα, κολοβά: id eſt, interprete Lacuna, folia ex obliquo vtrinque in ſpinas quaſdā retuſas longioribuſq; interuallis diſpoſitas deſinunt. Vel, vt vertit Fuchſius, folia vtrinq; gerunt ex obliquis aculeos raros & breues. Quæ Ruellius obſcuriùs & ex Plinij potiùs quàm ex Dioſcoridis ſenſu conuertit, folia vtrinque ex obliquo longioribus interuallis ſtriantur, & in ſpinulas deſinunt retuſas truncáſque. Quomodo autem Aloës folia ſtriata dici poſſint, mox dicemus. Caulem profert Antherico ſimilem, florem album, ſemen Aſphodelo ſimile. Graui eſt tota herba odore, & guſtu amariſsima, radice vna pali in terrā adacti ſpecie. Naſcitur copioſiſsima in India, præpinguis, vnde ſuccus quoque defertur. Prouenit etiam in Arabia, Aſiáque, & in maritimis aliquot locis, ac inſulis, velut in Andro, ſucco extrahendo non valde idonea, ſed ad glutinanda vulnera vtilis, ſi trita illis imponatur. Hæc ex Dioſcoride. Hódie pleriſque Europæ locis in hortis penſilibus feliciter, non ſecùs ac ſuis natalibus in ſabuleto depacta adoleſcit florétque. Scribit Garcias in Aromat. Indicorum Hiſtoria, Aloën plurimam naſci in Cambaya, Bengala, aliíſque multis locis. Cæterùm laudatiſſimam eſſe in Socotora, quæ inde ad Arabes Perſas, Turcos, deniq; per vniuerſam Europam defertur, eámque ob cauſam Aloën Socotorinam appellari. Diſtare autem Socotoram inſulam à freto maris Erythræi. 128. leucis: quare non minùs Arabicam quàm Aethiopicam dici poſſe, quòd altera parte freti Arabia terminetur, altera Aethiopia. Nec verò ſuccum ex Aloë extrahi

Lib. 3. c. 22. *Forma.*

Locus.

Lib. 1. c. 2.

In cap.23. lib.3. Diosc. trahi in quadam duntaxat Socotoræ vrbe, vt ſcribit Andr. Lacuna,ſed per totam
inſulam,quæ nullis vrbibus exculta eſt , verùm pagos duntaxat habet cum multis
gregibus:neque laterculis ad excipiendum ſuccum ſubſterni pauimentũ, vt idem
auctor eſt. Eſſe autem Socotorinam laudatiſſimam , non ſolùm vulgari fama,ſed
etiam à celebribus viris ſe accepiſſe aſſerit.Quin compertum ſe habere ait, Aloën
quidem pleriſque aliis Indiæ locis naſci, quæ cum Socotorina deferatur Adem, &
Gida,inde terreſtri itinere Cairum,poſteà Alexandriam : vel Ormus , deinde Ba-
ſora , poſteà Cairum & Alexandriam : facilè tamen dignoſci Socotorinam ab ea,
quæ in Cambaya,Bengala, aliiſque locis aduehitur, Socotorinæq́; quadruplo ma-
ius eſſe quàm eius quæ aliunde adfertur pretium.Inter reliquas autem notas Soco
torinam commendari,quòd ſolida ſit,& bene compacta:alterius verò partes non
poſſe perfectè coire,quòd ſuccus ex diuerſis plãtis collectus ſit. Quod verò Dioſ-
corides & Plinius ſcribunt laudatiſsimam ex India deferri, alij ex Alexandria aut
Arabia,non ſimpliciter id intelligendum eſt, ſed de ea quæ ex Socotora primùm
in Indiam delata eſt. Alexãdrinam autem quidam præferunt, quòd ſuperioribus
annis pleraque aromata Ormus deferrẽtur,deinde Baſora, Adem, Gida, inde ca-
melis Suez,quæ in extremo maris Erythræi ſita eſt,& Alexandriam ad Nili oſtiũ,
vnde Veneti petentes ea reliquæ Europæ communicabant : non autem quòd in
Alexandria fiat Aloë. Naſcitur verò nõ modò in maritimis,ſed etiam deſertis In-
diæ locis : eam enim ſe vbique vidiſſe ducentarum leucarum itinere terreſtri per
eas ſolitudines cõfecto.Hæc tradidit Garcias. Ex quibus intelligere licet quænam
ſit hodie Aloë Sucotrina,& vnde dicta,cui primum locum ſtatuit Meſues,& alij,
ſecundum Hepaticæ ſeu Perſicæ, tertium Armeniæ, quartum Arabicæ. Extat &
Lib.27.c.4. apud Plinium Aloës deſcriptio,ſed breuior,pręter hanc alia quædam habens,quæ
apud Dioſcoridẽ nõ leguntur. Aloë Scillæ ſimilitudinẽ habet,maior, & pinguio-
ribus foliis,ex obliquo ſtriata.Caulis eius tener,rubens medius,non diſsimilis An-
therico : radice vna,ſeu palo in terram demiſſa,graui odore,guſtu amara. Lauda-
tiſſima ex India affertur,ſed naſcitur & in Aſia:non tamen ea vtuntur,niſi ad vul-
nera recentibus foliis : mirificę enim conglutinat, vel ſucco. Ob id in turbinibus
cadorum eam ſerunt, vt Aizoon maius. Quidam & caulem ante maturitatem ſe-
minis incídunt ſucci gratia, aliqui & folia. Inuenitur & per ſe lacryma adhærens.
Ergo pauimentandum vbi ſata ſit cenſent vt lacryma non abſorbeatur. Fuere qui
traderent in Iudæa ſupra Hieroſolymam metallicam eius naturam : ſed nulla ma-
gis improba eſt,aut humidior.Erit ergo optima,pinguis ac nitida,rufi coloris,fria-
bilis,ac iocinoris modo coacta,facilè liqueſcens.Improbanda nigra & dura,areno
ſa quoque,quæ & guſtu intelligitur.Gummi adulteratur & acacia. Quod Dioſco-
rides dixit Aloën folio eſſe Scillę ſimili,craſſo,pingui,modicè lato,rotũdo,retror
ſus pando, ex vtraque parte , non anteriore aut poſteriore,ſed à lateribus ſpinulas
habere rariùs extantes,& mutilas. Plinius obſcuriùs dicit Aloën Scillæ ſimilitudi-
nem habere,maiorem,& pinguioribus foliis, ex obliquo ſtriatam, id eſt,lateribus
ex obliquo laciniatis,& veluti ſtriatis cum ſpinularum eminẽtiis:alioqui Aloës fo
lia neque parte aduerſa,neque auerſa ſunt ſtriata,neque in canaliculos excauata,vt
Lib.1.c.2. autopſia ipſa demonſtrat. In Aloë inueniri lacrymam per ſe adhærentem Plinius
ait, Garcias in Aromat. Indicorum hiſtoria ſcripſit nullum eius inueniri gummi
certum eſſe,ſed interdum aquam quandam viſcidam è foliis ſtillare,at neglectam
& nullius vſus.Idem miratur Plinium tradidiſſe Aloën metallicam ſupra Hieroſo-
lymam inueniri,qui non ſolùm Medicos Iudæos , verumetiã pharmacopœos qui
Hieroſolymorum incolas ſe eſſe aſſerebant , diligenter interrogarit de hoc Plinij
loco. Sed illi conſtanter negabant vnquam fuiſſe repertam huiuſcemodi Aloën
in tota Palęſtina.At Plinius id non affirmat,verùm fuiſſe inquit, qui id traderent.

Sed & Dioſcorides in præfatione totius operis falſum eſſe aſſerit quòd Niger dixerit Aloën foſſilem (metallicam Plinius dixit) in Iudæa naſci. Probat Dioſcorides Aloën ἡπατίζουσαν, id eſt, hepatis ſpeciem præſeferentē. Plinius iocinoris modo coactam dixit. Deinde adulterari gummi & acacia, quod & Dioſcorides ait. Adulterant ipſam gummi, quod deprehenditur guſtu, & amaritudine, & odore valido, & quòd non diſſoluitur ad minimum vſque fruſtum, dum digitis friatur. Quidam etiam acaciam admiſcent. Hac in re iis auctoribus fidem adhibendam non eſſe cenſet Garcias, quòd exigua ſit iis in regionibus gummi & acaciæ copia, imò nulla, quemadmodùm à viris fide dignis accepit. Præterea cùm nimia ſit illic Aloës quantitas, non adulteratur, ſed quia negligentiores ſunt incolæ in tollendis ſordibus, quas hic ſuccus ſecum trahit, aliàs alia purior, aliàs impurior videtur. Illud verò non negat, quin in alias regiones tranſlata, illic adulterari poſſit. Dioſcorides herbam Aloën guſtanti amariſſimam eſſe ſcripſit, Plinius guſtu amaram. Anton. Muſa negat amaram eſſe, Pena noſtræ inſignem amarorem non ineſſe ait, ne quidem recenti ex Hiſpaniis in Flandriam Angliámque delatæ, vbi tamen Aloë factitari dicitur. (In Exam. ſimpl.) Quinetiam ſuccum nondum ſolibus percoctum, vt brumæ tempore, minimùm amarum eſſe, ídque cæteris multo aqueo ſucco permixtis euenire, vt ignauiùs multo per initia ſapiant, deinde maturitatem adepta, perfectioris ſaporis formam acquirant. Sic lactuca menſtrua dulcis eſt, trimeſtris cùm florem & ſemen profert amara. Portulaca fatua initio, adulta acida. At Garcias Aloën herbam non amaram guſtu deprehendi miratur: nam ſæpe deguſtatam admodùm amaram ſe guſtaſſe aſſerit: quóque vicinior pars erat radici, eo amariorem illi viſam fuiſſe, extrema autem folia amarore carere viſa. Huius diuerſitatis cauſa eſt cælum ſolúmque: iis enim feruidioribus herba eiúſque ſuccus perfectiùs excoquuntur, & ſaporem ſuum, id eſt, amarorem contrahunt, quod nō niſi tempore euenit eidem herbæ ſuccóque in aliis regionibus minùs calidis prouenientibus. Aloës herbæ ſucci duo genera tradit Dioſcorides. Vnum arenoſum, (Lib. 3. c. 22.) quod puriſſimæ fæx eſſe videtur. Alterum quod iocinoris ſpeciem præſefert. Nec ſunt audiendi, inquit Garcias, qui ſuccum ex ſuperiori parte plantæ profluentem eo, qui media aut infima parte profluat, præſtantiorem putant: nam omnis ſuccus bonus eſt, & arena caret, ſi adhibita diligentia extrahatur. Hodie Sucotrinam Officinæ vocant, cui prima laus. Eius ſingulas libras ducato emunt Venetiis, ſi limpida & lucida ſit, ex rubro flaueſcens. Quæ verò Officinis hepatica dicitur, vbiuis infimi pretij eſt, arenoſa verò & purioris fæx, iiſdem Caballina vocatur. Nunc de Aloës facultatibus tum ex veteribus, tum ex recentioribus dicendum. (*Vires & Temper.*) Aloë, id eſt, herbæ ſuccus, vim habet adſtringentem, auctore Dioſcoride, ſomniferam (ὑπνωτικὴν quidam codices Græci non habent) ſiccantem, denſantem corpora, aluum ſoluentem. (Lib. 3. c. 22.) Stomachum expurgat duorum cochleariorum menſura pota in aqua frigida, aut tepida. Sanguinis reiectiones cohibet, & morbum regium purgat trium obolorum aut drachmæ vnius pondere pota cum aqua. Deuorata cum reſina, aut cum aqua, aut melle decocto excepta, aluum ſoluit. At trium drachmarum pondere ſumpta, perfectè purgat. Mixta aliis purgatoriis medicamētis, ſtomacho minùs noxia ea reddit. Siccata & inſperſa vulnera glutinat, & vlcera ad cicatricem perducit, compeſcitq́;. Priuatim verò exulceratis genitalibus medetur, & rupta infantium præputia agglutinat (ἐπαγώγια παίδων præputia vocat, eo quòd glandi inducantur.) Condylomata rimáſque ſedis cum paſſo ſanat (Alij codices habent σὺν γλυκεῖ οἴνῳ, id eſt, cum dulci vino.) Sanguinis eruptiones ex hæmorrhoidibus factas ſiſtit: & digitorum reduuias ad cicatricem perducit. Liuores & ſugillata cū melle delet. Lippitudines ſcabras, & angulorum in oculis prurigines lenit. Dolorem capitis ſedat, temporibus & fronti ex aceto cum roſaceo inuncta. Capillos

fluentes cum vino compeſcit. Tonſillis,gingiuis,& omnibus in ore affectionibus ex vino & melle prodeſt. Ad ocularia medicamenta torretur in teſta pura ac candente,ligulâque ſubinde verſatur, donec æqualiter torreatur. Lauatur,vt quod eſt arenoſiſſimum ſubſidat velut inutile, & leue ac pinguiſſimum aſſumatur. Plinius Lib.27.c.4. eadem ferè tradit.Natura eius ſpiſſare,denſare, & leuiter calefacere. Vſus in multis, ſed principalis aluum ſoluere, cùm penè ſola medicamentorum quæ id præſtent confirmet etiam ſtomachum, adeò non infeſtet vlla vi contraria. Bibitur drachma:ad ſtomachi verò diſſolutionem,in duobus ciathis aquæ tepidæ, vel frigidæ, cochlearis menſura, bis térve in die ex interuallis,vt res exigit. Purgationis etiam cauſa plurimùm tribus drachmis.Efficacior,ſi pota ea ſumatur cibus. Capillum fluentem continet cum vino auſtero , capite in Sole contra capillum perunƈto. Dolorem capitis ſedat temporibus & fronti impoſita ex aceto & roſaceo, dilutiórque infuſa. Oculorum vitia omnia ſanari ea conuenit , priuatim prurigines & ſcabiem genarum : item inſignita ac liuida , illita cum melle maximè Pontico.Tonſillas,gingiuas, & omnia oris vlcera. Sanguinis excreationes, ſi modicæ ſint,drachmæ pondere ex aqua:ſi minùs,ex aceto pota Vulnerum quoque ſanguinem,& vndecunque fluentem ſiſtit per ſe,vel ex aceto. Aliàs etiam eſt vulneribus vtiliſſima,ad cicatricem perducens.Eadem inſpargitur exulceratis genitalibus virorum,condylomatis rimíſque ſedis aliàs ex vino, aliàs ex paſſo, aliàs ſicca per ſe, vt exigit curatio,mitiganda ac coërcenda.Hæmorrhoidum quoque abundantiam leniter ſiſtit : dyſenteriæ infunditur.Et ſi difficiliùs conquoquantur cibi,bibitur à cœna modico interuallo.In regio morbo tribus obolis ex aqua.Deuorantur & pilulæ cum mellis decoƈto, aut reſina terebinthina ad purganda interiora. Digitorum pterygia tollit. Oculorum medicamentis lauatur, vt quod ſit arenoſiſſimum ſubſidat. Aut torretur in teſta,pennáque ſubinde verſatur,vt poſſit æqualiter torreri.Quod Dioſcorides dixit,Aloën duorum cochleariorum menſura potam ſtomachum purgare μεθ' ὕδατος ψυχροῦ, ἢ γαλακτώδους , Plinius ait bibi ad diſſolutionem ſtomachi in duobus cyathis aquæ tepidæ,vel frigidæ,&c.vt aquam tepidam verterit τὸ γαλακτῶδες ὕδωρ, id eſt,aquam laƈtei teporis. Galenus de eadem ita diſLib.6.ſim. ſerit. Aloë herba non admodùm apud nos prouenit. Quæ in magna naſcitur Syria,lignoſior eſt, & facultatis imbecillioris : attamen vſque adeò deſiccare poteſt, vt vulnera conglutinet. At in regionibus calidioribus,qualis eſt Cœloſyria & Arabia,multò eſt melior. Optima verò Indica,cuius liquor eſt id quod ad nos importatur medicamentum cognominatum Aloë , ad plurimas res propter ſiccitatem morſus expertem vtile.Eſt autem non ſimplicis naturæ, ſed, vt indicio eſt guſtus, aſtringit ſimul,& amara eſt.Adſtringit quidem mediocriter,ſed vehementer amara eſt.Subducit & ventrem,vtputa ex eorum medicamẽtorum numero,quæ Græci ab excernendo ſtercore ἐκκοπρωτικὰ vocant. Itaque tertij eſt ordinis exſiccantium,calfacientium autem aut primi intenſi , aut ſecundi remiſſi. Verùm & ipſius facultatis miſturam atteſtantur particularia ipſius opera. Nam & gratum ſtomachó eſt medicamen, vt ſi quid aliud,& ſinus glutinat.Sanat & vlcera, quæ ægrè ad cicatricem duci poſſunt,& maximè quæ in ano ſunt & pudendo. Iuuat etiam eorum inflammationes aqua liquata,& vulnera ad eundem modum glutinat. Congruit ſimiliter vtenti ad inflammationes in ore, naribus,oculis.In ſumma repellere & diſcutere ſimul poteſt , cùm hoc vt parum extergeat, quantùm videlicet vlceribus puris non ſit moleſtum.Hæc Galenus. Hodie Aloës vſum eſſe non modò apud Arabes Turcáſque medicos , ſed etiam apud Indos in purgantibus medicamentis & collyriis teſtatur Garcias in Aromat. Indic. Hiſtoria,tum etiã vulneribus carne explendis : in quem vſum plerumque in ſuis Officinis medicamentum habent,cui nomen Mocebar,ex Aloë & Myrrha paratum : quo etiam plurimùm vtuntur

vtuntur in equis curandis, & vulnerum lumbricis enecandis. Medicum se vidisse ait magni Sultani Badur regis Cambaia, ipsa herba Aloë vtētem pro medicamento familiari, in hunc modum. Folia Aloës concisa cum sale coquebat, eius decocti vncias octo propinabat, quæ aluum sine molestia & nocumento subducebāt quater aut quinquies. In vrbe Goa Aloën probè tusam, & cum lacte mixtam propinant iis qui vlcere renum aut vesicæ laborant, vel qui purulentas excernunt vrinas, non sine magno successu, & ægrorum commodo: nam illico curantur. Eius vsus etiam aucupibus notus est, qui confracta auium crura ea conglutinant. Similiter in India maturandis phlegmonis idonea. Recentiores, & docti quidem viri, Arabes medicos insectati sunt, quòd affirmauerint Aloën venarum oscula adeò reserare, vt inde sanguis fluat, eámque ob causam hæmorroidibus non conuenire. Sed iis dudum responsum fuit, longa experientia compertum esse Aloën foris admotam ora venarum claudere, & sanguinem sistere, intrò verò sumptam, illis pręsertim qui hæmorrhoidibus vexantur, sanguinem attenuare, calfacere, deducere ad ora venarum, ipsáque adeò vasorum extrema reserare, quod & alij succi multi faciunt, vt Porri, Vrticæ, Myrrhæ, quāuis calidi & sicci. Siluius scribit Aloën calore & crassa substantia venas tum hepatis, tum hæmorrhoidas aperire: anastomatica enim esse maximè quidem calida, crassa, acria & mordacia, non minimùm tamen calida, & crassa, qualis est Aloë: foris verò admotam vasis sanguine fluentibus, ipsum sistere facultate sua adstrictoria, & va de sarcotica. Clusius Aloën à vulgari planè diuersam primus, quod sciam, ostendit. Eam & plures alias illi acceptas referre debemus. Multa illi sunt folia, inquit, hominis longitudine, saturatiùs virentia, læuia, inferiore parte trium aut quatuor digitorum transuersorum crassitudine, & valde lata mutuò sese amplectentia, vt in vulgari Aloë & Asphodelis, sensim verò in mucronem desinentia, qui nihil aliud est quàm spina nigricans, crassa, duos digitos transuersos interdum longa, & adeò firma, vt Americi pro subula vtantur, cuspidísque vice suis telis adaptent. Foliorum latera quæ tenuiora sunt, spinis eiusdem coloris horrent, sed breuioribus, basi latiore, & deorsum recuruis vt in Rhamno tertio, interiore parte fibrosa. Sunt hæc folia succi plena amari, & acris. Ex eorum medio caulem enasci intellexit Clusius (neque enim vidit) brachiali crassitudine, & breuioris lanceæ altitudine: radix est crassa, oblonga, incurua, & veluti internodiis distincta, è cuius geniculis ad latera adnascuntur aliæ plantæ. Primùm hanc plantam sibi demonstratam fuisse ait Clusius à D. Ioanne Placa Medico & professore Valentino, primo ab vrbe Valentia lapide in Monasterio D. Virgini sacro, cui cognomen de IESV. Posteà aliis etiam locis obseruauit. Erutam autem vidit omnium maxima radice in suburbanis Petri Alemani, duorum ferè cubitorum longitudine, ad cuius latera triginta ferè pumilæ plantæ enatæ erant,

In Mesu. cap. 1. lib. purg.

ALOE Americana, Clusij.



Aloë Americana.

Forma.

ex quibus detractas duas in Belgium detulit. Earum vna à Petro Coldebergio pharmacopœo sata Aloën produxit, ex qua iconem delineandam curauit, ne quis putet vulgaris Aloës esse. Viuax est, multósque annos durat, radice multipliciter sese propagans, cuius rei gratia, & propter spinarum rigiditatem Indi seu Americi circa agros serunt, ad eos communiendos, & fures arcendos. Valentini *fily Aguilla* vocabant, id est, filum & acum, quòd foliorum extremæ spinæ, acus, & fibræ interiores fili vicem præstent, Indi *Magney*, & *Metl*, nonnulli Hispani *Cardon*, ob aculeos. Magno in vsu est apud Indos, vt refert Gomara ad finem historiæ Mexicanæ, cuius verba, quòd integram huius plantæ historiam contineant, adscribere hîc libuit ex Clusio. *Metl* nonnullis *Magney*, aliis *Cardon*, arbor est duplici hominis statura, aut altiùs crescens, crassitudine coxæ hominis, parte inferiore crassior & densior, deinde sursum in pyramidem desinens vti Cupressus. Quadragena illi folia, tegularum propemodùm amplitudine, & eodem modo canaliculata, sede inferiore crassa, & in mucronem desinentia, lateribus tenuiora, & crassa spina mucronem occupante. Tanta circa Mexico copia nascitur, quanta apud nos vites. Profert spinam, florem, & semen. Ex ea ignem struunt, cuius cineres parando lixiuio idonei: truncus loco ligni est: folia tegularum aut imbricum. Eam cædere solent antequàm nimiũ adolescat: tum enim radix crasior fit, qua excauata liquor quidam colligitur, qui Serapij modo illic densatur: is aliquantulùm coctus mel fit, depuratus saccharum, dilutus acetũ, & addito Ocpatli (radix est, quam, ob eius præstantiam, Vini medicinam nominant) vinum, illis quidem in vsu, sed parum salubre: etenim caput ferit & inebriat: nullum autem cadauer, nulla impura sentina adeò fœtet, atque eorum anhelitus, qui eo vino inebriati fuerint. Ex huius germinibus & tenellis foliis fit conserua. Foliorum prunis assatorum succus recentibus vulneribus aut vlceribus instillatus, breui ea curat. Germinum & radicum succus, cum Absynthij illius regionis succo mixtus, viperarum morsibus vtiliter instillatur. Illius foliis paratur charta in vsum sacrificiorum & pictorum, & ex iis lini aut cannabis modo paratis fiunt Al pergates (calcei genus Hispanis admodùm familiare, ex funiculis contextum.) storeæ, chlamydes, cingula, funes: denique illis sunt cannabinum filum. Horum foliorum cuspides seu spinæ adeò firmæ sunt & acutæ, vt illis acus aut subulæ vice sint, eos cum fibris extrahendo. Istis spinis sacerdotes illius regionis in sacrificiis se pungere solent: etenim cuspis non frangitur, & satis altè penetrat, exiguo facto foramine. Hactenus Gomara. Addunt quidam, Americanos Veneream luem hac planta curare solitos hoc modo. Eius fragmentum in minutas partes sectum, ollæ canthari aquæ capaci impositum, trium horarum spatio decoquebant, olla priùs luto obturata: eam deinde apud ægrum positam aperiebant: magna fumi copia inde exhalans multum sudorem excitabat. Aut folium huius plantæ prunis impositum assabant, cuius fumum æger excipiebat: sed adeò vehementes sudores inde excitabantur, adeóque vires collabebantur, vt vix æger ferre posset, tametsi triduo duntaxat vteretur. Ex eorumdem foliorum fibris reticula contexuntur, & indusia conficiuntur. Hæc Clusius.

RHABARBARVM. CAP. XXIX.

Vide Phytop. pag. 1016.

APVD Arabes & recentiores duæ radices peregrinæ Rha nomine designantur. Quæ res atque vtriusque stirpis ignoratio fecit, vt plerique, num eiusdem plantæ radices essent, ambigerent. Verùm rerum inspectio atque accurata collatio totam litem diremit, docuitq; Rhaponticum à Rhabarbaro plurimùm discrepare. Primùm Rhabarbari priscis incogniti historiam perscribemus. *Locus.* Nascitur id in montibus Singui ciuitati Indiæ propinquis, quę à frequentissima & ditissima ciuitate omnium, quarum extat memoria, Quinsai quatuor dierum itinere distat. Vtraque verò regionis amplissimę, & in multa regna diuisæ, quam Mangi vocant, ditionis est. Singui terræ ciuitatem indigenarum lingua significat, Quinsai verò cæli. Quod illinc Rhabarbarum adfertur, Indicum nuncupant. Id autem perpaucum est, tum quia ipsæmet gentes id consumunt, tum quia pauci mercatores, cum quibus sunt cõmercia, eò vsque penetrant, tum quia minore sumptu & periculo ex Armenię ciuitate, quam Tauris nominant, (Terua ptolemæi quidam esse arbitrantur, alij Arsamoten Plinij) aduehitur. Gignitur & in Prouincia Scythiæ orientalis Tartarorum Imperatori subdita, quam Tanguth vocant, in montibus oppidis Campion & Succuir vicinis (Succuir Sarangas à Plinio dici quidam suspicantur.) A' Tauris, quæ Armeniæ maioris caput est, ad eas vrbes iter patet centum & octoginta dierum, his stationibus. A' Tauris ad Sultaniam ex ruinis Tigranocertæ ædificatã sex diebus peruenitur. A' Sultania ad Casibin (Cosiæos esse aiunt) quatuor. A' Casibi ad Veremi, sex. A' Veremi ad Eri Arianorũ caput, vt quidã volunt, quindecim. Ab Eri ad Bachora (in Chorasmiis siue Choraxiis oppidum id est, Chorasam prouinciã vocant. Sunt qui Berdrigeos Plinij esse credunt, alij Bactrianos) viginti. A' Bachora ad Sarmacand (Margianæ caput nonnulli esse autumant, alij Sogdianorum) quinque. A' Sarmacand ad Cascar (Commanos Plinij quidam esse volunt, alij Aracosios) viginti quinque. A' Cascar ad Acsu (Atasini sunt Plinij quorundam iudicio) per desertas ac vastas solitudines, viginti. Ab Acsu ad Cuchia, viginti. A' Cuchia ad Cialis oppidum, decem. A' Cialis ad Turfon (fortasse Tagas esse Plinij non malè quidam opinati sunt) decem. A' Turfon ad Camul, quod iam prouincia Tanguth continetur, tredecim Hucusque Machometum colunt, ideò Musulmani dicti. A' Camul ad Succuir quindecim. A' Succuir ad Ganta, Gandaros Plinio nonnullorum opinione dictos, quinque. A' Ganta ad Campion, sex. Itineris spatia viatores & mercatores parasangis metiuntur, quas adhuc farsing vocant veteri nomine, sed corrupto. Via facili, nec montibus impedita, nec solitudinibus homines iumentáque siti ac fame necantibus intercepta, octo parasangas, id est, 24. miliaria Italica conficiunt singulis diebus. Nam parasanga tribus miliaribus Italicis proportione respondet. *Nomina* Campionenses ac Succuirini Rhabarbarum sua lingua *Rauend Cini* vocant, quod non rectè quidam nunc *Raued Seni*, nunc *Raued Sceni* appellant. Cuius nominis proprietas controuersiam dirimet inter medicos nostri seculi agitatam, cur ita vocetur, contendentibus aliis Sinicum nominatum esse à Sinis extremæ Indiæ populis, aliis Scenicum, vel Sceniticum à Scenitis Arabiæ gente, aliis à Scenitis Parthorum natione, qui Ariæ & Margianæ montes habitant: quæ postrema sententia plus habuit ponderis quàm reliquæ duæ, cùm Arij, Margiani, Aracosij, & alij populi prouinciæ Tanguth Campionensibúsque finitimi communi vocabulo Cini & Maucini etiam hodie nominentur. An verò à Troglodytis Æthiopiæ, quos κατ᾽ ἐξοχὴν Barbaros nuncupasse videtur antiquitas, Rhabarbarum sit appellatum, facilè diiudicari potest. Nam Æthiopiam & eius Troglodytas Lusitanorũ nauigatio nobis patefecit, quibus in locis nec Rhabar-

barum prouenire, nec inde ad nos mitti cõpertum est. Quod verò in Ægyptum per sinum Arabicum camelis deportant, ex Armuzo, nunc Ormus, & Teredone, nunc Balzera, ad Euphratis ostia sitis, & aliis ciuitatibus Caramaniæ maritimæ mercatores aduehunt, in ea loca secundo Euphrate, id Barbarum potiùs nominatum crediderim, ab earum gentium immani feritate, quæ in montibus suis collectum ad nos transmittunt. Quondam enim totus is tractus desertorum vastitate, & tam longo itineris à nobis interuallo dissitus, vix solis nominibus cognitus fuit. M. Paulus Venetus viam, quæ è Carmania ad Tanguth ducit Sabinam, Timochaim veterum Arbelitin, in qua Darium Alexander vicit, Sapurgan, Balac, Thaicam, Scassem, Balaxiam, Bascia, Chesmur, Comaros Plinij, Vocham, Ocanos Plinij, Caschar distinctè tradidit. At verò Chagi Memet è regione Chilam ortus propè mare Caspium ex oppido Tabas, mercator summæ fidei, acutissimíque ingenij apud Succairinos & Campionenses emendi Rhabarbari causa aliquandiu commoratus, alteram viam suprà descriptam, qua è Terua Armeniæ eò proficiscuntur, rectam & compẽdiosam docuit: ex cuius narratione magnam horum partem nos sumpsisse ingenuè fatemur.

Rha Turcicum siue Ponticum.

Rha Turcicum Mesuæ idem esse cum Rhapontico Græcorum nemini dubium esse debet.

Locus.

Ad ripas fluminũ Rha, nunc Volga, Edel, Elatach, (tot enim nominibus appellant,) Borysthenis, nunc Neper, Tanais, nunc Tana, vel Don, id crescit, vt & Acorus. Turcæ, qui olim vltra Tanaim sedes habuere prope Sarmatas Zygos, nunc Circassos, in patentibus illis campis, in quibus nunc Tartari Harmatotrophi, siue Hamaxobij per Hordas, id est, turmas vagantur palantes & errabundi, Rhaponticum ad exteras nationes mittebant: vnde Turcicum cognominatum.

Forma.

Scribit Pena multis ab hinc annis Rha ex semine Turcico nonnullos habuisse in hortis Galliæ & Flandriæ quod magno studio cultum ibi viguit, foliis Personatæ, sed non perinde latis, longioribus, Helenij vel Verbasci, in ambitu serratis & fimbriatis, aduersa parte virentibus, auersa lanuginosis, caulem rectum sesquipedalem & cubitalem amplexis, capite fastigiatum, foris squamulis loricato, ac per maturitatem staminibus purpureis pleno, vt in Cynara, & Carduis purpureis, semine dum circa Iunium & Iulium maturuit, Centaurij maioris, vel Cartami, longiore: radix fungosior, maior, & Rhabarbaro similior quàm Cẽtaurio. Id pinxerunt Dodonæus & Lobellius. Huic capitato Rheo valde affine est, inquit Lobellius, quod ex Italico semine alunt horti quidam Belgici: sed folia angustiora multo, acuto Lapatho paria, auersa parte incana: caulis rectus, capite fastigiatus, squamulis loricato, ac staminibus purpureis Cynaræ aut Cardui cõcoloribus pleno: semen Cnici siluestris, cõpressum, ægre maturescit in Belgio: radix Centaurij maioris, fungosior. Hoc ex Lobellio pictum damus.

RHA CAPITATVM,
Helenij folio.



Sed ad Rhabarbari historiam reuertatur oratio. Succuir ampla & frequens est ciuitas, ædificiis ornata sumptuosis & magnificis, è latere constructis, augustissimísque superba delubris, ex saxo & marmore compositis. In planitie iacet, innumeris fluuij canalibus rigua. Quare omnibus rebus hominum vitæ necessariis abundat, serico

ſerico præſertim, quod illic plurimùm Mori nigræ foliis paſti bombyces nent. Vites quidem locus is, nempe frigidior, dedignatur. Vini loco potum zytho ſimilem adiecto melle incolæ parant. Cætera, illorum ager Malorum, Pyrorum, Armeniorum, Perſicorum, Melonum, Cucumerum fertiliſsimus eſt. Rhabarbarum vbiuis in ea prouincia gignitur, ſed præſtantiſsimum in quibuſdam montibus Succuir propinquis, editis, ſaxoſis, ſiluis diuerſiſsimarum arborum, opacis, fontes plurimos effundentibus, terra rubra, crebris pluuiis fontiumq́; ſcaturiginibus riguiſq́; ſemper lutoſa. Caulem ab radice profert viridem, palmi altitudine, quem Rhabarbarum.

RHAPONTICVM *alterum anguſtiore folio, Lobell.*



RHABARBARVM, *Matthioli.*



circundant folia multa, palmos duos longa, tamen pro ætate plantæ longiora, aut breuiora, ima parte anguſta, in ſumma latiora, rotundata, in terram inclinata, toto ambitu lanuginoſa, cum adoleſcunt viridia, cum ſeneſcunt flaueſcentia, & humi procũbentia. Ex medio foliorũ ſtipatu cauliculus, ſiue ſurculus prodit, flores ſuſtinens, hîc illic nullo ordine emergẽtes, ex candido purpuraſcẽtes, Violæ nigræ, ſiue Martiæ ſimiles, maiores, odoris validi, grauis & iniucundi. Radix ad duos tréſve palmos, terram ſubit, cortice fuſco obducta, craſsitudine diſpari; ſunt enim radices quædam tenuiores, quædam craſsiores, ſed nonnunquam tanta craſsitudine, vt ſuræ & coxæ hominis non cedant. Ex his fibræ multæ radiculæ've enaſcuntur, circumquaque per terram ſeſe ſpargentes. Planta è terra effoſa, (quod Hyeme fit, nimirùm ante Maij finem, cùm illis gentibus Ver incipit, quia tum priuſquàm exoriantur folia, ſucco introrſum reuocato plenior & habitior, ideoq́; facultate præſtantior radix turgeſcit) radiculæ primùm reſecantur & reiiciuntur, deinde radicis, velut truncus in fruſta conciditur, qualia videmus in Seplaſiis. Eſt autem intus lutea, venis diſtincta, colore rubro pulchrè nitentibus, ſucco luteo rubroq́; madida, quo manus inficit, ſic lento & glutinoſo, vt contactu facilè digitis inhæreſcat ſaporis tam amari, vt guſtari nequeat. Fruſta protinus radice diſſecta non appenduntur, vt ſicceſcãt: ſic enim luteus ſuccus totus efflueret, craſſaq́;, euanida,

& exhauſta radix, fieret facultate imbecillior, & bonitate inferior, ſed ſuper mẽſis
& tabulis diſpoſita, quotidie ter, aut quater inuertuntur, vt quod ſupernè eſt infer-
ne collocetur : hac enim ratione ſuccus non adimitur, ſed in radice veluti coactus
& concretus manet, radice niſi confeſtim ea diligentia adhibeatur, efferueſcente
ac inareſcente. Poſt quartum demum, aut ſextum diem pertuſa fruſta funiculis
adactis ligata ſuſpenduntur loco perflato, aëremq; liberè admittente, ſic tamen vt
ſolis radiis non feriantur. Hoc pacto exactis menſibus duobus ſiccatum Rhabar-
barum egregium reconditur. Ex ſeptem plauſtris recentis, cùm ſiccatum eſt, vix
reſtat quod equum oneret. Effoſſa per æſtatem radix foliis iam enatis, & adultis
velut immatura, nec ſucco luteo madet, vt quæ per Hyemem effoditur, & fungo-
ſa, rara, leuis, arida eſt, bonitateq; ab altera multùm ſuperatur. Qui in montoſa
pergunt, vt Rhabarbarum emant, quale effoſſum eſt, ſiue cũ foliis, ſiue abſque fo-
liis plauſtris imponunt, ac vehes ſingulas in plana deductas ſexdecim Saggiis ar-
genteis vendunt. Cuſæ autem monetæ nullus apud illos vſus: argentum & aurum
in virgas oblongas malleis ducunt, eas deinde in particulas ponderis vnius Sag-
gij diuidunt, qui valet argenteos ſolidos Venetos circiter viginti, aureus verò
nummum aureum cum dimidio. Id pro moneta eſt. Emptum mercatores, vt iam
dictum eſt, præparant. Id incolæ, quod admiratione dignum eſt, nullo in pretio
habent, ne effoſſuri quidem, niſi ab externis mercatoribus eò conuenientibus, &
depoſcentibus, pretio ſollicitarentur. Indi & Chinenſes mercatores maiorem
partem collecti, & præparati auferunt. Cataini ad purganda corpora, & alia me-
dicinæ remedia, id non vſurpant more noſtro, ſed eo tuſo, & cum aliis confectio-
nibus perquàm odoratis mixto, Deorum quos adorant ſimulacra & imagines ſuf-
fiunt. Multis in locis tanta eſt huius radicis copia, vt pro ligno ſiccatam vrant.
Quidam tam paruifaciunt, vt equis languentibus, & ægris aſsiduè comedendam
Mãbroni Cini radix. obiiciant. Longè pluris æſtimatur Catainis radicula Mambroni Cini vocata, cum
Rhabarbaro naſcens, ad varias ægritudines laudatiſsima, ob ídque nobiliſsima,
ſed ad oculorum morbos præcipuè. Nam ea in cote trita ex roſacea, & affuſa, ocu-
lorum dolor eueſtigio ſedatur. Ad nos eam non conuehunt, propterea quòd ſolo
nomine celebris, cætera ignota eſt. Apud Catainos in prouincia Chianfu herba
Chiai Catai herba. quoque naſcitur Chiai Catai nominata, vniuerſis eius regionis populis commen-
datiſsima. Foliorum & aridorum & virentium decocti cyathus vnus vel alter bi-
bitur quàm calidiſsimè bibi poteſt, aduerſus febres, dolores capitis, lateris, articu-
lorumq;, remedio inter alia efficaciſsimo, & ad alios pleroſq; morbos. Tardiorem
quoque ventriculi concoctionem decoctum id ſic iuuat, vt eius grauitati ob cru-
dum cibum contractæ facilè medeatur, & feliciorem, ac celeriorem concoctio-
nem præſtat. Ob has nimirùm dotes Catainornm quiſque hanc ſecum herbam
aliquo peregrinaturus geſtat, vt ſubitis eorum morborum cauſis occurrat. Tanta
ob id eſt huius plantæ dignitas, ac æſtimatio, vt Rhabarbaro plenum ſaccum eius
ſola vncia gens illa lubentiſsimè permutet, atque adeò iactitet Perſis, ac Francis ſi
ea planta innoteſcat, mercatores Rhabarbarum ampliùs non poſtulaturos. Adue-
nas non abſque periculo in montes Rhabarbari feraces conſcendere narrant le-
gendi gratia, niſi eius prouinciæ iumentis vehantur. Illic enim venenatam quan-
dam herbam naſci, qua guſtata veterinis vngulæ decidant : equos verò eorum
montium paſcuis aſſuetos exitioſam hanc plantam noſcere, nec attingere, alie-
Temper. nos verò carpere & appetere magno ſuo malo. Rhabarbarum calidum eſt & ſic-
Lib. purg. cap. 5. cum ordine ſecũdo potiùs quàm primo, auctore Meſue. Subſtãtia duplici conſtat,
vna aquea, terrea adſtringente, in corporis molẽ cõcreta, profunda, altera aërea &
ignea, à qua rarum efficitur, ſuperficiaria, quæ ſuam terream ſubſtantiam aduren-
Vires. do amaram efficit, ac purgatoriam, & obſtructa liberantem. Clemens eſt &
excellens

excellens medicamentum, multas dotes medicamento purganti maximè expetitas complexum. Huius ſubſtantiæ macerando ſeparantur, vt calida & purgatrix in humorem transferatur, terrea verò adſtringens remaneat. Bilem pituitámque illa vacuat, præcipuè à ventriculo & hepate, & inde ſanguinem purgat, obſtructiones liberat, & affectus inde natos, icterum, hydropem, ſplenis tumorem, febres putridas etiam diuturnas, dolorem hypochondriorum punctorium. Hæc inſuper hæmorrhagiam pulmonum, vel aliarum partium ſiſtit, ex caſu quoque aut ictu contuſa, rupta, fracta, interna & externa ſanat, ſi eius drachma vna cum mumiæ granis duobus, & Rubiæ tinctorũ grano vno & dimidio ex vino auſtero bibatur (mumiæ & Rubiæ non ita valentium medicamentorum menſura hîc eſt parcior, vt mendi ſuſpicio ſit, inquit Siluius, præſertim cùm Auicenna Rubiæ drachmam vnam Rhabarbaro addat.) Oleum quoque eius contuſis & confractis muſculis vtiliter illinitur: ſingultũ & dyſenteriam ſanat, præcipuè aſſum, & cum ſucco Plantaginis è vino auſtero potum. Innoxium eſt Rhabarbarum: omni tempore tutò datur: omni eſt ætati ſalubre, atque adeò pueris, & prægnantibus. Efficaciùs autem agit ſumptum ex ſero lactis, præſertim caprini, aqua quoq; Intybi, aut Apij, vel Plãtaginis cocta & colata maceratum, idq; omnino cum Spica nardi, actionem eius iuuante imprimis, expreſſumq;. Quòd ſi ad liberandas obſtructiones propinandum eſt, vini albi puri & odori modicum macerando admiſceatur, expreſſumq; eius tunc ſumatur, & cùm deterſione ac purgatione opus eſt. Quòd ſi poſt purgationem viſcera adſtringendo roborari volumus, puluis eius triti datur, ſi adſtrictio magis expetitur, aſſum datur, ſi maxima, vſtum.

AGARICVS. CAP. XXX.

AΓΑ'ΡΙΚΟΣ vel ἀγάελκον Græcis dicitur, qui Agaricus Latinis & Agaricum, Mauritanis *Garichum*, ſiue *Garicum*, Hiſpanis & Italis *Agarico*, Germanis *Dannenſchuuam*, quaſi fungus Pinorum, aut potiùs Abietum & Laricum, Gallis *Agaric*. Agaricum gentile nomen ſibi adſciuit, ab Agaria Sarmatiæ regione, in qua naſcitur, teſte Dioſcoride, vel ab Agaro, quem & vrbem, & amnem in Sarmatia vocari tradit Ptolemæus. Appianus Alexandrinus Agaros Scythicam gentem contra ſerpentium morſus adhiberi ſolitam refert: propter quod Mithridates eos apud ſe habuerit. *Nomina*

Agaricum ſcribit Dioſcorides radicem dici Silphio ſimilem, non ita denſa ſuperficie ſicuti Silphium, nam tota rara eſt. *Lib.3. ca.1.* *Forma.*

Duo eius genera. Vnum mas, alterum fœmina, quæ etiam præfertur, rectos venarum diſcurſus intus habens. Mas rotundus eſt, & vndique eadem ſubſtantia compactus, καὶ πανταχόθεν συμφυὲς, cuius videtur ſenſus eſſe accommodatior iudicio And. Lacunæ, atque vniformis vndique. Nam cùm dixiſſet Dioſcorides, Agarico fœminæ ineſſe quoſdam venarum diſcurſus rectos, aſsignat poſteà differentiam in maſculo, dicens ipſum eſſe rotundum, & per omnes partes ſui ſimilem, vniformem, atque eiuſdem ſubſtantiæ & naturæ: id quod inter alia συμφυὲς ſignificare ſolet. Huic interpretationi adſtipulatur Serapio, qui ſic vertit. Sed eſt tota eius ſubſtantia continua. Guſtus vtrique ſimilis, initio dulcis, mox cum ſaliua madet (εἶτα ἐξ ἀναδόσεως.) *Genera.*

Naſcitur in Agaria Sarmatiæ regione. Quidam plantæ radicem eſſe aiunt. Alij in truncis arborum ex putredine, veluti fungos, naſci tradunt. Prouenit etiam in Galatia Aſiæ, & Cilicia, in Cedris, ſed friabile & infirmum. Galliarum glandiferæ arbores Agaricum ferunt, inquit Plinius. Eſt autem fungus candidus odoratus, antidotis efficax, in ſummis arboribus naſcens, nocte relucens. Signum hoc eius, quo in tenebris decerpitur. Et alio in loco, Agaricum vt fungus naſcitur in arboribus, circa Boſphoron, colore *Locus.* *Lib.16. c.8.* *Lib.25 c.9.*

AGARICVS, Matth.



colore candido. Datur obolis quatuor con-
tritum cum binis cyathis aceti mulsi. Id
quod in Gallia nascitur, infirmius habetur.
(Alij codices habent Galatia pro Gallia. Et sa-
nè Dioscorides in Galatia Asiæ nasci dixit. Et
hodie in Gallia nasci certum est.) Prætereà mas
spisior amariórque. Hic & capitis dolores fa-
cit. Fœmina solutior, initio gustu dulcis, mox
in amaritudinem transit. Agaricus Galeno ra-
Li.purgan, cap.5. dix dicitur, quæ trunco innascitur. Mesuæ verò
Agaricus medicamentum efficax oritur in
truncis arborum magnarum, vetustate iam pu-
trescentium, & erosarum, tanquam earum vel
apostema, vel fungus. Est autem is duplex, mas
& fœmina. Mas est malus, præsertim qui lon-
gus, niger, durus, densus, grauis, & in fragmẽtis
ceu villos neruorum ostendit. Fœmina si rotũ-
dior, alba, porosa, & rara valde, & frangi faci-
lis, leuis, dulcis primo gustatu, mox amara &
styptica, est melior, præcipuè summa corporis
sui parte. Nam stipes, quòd ligni putrefacti ali-
quid præ se ferat, malus est, vt erosus Aga-
ricus. Hodie cùm seplasiis omnibus notisimus sit Agaricus, & quotidiano
vsu tritus, tamen Dioscoridi vix notum fuisse perspicuum est, vt qui radi-
cem dici Silphio similem scribat, deinde hæsitans subiungat, aliis radicem esse
plantæ, aliis fungum arborum truncis innascentem quadam putredine. Agaricum
igitur fungum esse certum est, qui præter arbores glandiferas nascitur, præcipuè
in Larice, in qua præstantisimum in Ananiensibus montibus se collegisse ait
Vires & Temper. Matthiolus. Vim habet calfaciendi & adstringendi, auctore Dioscoride, effica-
cem ad tormina, & ad cruditates, ruptáque, & casus. Duorum obolorum ponde-
Lib.3. ca.1. re datur non febricitantibus ex vino mulso, febricitantibus ex aqua mulsa. Datur
hepaticis, asthmaticis, in morbo regio, dyssentericis, nephriticis, in vrinæ difficul-
tate, in vteri strangulatu, & in vitiato colore, drachmæ pondere. Tabidis autem
cum passo, splenicis cum aceto mulso, stomachicis ita vt est manditur ac deuora-
tur sine vlla humoris sorbitione, similiter acidum ructantibus. Sistit sanguinis re-
iectiones trium obolorum pondere cum aqua sumptum. Facit ad coxendicum &
articulorum dolores & comitialem morbum, si pari pondere cum aceto mulso
sumatur. Ducit & menses: fœminis vteri inflatione vexatis vtiliter æquale pondus
datur. Rigorem soluit ante febrium accesiones datum. Aluum purgat drachmæ
vnius, aut duarum pondere potum cum aqua mulsa. Est lethalium medicamen-
torum antidotum, si cum diluta vini potione drachmæ vnius pondere sumatur.
Serpentum plagis ac morsibus trium obolorum pondere cum vino potum auxi-
liatur. In summa, internis omnibus vitiis conuenit pro viribus & ætate datum,
Li.6.simpl. aliis cum vino, aliis cum aqua, aliis cum aceto mulso, aliis cum aqua mulsa. Galenus
eius naturam sic declarat. Primùm gustui dulcem esse, sed paulò pòst amarum
apparere, & acrimoniæ quandam speciem temporis spatio inducere, leuiculæq;
adstrictionis, & consistentia esse laxa. Quare compositum esse ex substantia aërea,
& terrea, à caliditate extenuata, præterea minimùm habere essentiæ aqueæ. Hac
ratione & digerendi vim habere, & crasitudinem incidendi, tum infarctus visce-
rum expurgandi. Ob id regio morbo laborantes sanare, eos vtique qui sic ab in-
farctu

farctu iecoris laborant. Iuuat & comitiali morbo obnoxios eadem facultate. Tum rigores per circuitum recurrentes, ex crassis aut viscosis humoribus natos sanat. Iuuat & demorsos à bestiis frigore lædentibus, aut compunctos, tum foris in affecta parte impositum, tum intrò in corpus sumptum pondere drachmæ vnius cum vino diluto. Est & purgatorium. Hæc Galenus. Hodie Agarico siue simplici, siue in trochiscos coacto in purganda pituita vtimur. Nam, auctore Mesue, pituitam crassam, lentam, putrem, & bilem flauam & atram vacuat, à cerebro, neruis, musculis, sensuum instrumentis, spina dorsi, thorace, pulmone, ventriculo, hepate, liene, renibus, vtero, iuncturis. Ob id medicamentum familiæ à Democrito dictum est, quòd ad omnes partium internarum affectiones conferat: viscera reddit imbecilla: ob id tergentibus miscetur, ne in ea virtus eius altiùs penetret. Li. purgāt. cap. 3.

HIPOPHAES. *CAP. XXXI.*

VENIT & iis quæ lacteum succum fundunt Hippophaës annumerandum. Frutex (inquit Dioscorides) est φρυγανώδης, siue surculaceus, vndequaque densus & amplus: folia ei oblonga veluti Oleæ, angustiora tamen & teneriora: inter quæ spinæ siccæ & candicantes emicant, articulatæ, interstitio quodam distantes: flores Hederæ corymbos referunt, racematim cohærent, sed tamē minores mollésque, & ex albido partim rubentes: radix crassa & mollis, succi plena, gustu amara, ex qua veluti ex Thapsia succus colligitur. Anguillara radicem refert palmum esse longam vel maiorem, & ex hac fracta aut vulnerata succum manare tenuem, lacti concolorem, gustu amarissimum, odore grauem. In maritimis, ac sabulosis, vt Dioscorides scribit, nascitur. Anguillara arenosis & maritimis locis in Peloponneso à se repertum refert. Ἱππόφαὲς Græcis, Latinis quoque Hippophaës dicitur: à Plinio lib. 22. cap. 12. (nisi corrupta vox) Hippophyes. Hippophyes, ait, in sabulosis maritimisq; nascitur, spinis albis: Hederæ modo racemosa est, candidis & ex parte rubentibus acinis: radix succo madet, qui aut per se conditur, aut pistillis farinæ. Extant verò & inter nothas appellationes quædam huius nomina: vt, Hippophanes, Hippion, Echinion, Pelecinon, & Lappago, quæ tamen Aparinæ conuenit: nostra ætate ab indigenis Peloponnesi ἀκανθανὰ καθαείση, id est, Spina purgatoria vocatur. Ab Hippophaë differt Hippophęstum, quod tamen & Hippophaës aliqui (Dioscoride teste) appellant: à Plinio Hippope (nisi & hîc vitium) dicitur. Spinæ fulloniæ genus est, absque cauliculo, flore, aut fructu inanibus tantùm capitulis, foliis paruis spinosis, radicula molli & crassa, ex qua cum foliis & capitulis succus exprimitur. E Narbonensi Gallia, inquit Ruellius, Hippophæstum vidimus spinosis capitulis, sine flore, sine cauliculo, minutis inter aculeos foliis candicantibus. Debent (Plinio authore) Hippophaës & Hippophæstum accommodata esse equorum naturæ, neque ex alia causa nomen accepisse: quippe quædam animalium remediis nascuntur

HIPPOPHAES, Dodon. ex Cod. Cæsareo.



naſcuntur. Eſt verò Hippophaës, præſertim verò radix ipſius ac ſuccus, calidæ ſiccæq; facultatis, & ſimul valenter purgantis. Succus ſyncerus radicis huius pituitam, bilem, & aquoſos humores detrahit oboli pondere: cum farina verò ſubactus quatuor obolorum. Saluberrimè autem cum aqua mulſa exhibetur. In comitiali morbo, vt Plinius ait, vtiliſsimus. Frutex verò ipſe ſiccatus tunditur, tritúſque cum aqua mulſa exhibetur. Extrahitur quoq; ſuccus è radice, foliis & capitulo Hippophæſti, qui & ex aqua mulſa pituitam & aquam detrahit, & præcipuè comitialibus morbis, neruorum vitiis, & Orthophnœæ, vt Dioſcorides tradit, conuenit.

***

HISTOR

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM LIBER DECIMVS-SEPTIMVS,

In quo describuntur & ad viuum depinguntur Plantæ Venenatæ.

PAPAVER. CAP. I.

CATHARTICA, & quantitate & qualitate malefica, graues corpori noxas inuehunt, non solùm quæ deleteria, vt Thymelæa, Lathyris, Euphorbiũ, sed etiam quæ benigna vocitantur, nisi necessariæ conditiones obseruentur. Quare illis venenata ordine subiungenda, quæ principes corporis nostri partes, & virtutes ipsum gubernantes ita opprimunt, atque vincunt, vt necessariò mors consequatur. Vt igitur de Catharticis plantis libro superiore, ita hoc de Venenatis agemus, quas sceleratis, & qui ad hominum perniciem his abuti voluerint, ignorasse præstiterit: probis autem, & iis qui ad hominum salutem naturæ rerum arcana scrutantur, cognitu hæ sunt necessariæ, tum vt doceãt homines, ne ab iis imprudentes fallantur, aut si quando per imprudentiam harũ quampiam sumpserint, tunc quoque innoxiæ fiant, atque irritæ, tum vt iis succurrant, qui iam noxam sentiunt. His adde, quòd morbis quibusdam venena sunt salubria, malefica tamen vi eorum modis omnibus, vel saltem quibus nobis licet, fracta. Venenatas autem non omnes, quæ cognitæ sunt, hîc persequimur. Quasdã enim, vt Taxum, Nerium, Cicutam, Coriandrum, similitudine ducti in alias classes digessimus: sed plerasq;, & eas notiores, quale est Papauer, Græcis μήκων, Arabibus *Thaxthax*, & *Chascas*, Gallis *Pauot*, Italis *Papauero*, Germanis *Maysomen*, Hispanis *Dormidera*. Officinæ Papaueris nomen retinuerũt: μήκων quidem à μὴ κονεῖν, id est, à non operando dicitur, quia vincti papauereo sapore sensus stupefactaq; membra nihil queunt agere, vel παρὰ τὸ μῆκος, à proceritate, siue longitudine. Multa sunt Dioscoridi Papaueris genera. Vnum est Papauer Rhœas, Erraticum nuncupatum, de quo in Agro diximus. Alterum satiuum, μήκων ἥμερος, cuius vnum genus est hortense, μήκων κηπευτὴ, θυλακῖτις, semine albo: alterum siluestre, semine nigro: tertium magis siluestre, Arabibus *Seil*. Hortense vocat Dioscorides quòd in hortis frequentissimè seratur, cætera duo siluestria, non quòd nõ serantur. (Nam nõ solùm in hortis seruntur, sed etiam in campestribus, segetum & leguminum modo) sed quòd asperiora sint tum caulibus, tum capitibus, tum foliis, nec tam domestica, quàm hortensia. Præterea est μήκων κερατῖτις, id est, Papauer cornutum, siue corniculatum, Arabibus *Almacharam*, & μήκων ἀφρώδης, id est, Papauer spumeum.

Nomina

Vide Phytogr. pag. 30

Genera.

Lib.19. c.8. Plinius multa quoque fecit genera, sed non tam perspicuè distincta. Papaueris satiui tria genera, inquit: candidum, cuius semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur. Hoc & panis rustici crustæ inspergitur, affuso ouo inhærens, vbi inferiorem crustam Apium githq́; cereali sapore condiũt. Alterum genus est Papauer nigrum, cuius scapo inciso lacteus succus excipitur. Tertium genus Rhœam vocant Græci, &c. De reliquis generibus Papaueris alio in loco di-
Li.20. c.19. cit. Siluestrium vnum genus, Ceratitin vocant, nigrum, cubitali altitudine, radice crassa & corticosa, caliculo inflexo vt cornicula. Folia minora & tenuiora quàm cæteris siluestribus: semen exile, tempestiuum est messibus. Et paulò pòst. Alterũ è siluestribus genus Heracleum vocatur, ab aliis Aphron, foliis (si procul intuearis) speciem passerum repræsentantibus: radice in summa terræ cute: semine spumeo. Ex hoc lina splendorem trahunt æstate, &c. Tertium genus est Tithymalon,
Lib.9. hist. cap.13. Mecona vocant, alij Paralium, de quo alio iam diximus. Theophrastus etiam Papaueris siluestris genera annotauit, ex quo Plinius superiora mutuatus est. μήκωνες δὲ, inquit, εἰσὶν ἄγριαι πλείους. ἡ μὲν κερατῖτις καλουμένη, ἡ δὲ μέλαινα. ταύτης δ᾽ φύλλον ὡς φλόμου τῆς μελαίνης, ἧττον δὲ μέλαν. τοῦ δὲ καυλοῦ δ᾽ ὕψος, ὡς πηχυαῖον, ῥίζα δ᾽ βραχεῖα, καὶ ἐπιπόλαιος: ὁ δὲ καρπὸς καμπύλος ὥσπερ τῶν κεραΐων. συλλέγεται δὲ περὶ πυρολομίας. δύναται δὲ καθαίρειν κοιλίαν. δ᾽ δὲ φύλλον ἄργεμα προβάτοις ἀφαιρεῖ. φύεται δὲ παρὰ τὴν θάλατταν, οὗ ἂν ᾖ πετρώδη χωρία. ἑτέρα δὲ μήκων ῥοιὰς καλουμένη, παρομοία κιχωρείῳ τῷ ἀγρίῳ, διὸ καὶ ἐσθίεται. ἐν τοῖς ἀρουραίοις δὲ φύεται, μάλιστα ἐν ταῖς κριθαῖς, ἄνθος δὲ ἔχει ἐρυθρὸν, κωδίαν δ᾽ ὅσην ὄνυχα τοῦ δακτύλου. συλλέγεται δὲ πρὸ τοῦ θερισμοῦ τῶν κριθῶν, ἐγχλωροτέρα δὲ μᾶλλον. ᾧ τὰ καθαίρει δὲ κάτω. ἑτέρα δὲ μήκων ἡρακλεία καλεῖται, δ᾽ μὲν φύλλον ἔχουσα οἷον στρουθός. ᾧ τὰ ὀθόνια λευκαίνουσι. ῥίζαν δὲ λεπτὴν, ἐπιπόλαιον, τὸν δὲ καρπὸν λευκὸν. καθαίρει ἄνω ταύτης ἡ ῥίζα. χρῶνται δέ τινες πρὸς τοὺς ἐπιλήπτους ἐν μελικράτῳ. Id est, Papaueris siluestris multa sunt genera. Vnum Ceratitis, id est, Corniculatum vocatur, aliud nigrum, folium habens Verbasci nigri, sed minùs nigrum: caulem altitudine cubitali, radicem breuem, & per summa terræ sparsam: fructum inflexum veluti cornicula. Legitur circa messes. Aluum purgare potest. Folium argema ouibus adimit. Nascitur iuxta mare locis petrosis. Aliud Rhœas simile Intubo erratico: quare in cibi vsum venit. In aruis prouenit, potissimùm inter Hordea. Florem rubrum profert, calicem siue caput vnguis digiti magnitudine. Legitur ante Hordei messem, atque etiam viridius, purgat per inferna. Aliud est Papauer Heracleum, folio Radiculæ, quo lintea dealbãtur: radice alba, per summa terræ hærente: fructu albo. Radix purgat per inferna. Quidam aduersus comitialem morbum vtuntur in vino mulso. Quod hîc dixit Theophrastus Papauer Heracleum (alij vocant Aphron teste Plinio, Dioscorides ἀφρῶδες) folium habere Struthii, quod Struthiũ Dioscorides vocat, Latini Radiculam, siue Lanariam herbam, Plinius hoc ad passerem auiculã retulit, qui & ipse στρουθὸς appellatur, cùm tamen mox indicarit Theophrastus, de quo Strutho loquatur, nimirũ quo lintea dealbant. Plinius verò hæc non de Strutho, id est, Radicula herba intellexit, sed ad Papauer Heracleũ retulit, ex hoc lina splendorẽ trahere æstate

PAPAVER satiuum, Matthioli.



æſtate ſcribens. Papauer ſatiuum album caulem profert rectum, læuem, vnicum, *Forma.* ſed alis diuiſum, ternûm & quaternûm cubitorum, quem totũ folia ambiunt longa, lata, candida, Scariolæ hortenſis, aut Hyoſcyami nigri modo laciniata, tenera,

PAPAVER ſatiuum rubrum fimbriatum, Dalech.



ſuccum lacteum emittentia, qui effuſus vna, aut altera die pòſt flaueſcit: flores in ſummo caule vel candidos, vel leuiter purpureos, latioribus quaternis ſæpius foliis: deinde rotundum, magnum & oblongum caput, in quo ſemen albũ. Huius ſpecies quædã ſeritur in hortis flore ſpecioſiore, oris eius criſtatis, & fimbriatis, capitis etiam quæ operculo ineſt corolla, radiolis multis, argutioribus, & dentatim crenato ambitu. Cætera ſuperiori prorſus ſimilis. Papauer fimbriatum, & criſtatũ albũ, & nigrum Lobellius appellat. In calidarum & frigidarum regionum hortis ſatu maximus huius Papaueris prouectus, præſertim in agris maritimis, aut flatui maritimo obnoxiis, quibus impendiò delectatur. Eſt ille duplò maior, niueo candore nitens, & tantò pulchrior flos, quem horti Belgij in deliciis habent ad coronamenta: non ſanè aliûs generis à fimbriato albo, aut nigro ſatiuis, niſi florum inciſura & laciniis profundis, fœturã perelegantem ſortitur, quæ multipla ſerie maiores & confertiores, Roſarum dehiſcentium æmula gratia, viſum oblectantes, ipſis Maluæ hortẽſis pares floribus cernuntur. Color renidet albus, aut coccineus ſanguineus, aut niueo cãdore & rubore confuſus: interdum ora criſtata ex albo purpuraſcunt. Seminibus me donauit maximæ & optimæ ſpei non minùs peritus quàm nobilis Carolus de Croy princeps de Chimay, ſtudioſiſsimus, & ſummus ſtirpium admirator. Papauer ſatiuum nigrũ, caule & foliis albo proximum, flores promit venuſtos, rubros, vel colore ſanguineo ſaturo Pæoniæ, capita rotunda in quibus ſemen nigrum concluditur, vnde nigrum cognominatur. Satiuũ iſtud etiam horti alunt, capitibus ſuperiori ſatiuo albo tam ſimilibus, vt non niſi è ſemine nigricante diffractis illis agnoſcant pharmacopœi ipſi qui ſeuerint. Eius pictura ex Dodonæi Hiſtoria ſtirpium hîc *Lib.3.c.80.* exhibetur. Officinis Papauer nigrum magnum dicitur, indoctis Papauer rubrũ à florũ colore, à Lobellio Papauer ſpontaneũ ſilueſtre, & hor- *In Appẽd.* tenſe, ſemine interdum albo, interdum nigro. Hîc etiam appinximus Papauer nigrum ſatiuũ, flore Maluæ hortenſis, aut Pæoniæ Penæ, & Lobellij, cuius ſeminis tutior eſt vſus in ſyrupo de Papauere, quàm Papaueris nigri ſpontanei,

PAPAVER fimbriatum, & criſtatum, album, & nigrum. Lobell.



PAPAVER siluestre, siue nigrum, Dodonæi.



In Histor. purgant.

de quo mox. Quẽadmodum autem albi satiui, ita huius nigri satiui differens quædam species est, quæ florum folia multũ fimbriata, & rubro colore nitentia gerit: item capitulorum corollas cristatas, alioqui nec colore, nec magnitudine distat. Præterea inter superius album, inquit Pena, & rubrum indoctis nominatum, etiam quoddam est Officinis notum, quod nulla re discrepat, nisi paruis foraminibus patulis in suprema capitis parte, vnde elabitur semen. Papauer patulũ vocant Pena & Lobellius. Dodonæo Papauer satiuum tertium est, caule, foliis, floribus & capitulo minus. Flos ex cæruleo, ac purpureo obsoletum, ac dilutũ quendam colorem refert: capitulum quoque rotundum habet, sed maturato semine foraminibus aliquot, qua parte operculum ipsi insidet, in circulũ hiat, facilè defluenti semini viam præbens: quod aliis duobus non contingit, quorum ita clausi permanẽt calices, vt nullum inde semen elabi possit. Hæc Dodonæus. Papauer spontaneum hortense, & siluestre, Penæ, & Lobellij, in hortis prouenit, foliis minoribus, floribus dilutè rubẽtibus, obsoleto aspectu: capitulis triplo minoribus, numerosis: semine interdum nigro, interdum albo, quandoque hiantibus osculis, quandoque occlusis & cohibentibus semen, quod parum gratum & probatum habetur, præsertim nigrum. Quare vt virosius reiiciendum, & satiui nigri primi semine vtendum. Ex Papauere albo &

PAPAVER nigrum satiuum flore Maluæ hortẽsis, aut Pæoniæ, Pen. & Lob.



PAPAVER spontaneum siluestre & hortense, Pen. & Lobell.



nigro vtroque lacryma,ſeu liquor gummoſus,tum ſponte,tum ex vulnere manat
quem Gręci κατ' ἐξοχὴν ὀπὸν, & ὄπιον vocarunt. Eius colligendi ratio hæc à Dioſco- Li.4.ca.60.
ride traditur. Cùm ros in eo exaruerit,cultello ſtellam circũſcribere oportet, ita
vt ad interna vſque non perforet:à lateribus capitis in directum ſummã cutẽ in-
cidere,exeuntem lacrymam digito in concham deradere,& non multò pòſt redi-
re:inuenitur enim concreta,& ſequenti die ſicca.Oportet autem ipſam in morta-
rio terere,& in paſtillos coactam reponere. Præterea ex capitibus vnà cum foliis
tuſis,& prælo expreſsis ſuccũ colligunt, quo in mortario trito paſtillos effingunt. Meconiũ.
Meconium id appellatur,opio imbecillius. Quæ ſic declarat Plinius. E nigro Pa- Li.20. c.18.
pauere opos gignitur ſcapo inciſo (Sic habent vulgata exemplaria, tamen ca-
pite inciſo legendum videtur, vt caput incídi debeat, non ſcapus:ſequitur enim,
nec in alio genere ipſum inciditur caput, & ſic habet Dioſcorides)vt Diagoras
ſuadet,cùm turgeſcit:vt Iollas,cùm defloreſcit,hora diei ſereni,hoc eſt cùm flos in
eo exaruerit. Incídi iubent ſub capite,aut calice. Nec in alio genere ipſum incidi-
tur caput. Succus,& hic,& herbæ cuiuſcunque, lana excipitur, aut ſi exiguus eſt
vngue pollicis, vt lactucis,(Hermolaus legit,aut lactucis,legendũ tamẽ videtur ex
Dioſcor.aut conchis:ſuccũ enim εἰς μύακα deraſum excipere iubet) & poſtero die
quod magis inaruit. Papaueris verò largior,denſatur,& in paſtillos tritus in vm-
bra ſiccatur,non vi ſoporifera modò,verùm,ſi copioſior hauriatur,etiã mortifera
per ſomnum:Opion vocant. His Meconij parandi modum alium ſubiicit. Cùm
capita ipſa & folia decoquuntur,ſuccus is Meconium vocatur, multò Opio igna-
uior. Nunc Papauerum vires explicandæ. Papaueribus ſatiuis communis refrige-
randi vis eſt, vt tradit Dioſcorides. Quare folia & capita in aqua decocta fotu *Vires &*
ſomnum accerſunt. Bibitur & decoctum contra vigilias. Capita trita & cum po- *Temper.*
lenta cataplaſmatis mixta,eryſipelatis & inflammationibus proſunt. Oportet au- Lib.4.c.60.
tem viridia ipſa tundere,& in paſtillos cõformare,ſiccatoſq; reponere, ac vti. Ca-
pita per ſe etiam ad dimidias in aqua decocta, dein iterum cũ melle dum humor
denſetur,craſſeſcatq;,decocta,eclegma medicamentum efficiunt,dolorẽ mitigans
in tuſsi,& fluxionibus arteriæ, & cœliacis affectionibus. Efficacius hoc medica-
mentũ redditur adiecto Hypociſtidis ſucco,& acacia.Papaueris nigri ſemen tritũ
cum vino bibitur cõtra fluxiones alui,& fœminarũ profluuia.In peruigiliis fronti
ac temporibus cum aqua illinitur. Opium magis refrigerat,ſpiſſat,ſiccatq;, & me-
diocri quantitate ſumptum dolorem leuat,ſomnũ conciliat,concoquit.Tuſsi atq;
cœliacis affectibus auxiliatur. Maiori copia hauſtũ nocet,lethargicos efficiens, &
interimit. Ad dolores capitis cũ roſaceo perfuſum facit. Aurium doloribus cum
amygdalino, myrrha & croco inſtillatur. In oculorum inflãmationibus cũ toſto
oui luteo & croco.Eryſipelatis & vulneribus cum aceto:podagricis cũ lacte mu-
lieris & croco, ſedi pro balano ſubditũ ſomnũ allicit. Eraſiſtratus auctor eſt Dia-
goram vſum eius improbare in aurium dolore,& oculorum lippitudine,eo quòd
viſum hebetet,& ſoporem gignat. Andræas verò ait, ſi non adulteraretur, excæ-
cari eos qui ipſo illinerentur.Mneſidemus vſum duntaxat eius olfactãdi probauit,
qui ad ſomnum conciliandum conueniat. Quæ falſa eſſe experientia deprehẽdit,
quũ ipſi effectus viriũ huiuſce medicamenti fidẽ faciant. Hæc paulò aliter Plinius
refert.Diagoras & Eraſiſtratus in totum damnauere,vt mortiferum, infundi ve- Li.20. c.18.
tantes:præterea,quoniam viſui noceret. Addidit Andræas non protinus excæcari
eo,quoniam adulteraretur Alexandriæ. Sed poſteà vſus eius non improbatus eſt,
medicamento nobili quod Diacodion vocant. Deinde vſum medicum Plinius
præſcribit his verbis. Satiui albi calix ipſe teritur, & è vino bibitur ſomni cauſa. Ibidem.
Semẽ elephãtiis medetur.Et mox.Semine quoq; eius trito in paſtillos, è lacte vtũ-
tur ad ſomnũ:itẽ ad capitis dolores cũ roſaceo. Cũ hoc & auriũ dolori inſtillatur.

Podagris illinitur cũ lacte mulierũ.Sic & foliis ipſis vtuntur.Item ad ſacros ignes, & vulnera ex aceto. Ego tamen damnauerim collyriis addi, multoq; magis quas vocãt lexipyretas,quoſq; pepticas & cœliacas.Nigrum tamẽ cœliacis in vino datur. Satiuum omnino magis rotundat capita. At ſiluestri longum ac puſillũ,& ad omnes effectus valentius. Decoquitur & bibitur contra vigilias,eademq; aqua fouẽt ora.Ga-

PAPAVER cornutum, Matthioli.



Li.7.ſimpl. lenus,ſatiui Papaueris ſemen,inquit,mediocriter ſomnũ cõciliat,viſu candidum. Proinde pani ipſum inſpergunt,tum melle maceratũ edũt. Papauer nigrũ medicamentoſum eſt, admodũ refrigerans. Aliud nigrũ omniũ eſt medicatiſſimũ,tum ſemine,tum caliculis,tum foliis,tum ſucco. Validè enim refrigerat,ad ſtuporẽ vſque & mortẽ perducens:eſt enim ex quarto & vltimo refrigerantiũ ordine. Μήκων κερατῖτις, id eſt, Papauer corniculatũ, ab Oribaſio & Aëtio Paraliũ,ab aliis Papauer ſilueſtre, aut marinũ appellatum,ex Dioſcoridis deſcriptione folia habet alba, hirſuta, Verbaſco ſimilia, in ambitu

Li.4.ca.61. ſerrata ſilueſtris Papaueris modo : caulẽ ſimilẽ: florem pallidũ:fructum longũ,cornu modo inflexum,Fœnigræci fructui ſimilem,vnde nomẽ accepit:ſemen paruum, nigrum, Papaueris: radicem per ſumma terræ,craſſam , nigram. Naſcitur in maritimis & aſperis. Id in maritimis Senenſibus Craſſetano & Orbetellano agro,& circa Herculis portum in Argẽtario promontorio,itẽ Adriatici maris litore non longè à Timauo fonte, & Tergeſto , ſaxoſo litoris tractu copioſiſsimum prouenire ſcribit Matthiolus, atq; etiam in hortis & viridariis ſeri. Idem Cluſius & Dodonæus corniculatũ Papauer agno-

PAPAVERIS corniculati ſpecies, Dodonæi.



In Hiſtor. purgant. ſcunt,quod maius eſt, inquit Dodonæus. Reliqua Papauera candidis & ambitu infractis ac laciniosis foliis ſatis refert,non tamen læuibus, ſed nonnihil lanuginoſis, inſtar ferè foliorum Verbaſci : caules infirmiores breuioréſque in multas alas diuiduntur:flores ochri colore luteo pallent,quos excipit nõ capitulũ,ſed tenue, oblongũ,incuruumq; corniculũ,ſiue ſiliqua, in qua ſemen nigricans:radix ſubeſt lõga,craſsior. Præter iſtud vulgare corniculatũ Papauer, duo alia obſeruata ſunt à Cluſio & Dodonæo genera. Prius folio eſt Erucæ modo laciniato & altè inciſo,vulgari minore & tenuiore,neque adeò candicante,ſed hirſuto : caules interdũ vulgari non minores , teneriores tamẽ , & graciliores, interdũ inprocumbentes:flores etiã minores interdũ intenſo colore rubent,interdũ languidiore (præſertim in eo genere quod per omnia tenerius eſt &

PAPAVER corniculatum alterum, Clusij.



PAPAVER corniculatum violaceum, Dodon.



est & minus) nõnunquam etiam pallido sunt colore, mediis foliis ad phœniceum vergentibus: cornicula prælonga, quibus veluti opercula quædam insident latiuscula, in iis semen nigrum Papauere maius, radix oblonga, candicans. Nascitur in agro Salmanticẽsi iuxta vias & agrorum margines. Floret Iunio, semen Iulio profert. In Belgio satum nõ nisi Augusto & Septembri floret, interdum etiam seriùs. Minimè autem croceo succo turget, vt quidam putauere. Illud quod florem habet pallidum & phœniceum in Viennensi agro sponte nascitur inter Auenas, præsertim quæ secus vias satæ sunt. Alteri folia sunt multò maiora & teneriora, eáque minutim admodùm dissecta, neq; candicantia, sed viridia: cauliculi tenelli & subhirsuti: flos superiori non minor, cærulei ex purpureo coloris saturati, & nigræ Violę æmuli, fugax admodùm, & qui leuissima aura excutitur: huic succedunt cornicula digiti duntaxat longitudine, plærumq; etiam breuiore, exilia, duriuscula, rigidiúsque hirsuta, in quibus continetur semen exile admodùm, colore ex cæruleo nigricante: radix tenuis est & inutilis. Inuenitur in multis Hispaniæ locis, sed non nisi inter segetes, & Maio mense floret, in Belgio multò seriùs, & in totum multò minus ac tenerius. Hæc Clusius, qui istud postremum Papauer se collegisse ait in agro Narbonensi inter Auenas prope Latera oppidum, secus flumẽ Ledum, à Castellanis vocari *Rosetta*, à nonnullis *Amapolas moradas*, id est, Papauer flore violaceo, à succi mororum colore. Perperàm, inquit Lobellius, corniculata Anemone maior à Pena dicitur, cuius flos minùs bene expressus in Aduersariis. Corniculati Papaueris radix, vt tradit Dioscorides, in aqua decocta ad dimidias, & pota, vim habet coxendicum & hepatis affectus sanandi: prodest iis qui crassa quędam aut araneosa cum lotio reddunt. Semẽ acetabuli mensura cum aqua mulsa potum aluum leniter purgat. Flores & folia cum oleo imposita crustas emarginant: pecoribus illita argema & nubeculas repurgant. Postremus est μήκων ἀφρώδης, Papauer spumeum, aliis Heracleum, vt iam diximus, non perinde vt cætera notum. Caule est dodrantali, vt describit Diosco. foliis admodùm paruis, herbæ Lanariæ similibus,

Vires & Temper.

Papauer spumeum. Lib. 4. c. 62.

Forma.

fructu circa ipsa albo, sed & tota herba alba est, & spumea, radice alba, per summa terræ hærente. Huius fructus colligitur æstate cùm plenè maturuit, & siccatus decidit.

Vires. Purgat per vomitus, si acetabuli mensura cum aqua mulsa bibatur: quæ purgatio priuatim comitialibus prodest. Eadem sic breuiter tradit Galenus. *Lib. 7. sim.* Papauer cornutum vim habet incidendi & abstergendi. Itaque radix herbæ in aqua decocta ad dimidias hepaticos affectus adiuuat. Porrò folia & flores sordida admodùm & contumacia vlcera iuuant: sed ea reiicere oportet veteribus iam repurgatis. Nam tam validè abstergunt, vt puras carnes colliquent. Hoc virium robore non sordem duntaxat, sed & crustam vlceribus detrahit. Papauer Heracleum semen habet pituitam expurgans. Opio aut meconio largiùs epoto consequitur veternus cum perfrictione & prurituvehementi: itaque sæpe inualescente veneno, tanta erumpit prurigo, vt hominem excitet. Corpus id medicamentum olet. Remedio sunt post citatam oleo vomitionem acres clysteres, acetúmque mulsum cum sale potum, aut mel cum rosaceo calido. Merum cum absinthio aut cinnamomo copiosum, aut calidum per se acetum. Alia plura remedia tradunt Dioscorides & Auicennas. Corniculatum Papauer cibo & potu eadem inferre consueuit quæ opium, nec aliis expugnatur remediis.

ANEMONE. CAP. II.

Has duas Anemones figuras, quas Penæ diligentiæ nos debemus, propter floris similitudinem, qualis ferè in Papauere spectatur, Papaueris generibus adiecimus, quamuis suus locus esset inter Anemonas alibi descriptas & particulatim explicatas.

NOTISSIMAE verò apud Narbonenses duæ primo intuitu Papaueris Rhœadis florem ostentant, in cultis præsertim, quarum maior folia habet etiam Coriandri diuisura, sed Papaueris Rhœadis modo hirsuta, in caule pedali & sesquipedali: flores verò ex rubro in purpu-

ANEMONE maior Penæ corniculata.



ANEMONE minor, Penæ.



reum

reum violaceum deficiunt, quos perquàm tenellos Papaueris Rhœadis ritu vel lenissimus auræ appulsus celeriter aufert, remanente tereti hirsuto longiore corniculo, cornuti Papaueris non dissimili, sed minore & graciliore: quasi natura alludere voluisset isto descripto ad Papaueris cornuti siliquas, & altero ad Argemonæ glomerata capitula, in acutum fastigiata, non operculo munita, vt Papauera omnia sunt. Minor autem delicatiore caule non dissimili, minutiore folio & diuisura quàm Coriandri, valde quàm hirsutis & satis rigidis, hirsuta capitula, flore eleganti relinquente multò minora quadantenus similia Rhœadis Papaueris: semine nigro Hyoscyami: radice pusilla, superiori haud dispari, quibus si tuberculum adesset nullæ notæ deessent: ac si non sint Anemones, sanè vix sint vllæ priores aut illis, aut Argemonæ, aut non hæ putandæ sint, vel suspicandum capite de Anemone duo genera descripsisse Dioscoridem. Quorum vnum radice sit tuberosa, alterum nõ dissimili Rhœadi: quod videntur innuere verba initiò, deinde confirmare, vbi discrimen ponit Papaueris, Argemonæ & Anemones, huius tuberculi nulla interim facta mentione, cùm tamen maximè oportuit: quare fortè idem illi cõtigit, quod Drabæ radici, quæ alicubi tuberosa, aliubi plana & æquabilis visitur. Idcirco à Monspeliaceis Medicis veræ putantur, frequentésque inibi oriuntur in vinetis ac veruactis, præsertim iuxta prædium Præceptoris & harum seduli vestigatoris D. Assatij, qui cum aliis multis opinabatur illam Germanicam & recentiorem Anemonem, stellatis luteis Ranunculi floribus & semine, radice multis bulbulis tuberosis Bulbocastani donatã, speciẽ esse bulbosam Batrachij: nã tametsi eiusdem flores interdũ albidi aut purpurei sint, tamen nihil fermè habet tota quòd quadantenus præferat Papauer Rhœas: sunt enim folia Geracij columbini aut Ranunculi, cuius vrentem facultatem itidem habet: quapropter illuc nos referendum duxissemus, nisi à Galeno memorata Anemone luteo flore nos suspensos sententiæ de hac planta magis quàm certos retinuisset.

An Gal. Anemone lutea ib. 2. κατὰ τόπους eadem sit Germanicæ.

HYPECOVM. CAP. III.



QVOD Græci ὑπήκοον & ὑπόφεον, Latini quoque Hypecoum dicunt. Nascitur, inquit Dioscorides, in segetibus & aruis. Foliũ habet Rutæ simile, ramos paruos. Vim habet respondentem Papaueris succo. Plinius eadem planè tradit. Hypecoum in segetibus nascitur, foliis Rutę. Natura eius eadem quæ Papaueris succo. Galenus Hypecoum vim habere refrigerandi scribit, & ex tertio esse refrigerantium ordine, vt parum absit à Papauere. Herba hæc paucis aut nullis herbariis nota est. Eam tamen quæ hîc picta est pro genuino Hypecoo Matthiolus proposuit. In aruis prouenit, foliis Rutæ paulò maioribus, caulibus exiguis, mollibus, hirsutis, in quibus sunt flores, in luteum pallescentes, etsi prope calicem purpurei spectentur, in quorum medio flocculus erumpit, colore aurum æmulans, visu iucundus. Floribus succedunt capitula tenui inuolucro contecta, in quibus semen concluditur nigrum, asperum, Pseudomelanthio

thio proximum. At folia Rutæ huic esse αὐλοφία ipsa falsum esse demonstrat. Præterea viribus opij præditum non esse gustus docet: nam gustanti potus insipidum quiddam & ignauum linguæ relinquit, ab opij amarore horrido prorsus alienum. Qui explorarint gustu, humidum tantùm & calidum secundo ordine facilè dicent. Hæc fortasse altera est Argemone Tragi. Est Alcea peregrina Penæ & Lobelij, descripta in Horto cap. de Alcea.

HYOSCYAMVS. CAP. IIII.

Nomina

GRAECIS ὑοσκύαμος, Latinis Hyoscyamus, Apollinaris, Arabibus, Plinio teste, Altercum, siue Altercangenum dicitur, Arabibus Medicis *Bengi*, Officinis corrupta voce *Iusquiamus*, Gallis *Iusquiame* & *Hanebane*, Germanis *Bilsamkraut*, & simpliciter *Bisen*, Italis *Iusquiamo*, Hispanis *Velenho*. Hyoscyamum autem, id est, fabam porcinam Græci videntur appellasse, quòd Æliano auctore pastu huius herbæ conuellantur sues apríue, præsenti mortis periculo, nisi copiosa aqua statim se foris & intus proluerint: adeuntes aquas, non vt proluant se tantùm, verumetiam vt cancros venentur: eos enim nacti protinus sanitati restituuntur. Apollinarem verò Latini ab Apolline medicinæ inuentore dixerunt, vel quia opplet cerebrum viroso ac fœtido halitu, eoque mẽtem percellit, quasi Apollinis œstro: Altercum autem ab altercando, Scribonio teste, quia cum verborum altercatione rixáque se torquent Hyoscyamo de-

Li.4.c.64. *Genera.* mentati. Tres Hyoscyami differentias assignat Dioscorides. Vna flores fert subpurpureos, folia Smilaci similia, semen nigrum, cytinos duros ac spinosos. Altera flores luteos, folia & siliquas simpliciores (vulgati codices habent ἀπλώτερα, vetus & Oribasius ἁπαλώτερα, id est, teneriores) semen subflauum velut Irio. Tertia pinguis, tenera, lanuginosa, flores albos & semen album gignit. Nascitur in maritimis

Lib.25.c.4. & ruderibus. Plinius quatuor recenset genera, cùm secundum & quartum vnum & idẽ sit. Herculi eam quoq; adscribunt, quæ Apollinaris, apud Arabas Altercum siue Alterchãgenum, apud Græcos verò Hyoscyamus appellatur. Plura eius genera. Vnum nigro semine, floribus penè purpureis, spinosum. Talis nascitur in Galatia. Vulgare autem cãdidius est & fruticosius, altius Papauere. Tertij semen Irionis semini simile: & omnia insaniam gignunt, capitísque vertigines. Quartum genus molle, lanuginosum, pinguius cæteris, cãdidi seminis, in maritimis nascens. Hyoscya-

Lib.4.c.64. *Forma.* mus, vt describit Dioscorides, frutex est caules emittens crassos, folia lata, oblonga, incisa, nigra, hirsuta: per caulem deinceps flores prodeunt veluti mali Punici cytini, clypeolis septi, semine vt Papaueris plenis. Quod floribus hîc tribuitur, id seminis conceptaculo tribuendum videtur: hoc enim scutulis contegitur, & semen intus continet, non autem flores. Serapio id demonstrat de fructibus scribens, quod hîc de floribus, his verbis. Et super ramos eius in lateribus est fructus similis balaustiæ in figura sua sortitus super ramos ipsos æquedistantes per ordinem, super quem fructum est operculum simile

HYOSCYAMVS, Matth.



simile scuto, & ipse fructus est per ordinem, plenus semine simili semini Papaueris. Niger familiarissimus calidis & frigidis regionibus, vbiuis in Europa gignitur secus vias, locis sabulosis & incultis. Folia profert ampla, longa, lata, cinerea, mollia & flaccida, lanuginosa, laciniata & marginibus altiùs incisa, crassa, succulenta: caules crassos, cubitales & bicubitales, ramosos, quos flores continua serie digesti vestiunt, patentibus calathis similes, colore per margines subluteo, discurrentibus vnà purpurascentibus aliquot venis, in medio verò ex obscuriore purpura nigricãtes, quibus calices succedunt rotundi, oblongi, crassi, ventricosi, superiùs operculati, & aculeati, in quibus semina haud ita magna, colore pullo: radix crassa, prolixa albicat, erutu facilis, & ad anodyna multùm vtilis, minùs fœtens & obnoxia putredini, quàm reliqua planta, quæ grauis odoris est, caput grauans & somnolentiam inducens. Hunc Dodonæi, Penæ, Lobellij Hyoscyamũ nigrũ ex Matthio. pictũ damus, qui Hyoscyamum simpliciter vocat. Candidus rarior est: quare in hortis Galliæ & Belgij seritur & colitur. Is tamen in maritimis ruderibus asperis prouenit Narbonensis Galliæ, præsertim vbi Rhodanus in mare influit. Eadem propemodùm facie est & magnitudine qua niger: sed eius folia latiora sunt, rotundiora, molliora, hirsutiora, nonnihil quoque circumrosa ac sinuata, quamuis minùs: cauliculi breuiores: flores per cauliculos & in summitate candidi, minores, radices læues: calyces non spinosi: semen candidius. Hunc etiam scitè pictum dedit Matthiolus. Is nouam quandam plantã inter Hyoscyami genera à quibusdam numerari scribit, quæ caules edit sesquicubitales, rotundos, tenui obductos lanugine, ramosos: folia ampla, pinguia, tenui pilo referta, mollia, Solani somniferi speciem quandam referentia, odore graui: flores luteos Hyoscyami æmulos, è quibus capitula subrotunda oriuntur, qui quandam Hyoscyami speciem præseferunt: nam & similibus ferè scutulis concluduntur, coronato vndique orificio, & semine intus subflauo. Radice nititur alba, spithamæ longitudine, & digiti crassitudine, numerosis fibris. Hyoscyamum nigrum vocat, Dodonæus luteum, cuius caulis simplicior, inquit, folia indiuisa, minora, lata tamen & oblonga, Solani lethalis, maiora, candidiora, ac molliora: flores in cauliculorum fastigiis inconditi luteo pallentes colore, aliquantò minores quàm nigri, vascula ferè similia, sed minora, teneriora,

HYOSCYAMVS albus, Matthioli.



HYOSCYAMVS niger, Matth. Luteus, Dodon.



HYOSCYAMVS III.
Matthioli.



HYOSCYAMVS Peregrinus,
Dalechampij.



neriora,& ſpinis carentia, ſemen pallidius,ſub-
flauum,vt Irionis puſillum. Dubium Hyoſcya-
mum Pena & Lobellius appellant. Ego verò
plantam iſtam minimè ad Hyoſcyami genera
referendam eſſe cenſeo, cùm vtriuſque facul-
tates ex diametro pugnent: huius enim ſemen
eſt acre, folia acria admodùm, & manſa feruo-
rem ori diu inurentia,qui non niſi longo tem-
pore extingui poſſit, id quod caliditatem inſi-
gnem teſtatur. Ad Nicotianam propiùs acce-
Histo. purgant. dit, de qua in Peregrinis. Quare perperam à
Dodonæo Hyoſcyamum Peruuianum appel-
lari puto, nec eius generibus rectè adſcribi,
quòd in eius foliis inſignis acrimonia depre-
hendatur,qua digerunt, reſoluunt, diſcutiūt,vt
experientia compertum mihi eſt. Ea verò ca-
lidæ naturę, non ſtupefacientis ac frigidiſsimę
ſunt opera, qualis eſt Hyoſcyami. Plantam
aliam hîc depictam Herbarij quidam ad Hyo-
ſcyami,alij ad Solani ſpecies referunt.Herba ra-
ra eſt, & foliorum & fructus figura inſignis.In
vmbroſis & denſis Apennini ſiluis reperitur,
foliis oblongis, per ambitum ſinuoſis, venoſis,
ternis ferè ſimul ex interuallis per caulem pro-
deuntibus, teretem, digiti craſsitudine, ferè
cubitalem: fructu in caulium vertice rotundo,
exiguo malo ſimili, pruni magnitudine, ru-
beſcente,ſemine pleno.Vires & eius natura ad-
huc incogni ptæretioſiſsimæ ac elegantiſsimæ
picturæ genere (illuminationẽ vocarunt maio-
res noſtri (in vetuſti codicis manuſcripti mem-
branis, quæ multarum ſtirpium ita pictarum
imagines oſtendunt, hęc herba proponitur ru-
diùs expreſſa nomine tituloq; Apollinaris.Qui
deſcribit ita dictam notat ab Apollonio Philo-
ſopho, qui eam Platoni monſtrarit,eamq; Græ-
cis vocari Strygnion Malchion(Styrchnon Ma
nicon)& Dorigion (Doricnion.) Hyoſcyamus
Li.4.c.64. Vires & Temper. ſemine nigro, & is qui ſemine eſt ſubflauo, au-
ctore Dioſcoride, inſaniam inducunt,caput ſa-
pore percellunt, & noxij ſunt. Albus ad medi-
cum vſum vtilior: ſi verò deſit, vtendum ſub-
flauo. Niger peſsimus improbandus. Exprimi-
tur ſuccus ex tenero ſemine (addit vetus codex
τȣ λευκȣ, id eſt, albi Hyoſciami) foliis, cauli-
búſque, in quem vſum tunduntur omnia, ex-
preſſúſque in ſole ſiccatur. Vſus eius ad annum vſque: facilè enim putreſcit. Ex-
primitur priuatim etiam ſuccus ex arido ſemine calida aqua perfuſo, tuſo & ex-
preſſo. Eſt verò ſuccus hic antedicto præſtantior,& magis dolores finit. Herba
autem virens contuſa, & trimeſtris tritici farinæ mixta in paſtillos conformatur,
& recon

& reconditur. (In antiquo legitur, ἡ δὲ χλωρὰ κοπεῖσα καὶ μιγεῖσα σησαμίνῳ ἀλεύρῳ, ἢ πηγάνῳ. Id est, Herba viridis tusa, & mixta farinæ Sesami aut Rutæ.) Prior succi expressio, & quod à sicco semine exprimitur, collyriis dolorem lenientibus commodè miscetur, & contra acres calidásque fluxiones, dolores aurium & vuluæ vitia: cum farina autem & polenta, contra oculorum, pedum, aliásque inflammationes. Semen eadem potest. Facit ad tussim, destillationem, oculorum fluxionem, vehementes dolores, muliebria profluuia, aliásq; sanguinis eruptiones, oboli pondere cum Papaueris semine & aqua mulsa potum. Confert podagris, testibus inflatis, mammísque à partu turgentibus, si tritum cum vino illinatur. Miscetur vtiliter & aliis cataplasmatis dolorem leuantibus. Folia omnibus medicamentis dolorem sedantibus per se, & cum polenta mixta vtiliter illinuntur. Recentia ad mitigandos omnes dolores illinuntur. Tria aut quatuor cum vino pota, hepialas febres sanant. Decocta olerum modo, & heminæ mensura comesta, mediocrem insaniam gignunt. Idem efficere tradunt, si in colo vlcus habenti quis per clysterem infundat. Radice in aceto decocta dentes in dolore colluuntur. Plinius eadē ferè tradit. Lib. 25. c. 4. Hoc (quartum genus) recepere medici: item rufi seminis. Nonnunquam ante candidum rufescit, si non ematuruit, improbatúrque. Et alioqui nullum, nisi cùm inaruit, legitur. Natura vini (mendosè, legendum enim, Natura veneni, vt sequentia declarant) ideóque mētem capútque infestans. Vsus seminis & per se, & succo expresso. Exprimitur separatim, & cū caulibus foliisq; vtūtur & radice, temeraria in totum (vt arbitror) medicina. Quippe etiam foliis constat mentem corrumpi, si plura quàm quatuor bibantur. Etiam antiqui in vino febrem depelli arbitrabantur. Et oleum fit ex semine, vt diximus, quod ipsum auribus infusum tentat mentem. Et aliis in locis. Hyoscyamus contra canum morsus valet, & in vulnera cum melle imponitur. Contusum cum foliis ex vino datur peculiariter contra aspidas. Eius succus sanguinem excreantibus medetur. Nidor quoque accensi tussientibus. Breuiùs sic Galenus. Hyoscyamus, cui semen Lib. 8. sim. atrum est, insaniam ac saporem adfert: is cui semen mediocriter flauum est, propinquam ei facultatem habet. Verùm vtrique fugiendi sunt, vt inutiles ac deleterij. Cæterùm cuius semen ac flos candidus est, ad sanationes maximè idoneus est, ex tertio quodammodò ordine refrigerantium. Hyoscyami epoti noxæ auxiliatur aqua mulsa copiosè data auctore Dioscoride, lácque, præsertim asininum: si Lib. 6. c. 15. desit, caprillū, vel bubulum, vel aridarum ficuum decoctum. Faciunt etiam ad id nuclei pinei: item Vrticæ semen, Intubus erraticus, sinapi, nasturtiū, cæpa, allium, & hæc singula cum vino sumuntur. Posteà sinendi quiescere, quemadmodùm qui vinum biberunt vt excoquant.

SOLANVM. *CAP. V.*

DE Solanis, quæ in hortis vel circa hortos crescunt, in Horto tractauimus, nunc de venenatis. Primùm de somnifico siue soporifero, *Nomina* quod etiam Halicacabum nonnulli appellant, inquit Dioscorides. *Vide Phytog. pag. 296.* Fruticat id ramis multis, densis, caudicosis, fractu contumacibus, Lib. 4. c. 68. pinguium foliorum Cotoneæ mali similium plenis: flore grandi, rubro: fructu ac *Forma.* folliculis crocato: radice magna, subrubro cortice vestita. Nascitur in saxis non procul à mari. Has omnes notas in plantam hîc pictam competere Matthiolus putat, ideóque legitimū esse le Solanum somnificum Dioscoridis asserere non dubitat. Numerosis enim ramis fruticat, inquit, densis, surculosis, fractu contumacibus, foliis multis, subpinguibus, Cotoneę mali haud absimilibus, floribus subrubentibus, caules per interualla verticilli modo amplectentibus: fructu crocato,

baciæ figura in folliculis hirsutis concluso. Radix subest longa, vegetáque, brachia li quandoque crassitudine, cortice subrubente circunuestita. Nascitur in maritimo tractu, locis plerumque saxosis. Hanc plantam etiam Clusius nomine Solani somniferi descripsit, Lobellius eodem nomine pinxit. Aliam tamen Solani som-

SOLANVM Somnificum, Matthioli.



SOLANVM Somnificum alterum, Matthioli.



nifici speciem Matthiolus proposuit, hîc quoque expressam, foliis angustioribus, venosis, in terram inclinatis, caule anguloso, floribus tintinabuli figura, subpurpurascentibus, in ambitu denticulatis, & è longo prodeuntibus petiolo, ex quibus baccæ prodeunt nigræ, aut ex nigro purpurascentes, vinosæ, minuto semine refertæ, quemadmodùm & reliquorum Solanorum acini. Hæ viridi quodam calice ad medium vsque ferè conteguntur, cuius ambitus coronæ figuram refert. Radicem habet grandem, strumosam, teneram, albicantem. Maio mense floret, Iunio fructum fert. Nascitur in agro Goritiensi Saluatino monte inter saxa. Theo-
Lib. 9. hist. cap. 12. phrastus in descriptione Solani somnifici nonnihil à Dioscoride dissidet, cùm scribit. ὁ μὲν ὑπνώδης στρύχνος ἐρυθρὰν ἔχει τὴν ῥίζαν ὥσπερ αἷμα, ξηραινομένην δὲ λευκὴν, καὶ καρπὸν ἐρυθρότερον κόκκου. φύλλον δὲ τιθυμάλλῳ ὅμοιον, ἢ μηλέᾳ τῇ γλυκείᾳ, καὶ αὐλὸ δασὺ, καὶ πυθμὴν μέγας. Legendum, καὶ σπιθάμην μέγα. Sic Gaza legit, vt vox ὀρυττομένην, quæ legitur in vulgaribus codicibus post ξηραινομένην, irreptitia sit & delenda, vel superioribus addenda hoc modo, τὴν ῥίζαν ὀρυττομένην, vel ἐξορυττομένην, &c. atque ita conuertit. Vesicariæ genus somnificum radice rubra sanguinis modo, sed cādida cùm siccescit, fructu rubriore quàm coccus folio Tithymalo simili, aut malo dulci, sed piloso. Verùm pro κόκκου, etiam κρόκου legi posset, & pro μηλέᾳ τῇ γλυκείᾳ, μήλῳ κυδωνίῳ. Scribit enim Dioscorides huius Solani καρπὸν ἐν λοβοῖς κροκίζοντα, id est, fructum esse in siliquis crocatum, & φύλλα ἐμφερῆ μήλῳ κυδωνίῳ, id est, folia malo Cotoneę similia. Quare Theophrasti locus fortasse hoc modo cōuertendus foret. Solanum somniferum radicem habet rubram cum effoditur sanguinis modo, cùm inarescit, cādidam: fructum magis rubrum, croci instar, vel ru-

briorem

briore croco: folium Tithymalo simile aut malo Cotoneæ, sed densum, & palmi magnitudine. Quæ postrema Gaza omisit. Plantam, quam Herbariorum vulgus Solatrum maius nominat, Officinæ Solatrum mortale, quidam Solanum lethale, Galli *Solane mortel*, Germani *Dolkraut & Jenkraut*, Veneti vulgò *Herba Belladonna*, Fuchsius & nonnulli eum secuti Solanum somnificum Dioscoridis esse putant. Qua de re hæc est Fuchsij sententia. Eam quidem plantam Solanum esse somnificum, quibusdam non sine magno errore Solanum esse credentibus hortense quod suibus plurimùm confert, & eas à lethalibus morbis conseruat ac tuetur. De quo non laborandum, sed quid in homine possit considerandum, cùm constet pleraque animantibus cæteris esse cibum, quæ homini venenum sunt. Experientia verò compertum fuisse ait geminos pueros statim ex esu acinorũ huius Solani mortuos esse. Quod fidẽ facere potest somniferum esse, præsertim cùm tota ferè descriptio illi conueniat, hoc dempto, quòd semen non habet in siliquis croceum. Hortensis autem Solani notæ multæ illi non conueniunt: neque enim exilis est frutex, sed propemodùm arborescens, neq; florem candidum habet, sed spadiceum: fructu verò & floribus ad Solani furiosi historiã accedere videtur, vt suspicio sit horum duorum generum historias esse confusas. Quam quidem auget Theophrastus, qui in eorumdem descriptione nonnihil à Dioscoride variat. Quicquid sit certum est Solani esse speciem, quod forma foliorum satis docet, atque huic vehementem refrigerandi vim, maximè si paulò copiosius sumatur, inesse, vt hoc nomine pro Solano somnifero eius vsus medicus nullo periculo esse queat. Quod si tamen hæc nonnullis haud satisfecerint, inquit Fuchsius, certè necesse est Mandragoræ speciem fateantur esse tertiam, quam pingit Theophrastus. Hæc ferè Fuchsius, à quo dissentit Matthiolus, nec hanc plantam Solanum somnificum Dioscoridis esse putat, quia fructum non fert in folliculis crocatum, quamuis eius baccæ largius sumptæ interimant, & viribus iisdem quibus Solanum somniferum polleant, facie tamen maximè à sese distant. Eadem prætereà vlla Mandragoræ specie cõprehendi posse negat, vt capite de Mandragora fusiùs ostendimus. Quare eam Solani quintam speciem esse antiquis incognitam putat Matthiolus. Eandem Dodonæus nec Solanum manicum, nec Solanum somniferum Dioscoridis, nec Mandragoram morion eiusdem esse arbitratur, sed potiùs Mandragoram Theophrasti. Gesnerus Solani genus siluaticum, Germanis *Schaffbeere*, & *Doluurtz* dictum, Italis *Belladonna*, sponte in Germania, circa siluas, alibiq; locis incultis abundare scribit, baccas aut potiùs poma cerasorum instar coloris è cæruleo nigricantis ferens, radiceq; crassa esse, viuaci proculdubiò in hortis futura. Sed ne pueri fructus sua specie inuitantes deuorent vitæ periculo, vt in aliis Solanis, ita in hoc præcipuè cauendum. Quidã, inquit, mortale cognominant. Aliqui Morion esse suspicãtur, vel potiùs Mandragoram Theophrasti. Ab hoc siluatico Solano non aliud esse opinatur Solanũ somniferum. Tandem hoc adiicit, suum hoc Solanum legitimi quidem, sicut & Mandragoræ, omnibus suis partibus succedaneum esse posse. Cordus Solanum somni-

Cap. 264. Histor.

SOLANVM Somnificum, Fuchsij.



Lib. 3. hist. cap. 90.

ferum hodie ignorari scribit. Id tamen certum esse plãtam, quam ipse Amarodulcem, Germani *Jelenger ielieber* appellant, huic valde cognatam esse: foliis enim, florum forma, fructu & viribus (quas in seipso expertum esse ait) Solanum referre. De hac egimus in lib. de iis quę in vicina scandunt. Sed ad Solanum somniferũ Fuchsij, aut quintam speciem Solani Matthioli reuertatur oratio. Id in montium siluis prouenit, foliis hortensi Solano maioribus, caudice bicubitali tricubitalique, interdum maiore, subrutilo colore, numerosis ramis, alis multis concauis, in quibus flores oriũtur, longi, Luteæ digitalis floribus proximi, ex lõgo pediculo penduli, Campanulæ instar cõcaui, colore ex pallido purpurascente, capillaceis intus staminibus. His flaccescentibus baccæ suboriuntur, singulæ ex suis pediculis pendentes, insecto breuiq; caliculo comprehensæ. Maturescentes nigricant, acini vuę magnitudine, pellucida exteriùs cute, vinoso succo refertæ, & numeroso minutóque semine. Radicem fundit longam, crassam, albicantem, succi plenam. Solanum manicum, siue furiosum, folium habet Erucæ simile, maius aliquãtò, satis ad Acanthi folium accedens: caules à radice proceros emittit decem aut duodecim, vlnæ longitudine adolescentes, caput in cacumine oliuæ figura, sed vt Plantani pilulæ hirsutius, verùm minus latiusq; : florẽ nigrum. Postquam eo exuitur, racemus exit rotundus, niger, denis aut duodenis acinis constans, similibus Hederæ corymbis, vt vuæ mollibus. Radice firmatur candida, crassa, caua, cubitali. Gignitur in montibus vẽto perflatis & platanetis. Id Solanũ se non vidisse fatetur Matthiolus, quod & cæteris Herbariis fortasse ignotum est. De hoc sic Theophrastus. Ὁ δὲ μανικὸς στρύχνος λευκὴν ἔχει τὴν ῥίζαν, καὶ μακρὰν ὡς πήχεος, καὶ κοιλήν. Id est, Solanum manicũ radicem habet cãdidam, cubitalem, cauam. Et paulò pòst. ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον ὅμοιον εὐζώμῳ, πλὴν μεῖζον, τὸν δὲ καυλὸν ὥσπερ ὀργυιᾶς, κεφαλὴν δὲ ὥσπερ γηθύου, μείζω δὲ καὶ παχυτέραν. ἔοικε δὲ τῷ πλατάνου καρπῷ. Id est, folium habet Erucę simile, sed maius, caulem quatuor ferè cubitos longum, caput Gethyi, maius tamen atq; crassius: simile autem est Plantani fructui. Quæ si quis cum Dioscoride conferat, ferè eandem huius Solani historiam comperiet, nisi quòd Dioscorides habet, τὴν κεφαλὴν ἐπικειμένην ὥσπερ ἐλαίαν, δασυτέραν δὲ ὡς πλατάνου σφαῖραν, μείζονα δὲ καὶ πλατυτέραν. Id est, caput in cacumine Oliuæ figura, sed vt Platani pilulæ hirsutius, verùm maius latiusq;. Ex quibus intelligere licet in Theophrasto pro παχυτέραν legẽdum esse δασυτέραν, sicut & Gaza legit, qui pilosius interpretatus est, vel πλατυτέραν, id est, latius. Solanũ manicũ copiosè in Ægypto nasci tradit Cordus, vnde ad nos adferuntur eius fructus, quos pharmacopolæ *Cuculos de Leuante*, Galli *Coques de Leuant*, id est, Solanum Oriẽtale vocant. Nam Cuculus, inquit, idem est quod Cucubalus, id est, Solanum, *Leuante* verò Itali Orientem appellant. Antequam ad nos perferantur hi Cuculi, omnino exsiccantur nuclei interiores, & succosa caro quæ corticem ambit. Pisces quamprimùm eos deglutierint, vertigine corripiuntur, & supini aquis innatant, ita vt facilè manibus apprehendi possint. Aliis Cucuti siue Coccati Orientis cum Solani huius historia conuenire non videntur. De horum Solanorum facultatibus nunc dicamus, primùm ex Dioscoride. Solani somniferi radicis cortex in vino drachmæ pondere potus somnificam vim habet, opio mitiorem. Semen vehementer vrinam ciet. Corymbi duodecim hydropicis dantur. Si quid numero adiicitur, alienationem mentis faciunt. Remedio est aqua mulsa copiosa potui data. Succus (vel, vt alij legunt, φλοιὸς, id est, cortex) pastillis inseritur, & medicamẽtis quæ doloris leuamẽtum præbent: decoctum in vino, si in ore contineatur, dentiũ doloribus auxiliatur. Radicis succus cum melle illitus, oculorum hebetudines tollit. Eadẽ tradit Galenus. Solani somnifici cortex radicis, si cũ vino bibatur drachmæ põdere, somnũ accersit, sed & ad cætera quoq; Papaueris succo persimilis est, nisi quòd eousq; imbecillior est, vt ipse sit tertij ordinis refrigerantiũ, cùm hic in quarto

Forma Herbæ Belladonna dictæ.

Forma Solani manici Dioscor. Lib. 4. c. 69.

Locus.

Lib. 9. hist. cap. 12.

coucle di le uate

Li. 4. c. 68. Vires Solani somniferi.

Lib. 8. sim.

quarto ſit conſtitutus. Huius ſemen vrinam ciendi vim habet, verùm ſi plus duodecim baccis hauſeris, dementiam adferet. Plinius valentiorem refrigerandi vim huic tribuit, cùm ait. Quin & alterum genus, quod Halicacabum vocãt(Legendũ ex Dioſcoride, Quin alterum genus, quod & Halicacabum vocant) ſoporiferum eſt, atque etiam opio velocius ad mortem. Dioſcorides dixit ſoporiferam vim habere opio mitiorem. Laudatum verò à Diocle & Euenore, à Timarchide etiã carmine, mira obliuione innocentiæ(Lege, mira obliuionis innocentia nempe quam adfert citra perniciem) quippe præſentaneum remedium ad dentium mobiles firmandos(Dioſcorides dixit tantùm ad dentium dolores valere) ſi colluantur. Halicacabo vni exceptionem addidere, ne diutius id fieret, delirationem enim gigni eo. Nec demonſtranda remedia, quorum medicina maioris mali periculum adferat. Et paulò pòſt. Halicacabi radicem bibunt qui ſunt vaticinandi callentes, quia furere ad confirmandas ſuperſtitiones aſpici ſe volunt. Remedio eſt, id enim libentius retulerim, aqua copioſa mulſa, calida potui data. De Manici radice id non tradit Dioſcorides, vt dicetur. Theophraſtus etiam ſcribit corticem radicis huius Solani tuſam & in vino maceratam, atq; epotam ſomnum inducere. Solani ſomnifici Fuchſij, quam quintam Solani ſpeciem eſſe Matthiolus arbitratur, baccæ deuoratæ homines in veternum inducunt, & in furorem agunt. Aiunt Empirici quídam aquam è tota planta deſtillatam, duorum aut ſummum trium cochleariorũ menſura hauſtam, internas viſcerum inflammationes extinguere, nullo corporis incommodo: ſed à largiore potu abſtinendum. Ad eryſipelata & alios calidos affectus confert. Contuſa folia oculorum palpebrarúmque phlegmonas leniunt. Siccæ radicis miram vim prædicat Matthiolus. Eius enim drachma craſsiuſculè trita, ſi in vino horis ſeptem maceretur, & percolatum id vinum ieiunus quis hauſerit, à cibo prorſus abſtinebit, nec vllum vnquam carpere poterit, quoad acetum potauerit: hoc enim vnicum eſſe mali remedium. Solani furioſi radix, vt ſcribit Dioſcorides, drachmæ vnius pondere pota ex vino, facit ſpecies vanas, imaginatiónéſque non iniucundas obuerſari. Sed duplicatus hic modus ad tres vſque dies mentis alienationẽ adfert, quadruplicatus interimit. Remedio eſt aqua mulſa copioſiùs pota, & vomitione reiecta. De eodem Galenus, Solanum furioſum, inquit, ad medicationes quæ intrò in corpus adhibentur inutile eſt. Nam ſi quatuor eius drachmæ ſumptæ ſint, mortem adferent, ſi pauciores inſaniam. Vna certe innoxiè ſumitur: cæterùm nec ipſa vtile quid obtinet. Verùm ſi foris emplaſtri modo corpori illinatur, vlcera maligna & depaſcentia curat. Sed ad talia radicis cortex optimus eſt, deſiccans ſecundo ordine iam completo, & tertio incipiente, refrigerans verò ſecundo incipiente. Plinius hæc de eodem prodidit. Tertio folia ſunt Ocimi (εὔζωμα Dioſcorides, id eſt, erucæ, vt iam annotauimus) minimè diligenter demonſtranda, remedia non venena tractanti: quippe inſaniam facit paruo quoque ſucco (Dioſcorides tradit id radice fieri) Quanquam & Græci auctores in iocum vertêre: drachmæ enim pondere luſum pudoris gigni dixerunt, ſpecies vanas, imaginéſque conſpicuas obuerſari demonſtrantes: duplicatum hunc modum inſaniam facere. Quicquid verò adiiciatur ponderi, repræſentari mortem. Hoc eſt venenum, quod innocentiſſimi auctores ſimpliciter Dorycnium appellauere, ab eo quòd cuſpides in præliis tingerentur illo, paſſim naſcente. Qui parciùs ſpectauerant, Manicũ cognominauere. Qui nequiter occultabant, Erythron aut Neurida, vt nonnulli Periſſon, ne cauendi quidem cauſa curioſiùs dicendum. Sed Plinij locum ſicut in vulgatis exemplaribus legitur, emendabit & Dioſcoridem illuſtrabit Theophraſtus, ex quo vterque quæ de Solano dixit, mutuatus eſt. Ὁ δὲ μανικὸς στρύχνος, inquit, οἱ μὲν θύορον καλοῦσιν αὐτὸν, οἱ δὲ περιττὸν (Dioſcorides habet θρύον & πέρσιον) λευκὴν δὲ ἔχει τὴν ῥίζαν καὶ μακρὰν ὡς πήχεος, καὶ κοιλήν. δίδοται δὲ αὐτῆς, ἐὰν

Lib. 21. c. 31.

Vires Solani manici. Li. 4. c. 69.

Lib. 21. c. 31.

μὴν οὕτως, ὥστε παίζειν καὶ δοκεῖν ἑαυτῷ κάλλιστον δραχμῆς σταθμῷ, ἐὰν δὲ μᾶλλον μαίνεσθαι, καὶ φαντασίας τινὰς φαίνεσθαι, δύο δραχμάς, ἐὰν δὲ ὥστε μὴ παύσασθαι μαινόμενον, τρεῖς· ἐὰν δὲ ὥσπερ ἀποκτεῖναι, τέτταρας. Id est, Solanum furiosum alij Thyoron, alij Perisson vocant. Radice est candida, longa, cubitali cauaq;. Ea drachmæ pondere datur, vt sibi quis illudat, placeátque, ac se pulcherrimum existimet. Duplicato pōdere magis insanit, vanis spectris animo obuersantibus. Triplicato perpetuæ subeunt furię. Si interimere volueris, quatuor drachmæ dandæ. Ex quibus intelligere licet non lusum pudoris, velut publica exemplaria habent, in Plinio legendum esse, sed simpliciter lusum, id est, τὸ παίζειν. Alij non abs re id à Plinio scriptū esse aiunt, quòd drachmæ pōdere sumpto, mares inter dormiendū cum formosis puellis, fœminæ cum pulchris adolescentibus se rem habere somniant. Nulla tamen pudoris vox, imò ne vestigium quidem in vetere Plinij codice reperitur etiam Cornario teste.

DORYCNIVM Monspeliense, Dalechampij.



DORYCNIVM. CAP. VI.

Nomina
Lib.21.c.31.

QVAM plantam Græci δορύκνιον, Crateuas ἁλικάκαβον & καλέαν vocarunt, Latini quoq; Dorycnium. Plinius Dorycnij appellationem Solano furioso tribuit, & cur ita diceretur explicauit his verbis. Hoc est venenum (Solanum furiosum intelligit) quod innocentissimi auctores Dorycniū appellauere, ab eo quòd cuspides in præliis tingerentur illo, passim nascente. Et Dioscorides Dorycnium à quibusdam Solanum manicū appellari ait. Videtur certè hæc vox communis omnibus quibus hastæ & tela inficerentur, quo celeriorem inferrent mortem: at cùm harū plantarum vires diuersæ sint, diuersæq; earum descriptiones seorsum traditæ à Dioscoride, Galeno, Paulo, hanc ab illa differre perspicuū est. Est autem Dorycniū Dioscoridi, frutex Oleæ recens prodeunti similis. Nascitur in petris non procul à mari, ramis cubito maiorib⁹, foliis Oleę similibus colore, sed minoribus, solidioribus, vehemēter asperis, flore albo. In summitate verò densos habet folliculos velut Ciceris, in quibus semina sunt rotunda quinq; aut sex, parui erui magnitudine, læuia, dura & varia: radicem digiti crassitudine, longitudine cubitali. Creditur hoc somniferum esse, sed copiosius haustum necare. Quidam aiunt semen in philtra amatoria assumi. Galenus scribit Dorycnium temperamento Papaueri simile esse, ac Mandragoræ & aliis ita refrigerandi vi præditis, vt in quo vincat aquea frigiditas

δορυκνιον· ἀ ποτη δορατος, in probatio δορυ. enim est hasta vel iacula ad fricabon... cuspides hastas dorycnio ... quia herba venenata ad feriendos ...

DORYCNIVM congener planta, Clusij.



Lib.4.c.70
Forma.

giditas valde efficax. Quamobrē modicū quidē soporem conciliat, largiùs verò sumptū interimit. Herbarij diuersas plantas Dorycnium esse diuinarunt, à quibus multū abest hîc depictū, quod Mõspelienses docti Herbarij pro Dorycnio habēt. Gignitur hic frutex in asperis, saxosis, & editis locis non procul à mari, caulibus multis ex vna radice crassa, lignosa, multifida prodeuntibus, cubitalibus, nonnunquam altioribus, flexilibus & lentis Sparti modo: foliis paruis, oblongis, angustis, quaternis simul, per interualla caules & ramos circūdātibus Erythrodani modo, aut Aparines: flore in sūmo cauliū vertice instar vmbellæ ferè circinato, è pallido subnigricāte, denso, admodū paruo. Nondū explorata est huius fruticis facultas, vt somnifera sit nec ne diiudicari posit. Gustu insipido est, vt etiā auctor est Pena, & refrigerātis nõ humectātis facultatis. Idē cū superiore esse puto Dorycniū Hispanicū Clusij, cui ferè similē plantā in regno Valētino, & quibusdā Bæticæ locis nasci tradit, cubitalibus & viminis modo obsequiosis virgis, superiore gracilioribus: foliis breuioribus & latioribus, breui pediculo ternis, aut quinis simul iunctis, & ramulos amplectentibus, gustu salso, & nõnihil acrimoniæ habēte: oblõgi ramusculi ternos, quaternos, aut quinos flores sustinent, medica maiores, colore viridi: alioqui tota planta candida est omnino & incana, magis etiam quàm superior.

MANDRAGORAS. CAP. VII.

ΜΑΝΔΡΑΓΟ΄ΡΑΣ Græcis & Κιρκαία, Pythagoræ ἀνθρωπόμορφος, quibusdam ἀντίμιλον, Latinis etiam Mandragoras, & canina, aut terrestris Malus dicitur, Arabibus *Iaborose Yabrohac*, Officinis & Italis *Mandragora*, Hispanis *Mandracola*, Gallis *Mandragore*. Circæa à Circe nomen inuenit, quoniam videatur radix ad amatoria conducere. Antropomorphos à forma humana, quoniam omnes ferè radices Mandragoræ à medio ad imum bifurcæ sunt, vt cruribus hominū similes videantur. Quare si quo tempore fructum ferunt effodiuntur, hominis cui brachia desunt effigiem quadātenus repræsentant. Duo Mandragoræ genera, auctore Dioscoride. Mandragoras mas & candidus, & Mandragoras fœmina, siue niger, tridacias appellatus. His tertium addit Mandragoram nomine Morion. Mandragoras mas siue albus folia à radicis capite profert magna Iuglandi, aut latifoliæ Lactucæ æqualia, oblongiora tamen, mollia, læuia vt Betæ, in viridi candicantia, & circa radicis caput per terrā sparsa, secus quæ breues exeunt pediculi, in quibus flores pallidi & foliacei, latiusculo calici insidentes. His singula succedunt poma, rotunda, paruis limonibus æqualia, colore ad dilutum aqua crocum inclinantia, carne succosa, qua cõtinentur pallida aut cæsia semina, pyri seminibus æqualia, non tamen acuminata, sed modicè plana, & ab vna parte renum instar sima. Radix subest perennis, grandis, longa, crassitudine manum implente, in partes duas sæpius distracta, foris pallida, aut in candido subfusca, intus candida, carnosa, succosa, & crasso cortice vestita. Odorem tota herba grauem spirat, præsertim poma, quibus succus est aliquantulùm gustu vinosus, subamarus, tam odore, quàm sapore caput grauās. Radix amarescit, simulq; subdulcis est. Mandragoras niger, seu fœmina folia habet maris instar per terram sparsa, minora tamen & angustiora, tenuifoliæ Lactucæ similia, sed his quoque minora, mollia, odore graui, ac in viridi colore nigricantia, secus quæ pediculi, flores & poma sunt albo Mandragoræ succosa carne seminibúsque similia, colore verò paulò pallidiore, duplò minora, sorbis, aut paruis mespilis nostratibus æqualia. Radicem habet perennem, priori substantia & figura similem, sed minorem, in duas aut tres inter sese implicatas partes diuisam, foris nigricantem, intus candidam, quæ sapore prioris radici respondet. Hæc proculdubiò sunt Mandragoræ genera, à Dioscoride expressa his verbis. Mandragoras niger, quæ

Nomina. Vide Phytogr. pag. 303.

Matthi. in li.4. Diosc. cap. 71.

Li.4. ca.71.

Genera.

Forma.

Lib.4. c.71.

MANDRAGORAS mas.



MANDRAGORAS fœmina.



fœmina existimatur, angustioribus est foliis, ac minoribus quàm Lactucæ, virosis ac graueolentibus, per terram dispersis, atque inter ipsa mala sorbis similia gerit, pallida, odorata, in quibus semen veluti pyrorum: radicibus hęret bene magnis, binis, ternísue inter se conuolutis, nigris foris, intus albis, crasso cortice vestitis: caulem non fert. Alter candidus, qui mas dicitur. Huius folia magna, alba, lata, læuia vt Betæ: mala quàm alterius duplò maiora, colore in crocum inclinante, iucundè cum grauitate quadam olentia, quorum pomorum cibo aliquantùm opiliones soporantur. Radix alterius similis maior & candidior, orbata & hæc caule. His

Li.25. ca.13. consentanea sunt magna ex parte quæ Plinius tradidit. Mandragoram, inquit, alij Circeium vocant. Duo eius genera: candidus qui & mas, niger quæ fœmina existimatur, angustioribus foliis quàm Lactucæ, hirsutis & caulibus, (legendum, hirsutis, æqualibus, non, & caulibus: vtrique enim Mandragoræ caules desunt. Prætereà hirsuta folia malè dixit, quasi δασέα legisset: neutrius enim folia hirsuta sunt, vt ex Dioscoride liquet) radicibus binis, ternísve rufulis, intus albis, carnosis, teneríque, penè cubitalibus. Ferunt mala Auellanarum nucum magnitudine, & iis semen ceu pyrorum. Album hoc alij Arsen, alij Morion, alij Hypophlomon vocant. Huius folia alba quàm alterius latiora, vt Lapathi satiuæ. Quæ Mandra-

Lib.11. goræ nigri poma Dioscorides ὕοις ἐμφερῆ, id est, sorbis similia facit, Oribasius etiã ὕοις & achradibus comparat: quorum prius ad magnitudinem & formam, posterius ad figuram tantùm referendum videtur. Marcel. Vergil. ὠοῖς ἐμφερῆ legit, id est, ouorum vitellis, vt ipse intepretatur, similia. Sed & ὠοῖς malè legit, & hęc vox, oua, non ouorum vitellos significat. Prætereà omnes probati codices & Oribasius ὕοις habent. Serapio Mespilum interpretatus est, quod vitiũ non Serapioni, sed ipsius interpreti adscribendum. Plinius hæc mala nucum Auellanarum magnitudine esse scribit. Idem Mandragoræ fœminæ caules tribuit, cùm vtrumq; Dioscorides

Embl. 65. ἄκαυλον esse dicat. Quare Cornarius in Plinio hirsutis, excaulibus legendum esse

li.4.Diosc. crederet, nisi rursus sequeretur, Succus fit & ex malis, & è caule, &c. vt Plinius caulem ipsi omnino attribuat. Nam quæ de Mandragora tradidit, partim ex Dioscoride,

ride, partim ex Theophrasto transcripsit, qui etiam in Mandragora caulem agnoscit. τῶν δὲ ἄλλων, inquit, τὰ μὲν ὁμοιότερον τούτῳ τὸν καυλὸν ἔχει, καθάπερ ὁ μανδραγόρας, καὶ τὸ κώνειον. Id est, Reliquorum autem quædam similiorem huic (Ferulæ) caulem habent, veluti Mandragoras, & Cicuta. At Theophrasti Mandragoras à Dioscoridis Mandragora plurimùm distat. Quod cùm Plinius non animaduertisset, ex vtroque transscribens, vtriusque Mandragoram confudit. Maximam autem vtriusque Mandragoræ differentiam hæc perspicuè demonstrant. Dioscorides Mandragoræ nigri fructus sorbi magnitudine, & pallidos esse dixit: albi verò fructus siue mala duplò maiora, & colore in crocum inclinante depinxit, ac vtrũque sine caule. Theophrastus apertè Mandragoram caulem habere scripsit, vt ostendimus, ἴδιον δὲ τὸν καρπὸν τοῦ μανδραγόρου, τῷ μέλανα τε εἶναι ῥαγώδη, καὶ οἰνώδη εἶναι τῷ χυμῷ. Id est, peculiarem autem ei fructum esse, quòd niger & Acino vuæ similis, & vinoso sit succo. Quæ non satis rectè sic conuertisse videtur Gaza. Fructus Mandragoræ peculiaris, quòd niger racematus, vinosusq́; suo sapore sentiatur: ῥαγώδης enim non racematũ neque racemosum significat. Nam ῥὰξ, ῥαγὸς, vt alibi declarauimus, vuæ acinum propriè designat, id est, vuæ fructum, qui ex succo, carne, vinaceis, & ambiente cute constat, non totam vuam, siue racemum, vnde ῥαγώδη vuæ acino similem Græci intelligunt. Ruellius hunc fructum effigie esse oui, non, vt Theodorus vertit, racemi, apud Theophrastum legendum esse censet, magno errore: integer enim est hîc Theophrasti locus. Quare nemo miretur, aut alterutrũ auctorem insimulet, quòd tam contraria de Mandragora scripserint. Quisnam autem sit Theophrasti Mandragoras ab Herbariis ambigitur. Cordus tertiam Mandragoræ speciem, quæ priuatim Morion dicitur, Theophrasti Mandragoram esse censet. Grandem, inquit, radicem habet, caulem procerum: folia Solani & Mandragoræ nigri foliorum mediam habent figuram. Flores profert nigros, & post hos nigros fructus grandi vuæ acino æquales, qui vinosum succum emittunt. Vidisse ait hanc plantam in Hessiæ vmbrosis & antiquis siluis iuxta speluncas natã, Hessis *Dollkraut* dictam, quo nomine Græcorum Morion interpretantur, aliis etiam *Schaffbeer*, quoniam fructus eius soporem faciunt. Hanc plantam Solanum siluaticum Gesnerus appellat, Itali *Bella donna*. Quidam, inquit, Solanum mortiferum, aliqui Morion esse suspicantur, vel potiùs Mandragoram Theophrasti, vt in superioribus fusiùs diximus. Fuchsius Solanum mortiferum esse arbitratur, vel certè tertiam Mandragoræ speciem quam pingit Theophrastus. At Solanũ somniferum non esse ex Matthiolo iam ostendimus: nec Mandragoram Morion rectè dici posse (omnia enim quæ de Mandragora suo Theophrastus tradit, ad tertium genus Mandragoræ Fuchsius refert) idem probat, quòd Mandragoras Morion folia ferat, vt scribit Dioscorides, Mandragoræ mari similia, dodrantalia, humi iacentia circa radicis summum. Quibus verbis demonstrat plantam hanc, vt & cætera Mandragoræ genera, caule carere. Quæ in eam, quæ *Bella donna* nominatur, minimè conuenient: cùm folia emittat hortensi Solano maiora, palmum non excedentia, minimè candicantia, nec humi strata, sed ex caulibus exeuntia, in quibus adnata plurimã, bicubitalia, ligni modo dura. Quare planta hæc Mandragoras Morion esse nequit. Dodonæus eam Theophrasti Mandragoram esse censet, vt diximus, sed à Mandragora Morio Dioscoridis distinxit, quam Dioscorides non vidit, vt ex verbis illius colligi potest. Alium, inquit, tradunt esse Mandragoram, nomine Morion, in opacis iuxta specus enatum, foliis albi Mandragoræ, minoribus, albis, dodrantalibus, radicem ambientibus, quæ mollis est & candida, paulò maior palmo, pollicemq́; crassitudine æquat. Mandragoras prouenit in syluis, & obscuris locis. Vtrumque genus frequẽs nascitur in multis Italiæ locis, præsertim in Apulia, Gargano mõte. In hortis maximè colitur ab Herbariis. Augusto mense

Lib.6. hist. cap.2. — Lib.6. hist. cap.2. — Ca. de Solan. — Lib.3. c.III. — In lib.4. Diosc.c.76. — In hort. Germ. — Ca. de Solan. — Cap.264. — Lib.6. hist. cap.2. — Ca. de Solan. — In lib.4. Dios.c.69. — Lib.4.c.71. — *Locus.*

Li.7.ſimpl. menſe poma perficit. Mandragoras auctore Galeno vincentem habet qualitatem
Vires & refrigerantem,adeò vt tertij ſit ordinis refrigerantium. Verũtamen nõnihil etiã
Temper. caloris ineſt,& in pomis humiditatis. Quare ſoporem & conciliandi vim habẽt.
Radicis cortex cùm ſit valentiſsimus,non tantùm refrigerat,ſed & deſiccat , reliquum quod intus eſt imbecillum eſt. Omnes eius partes ad magnos in medicina
Lib.4.c.71. vſus adhibet Dioſcorides. Succus fit è cortice recentis radicis tuſo, & prælo ſubiecto,qui inſolatus vbi concreuerit,fictili reconditur. Malis quoque ſuccus depromitur,ſed aliquantò ignauior. Delibratur radix,& traiectus lino cortex ad vſum ſuſpenditur. Aliqui radices in vino ad tertias coquũt, & defæcatum ius ſeruant, cyathoq; vno vtuntur in peruigiliis,& doloribus,& ante ſectiones, vſtionéſq; ne ſentiantur. Succus duobus obolis ex mulſo potus (ὁ δὲ ὀπὸς ποθεὶς σὺν μελικράτῳ, Id eſt,lacryma,ſiue liquor cũ melicrato potus:ὀπὸς ſponte defluit , ſuccus χύλισμα tundendo exprimitur)vt Veratrum per vomitiones bilẽ atram , pituitamq; extrahit: verùm potu largiore vita adimitur.Medicamentis ocularibus,& his quæ dolores finiunt,peſsis quoque emollientibus admiſcetur:ſemioboli põdere inditus per ſe mẽſes,& partus expellit:ſubditus ſedi pro balano ſomnificus eſt. Radix ebur emollit,quod ſenis horis cum eo decoctum ſit, & ad accipiendam , quã effingere optaueris formam,ipſum facilè præſtat. Folia recentia cõuenienter oculorum inflammationibus,& collectionibus quas vlcera citarunt, cum polenta illinuntur: duritias omnes,ſuppurationes,ſtrumas,& tubercula diſcutiũt : ſtigmata ſine exulceratione delent,ſi quinis ſeníſve diebus ſenſim perfricentur. Folia ſeruantur in muriis eoſdem ad vſus.Trita radix ignibus ſacris ex aceto , & ſerpentium ictibus ex melle,aut oleo medetur:ſtrumas atque tubercula cum aqua diſsipat : articulorũ cruciatus cum polenta ſedat. Fit citra coctionem vinum è cortice radicis,ad hunc modum. Ternæ minæ in vini dulcis metretam coniiciuntur. Dantur ex eo terni cyathi iis qui ſecari,aut vri debent : ſiquidem nullo tunc afficiuntur dolore, ſed veterno quodam preſsi torpeſcunt(διὰ τὸ καταφέρεσθαι, quòd alto ſomno opprimantur.)Mala ſoporem afferunt olfactu, & etiam ſi mandantur : item expreſſus ex iis ſuccus : nimio tamen odore percuſsi obmuteſcunt. Semen malorum potum vuluas purgat,appoſitumq; cum ſulphure ignem non experto, rubra fœminarum profluuia ſiſtit. Scarificata, punctiſq; multifariam aperta radice erumpens lacryma cauo vaſe recipitur. Liquamẽtum autem ſucco lacteo præſtantius eſt.Sed non vbique vt experientia docet , radices lacteum ſuccum delacrymant. Vt tertiam Mandragoræ ſpeciem non nouiſſe videtur Dioſcorides, ita nec eius vires certas tradere. Aiunt,inquit,eam in pane,offa, obſonióve , drachmæ pondere deuoratã vſum rationis intercipere:obdormiſcit enim homo,eo ferè quo comederit habitu,ſenſus impos,ternis quaterníſve ex quo data eſt horis. Hoc medici vtũtur,cũm ſcindendi vrendíque neceſsitas adeſt. Antidotum eſſe aiunt radicem cum Solano
Ca.13.25. manico potã. Plinius à Dioſcoride & Theophraſto ſua mutuatus,vt diximus, non omnino tamen eadem tradidit. Succus fit,inquit,& è malis,& ex caule , deciſo cacumine,& radice punctis aperta,aut decocta:vtilis hæc velut ſuccus (ſic emendat Cornarius ex vetere codice vulgata exemplaria,quæ habent, vtilis hæc vel ſurculo.)Conciſa quoque in orbiculos ſeruatur in vino. Succus non vbique inuenitur, ſed vbi poteſt,circa videmias quæritur. Odor grauis eius , ſed radicis & mali grauior.Ex albo mala matura in vmbra ſiccan tur. Succus ex iis ſole denſatur:item radicis tuſæ,vel in vino nigro ad tertias decoctæ.Folia ſeruãtur in muria efficaciùs, aliàs recentium ſuccus peſtis eſt : ſic quoque noxiæ vires. Grauedinem adferunt etiam olfactu. Quãquam mala in aliquibus malis mandantur,nimio tamen odore obmuteſcunt ignari. Potu quidem largiore etiam moriuntur. Vis ſomnifica pro viribus bibentium. Media potio cyathi vnius. Bibitur & contra ſerpentes, & ante

ante ſectiones vſtionéſque ne ſentiantur. Ob hæc ſatis eſt aliquibus ſomnũ odo-
re quæſiſſe. Bibitur & pro Elleboro duobus obolis in mulſo. Theophraſtus Man- Lib.9. hiſt.
dragoræ folia vlceribus cum farina vtilia eſſe ſcribit, radicem raſam, & ex aceto cap.10.
ſubactam ad eryſipelata, ad podagricos dolores, ad ſomnum, & ad amores: dant
autem in vino & aceto. Secant orbiculos velut ex Raphano, quos filo tranſmiſſo,
in muſto ſuſpendunt ſuper fumum. Quæ fortaſſe Plinius exprimere voluit cùm
dixit. Conciſa quoque in orbiculos ſeruatur in vino. Quæ tamen alio in loco di- Li.26.ca.11.
lucidiùs expreſsit. Sed is in publicis exemplaribus valde corruptus eſt. Igni ſacro
medetur Aizoum, folia trita Cicutæ, Mãdragoræ radix. Siccatur in aëre vt Cucu-
mis, &c. Quẽ ex vetere codice ſic reſtituit Cornarius. Igni ſacro medetur Aizoum, Embl.55.
folia trita Cicutæ, Mandragoræ radix. Secatur hæc in aſſes vt Cucumis, primumq́; lib.4.
ſuper muſtum ſuſpenditur, mox in fumo. Dein tunditur in vino & aceto. Agyrtæ
& impoſtores illi circũforanei, qui radices fictitias humana effigie pro Mandra-
goræ radicibus imperitæ plebi oſtentant, ex Pythagoræ Anthropomorpho, quo
nomine Mandragoram appellauit, vt diximus, occaſionẽ ſumpſiſſe videntur. Cui
Columellæ teſtimonium acceſsit, qui vulgi quoque ſuperſtitione motus cecinit. Lib.10.

Quamuis ſemihominis veſano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœſtámque Cicutam.

Illi in Bryoniæ, Althææ, Arũdinis, aliarúmq; plantarũ radicibus adhuc recentibus
humanã vtriuſq; ſexus effigiem ſculpũt, inſertis in ea loca, in quibus pilos exoriri
voluit natura Hordei & Milij granis. Deinde eas facta ſcrobe tenui ſabulo ob-
ruunt, vt grana illa radiculas emittant, quod euenit viginti ſummùm dierũ ſpatio.
Tum eruunt, & radiculas ex granis natas acutiſsimo cultello cõcidunt, itaq; aptãt,
vt capillũ, barbã, & cæterarũ corporis partiũ pilos referant. Has ſub crucibus &
rotis ex vrina ſuppliciis affectorũ enatas perſuadẽt, mõſtroſoſq; eorũ vſus pollicẽ-
tur. Nec niſi magno vitæ periculo effodi poſſe nugãtur, cane qui effodiat radici-
bus adalligato, & auribus pice obturatis, ne radicis clamorẽ exaudiant effodiẽtes:
qua audita illis pereundũ ſit. Cuius impoſturæ, ac mẽdacij origo ex veterũ ſuper-
ſtitione fluxiſſe videtur. Theophraſtus enim de effodiẽdo Mãdragora hęc ſcripſit. Lib.9. hiſt.
Circũſcribunt & Mandragorã gladio ter, ſecantq; ad occaſum ſpectãtes. Iubent & cap.9.
aliũ ſaltantem tripudio circũagi, multaq; de veneris vſu & re dicere. Quæ Plinius
trãſtulit his verbis. Cauẽt effoſſuri contrariũ ventũ, & tribus circulis antè gladio Li.25.c.13.
circũſcribunt: poſteà fodiũt ad occaſum ſpectãtes. Matthiolus hanc fabulam, quæ
ignaris Mãdragoræ radices effodere volẽtibus tãtopere minatur, ex Fla. Ioſepho In lib.4.
natã putat, qui etſi de alio radicis genere ſcripſit, ea tamen facilè ab impoſtoribus Dioſc.c.71.
ad Mãdragoræ radices, detorqueri potuerũt. Hęc ſunt illius verba. Vallis, qua ciui-
tas à parte Septentrionali cingitur, quidã lacus Baaras appellatur, vbi radix eodem Lib.7. c.25.
nomine gignitur, quæ flãmæ quidẽ aſsimilis eſt colore, circa veſperam verò veluti Bell.Iud.
iubar fulgurãs. Accedẽtibus, eamq; euellere cupiẽtibus facilis non eſt, ſed tam diu
refugit, nec priùs manet, quã ſi quis vrinã muliebrẽ, vel menſtruũ ſanguinẽ ſuper
eam fuderit. Quinetiã tunc ſi quis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi fortè illã ipſam
radicẽ ferat de manu pendentẽ. Capitur alio quoque modo ſine periculo. Totam
eam circũfodiunt, ita vt minimũ ex radice terra ſit conditũ, deinde ab ea religant
canem, illoq; ſequi eum à quo religatus eſt cupiente, radix quidem facilè euellitur,
canis verò continuò moritur, tanquam eius vice à quo tollenda erat, traditus: nul-
lus enim poſteà accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter vnam
vim capi eam operæ pretium eſt. Nam quæ vocantur dæmonia peſsimorum ho-
minum ſpiritus, viuis immerſa, eóſque necãtia, quibus ſubuentum non fuerit, hæc
citò, etiam ſi tantùm admoueatur ægrotantibus, abigit. Hæc Ioſephus. Sed literatũ
hominem nullum eſſe exiſtimo, qui his impoſturis & nugis fidem adhibeat.

MALA

MALA ÆTHIOPICA. CAP. VIII.

DIFFERVNT non parum à Malis inſanis, quæ noſtra ætas Æthiopica cognominat: horum ſtirps caule aſſurgit ſubinde cubitali, in duas tréſve alas diuiſo: foliis latis, ex albido virentibus, anguloſis, duriuſculis, quibus à media coſta, ſiue neruo ſpinulæ quædam breues exeunt. Floſculi ſecundum cauliculos albicant, ſenum foliolorum, ſtaminibus mediis ſubluteis. Fructus rotũdus, ſtriatus, Malo aureo minor ac durior, colore per maturitatem eleganter rubens, ſupereminente exiguo quodam veluti alterius mali rudimento, quod & rubet, ſed dilutiùs. Peregrinum iſtud Belgio: ſemina ex Hiſpaniis attulit honeſta Domina Chriſtina Bertolſia vidua clariſsimi ac ampliſ. viri D. Ioachimi Hopperi. Tardè admodũ (ſed tamen eodem quo ſatum anno) ad perfectionem Coloniæ venit. Malum vocant Æthiopicum, quòd ex Æthiopia in Hiſpaniam primùm inuectum exiſtimetur. Veteribus cognitum fuiſſe difficile fuerit affirmare. Cum Malinathalla, de qua ex Theophraſto ſuperiore cap. ſcripſimus, nequaquam etiam conuenit. Folia ſiquidem cum Cyperinis haud conueniunt, cuiuſmodi ſunt Malinathallæ. Feruntur verò hæc Mala in pinguium carnium iure cum ſale, ac pipere cocta inferri, ac edi: ac minùs mali ſucci eſſe, quàm inſana aut aurea: propterea videlicet, quòd duriora, diutiuſq; aſſeruari queant, nec ita facilè vti illa corrumpantur. Sunt tamen nec hæc Æthiopica boni ſucci, & alimenti non multùm corpori adferunt.

MALA Æthiopica, Dod.



APOCYNVM. CAP. IX.

Nomina. ΑΠΟΚΥΝΟΝ Græcis & κυνόμορον, & κυνοκράμβη, Latinis Apocynũ, Cynomoron, & Braſsica canina dicitur. Apocynum quidem & Cynomoron, quòd eſu canes interficiat, quaſi canicida. Cuius hæc extat apud Dioſcoridem deſcriptio.

Li.4.ca.76. Forma. Frutex eſt longas habens virgas, lentas vitilium modo, graueolentes, ægre fragiles: folia Hederæ ſimilia, ſed molliora, & in ſummo acutiora, grauiter olentia, ſubuiſcida, ſucco luteo plena: fructus velut ſiliquas fabarum, folliculi ſpecie, in quo ſemina lanugine obuoluta ſunt, dura, parua, nigra.

Vires. Huius folia cum adipe in panes coacta, & in cibos data, canes, lupos, vulpes, pantheras interimunt: protinus enim coxendices ipſorum reſoluunt. Græcè legitur, ταύτης τὰ φύλλα σὺν στέατι ἀρτοποιηθέντα, quod ſic Cornarius vertit: Huius folia cum farina ſubacta in panes coacta, &c. Legendum ſanè, σὺν σταιτί. Eſt enim σταὶς, farina aqua ſubacta, & vt pinſatur, macerata, priùs quàm fermenteſcens aceſcat, vulgò paſta, quod ſenſus requirit.

Li.6.ſimpl. Galenus, Apocynum aut Cynocrambẽ, inquit, vocant quidam Cynomoron, quòd canes celerrimè interimat, ſicut Lycoctonum lupos. Eſt autem hominibus venenum, herba multùm grauiter olens, proinde omnino calida eſt non inſtrenuè, non tamen proportione deſiccat. Itaque illita admodùm digerentis eſt facultatis.

Li.24.c.11. De quo aliter ſcripſit Plinius. Sic & pleuriticos, & omnes lateris dolores Apocyni ſemen ex aqua (ſub. ſanat:) frutex eſt folio Hederæ,

Hederæ, molliore tamen, & minùs lõgis viticulis: ſemine acuto, diuiſo, lanuginoſo, graui odore. Canes, & omnes quadrupedes necat in cibo datum. At cum Dioſcorides nullum Apocyni vſum humano corpori commodum præſcribat, & Galenus venenum hominibus eſſe dicat, & ſolùm foris impoſitũ diſcutiendi vim habere, meritò ſuſpectum eſt Apocyni ſemen pleuriticis ex aqua propinatũ. Quare verba hæc, Sic & pleuriticos & omnes lateris dolores ex aqua, ad præcedẽtia referenda videntur, vt ſequatur, Apocynum frutex eſt, &c. Scribit Matthiolus plantas duas à Luca Ghino ad ſe miſſas fuiſſe, qui ſiliquas duas dono acceperat è Syria delatas, quarum vni inſcriptum erat, Periploca repens, alteri Periploca non repens, In lib. 4. cap. 76.

APOCYNVM, Matthioli.



APOCYNVM repens, Matth.



quòd ita in Syria has plãtas nominent. Prætereà has ſiliquas Rhododẽdri ſiliquis admodùm ſimiles fuiſſe, niſi quòd repentis Periplocæ ſiliqua ea erat longitudine, qua & Rhododẽdri, gracilior tamen, alterius breuior. E longiori ſata plantã proueniſſe non modò humi repẽtem, ſed & arbores proceras ſcandentem, è breuiori verò aliam, quæ notis omnibus Apocynum refert: vtramque ſucco turgere, repentem albo, non repentem ſubcroceo. Eſt & alia in ſiliquis differentia: cùm enim hæ in vtraque Rhododendri ſimiles ſint, in nõ repenti tamẽ ſimplices, acutiores, rectæ ex vno pediculo proueniũt, in repenti verò binæ, & in origine cõiunctæ, & in ſeſe inuicẽ inflexæ, nec adeò vt illæ in acutũ deſinentes. Non negat Pena Apocyni deſcriptioni apprimè quadrare plantas duas non minùs raras quàm elegãtes, quas Patauij & in publico Piſano vireto pridem vidit. Earũ vtriq; nomẽ Periploca erat. Altera nõ repens, flexilibus erat ſurculis, vimineis, gracilibus, læuibus, pediculos vtrinque habẽtibus longiuſculos, & exiles, in quibus folia hederacea, molliora, viridia, læuia, nitentia, & quàm Vincetoxici rotũdiora, nonnihil in ſummo acuminata: flores tenues, candidi, muſcoſi, Valerianæ inſtar aut Drabæ, inter folia exoriuntur, ſuccedentibus Auguſto mẽſe ſiliquis corniculatis, mucronatis, rectis, quàm in Aſclepiade maioribus, claudentibus ſemen nigrius, depreſſum, papposa lanugine obductum. Succus flaueſcit, ingratus, & vti tota planta virosus. Hac ſi

deuorata necem infert,inquit,Apocynum eſſe(& huius fore antidotum Vincetoxicum)valde probabile eſt. Certum tamen exploratumq́; ſibi eſſe ait,aliis venenis à cane deuoratis antipharmacum fuiſſe, quēadmodùm Thoræ Anthorã, & Pardalianchis herbam Paridis. Altera Periploca repens prolixioribus & leuioribus vimineis ſurculis ſerpit, variiſq; flexibus arripit & amplectitur obuios caudices Periclymeni modo: folia vtrinq; ex aduerſo bina, Periclymeni potiùs quàm Hederæ æmula,ſed apice quemadmodùm Vincetoxicū donata:ſiliquę ſolertiore cōnexione mutuis erāt coniunctæ quaſi roſtris,vna & floris baſi,ſeu calatho,vtrinq; repandæ,ſummis & imis inſertæ mucronibus,Rhododendri quadantenus modo.
In Hiſtor. purgant. Eaſdem Periplocas deſcripſit & depinxit Dodonæus,& ad Dioſcoridis Apocynū referendas eſſe cenſuit, præſertim priorem. Eaſdem Lobellius etiã pictas dedit, & priorem cognatæ figuræ eſſe & naturæ cum Scammonio Monſpelienſi tradidit, ſucco, viticulis & longo radicis reptatu. Sed ab hac ſanè diuerſum eſt Scammonium Monſpelienſe.

ACONITVM. CAP. X.

Nomina
Li.27. ca.3. AKONITON Græcis, Aconitum Latinis. Naſcitur, inquit Plinius, in nudis cautibus, quas aconas nominant. Et ideò Aconitum aliqui dixere,nullo iuxtà ne puluere quidem nutriente. Hanc aliqui rationem nominis attulere. Alij quoniam vis eadem in morte eſſet, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam,ſtatimq́; admota velocitas ſentiretur. Fabulæ narrauere(id declarat Ouidius in Metamorphoſi) è ſpumis Cerberi canis,extra-
Lib.7. hente ab inferis Hercule,extitiſſe,ideóque apud Heracleam Ponticam, vbi monſtratur is apud inferos aditus, gigni. Idem Ouidius à cautibus nomen inditum
Ibidem. canit his verſibus:

Quæ, quia naſcuntur dura viuacia cote,
Agreſtes Aconita vocant.

Theophraſtus ab Aconis,vbi plurimum naſcitur,nomenclaturam duxit. Is autem vicus eſt Periandynorum,qui ad Heracliam Ponti eſt. Rurſus Plinius alio in loco
Lib.6. ca.1. ait,Portus Aconæ,veneno Aconito dirus. Aptior verò,inquit Pena, fuerit nomenclaturæ interpretatio, ſi eam ab herbæ ſucco vel radice,quibus quaſi cote ſpicula à venatoribus affricta & ſubacta celeriùs ſubirēt, & perniciem adferrēt,quàm ſi à cautibus,aut à pago cognomine deducas:tametſi poſſit etiã ἀπὸ τοῦ ἀκοντίζειν deduci, quemadmodū τοξικὸν ἀπὸ τοῦ τοξεύειν,nō à taxo.Sic enim in Cyripædia Xenophon. οὐδὲ γὰρ τοξεύειν, οὐδὲ ἀκοντίζειν ἄνθρωπον ἐπετρέπομεν ὑμῖν.Neque enim iaculari,neque in
Li.4. ca.72. & 73. hominē collimare permittebamus vobis. Dioſcorides duo ponit Aconiti ſumma genera.Vnum,quod Pardalianches vocāt,aliqui Cammaron,alij Thelyphonum,
Genera. alij Myoctonū,alij Therrophonū ſiue Therophonū. Alterū Aconitum Lycoctonum,quod & Cynoctonū, cuius tria facit genera.Vnū quo vtūtur venatores,alia duo,quæ in vſum ſuū vertere Medici,ex quibus tertiū Ponticum nominatur. Hic tamen diſsimulandū nō eſt, verba hæc,Vnum quo vtūtur venatores, &c.in vulgatis codicibus Græcis exarata nō eſſe,ſed ſtatim huius Aconiti nominibus locū natalē & deſcriptionē ſubiūgi,ſine vlla generū diſtinctione:quæ nec in Oribaſio reperias,& Marcellus vt ſpuria reſpuit. Illud,quia enecat pãtheras, Pardalianches, quia fœmini ſexus animalia tactis genitalibus, Thelyphonum, quia feras omnes Theriophonū nominatur. Cãmaron verò à radice Cãmaro marino ſimili, Plinio auctore. Myoctonū,quia procul & è longinquo mures necat. Hoc Lycoctonū &
Li.c.1. & 2. Cynoctonū,quia priuatim lupos caneſq́; interimat.Plinius de vno & priore Aconito Dioſcoridis ſcripſit,alterum prorſus omiſit. Theophraſtus de Thelyphono ſine Aconiti mētione tradidit ea,quæ ad prius genus Aconiti Dioſcoridis pertinent,quæ

nent, quæ etiam Plinius transcripsit, & de Aconito velut ab illo diuerso seorsum. Certè Aconitũ multarũ stirpiũ vnũ fuit nomẽ, quas inter multas lethales cõpertum esset celerrimã & certissimã mortẽ adferre: de quibus, quia Theophrastus & Dioscorides succinctè nimis, atque minùs apertè scripsere, (flores enim & alia in delineationibus prætermiserũt) factũ est, vt alij atq; alij Aconita alia atq; alia statuerint. Aconitũ Pardalianches tradit Dioscorides folia habere tria aut quatuor, Cyclamino vel Cucumeri similia (συκίῳ simpliciter habẽt exẽplaria, Oribasius syluestri Cucumeri) minora tamẽ, & subaspera, caulẽ dodrantalẽ, radicem scorpionis caudæ similẽ, alabastri modo nitentẽ. Hic neq; florum, neque fructus vlla mentio. Ferunt Aconiti huius radicẽ scorpioni admotã eũ resoluere, & ediuerso admoto Elleboro excitari. Ocularibus medicamẽtis dolorem tollẽtibus miscetur. Enecat pardos, sues, lupos, & feras omnes carnibus impositũ & obiectum. Quibus similia ferè de Thelyphono Theophrastus prodidit. τὸ δὲ θηλύφονον (οἱ δὲ σκόρπιον καλοῦσι διὰ τὴν ῥίζαν ὁμοίως ἔχειν τῷ σκορπίῳ) ἐπιξυόμενον (Gaza ἐπιτιθέμενον legit) ἀποκτείνειν τὸν σκόρπιον. ἐὰν δέ τις ἐλλέβορον λευκὸν καταπάσῃ, πάλιν ἀνίστασθαί φασιν. ἀπόλλυσι δὲ καὶ βοῦς, καὶ ὑποζύγια, καὶ πρόβατα, καὶ ἁπλῶς πᾶν τετράπουν, ἐὰν εἰς τὰ αἰδοῖα τεθῇ ἡ ῥίζα, ἢ φύλλον, αὐθήμερον. χρήσιμον δὲ πρὸς σκορπίου πληγὴν πινόμενον. ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον ὅμοιον κυκλαμίνῳ, τὴν δὲ ῥίζαν, ὥσπερ ἐλέχθη, σκορπίου. φύεται δὲ ὥσπερ ἄγρωστις, καὶ γόνατα ἔχει. φιλεῖ δὲ χωρία σκιώδη. Id est, Gaza interprete, Thelyphonũ, quod alij Scorpionẽ appellant, quia radicẽ scorpioni similem habet, admotum scorpionẽ occidere tradũt, & eum, reuiuiscere posse si Elleboro candido linatur. Enecat idem & boues, & oues, & iumenta, & in summa omnes quadrupedes eadem die, si genitalibus folium vel radicula imponatur. Proficit potũ cõtra scorpionũ ictus. Foliũ habet Cyclamini, radicem, vt dictum est, similẽ scorpioni. Nascitur graminis modo, & geniculis constat: loca amat vmbrosa. Quæ sic Plinius exscripsit. Thelyphonum herba ab aliis Scorpion vocatur propter similitudinẽ radicis, cuius tactu moriũtur scorpiones. Itaque cõtra eorum ictus bibitur. Scorpionem mortuum si quis candido Elleboro linat, reuiuiscere aiunt. Thelyphonũ omnẽ quadrupedem necat, imposita verẽdis radice, folio quidẽ intra eundẽ diẽ, quod est simile Cyclamino. Ipsa geniculata nascitur in opacis. Quãuis hæc apertè eadẽ sint cum iis quæ de Aconito pardalianche Dioscorides prodidit, tamẽ eadem alio in loco de Aconito repetit Plinius, aliis tamen quibusdam additis. Constat omnium venenorũ ocyssimũ esse Aconitũ, & tactis quoque genitalibus fœminini sexus animalium, eodem die inferre mortem. Hoc quoque tamẽ in vsus humanæ salutis vertere, scorpionũ ictibus aduersari experiundo datum in vino calido. Ea est natura, vt hominẽ occidat, nisi inuenerit quod in homine perimat. Cum eo solo colluctatur, velut pari intus veneno. Sola hæc pugna est cùm venenũ in visceribus reperit: mirumq; exitialia per se ambo cùm sint, duo venena in homine cõmoriuntur, vt homo supersit. Et mox, Torpescunt scorpiones Aconiti tactu, stupentq; pallentes, & vinci se confitentur. Auxiliatur eis Elleborum album, tactu resoluente: ceditq; Aconitũ duobus malis, suo & omnium. Quod duobus malis dicit Aconitũ cedere, suo & omniũ, intellectu est difficile. Hunc locũ veluti mendo inquinatum coniectura sic emẽdat Cornarius. Ceditq; Aconitum duobus malis, suo dominio. Quam lectionẽ minimè probo. Quidam pro malis legunt, modis, & sic interpretantur, Aconitũ cedere, id est, innoxium fieri, ac nihil lædere, duobus modis: suo, nimirùm proprio, ac peculiari, si reperiat venenum in corpore: & omnium, sub. venenorum, quorũ vis frangitur idoneis & conuenientibus alexipharmacis. Pergit Plinius, Tangunt carnes Aconito, necantq; gustatu earũ pantheras, nisi hoc fieret, repleturas illos situs. Ob id quidam Pardaliãches appellauere. Et rursus, Maiores oculorum quoq; medicamentis Aconitum misceri saluberrimè promulgauere, aperta professione,

Li. 4. ca. 72.
Forma.

Lib. 9. hist. cap. 19.

Li. 25. ca. 10.

Lib. 27. c. 2. & 3.

malum quidē nullum esse sine aliquo bono. Fas ergo nobis erit, qui nulla diximus venena, mōstrare quale sit Aconitū, vel deprehendendi gratia. Folia habet Cyclamini, aut Cucumeris, nō plura quatuor, ab radice leuiter hirsuta. Radicem modicam Cammaro similē marino. Quare quidam Cammarō appellauere, alij Thelyphonum ex qua diximus causa. Radix incuruatur paulū scorpionū modo, quare & Scorpium aliqui appellauere. Nec defuere qui Myoctonum appellare mallent, quoniā procul & è lōginquo odore mures necat. Hæc Plinius de Aconito primo Dioscoridis. Theophrastus seorsum, vt diximus, hæc de Aconito à Thelyphono


Lib.9. hist. cap.16. diuerso scripsit. Τὸ δὲ ἀκόνιτον γίνεται μὲν, ὥς φασι, καὶ ἐν κρήτῃ, καὶ ἐν ζακύνθῳ· πλεῖστον δὲ καὶ ἄριστον ἐν ἡρακλείᾳ τῇ ἐν τῷ πόντῳ. ἔχει δὲ φύλλον μὲν κιχωριῶδες, ῥίζαν δ᾽ ὁμοίαν τῷ σχήματι καὶ τῷ χρώματι καρύᾳ. τὴν δὲ δύναμιν τὴν θανατηφόρον ἐν ταύτῃ. τὸ δὲ φύλλον, καὶ τὸν καρπὸν οὐδὲν φασὶ ποιεῖν. καρπὸς δὲ ἐστὶ πόας, καὶ οὐχ ἡλύματος. βραχεῖα δὲ ἡ πόα, καὶ οὐδὲν ἔχουσα περιττὸν, ἀλλὰ παρομοία τῷ σίτῳ. τὸ δὲ σπέρμα οὐ σταχυηρόν. φύεται δὲ πανταχοῦ, καὶ οὐκ ἐν ταῖς ἀκόναις μόνον, ἀφ᾽ ὧν ἔχει τὴν προσηγορίαν. αὕτη δὲ ἐστὶ κώμη τις τῶν περιανδυνῶν. φιλεῖ δὲ μάλιστα τοὺς πετρώδεις τόπους. οὐ νέμεται δὲ οὐδὲ πρόβατον, οὐδὲ ἄλλο ζῶον οὐδέν. συντίθεσθαι δὲ τρόπον τινὰ πρὸς τὸ ἐργάζεσθαι, καὶ οὐ παντὸς εἶναι. διὸ καὶ τοὺς ἰατροὺς οὐκ ἐπισταμένους συντιθέναι, σηπτικῷ δὲ χρῆσθαι. καὶ πρὸς ἄλλα ἄττα πινόμενον, οὐδεμίαν αἴσθησιν ποιεῖ, οὔτ᾽ ἐν οἴνῳ, οὔτ᾽ ἐν μελικράτῳ. συντίθεσθαι δὲ, ὥστε κατὰ χρόνους τακτοὺς ἀναιρεῖν, οἷον δίμηνον, τρίμηνον, ἑξάμηνον, ἐνιαυτὸν, τοὺς δὲ καὶ δύο ἔτη. χείριστα δὲ ἀπαλλάττειν τοὺς ἐν πλείστῳ χρόνῳ καταφθίνοντας τοῦ σώματος, ῥᾷστα δὲ τοὺς παραχρῆμα, λυτικὸν δὲ φάρμακον οὐχ εὑρῆσθαι, ὥσπερ ἀκούομεν ἕτερόν τι φύεσθαι. ἀλλὰ τινες τοῖς ἐνεγχαμένοις βοηθεῖαι εὕρηνται. τοὺς γὰρ ἐγχωρείους ἀνασώζειν τινὰς μέλιτι καὶ οἴνῳ, καὶ τοιούτοις τισὶ, σπανίως δὲ καὶ τούτους, καὶ ἐργωδῶς. Id est, Aconitum nascitur, vt aiunt, in Creta & Zacyntho: plurimū & optimū in Heraclea Ponti. Foliū habet Cichorio simile, radicē figura & colore similē nuci (Sic vertit Gaza, legit enim καρύᾳ, sicut & in vulgatis codicibus exaratū est. Dioscorides πλεκτάναις καρίδων, id est, cirris squillarum cōparauit, Plinius Cammaro marino, vnde Cammarū appellatū dixit:) vim mortiferā illi inesse, folium autē & fructum nihil nocere aiunt. Fructus est herbæ, non humilis materiæ. Breuis est herba, & nihil superuacui habens, sed similis frumento: semen autē nō spiceum. Nascitur vbiq;, & non in Aconis solùm, vnde nomen accepit. Est autē vicus is Periandynorum. Gaudet locis petrosis. Neq; pecus, neque vllum aliud animal ipso pascitur. Cōponi id quodāmodo narrāt ad aliquid efficiendum, nec id cuiusuis esse. Quare medicos cōponendi ignaros pro putrefaciente vti, & ad alia quædam: si bibatur, nullum sui sensum inducere, neq; in vino, neque in aqua mulsa. Componi verò vt certo tempore interimat, veluti duobus, aut tribus, aut sex mensibus, item anno, aliquos etiam duobus annis. Pessimè verò illos de vita decedere quibus longo tēpore corpus cōtabescit, facillimè quibus statim. Nullum autē huius antidotum esse ex aliqua alia planta audiuimus, sed iis qui sumpsissent remedia quædā excogitata fuisse: nam incolas seruasse quosdā melle & vino, & quibusdam aliis huiusmodi, sed & hos raro, atque etiam operosè. Hæc Theophrastus. Quæ de Plinij, prioréve Dioscoridis Aconito intelligi nō possunt, si neque de posteriore, hoc vno dempto, quòd vterq; radices τῇ καρίδι comparauit, si

Lib.4.c.73. in Theophrasto pro καρύᾳ rectè καρίδι legatur. Sic enim Dioscorides alterū Aco-

Forma. nitum describit. Aconitum alterum, quod alij Cynoctonum, alij Lycoctonū appellant, nascitur plurimum in Italia, montibus Iustinis, præstātius superiore. Folia habet Platani, magis tamen incisa, longiora & nigriora: caulem veluti Filix, cubiti altitudine: aut maiorē, pediculum glabrum: semē in siliquis aliquatenus longis: radices cirris marinarū squillarū similes, nigras, quibus ad luporū venationes vtuntur: nam insertæ carnibus crudis, & à lupis deuoratæ, eos enecant. Hæc solùm in quibusdā Dioscoridis codicibus reperias, in aliis tria notātur Aconiti Lycoctoni genera, vt iam monuimus, quorum tertium dūtaxat describitur, nimirū Ponticū. Quare

Quare meritò docti viri in hoc capite quædā desiderari suspicātur, quibus Dioscorides & Aconitorū duorū historiā, & quomodo tum venatores, tum Medici iis vterentur, declaret, quemadmodū in Pōtico nihil horum prætermisit. Nunc Aconita varia ex peritissimis Herbariis proferamus. Ac primū fuerit Matthioli Aconitum Pardalianches. Planta est, inquit, in nudis & arduis montium summitatibus cautibúsque proueniens, vmbrosis tantùm locis, foliis Cucumeri proximis, ad summum quatuor, iisq; subhirsutis. Caulem edit palmarem, subhirsutum, quemadmodū & foliorum petiolos. Florē non vidit, verùm Doronici æmulum esse suspicatur. Radicem edit alabastri modo splendentē, dum recens est, digiti crassitudine, ex lata origine in acutum desinētem, incuruā, geniculatā, & tota facie scorpionis caudam æmulantem. Hanc vidisse se legisseq; affirmat tantùm in Ananiensibus montibus Tridentini agri, locis ferè inaccessis & præruptis. Raram quidem illam esse, & ab aliis fortasse haud visam, quàm ab iis quibus videndi copiam fecit, quos multos veritatis locupletissimos testes profert. His tamen fidem adhibere nolunt pleriq; periti Herbarij, nec vlla aut Matthioli asseueratione aut testimoniis persuaderi possunt, vt plantam hanc in rerum natura existere credant: quin potiùs fictam ac cōmentitiam picturam esse existimant. Imprimis Gesnerus, cuius hæc sunt verba in libro de Lunariis. Matthioli pro Aconito primo delineata imago, planè fictitia mihi videtur: siue ipse ad Dioscoridis descriptionem confinxerit, siue ab alio deceptus acceperit. Quanquā enim ipse hoc Aconitum primum sæpe in Tridentinis montibus se legisse scribat, non tamen fidem apud nos meretur radicis quam proponit forma nimis sane artificiosa, nimiumq; σκορπιοειδὴς absque vllis fibris. Idem Gesnerus Toram venenatam (aliqui Lunariā vocant, fortè quòd folium ei rotundum & orbiculare sit instar Lunæ plenæ) Aconitum primū Dioscoridis esse asserit, quòd folia tria edit ab vna radice, quorū duo extrema minora sunt, & absque cauliculo, medium maius est. Ea rotunda sunt, planè circinata, ea ferè magnitudine, vt diameter duos pollices æquet, in circuitu serrata, solida, albicantia. A medij principio cauliculus enascitur, simul & paruum aliud folium mucronatum inde profertur. Radiculæ circiter decē, ceu Napi quidā exigui ab vno omnes radicis capite oriuntur. Eandē plantam ab Anguillara Patauini horti præfecto verū Aconitum Pardalianches iudicari scribit: reperiri in mōte Baldo inter Patauiū & Veronā: oriri etiam apud Valdenses in Alpibus Vnderflumen, & Engronia. In eadē sententia Gesnerus perseuerat in Hortis Germaniæ. Aconitum primū, siue Pardalianches voco, inquit, nō quod Fuchsius pinxit, neq; Doronicū, vt quidam, neque depictā à Matthiolo herbā, de qua dubitamus etiam, nū in rerū natura extet, & si extat, an rectè ab eo pingatur, nullis penitus in radice fibris, quod ego in nullam plantā cadere dico. Sed ego Aconitum primū, Toram vulgò

ACONITVM Pardalianches, Matthioli.



TORA Valdensium, Aconitum I. Diosc. Gesnero.



Vide Phytogr. pag. 335.

dictam à Valdensibus, vt semper, & quidem primus existimaui, ita magis, ac magis
in ea sentẽtia cõfirmor. Scio, inquit, & alias quasdã herbas diuersis in locis Thoræ
nomine vocari, vt in Italia alicubi Napellũ. Ego de Thora, siue Toxico Valdensiũ
loquor. Nascitur spõte in mõtib⁹ quibusdã Sabaudiæ & Valesię nostræ, radiculis, cũ
recẽtes sunt, omniũ cãdidissimis, scorpionũ specie, præsertim caudæ, in quibusdã
manifesta. Foliũ aliis plãtis singulare est, aliis bina, terna, quaterna, aut etiã quina
Lib. de Lunariis. ab vna radice. De eius veneno hæc ex epistola ad se missa descripsit. Venenũ le-
thale ex ea cõficitur, quo si gladius, aut spiculũ, aut sagitta infecta fuerit, & hominẽ
vulnerauerit (mirabile dictu) nisi pars læsa subitò abscisa fuerit, vt nequeat veneni
malignitas in reliquũ corpus serpere, totũ sanguinẽ ita corrũpit atq; coagulat, vt
statim occîdat, nec vllo remedio aut medicamine, quod sciãt, vitę ac saluti succur-
ri possit. Itaq; necesse est eũ qui percussus fuerit miserè perire. Si verò aliud animal
sagitta huiusmodi veneno intincta, verbi gratia vrsus aut fera alia, percussum fue-
rit, bino aut trino saltu facto moriẽs cadit, cuius carnes si edãtur, nihil nocent ho-
mini. Quo datur intelligi, id venenũ soli sanguini inimicũ esse. Nam & cõtrà ve-
neno illi sanguis ita inimicus est, vt si in ollã in qua seruatur venenũ sanguis inci-
derit, venenũ suã vim amittat, nec ampliùs nocere possit. Idẽ ex alterius epistola
refert, herbæ huius radicẽ seruari aliquãdiu in loco humido, posteà contundi, vbi
contusa fuerit, succo eo qui expressus fuerit sagittas tingi. Vim illius experturi, in-
quit Gesnerus, acum eo succo inficiunt, qua ranã pungũt, quæ si illico moriatur,
præsentaneũ venenũ indicant. Peritus mihi quidam Herbarius narrauit certè, cũ
in arduo mõte effossam illã herbã statim comes suus olfecisset, cõcidisse velut exa-
nimatũ, víxque frictionibus & vino faucibus instillato fuisse reuocatũ. Dicebat &
idẽ aliquãdo sibi obseruatũ, sanguinẽ è vulnere fluentẽ admota illa herba tusa cũ
radice primũ substitisse, deinde versus plagã recurrisse. Hanc Matthiolus Pseudo-
aconitũ Pardaliãches vocat immeritò, cũ pnitiosa facultate quoduis Aconitũ &
Li. 27. ca. 11. Toxicũ superet. Sũt qui ad Cyclamini genera referãt. Quidã Limeũ Plinij esse su-
spicãtur. Limeũ, inquit, herba appellatur à Gallis, qua sagittas in venatu tingunt
medicamẽto, quod Ceruariũ vocãt. Pena cõmentitiũ etiã Matthioli Pardaliãches
esse arbitratur: Thorã verò Soldanellis, Gramini Parnasio hederaceo recentiorũ,
& Cyclamino accẽset, de qua scitè admodũ disseruit, & dilucidiùs quã Gesnerus
expressit his ferè verbis. Thora Valdensiũ herbula est, inquit, qua passim multùm
diuq; Alpiũ incolæ venatores vsi sunt, vti etiã multi alij ad feras capiẽdas, quibus
solo succo expresso & spiculis illito certã citamq; perniciẽ parãt. Qua nãque hæse-
rit telum, aut vulnus fecerit, subitò repẽtè virus, quo illico ora vulneris (nisi præci-
sione anteuertãt) corrũpũtur, putrescúntve: vnde Thora nũcupata, manifesto Gręcæ vocis vestigio, Thora ex φθορὰ deducta, quæ est corruptio, venenũ, aut mors.
Omniũ enim, vt aliorũ Aconitorũ, atque etiã Ellebori quibus sagittæ inficiuntur,
vires qui lõga experiẽtia cognouerũt, si cũ istius viribus cõparentur, multò minùs
efficaces & incertas existimãt. Huius Vere ineũte succus premitur, atque vesiculis
aut potiùs vngulis & cornibus bouillis recõditus emitur, mittiturq; venũ ad em-
poria finitima, vbi ad vsus annuos venationũ sibi cõparãt ferarũ insidiatores, quos
Delphinates, Allobroges, & Prouinciales *Beßiers* & *Loubatiers* vocant. In montibus
Geneuę cõterminis nascitur, sesquipalmũ vix superãte caule, glabro, & iunceo, cu-
ius è medio & summo sæpe vnũ, raro bina, rarissimè toto caule terna aut quaterna
folia, ambitu circinato, & tantillũ cristato, superficie glabra, & rigidiuscula, nõ hir-
suta, læuore & colore virẽte, nõnihil ad Cyclaminũ accedũt: flores lutei Pẽtaphyl-
li, Tormẽtillæ've: radiculæ sat multæ, quasi torulis oblongis, in imo exilioribus &
acutis, supnè autẽ quasi nodulo collectis, Asphodeli similitudine & cãdore, cespi-
Ca. 30. hist. tem amplexæ, quasi cancri forcipulæ. Hæc de Thora Pena prodidit. Fuchsius pro
Aconito Pardalianche plantam depinxit, quam Herbariorum vulgus Vuam ver-

ſam, & Vulpinam, alij Herbam Paridis vocant, Germani *Vuilffsbeer & Doluurtz.* Sed Aconitorum delineationes hanc eorum ſpeciem non eſſe arguunt. Præterea deleteriam vim huic ineſſe plerique negant. Certè antidotis aduerſus lethalia pharmaca paratis admiſcetur. Dodonæus in Hiſtoria ſtirpium cùm Aconitum Pardalianches aliud nactus non fuiſſet, eius picturam ex Matthiolo mutuatus ex- Lib. 3. c. 77.

DORONICVM Rom. Aconitũ Pardalianches antiquorũ, Dodon.



hibuit, quam haud veram ſed fictitiam pleriſq; videri diximus, quibus in fine eiuſdem Hiſtoriȩ aſſentitur, atque Doronicum Romanum Officinarum, Aconitum Pardalianches antiquorũ eſſe aſſerit. Et in Hiſtoria purgantium Aconitum Pardalianches deſcripſit, quod Pena & Lobellius & Herbarij plurimi Doronicum appellant, cuius etiam radiculas paſſim pro Doronico medicamentorum compoſitionibus admiſcent. Has teſtatur Lobellius ſæpius à Ioanne de Vrœde Rhizotomo ſine noxa vlla impunè deuoratas, quamuis canibus pernitioſæ prodantur. Foliis exit ſubrotundis, latis, dilutè virentibus, mollibus, tenui lanugine pubeſcentibus, Hederæ cuiuſdã, ac vnius Cyclamini foliorum quidem forma, ſed amplioribus, ad Cucumeris folia magis accedentibus, minoribus tamen, & mollioribus: caulis dodrante altior, & ipſe lanugine haud carens, ſtriatus, & quaſi multiangulus, alioqui rotũdus, qui in pauculos diuiſus ramulos, ipſis faſtigiis flores promit, Chryſanthemi æmulos, medio videlicet diſco, & orbiculato ambitu luteos, qui in tenues & candi-

Vide Phyrop. pag. 337.

ACONITVM Pardalianches minus, Matthioli.



ACONITVM Pardalianches, Plinij.



dos pappos reſoluuntur. His ſubſunt exigua nigricantiáque ſemina: radiculæ haud
magnæ, candidæ dum recentes ſunt, geniculis velut articulatæ non rectè deſcen-
dunt, ſed graminis modo per obliquum ſerpunt, & ſubinde extuberantes nouella
germina protrudunt (ita ſeſe multiplicante ſtirpe) demiſſis etiam ab ipſis tubero-
ſis partibus aliquot deorſum concoloribus fi-
bris. Referunt radiculę exanimatos ſcorpiones:
nam anterior & tuberoſior cauliculis proxima,
corpuſculum cum pedibus, poſterior articula-
tam exprimere videtur caudam. Theophraſtus
Thelyphoni, quod idē eſſe cū Aconito primo
Dioſcoridis putamus, radicem ſcorpio ſimilem
eſſe ſcribit, Dioſcorides ῥίζαν ὁμοίαν σκορπίου οὐρᾷ.
Sed fortaſſe, inquit Dodonęus, dictio οὐρᾷ redun
dat, vt cum Theophraſto legēdum ſit, ῥίζα ὁμοία
σκορπίῳ. Hanc plantam appellat Matthiolus
Pardaliāches minus, quod falſò Doronicum vo
cāt. Alia verò huius Aconiti ſpecies eſt, inquit
Dodonæus, antedicta paulò maior, ſaturatiùs
virens, procerior, cuius radix longior minùs ſer
pit, & adnatis vtrinq; cāmarum potius quàm
ſcorpionem refert. Hanc pro Aconito Parda-
lianche Plinij Matthiolus pinxit, cui aliud ad-
dit, quod Theophraſti Thelyphonū & Aconi
tum Pardalianches facit. Hoc radicem habet
non ſolùm quæ ſcorpionem integrum referat,
ſed folia Cyclamini, radicis fibras geniculatas
Graminis modo, & ſimiliter ſeſe propagantes,
& alios rurſus ſcorpiones exprimentes, ex qui-
bus poſteà & folia & germina erūpunt. At cau-
les & flores nihil ferè à ſuperiore differre viden
tur, ſunt enim aurei oēs Chryſanthemi mo-
do. Hanc triplicē proximè explicatam Aconi-
ti Pardalianchis differentiam Pena, Lobellius,
& plurimi Herbarij pro triplici Doronici diffe
rentia agnoſcunt, de qua fuſiùs tractauimus in
libro de plantis quæ in aſperis naſcuntur. Vni-
folium hoc venenatum, Plinij Cyclaminum
quidam tertium eſſe volūt, radice piſcibus exi-
tioſa. Gignitur in niuoſis montibus Allobro-
gum prope oppidulum quod Muram vocant,
& in Iuræ cacumine, vel ſub ipſa niue ſtatim
vt nix liquata eſt ſeſe attollens, & floreſcēs men
ſe Maio, vel Iunij principio: radice in appendi-
ces diuiſa, Rapūculis ſimiles, quod fortaſſis Pli-
nius ramoſum dixit, fibrata, guſtus valde acris
cùm terra primùm exit, vnico folio, craſſo, car-
noſo, pallidè virente, venoſo, lateribus diuiſo,
Cyclamino ſimili, paulò rotundiore: caule te-
nui, dodrātali: flore Violæ, luteo, cui foliolum
alterum ſubnaſcitur, non, vt prius, rotundum;
ſed

ACONITVM Pardalianches Theophraſti, ex Matthiolo.



LIMEVM Pardalianchis genus vno tantùm folio, Dalech.




LIMEVM alterum duplici folio.



ſed longum & anguloſum. Tam venenata planta eſt, vt cùm recēs erutam & lethalem adhuc odorem ſpirantem Herbarius quidam mihi comes curioſiùs & ſæpius olfeciſſet, velut exanimatus corruerit, vnde & ab eo piſces interfici poſſe, animo concipio. Alpinas gentes vallis Putæ ſagittarum ferrum huius plantæ ſucco tingere compertum eſt ad ferarum venationem, ineuitabili letho pereuntibus, quas ſic vulnerauerint, vt vel gutta ſanguinis è plaga fluat. Acicula huius ſucco tincto columbum leuiter punctum nos paulò pòſt mori vidimus, cùm tam exitioſæ facultatis periculum faceremus. Lineum Plin. cap. 11. lib. 27. quo ſagittas in venatu Galli tingunt, & ideò venenum ceruarium vocant, quidam eſſe arbitrantur. Hactenus de Aconito Pardalianche. Nam Lycoctonum ſeu Cynoctonum oſtendendum, alterum Aconiti ſummum genus, cuius differētias plures, quàm recenſuerit Dioſcorides, hodie norūt Herbarij: tametſi ambiguæ mediæ've naturæ inter Ranūculos, Elleboros & Napellos quædā earum eſſe videantur, vt rectè ſcripſit Pena. Horum Aconitorū quædam luteum florem, alia cæruleum, aut purpuraſcētem proferunt. Matthiolus aliquot Aconiti Lycoctoni ſpecies propoſuit ſine vllis deſcriptionibus, quòd appictæ imagines eas ad viuum repręſentent. De floribus tantùm dicit, eos in quarto & nono aureos eſſe, in reliquis purpureos. Dodonæus in Hi-

ACONITVM Lycoctonum II. Matthioli.



ACONITVM Lycoctonum III. Matthioli.



ſtoria

ACONITVM IIII. Lycoctonum, Matthioli.



ACONITVM V. Matthioli.



storia stirpium Elleborum adulterinũ nigrum siluestrem Fuchsij pro Lycoctono primo posuit. In Historia purgant. aliud Lycoctonum maius luteum facit, cui folia sunt ampla, vt ipse descripsit, in complures partes consecta, Platani foliorum similitudine, sed profundioribus diuisuris, haud μακρότερα (vt perperàm Diosco-

ACONITVM VI. Matth.



ACONITVM VII. Matth.



ridis

ACONITVM VIII. *Matthioli.*



ACONITVM IX. *Matthioli.*



ACONITVM *Lycoctonum luteum maius, Dodonæi.*



ACONITVM *Lycoctonum Dod. ex Cod. Cæsareo.*



ridis exemplaria legunt) ſed μικρότερα id eſt, minora, reſplendentia, ac non rarò nigriora, ſuperiore videlicet parte, inferiore magis albicāte: caulis bipedalis & quandoque altior rotūdus, læuis, ad latus nonnihil inclinans, & nequaquam in totum rectè aſſurgens, in ramos diffuſus: flores ordine ſuprà inuicem digeruntur, colore pallentes

pallentes ſubluteo : ſemen in corniculis nigricat : radices ſæpius nigræ, multis ciris craſſis & flexuoſis implicatæ. In montoſis & opacis ſaltibus, auiíſque nemoribus viret. In hortis Galliæ & Belgij colitur. Trium illorum, quorum quædam Dioſcoridis exemplaria meminerunt, poſtremum eſſe cenſet Dodonæus, Ponticum dictum. Eſt Matthiolo Aconitum Lycoctonum primum. Arabes Strãgulatorem adib, id eſt, lupi appellant, Officinæ quædam Napellum luteum, nonnulli Lupariã, Germani *Uuolfuurtz*, Hiſpani *Yerua matta louo*, Galli *Tue-loup.* Pro deteriore cæteris veneno habetur à venatoribus, qui eo lupos interficiunt, non quòd idem nõ faciant alia Aconita, ſed quia hoc citiùs & certiùs. Quin nonnullis in locis, inquit Pena, adulti flores vel ſolo manſu fauces tumore illico excitato adurunt, & vertiginem cient. Aconitum Lycoctonum aliud depinxit Dodonæus paruum ſiue minus cognominatũ, deſcripſitq́; his ferè verbis. Humilis eſt herba, inquit, præter foliorum pediculos cauliculos nullos habens : ſunt autem hi breues, vix palmum alti & tenues, folium verò in ſingulis vnicum, circumſcriptione quidem rotundum, ſed inſtar Napelli multifidum, & profundis inciſuris radiatim diſſectum, quibus medius inſidet floſculus luteus, forma Ranũculi, quem tamẽ non capitulum, ſed ſiliquæ ponè ſequãtur, paruæ, tres aut quatuor, ſurſum arrectæ, veluti Lycoctoni.

ACONITVM Lycoctonum luteum minus, Dodon.



ACONITVM aliud, Dalechampij.



LYCOCTONVM cæruleum I. flore Delphinij, Dodon.



Radicula

Radicula ſubeſt craſſa, tuberoſa, primæ Anemones æmula, quaſi geniculis aliquot articulata, guſtus admodùm àcris, ex qua foliorum pediculi exeunt. In Belgij hortis floret, inquit, nõ rarò ipſo Ianuario, cùm clementior Hyems fuerit: vnde Aconitum hyemale ſiue hybernum illic dici cœpit. Aconiti autem ſpeciem eſſe & forma foliorum ſiliquarúmque, & pernitioſa herbæ facultas oſtendunt. Matthiolus etiam Aconitum Lycoctonum ſecundum fecit. Vt Lycoctoni lutei, ita cærulei aut purpuraſcentis aliquot ſunt ſpecies. Prima Dodonæo eſt quæ proceris caulibus aſſurgit, inſtar Napelli: folia habẽs variè ſimiliter & creberrimis inciſuris diuiſa: flores ſecundum caules ſuperius veluti in longam ſpicam compoſitos, è puniceo ac obſcuriore colore purpuram æmulantes, forma ferè Floris regij (quem Delphiniũ multi eſſe arbitrantur) in poſterius videlicet corniculum deſinentes: ſiliquas & ſemen vt in maiori Lycoctono luteo: radices oblongas, craſſas tres aut quatuor, paucis adhærentibus fibris. Altera tota externa facie Napellum refert, caulibus videlicet diſſectis, fiſſis & nigricantibus foliis, flore cæruleo, hiante, ex totidem partibus eodem ordine compoſito, ſiliquis etiam ac ſemine omnino ſimilibus: ſed radix eſt diuerſa, coni ſcilicet effigie, bulboſa, ex cuius media baſi cirri multi & fibræ tortiles exoriuntur. Tertium genus cauliculos profert tenuiores, breuiores, dodrante altiores: folia diuiſura Ranunculi aut Lycoctoni lutei, minora tamen: floſculi cæruleo nitent colore, paulò minores quàm Napelli: ſiliquæ & ſemina eadẽ quæ aliis: radix fibroſa, nigricans, adnatis exiguis veluti bulbulis facilè propagatur. Hæc in montibus reperiuntur, vnde in Belgij hortos ſunt trãſlata. Primum ac tertium vna cum Napello ſæpenumerò aut non multò pòſt, ſed ſecundùm multo ſeriùs floret. Lycoctona eſſe ex ipſa facie perſpicuum eſt, ac nocendi non minoribus facultatibus prædita. Aliud Aconitum ex Dalechampio hîc depictum eſt, quod candidum & ἄκαυλον cognominari poteſt. In opacis excelſorum montium iugis prouenit, tenuibus & perquàm multis radicis fibris, nigricantibus: foliis multis, Geranio aut Aconito luteo ſimilibus, longo pediculo & villoſo ſubnixis: nullo caule, vnde ἄκαυλον dictum: floribus principio rubore aſperſis, ſed cùm ſeneſcunt albicantibus, duobus aut tribus ex ſummis foliis prodeuntibus, ſex foliolis conſtantibus, ſingulis ſuo pediculo ſingillatim inſidentibus. Semen

In hiſt. purgant.

LYCOCTONVM cæruleum paruum, Dodon.



ACONITVM candidum, ἄκαυλον, Dalech.



ACONITI Lycoctoni genus aliud, Dalechampij.



videre non licuit. Id cùm Dalechampius Geranium album esse suspicaretur, Herbarij quibus naturæ & facultatis huius plantæ indagandæ negotium cōmiserat, venenatam esse, & ex Aconitorū genere asseruerunt. Dodon. in Histo. purg. Ranunculum albo flore vocat. Item aliud ex eodē Aconiti Lycoctoni genus exhibemus, quod in montosis ac gelidis siluis nascitur, lapidosisq́; cliuis sæpius ad Orientem versis, radice per terram serpente, candida, carnosa, acri, crebris geniculorum nodis scabra: caule sesquipedali, ferulaceo, foliis Ebuli, valde serratis, amplioribus, in vno pediculo ferè septenis, flore Violæ, è puniceo candicante, semine paruo, in siliquis latiusculis. Cùm Aconita omnia lethalia sint, quę mala inuehant, & quæ sit omnium communis medendi ratio ex Dioscoride & aliis veteribus exponamus. Aconitum statim atque bibitur linguam edulcat cum quadam adstrictione, & ab edulcatione vertigines, potissimùm cùm exurgere conantur, inducit, & oculorum humiditates, pectorísque & hypochondriorum grauitatem, simúlque multi flatus redduntur. In his, vomitionibus venenum educere oportet, & clystere aluū purgare. Vtemur in potu Origano, aut Ruta, aut Marrhubio, aut Absinthij decocto cum vino absinthite, vel Erucæ (rectiùs εὐζώμῳ, sicuti Paulus & Aëtius legunt, quàm ἀειζώῳ, id est, Semperuiui, vt vulgaria habēt exemplaria) aut Abrotoni, aut Chamelææ aut Chamæpityos. Prodest etiamnum ipsis opobalsami drachma vna cum melle, aut castorij & piperis & rutæ par pondus cum vino. Et coagulum hœdi, aut leporis, aut hinnuli cum aceto. Ferri quoque recrementum, aut ipsum ferrum, aut aurum, aut argentum igne candens in vino restinctum, vt vinum hoc bibatur. Lixiuium item cum vino & gallina coctum, aut cornuum bubulorum iura cum vino sumpta. Dicitur autem Chamæpitys priuatim ipsis conuenire. His addit Aëtius, eos qui hausere, post dulcedinem & adstrictionem, amaritudinē percipere, constrictionem maxillarum comitari, & oris stomachi morsus, caligare oculos, & subrubentes videri, perseuerantéque malo tremorem concussum tumorémque totius corporis sequi. Sed eandem medendi rationem Aëtius & Auicenna præscribunt. Petrus Aponensis libro de venenis iis qui Aconitum biberunt sphragidem Lemniam commendauit drachmarum duarum pondere ex calida potam, deinde vomitum excitari iubet, à vomitu theriacam eodem pondere exhiberi, ex vino, in quo incocta fuerit Gentiana, putátque Aconiti præcipuum esse antidotum Aristolochiam longam. Galenus scribit Aconitum Pardalianches septicæ & deleteriæ facultatis esse: quare in cibo potuq́; fugiendum, tamen ad putrefaciendum quædam extra os & sedem aptum esse. Herbæ autem radix ad hæc vtilis est. Aconitum Lycoctonum esse similis facultatis, sed peculiariter lupos interficere, sicut illud pardos.

Lib. 6. c. 7. Aconit. noxæ.

Lib. 13. c. 59.

Cap. 23.

Lib. 6. sim.

NAPEL

NAPELLVS. CAP. II.

EST & Aconiti Lycoctoni ſpecies, qui à Barbaris & recẽtioribus Napellus à figura Napi in radice apparentis vocatur, à Germanis *Blouvoluurtz*, & *Rappenblumen*, id eſt, flos rapaceus, à Belgis *Blauwvuolzvuortele*, à nonnullis *Muncks cappen*, id eſt, monachi cucullus ſiue cappa monachi, à Gallis *Chapperon* ſiue *Coqueluchon de moine*. Dicitur & Thora. *Nomina.* Caulem mittit bicubitalem atque etiam tricubitalem, petiolóſque graciles folia ferentes Ranunculi maiora, è virore nigriora, ſupina parte nõnihil albicantia, numeroſioribus altioribúſque inciſuris diuiſa. *Forma.* Flores à medio caule ad ſummum vſque ordine prodeunt, colore cæruleo venuſto, cuculli hiantis, aut galeæ patentis ſpeciem omnibus ſuis partibus referentes: quinque enim conſtant particulis, quarum maior & ſuperior cucullo, aut caſſidi, capitis cauo operimento ſimilis, duæ mediocres latera contegunt, reliquæ inferiores minores ſunt, & anguſtæ, nonnullis exiguis ſtaminibus mediis, villoſis, quibus extremis puncta lurida viridiáve inſunt: ex medio etiam duo paulùm inflexi exoriuntur ſtyli, non priùs quàm eleuetur cucullus ſe exerentes, quos ſequuntur ſiliquæ, in quibus ſemen nigrum, anguloſum ac minutum, vt luteo Lycoctono: radix craſſa, oblonga, Napi figura, foris nigricans, intus candidior. In Alpibus Ananiæ & Rhetiæ, tum alibi in montibus ſponte prouenit. *Locus.* Apud Belgas quandoque in hortis reperitur. Maio aut Iunio, interdum etiam ſeriùs alſioſis locis floret, ſemen Auguſto dat. *Tempus.* Auicenna de Strãgulatore adib, & Strãgulatore leopardi, tum de Napello ſeorſum tractauit. De Napello verò hæc. *Li.2.c.684. & 685.* Napellus venenum pernitioſum, eſt in ſummo caliditatis & ſiccitatis. *Li.2.c.499.* Delet albaras linitum, & confectio eius dicta Alberzachali in potu ſumpta delet albaras, & ſimiliter confert lepræ. *Vires & Temper.* Eſt venenum deſtruens bibentem ſe, maior verò portio medietas drachmæ vnius, & ſecundum me, minùs hoc interficit. Theriaca verò eius eſt mus Napelli, & ipſe quidẽ eſt mus qui eo nutritur. Seman verò (id eſt, coturnices) ex eo cibantur, & non moriuntur, & ex omnibus confectionibus Diamoſchum magis ei reſiſtit. Et alio in loco. Napellus eſt de deterioribus. *Li.4.fen.6. tract.1.c.1.* Et accidit potanti ipſum, vt apoſtementur labia & lingua, & egrediantur oculi eius, & frequens fit ſuper ipſum vertigo, & ſyncope: & non excercere, ſeu non mouere poteſt crura, & eſt oppidò malum. Et qui euadunt ex eo raró euadunt quin cadant in hecticam, aut phthiſim, & quandoque facit epilepſiam odor eius. Et eius ſucco imbibuntur ſagittæ, & interficiunt quem vulnerant ſtatim. Cura. Oportet vt feſtinetur ad faciendum vomere bibentem ipſum cum decoctione ſeminis Napi & Rapæ, & detur in potu vinum, & butyrum coctum vaccinum, dando potum ſupra potum, & ſimiliter decoctio corticum glandium cum vino. Deinde cura eius principalis eſt Bezahar, & medicamẽ de muſco, & Algeduar (id eſt, Zedoaria) & Duha ſeu bis mus buha, (id eſt, herba naſcens cum Napello, & Napellus Moyſi, animal quod moratur in radice Napelli ſicut mus, veluti ipſemet interpretatur) & theriaca magna quandoque *Lib.2.c.500*

NAPELLVS, *Dodon.*



confert in eo vſque ad terminum. Et de melioribus rebus eſt vt in potu detur muſchus in fricatione albezahard, aut quantitas drachmæ vnius de medicamine muſchi cum ſiliqua vna muſchi. Et exiſtimant quidam quòd radices Capparis ſunt Bezahar Napelli. Et omnia albezahard ſunt bona ei, & propriè illud quod ſimulatur albumini, & habet fila ſicut fila lithargyrij. Et animal nominatum mus Napelli, eſt contrarium Napello, & deſtruitur eius operatio cùm comeditur ex ipſo. Hæc Auicenna. Cuius Napellum eſſe plantam eam quam deſcripſimus Herbariis perſuaſerunt ſæua & atrocia illa ſymptomata, in quæ inciderunt qui ſumpſerunt. Tota quidem pernitioſa eſt admodùm, ſed radix pernitioſior, adeò
In cap.73. lib.4. vt manu aliquandiu retenta, inquit Matthiolus, quouſque concaleſcat, tenentem perimat. Quinetiam paſtores necatos aſſerit, qui aſſandis auiculis Napelli caule pro veru temere vſi eſſent. Immanis illius in necandis hominibus facultatis exempla aliquot idem refert. Eandem euidenti ſed perquàm miſerabili experi-
In Hiſtor. purgant. mento Antuerpiæ olim compertam fuiſſe Dodonæus auctor eſt. Cùm enim ab imperitis huius inter acetaria illatæ eſſent radices, quicunque eas ederunt, mox ſæuiſſimis correpti ſymptomatis breui interiere. Inter remedia & antidota, quibus tam lethali veneno ſtatim ſuccurrendum, Auicenna murem Napelli radice nutritum refert, qui naturæ huius maleficæ tota ſubſtantia aduerſetur, & ſumentem ab omni liberet periculo. Matthiolus murem Napelli radicibus victitantem
Li.2.c.500. Lib. de venenis. à ſe ſæpius inuentum affirmat, qui Napellus Moyſi dicitur ab Auicenna. Petrus Aponenſis etiam Napelli bezoar eſſe ſcribit murem naſcẽtem in radice Napelli, qui exſiccandus eſt, & dandus in potu drachmarum duarum pondere. Sed Antonius Guainerius Papienſis, ſua ætate celebris Medicus, in tractatu de venenis hunc non murem eſſe ſed muſcas exiſtimat. Refert etiam quendam philoſophiæ ac veritatis ſtudioſum ſollicitè admodùm & diligenter murem huiuſmodi quæſiuiſſe, neque vnquam vel murẽ, vel arroſam etiam Napelli radicem ab eo repertam, ſed muſcas abundè multas folia depaſcentes inuentas, quas philoſophus ille muris loco accipiens antidotum ex eis confecit, quam & aduerſus alia, ſed contra Napelli venena vtiliſſimam ac efficaciſſimam comperit. Accipit hæc terræ Lemniæ, baccarum lauri, antidoti Mithridatis ſingulorum vncias duas, muſcas Napelli vigintiquatuor, mellis & olei quantùm ſatis eſt. In eadem planè ſententia ſunt Pena & Lobellius, ſcribentes accliues montium ſaltus Rheticarum Alpium Napello abundare. Iunio & Iulio menſibus, cui (omni illic arroſo gramine) parcit pecus omne, nec ab vllo animali attingitur præterquàm à muſcis quæ gregatim aduolant, & illi inſident, & floribus fortè innaſcuntur: ſunt enim fermè concolores, maiores quàm communes, alis capitibúſque ex lurido viridíque vel cæſio virente quaſi cantharides, vel cincedulæ. Haſce aiunt ſe attentiùs obſeruaſſe quidem continenter flores roſtello delibantes, cæterùm murem Napelli fruſtra diu & multis auulſis plantis quæſiuiſſe, & an vidiſſent opiliones percunctatos, vſquã ſibi viſum negaſſe. Quare tum ſuſpicatos Arabas ex μυίᾳ μῦν feciſſe, id eſt, ex muſca murem: μυῖα enim muſca eſt, μῦς mus: nullum enim antidotum ex mure parant, ex muſcis verò præſtantiſſimum aduerſus funeſtum Tarantæ morſum, & epidemicos morbos. Cuiuſmodi hoc. Accipe muſcas quæ paſtum acceperunt de Napello viginti, Ariſtolochiæ, Boli Armeni ana drachmam vnam. Nec in vlla planta huic congenere muſcæ hæ cæruleæ inſident aut victitant. Quo certior eſt coniectura iſtum Napellum eſſe Arabum, & vnum eſſe ex Dioſcoridis Aconitis. Et veriſimile eſt non murem eſſe qui Napello victitet, ſed muſcas quæ linctu eius viuant: nam Aconitum, cuius Napellus eſt ſpecies, mures interimit, atq; inde μυοκτόνον & μυοφόνον, id eſt, muricida dicitur. Plantam aliam hîc depictã etiam Napellum vocant Herbarij ob venenatam facultatem, & Napellum leucanthemum ſeu

NAPELLVS racemosus, Dodonæi.



mum seu racemosum cognominant. Nascitur in saxosis, gelidis, & niuosis mõtibus cum Aconitis inter lapides & saxa: radice longa, lata, innumeris fibris nigris capillata, quę in plerisque id genus plantis sic complicãtur, vt retia temere congesta quis iudicet. Sub his fibris veluti sub fornice inter lapides, ex quibus radix prosilit, cameratum spatium est, in quo mures occultati sæpius deprehẽduntur. Caules multos emittit, sesquipedales, glabros, Filicis modo, nodosos, prope radicẽ nudos: folia Angelicæ similia, gustus amarissimi & abominandi, odoris tetri: florẽ in caulium vertice albũ: fructum Hederæ corymbis similem, qui nouem aut decem acinis cõstat mollibus, nigris. Narrant montium, in quibus hæc planta frequens est, incolæ, ea sumpta lupos & homines necari præsentissimo exitio. Quidam venenatam esse negant, & Actæã Plinij esse volũt. Actæa, inquit, graui foliorum odore, caulibus asperis, geniculatis, semine nigro vt Hederæ, baccis mollibus, nascitur in opacis & asperis, aquosisq;. Datur acetabulo pleno interioribus fœminarum morbis. Sed caules asperos Actææ tribuit Plinius, quos in hac nostra læues esse diximus. Quidam Plinij codices habẽt caulibus Anisi, falsò. Cornarius legit caulibus angulosis, & Actæam Ebulum appellatam à Plinio videri ait, & apud Paulum Æginetam ἀκ]τέας radicem Sambuci radicẽ interpretatur. Dodonæus Christophorianæ nomine describit, & Aconitis adnumerat, propter periculosam & Aconito similem quam habere creditur facultatem: fertur enim exitialis ac non minùs noxia quàm Aconitum.

Lib.27.c.7.

Lib 3.c.48.

In Histor. pu.gant.

ANTHORA. CAP. XII.

QVONIAM pessimè consultum humano generi foret, si de venenis ageretur sine remediorum declaratione, huic de venenatis plantis libro postremam addemus plantam, quæ cùm aduersus venena omnia, tum maximè aduersus Napellum plurimùm valet. Ea est Anthora vulgò dicta, quasi Antithora, seu potiùs Antiphthora, quòd Thoræ aduersetur, & eius sit alexipharmacum. Ea, vt ferunt Herbarij, cum Napello vel prope Napellum crescit in Rhetiæ & Sabaudiæ alpibus, atque etiam alibi. Taurini Ligures atq; Lemani lacus incolæ aduersus exitiale Thoræ venenũ diuinitus comparatam esse putant, qui radicum huius copiam Venetias deferendam curant. Caulem profert sesquipalmarem, interdum cubitalem, rotundum, firmum, in quo tenuia ac multifida profundísque incisuris fissa disparibus interuallis oriuntur folia, in latus sese diffundentia: florẽs Napelli æmulos, sed luteos pallentes & minores: siliquas & semen similia. Radices subsunt geminæ, solidæ, oblongæ, oliuis pares, sæpe maiores, cortice subnigricante, carne intus alba, cùm siccatę fuerint fractu contumaces, friabiles tamen. Sribit Auicenna Napellum Moysi buha herbam esse nascentem cum Napello, eíque propinquam ita ipsum debilitare, vt non crescat, neque fructificet, nullum esse hac melius Napelli alexipharmacum, ad omnia

Nomina

Vide Phytop. pag. 335.

Forma.

Li.2.c.509.

NAPELLVS prior, Matthioli.



ANTHORA, siue Antithora, Matth. Napellus Mosis.



prodesse ad quæ Napellus, ad albaras & ad lepram, & theriacam esse viperæ & venenatorum animalium. Alio in loco tradit Zedoariam illam meliorem esse, quæ cum Napello crescit, atque eius vicinia illius vires retundi. Ex quibus colligere licet Anthoram esse Napellum Moysi Auicennæ, & eiusdem Zedoariã. Diuersam tamen Zedoariam habent Officinæ, de qua dicemus in Peregrinis. Amarissima est Anthoræ radix, & non solùm Napello & cæteris omnibus venenis aduersatur, sed etiam ad purgationes vtilis est: serosos enim & muccosos humores per inferiorem ventrem educit, lumbricos & ventris tineas pellit. Pena & Lobellio auctoribus. Hugo Solerius scribit hanc radicem ad fabæ magnitudinem in iusculo aut vino derasam propinari ad largas durorum corporum per superna & inferna purgationes. Antonius Guainerius in tractatu de peste refert Anthoram magnæ esse aduersus pestem efficaciæ. Et quod ad experientiam, inquit, vidi consimilis cum Dictamno virtutis Anthoræ radicem esse. Et est herba quæ iuxta Thoram illam scilicet herbam nascitur, ex qua venenum conficitur, cum quo in Alpibus Salutianorum & Pinarolij capras siluestres venantur. Et hæc radix Anthoræ assimilatur nucleis oliuarum, & est bezoar illius Thoræ, quæ est adeò venenosa, vt omnia animalia sua interficiat venenositate. Hæc ille. In collibus prope Diam Allobrogum ea frequentissima nascitur. Indigenæ vocant *L'herbe du maclou*, id est, herbam colicis doloribus vtilem. Radicum geminarum altera quotannis, vt in Cynosorchi, flaccescit: altera fit vegetior. Credit in eo tractu Herbariorum vulgus, marcescentem radicem coli cruciatus excitare, grandiorem & augescentem sanare.

Li.2.c.745.

HISTOR

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM LIBER DECIMVS-OCTAVVS,

In quo describuntur & ad viuum depinguntur Plantæ Peregrinæ.

GVAYACVM. CAP. I.

MVLTAE sunt stirpes quæ in remotissimis terrarum oris exoriuntur, tam excellentibus dotibus præditæ, vt iis in tanta nostrarum copia carere nec possimus, nec velimus. Raritas pretium & admiratione auxit, & discendi cupidos veteres Græcos, Latinos, Arabas ad earum notitiam comparandam ita stimulauit, vt maria traiicere, in barbaras regiones proficisci, edita cōscendere, per saltus & auia vagari, omnia denique perlustrare, nullíq; labori parcere voluerint. Quare multi quidem multa & præclara de iis literis consignarunt, sed non omnes omnia quæ viderint, sed auditione duntaxat acceperint: ob id incerta quædam, nonnulla fabulosa tradiderunt. Nunc verò cùm regiones multæ illis prorsus ignotæ, & velut alter orbis detectus sit, iisdem discendi stimulis concitati seduli & industrij viri, multò plura quàm veteres obseruarunt, multóque veriora & certiora de aliis quæ ab illis tradita fuerant, literarum monumētis mādarunt. Ex quibus ea prompsimus quæ studioso lectori satisfacere possunt. Sed multas peregrinas plātas, quæq; ex iis manāt, aliis libris exposuimus, vt in Silua Siliquam catharticam, Ficum Nigritarum, Populum Peruanam, Ahouai, Hairi, & plures alias: in Catharticis Aloën, Rhabarbarum, ordine & quadam cum aliis similitudine id postulante. Nunc de peregrinis arboribus, fruticibus, herbis agemus, quarum fructus, cortices, ligna, radices, semina, succi, resinæ, gummi magno ac quotidiano nobis vsui sunt. Exordiemur autē à Guayaco omnibus notissimo. Indi *Guayacan* vocant, nos Guayacum, siue Gaiacum, alij Lignum Indicum. Hoc alij Ebenum esse dicunt, aut Buxi speciem, alij aliis nominibus appellāt. *Nomina.* Sed nouum est arboris genus nec in his regionibus aut vllis aliis toto orbe veteribus cognito visum, sed in eo solùm qui nuper inuētus est, quā sic descripsit Nicolaus Monard. Magna est arbor, Ilicis magnitudine, ramosa, matrice magna, nigricante, materie quàm Ebenus duriore, cortice crasso, gummoso siue pingui, & cùm siccū *Forma.* est lignum facilè decidente: foliis exiguis & duris: flore luteo, cui succedit fructus rotundus, solidus, quo semina continentur veluti in mespilo. Frequens nascitur in *Locus.* insula S. Dominici. Aliud eius genus in insula D. Ioannis de portu diuite posteā

repertum est, superiori ferè simile, sed minus omnino, & ferè sine matrice, odoratius & amarius superiore, quo vti desiere vt istud vsurparent, ob admirabiles virtutes Lignum sanctum appellatum: experientia enim docuit altero præstantius esse. Quanquam vtriusque facultates in curanda lue venerea maximè sint efficaces: quare ad eam curandam siue coniunctim, siue separatim vtriusque propinatur decoctum. Secundum istud genus videtur esse, quod Pena Palmam aut Palum sanctum Indiæ occiduæ vocat, quam speciem à Guayaco diuersam facit, etsi similis esse dicatur, nempe non vasta vt Fraxinus, sed minor, & concolore cortice: foliis Plantaginis, sed crassioribus, minoribus, pinguioribus, breuioribus: fructu iuglandis magnitudine, aluo subducendæ idoneo. Idem Pena Palmæ sanctæ similis arboris à naucleris Angliæ, qui ex India redierant, surculos se habuisse scripsit, quos depinxit & descripsit his ferè verbis. Rami sunt grandioris arboris, recti, cortice arboris Iudæ, folio Citri carnoso, nudo, quàm Lauri latiore, breuiore, neruoso, in quorum summitate hærent folliculi pallidi, coriacei, circinatæ rotũditatis, admodùm compressi, aureo nummo Gallico ferè pares: in quorum medio insunt semina lentis effigie & colore, compressiora, gustu amaricante. Hæc ex Pena. Quomodo autem & quando Guayaci vsus primùm innotuerit, ita narrant. Hispanus quidam magnis doloribus Hispanici morbi, quem ab Inda muliere contraxerat, torquebatur, cuius seruus in ea prouincia medicinam faciens decoctum Guayaci propinauit, quo non solùm à magnis doloribus illum liberauit, sed etiam pristinæ sanitati restituit: cuius exemplo multi alij Hispani eodem morbo infecti curati sunt. Eius morbi curatio Hispali statim euulgata fuit ab iis qui ex ea insula redierant: hinc per totam Hispaniam, inde per vniuersum orbem, quem hæc lues paulatim occupauit. Atque hoc sanè medicamento nullum aliud aduersus eum morbum præstantius, sic volente Deo, vt vnde manarat morbus, inde remediũ peteretur. Nam primùm ex India occidentali hoc malum duxit originem, præcipuè verò ex insula D. Dominici, quæ prima fuit noui orbis ab Hispanis occupata, vbi morbus hîc tam familiaris est, quàm nobis papulæ, neque eius contagium magnopere quisquam reformidat. Hoc autem modo propagatus fuit. Anno à Christo nato 1493. eo bello, quod Neapoli gestum est à Carolo Gallorum rege, Christophorus Columbus ex prima illa profectione, quam noui orbis conquirendi causa susceperat, cùm rediisset, & inuentis S. Dominici aliisq; insulis inde Neapolin (ibi tum Rex Catholicus erat, pacemq; cum Gallorum rege fecerat) viros ac mulieres secum duxisset, commeantibus vltro citroq; excercitibus, Hispani primùm cùm Indis mulieribus hac scabie correptis, & Indi cum Hispanis consuetudinem habuerunt: deinde ad Italos & Germanos, postremò etiam ad Gallos serpsit hoc malum, ac inde per vniuersum orbem. Ad huius perfectam curationem nullum aliud præstantius remedium, quàm Guayaci decoctum pro morbi magnitudine, ægri viribus, & totius corporis temperatura à medico præscriptum: est enim eius morbi antidotum, neque eum curat manifestis suis qualitatibus. Nam gustus ex Galeni doctrina

PALMAE sanctæ similis arbor.



Vires & Temper.

doctrina in lib. de Simpl. medicament. facultatibus tradita, siccæ admodùm & calidæ substantiæ esse demonstrat, quòd amarum sit eius decoctum & acre, vt calidum ad tertium vsque gradum esse censeatur, & habere partes ἑτερογενεῖς, nempe subtiles, in quibus acrimonia, & terrestres adustas in quibus amaritudo consistit: quare tantam sustinet decoctionē, adeò vt si decies decoxeris, paulò minùs amarum, acre & spissum fuerit hoc decoctum quàm primum, vixq; virtus extrahi possit. Cùm igitur iis qualitatibus præditum sit, non solùm iis non curaret hunc morbum, qui ex calida & sicca oritur hepatis intemperie, imò potiùs exacerbaret. Ex quibus liquet occulta qualitate, & forma specifica, vt aiunt, id agere, quemadmodùm & multa alia medicamenta. Conuenit etiam huius ligni decoctum incipiēti hydropi, asthmaticis, epilepticis, morbis vesicæ & renum, articulorum doloribus, omnibus morbis qui ab humoribus frigidis & flatibus proueniunt, & diuturnis, quibus nihil profuerint cætera medicamenta quæ in vsu sunt quotidiano, præsertim si morbi illi luem veneream subsequantur. Dentes etiam confirmat & dealbat, si sæpius eius decocto colluantur. Qua verò ratione præparandum sit ligni huius præstantissimi decoctum, quis eius vsus, quæ eo vtentibus victus ratio seruanda, non est quòd hîc explicemus, cùm hæc omnia lippis & tonsoribus iam sint notissima.

EBENVS. *CAP. II.*

EBENOΣ, Græcis, Ebenus Latinis, Arabibus *Abanus*, & *Abenus*, Italis *Ebeno*, Gallis *Ebene*. Ebenus optima, inquit Dioscorides, habetur Æthiopica & nigra, nullos habens venarum discursus, factitio cornu læuore similis, cùm frangitur densa, mordens gustu & subadstringēs. Suffitur iucundo odore super carbones sine fumo. Recens igni admota ob pinguitudinem accenditur, & trita ad cotem rufescit. Altera est Indica lineas albas habens & fuluas, item frequentes maculas: cæterùm prior bonitate antecellit. Theophrastus in India tantùm prouenire Ebenū scribit his verbis. Ebenus quoq; Indiæ peculiaris est, cuius duo sunt genera, vnum laudata materie pulchrumq;, alterum ignobile. Quod præstantius, rarum, alterum copiosum. Coloris gratiam non recondita acquirit, sed statim sua natura habet: fruticosa est arbor Cytisi modo. Idem cecinit Maro.

Nomina Li. 1. ca. 111.
Forma.
Lib. 4. hist. cap. 5.
Li. 2. Geor.

-sola India nigrum
Fert Ebenum, solis est thurea virga Sabais.

Hos secutus Plinius, Vnam, inquit, è peculiaribus Indiæ Virgilius celebrauit Ebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus eam Æthiopiæ intelligi maluit, in tributi vicem Regibus Persidis è materie eius centenas phalangas tertio quoque anno pensitasse Æthiopas cum auro & ebore, prodendo. Et mox, Æthiopiæ forma nuper allata Neroni principi, raram arborem Ebenum Meroën vsque à Syene fine imperij per nongenta XVI. M. passuum, nullamq; aliam nisi palmarum generibus esse docuit. Accendi eam Fabianus negat: vritur autem odore iucundo. Duo genera eius, rarum id quod melius, arboreum, trunco enodi, materie nigri splendoris, ac vel sine arte protinus iucundi: alterum fruticosum Cytisi modo, & tota India dispersum. Theuetus scribit Indiam ferre & alere tantopere laudatam Ebenum, sed præcipuè in insula quam Palmobotre vocant præstantissimam & nigrā colligi. Cæterùm an Ebenus quæ ad nos adfertur legitima sit, meritò dubitari potest, quòd suffitu nullum iucundum odorem emittat. At hic tempore & longo per maria itinere euanescere & perire potest. Eum Officinæ pro Xyloaloë habent. Nec obstat, inquit Pena, quin Officinarum Ebenus species sit Guayaci. Nam prædurae assulæ, quæ in Officinis visuntur, & aquis mersæ sidunt, tum pinguedo

Li. 12. ca. 14.
To. 1. lib. 11. cap. 21.

guedo, quæ exudat igni perinde atque è Guayaco, tum aspectus ipse, tum vires & sapor id testari videntur. Prætereà odor ei inest Guayaci, & vires ad eadem quæ Guayacum commendantur. Quod si quis obiiciat solam Indiam nigrum ferre Ebenum ex Poëta, respondet Ebeno idem euenire posse quòd Guayaco, quod nõ modò in Taprobanæ finitimis ad Orientem & Austrum, sed etiam in India occidua longissimè dissita siluestris proueniat. Ebeni facultates has esse scribit Dioscorides. Caliginem oculorum detergèt: ad veteres destillationes pustulasq; mirum in modum pollet. Si quispiam facta ex eo coticula collyriis vtatur, melius proficiet. Ad oculorum medicamenta efficax est, si scobes ramentáve in vino Chio die noctuq; macerata in collyria digerantur. Nonnulli pertrita ipsa excolant. Alij pro vino aqua vtuntur. Vritur in fictili nouo, donec in carbones redigatur. Lauatur plūbi vsti modo, & ita siccis scabrisq; lippitudinibus cōducit. Plinius aliter de eadem re disserit. Non omittetur Ebenus propter miraculum. Scobem eius oculis vnicè mederi dicunt: lignóque ad cotem trito cum passo caliginem discutit. (Dioscorides dixit lignum vice cotis ad terenda collyria paratum vtilius esse.) Ex aqua verò radice, albugines oculorum: item tussim pari modo Dracūculi radicis adiecto cum melle. Ebenum Medici & inter erodentia assumunt. Quæ postrema, Ex aqua verò, &c, Dioscorides non habet, Galenus etiam prætermisit. Ebenus, inquit, ex iis lignis est quæ trita cum aqua in succum soluuntur, vt lapidum nonnulli. Vis ei inest calfaciendi, extergendi, & tenuium partium. Quamobrem quæ pupillas offuscant extergere creditur. Miscetur aliis remediis ocularibus, quæ ad vlcera vetera, fluxiones, & pustulas accommoda sunt.

Vires. Lib.1. c.111. — Li.24. c.11. — Li.6. simpl.

THVS. CAP. III.

GRAECIS λίβανος & λιβανωτὸς, Latinis Thus, Auicennæ Conder, Serapioni Ronder corruptè, Italis *Incenso*, Germanis *Vueirauch*, Hispanis *Enciensо*, Gallis *Encens*. Thus, vt refert Dioscorides, in ea Arabia gignitur quæ Thurifera cognominatur. Primatum tenet in eo genere, inquit, masculum Stagonias appellatum, natura rotundum, cùm frangitur intus pingue, in suffitu statim ardens. Indicum verò suffuluum est, & colore liuidum, sed rotundum industria factitant, nam in quadrangulares formas dissectum fictilibus versant, donec rotunditatem contrahat. Verùm huiusmodi Thus tempore flauescit, quod Atomum, aut Syagrum appellant. Secundum locum habet Arabicū, & in Smilo nascens, quod aliqui Copiscum vocant, minus multò & fuluius. Est & genus cui Amonitæ cognomen est, alioqui candidum, quod dum molitur, mastiches more digitis cedit. Adulteratur in itinere Pini resina & gummi: quod facilè deprehendi potest, quòd suffitum gummi flammam non eiaculatur, & resina in fumum euanescit, Thus verò statim ardet: idem maleficium odor prodit. Hæc de Thure Dioscorides, cuius historiam fusiùs ex Theophrasto & Plinio describere non iniucundum fuerit. Gignitur Thus præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem vniuersæ, sed priuatim in medio ferè regionis, circa Aramitas pagum Sabæorum. Spectat is locus Orientem æstiuum vndique rupibus inuius, & à dextera maris scopulis inaccessus. Siluarum Thus proferentium longitudo est centum milia passuum, latitudo dimidium eius: quas & Minæi attingunt pagum alium incolentes, per quos Thus euehitur vno tramite angusto, à quibus etiam Thus Minæū dictum est: etenim hi primi commercium Thuris fecere, maximéque id exercent. Cæteris Arabibus videre Thuris arbores interdictum est, his exceptis, ac ne Minæi quidem omnes has arbores videre possunt: ius enim in Thus & legendi potestas trecentum tantùm familiarum esse dicunt, quæ id sibi per successionem vendicant, quæq; ob id sacræ vocantur, quia cùm incidūt has arbores, aut metūt, nec fœminarum,

Nomina Li.2.ca.532. Lib. simpl. cap.175. Lib.1. c.70. *Locus.* *Electio.* — Lib.9. hist. cap.4. Li.11.ca.14.

fœminarum, nec funerum congressu polluuntur, atque ita religione merces augentur. Quidam promiscuum ius iis populis esse tradunt in siluis, aliis per vices annorum diuidi. Cæterùm quãquam prisci Romani in Arabia bella gesserint, tamen arboris Thuris facies à nullo quod sciam, inquit Plinius, Latinorum tradita est. Græci quoque variant. Alij enim, vt scribit Theophrastus, folio Pyri minore duntaxat, & herbidi coloris prodidere. Alij Lẽtisco similem, subrutilo folio. Iuba tradidit contorti esse caudicis, ramis Aceris maximè Pontici, succum amygdalæ modo emittere, talésque in Carmania apparere, & in Ægypto satas studio Ptolemæorum regnantium. Cortice esse Lauri constat: quidam & folium simile dixere. Talis certè fuit arbor Sardibus, nam & Asiæ Reges serendi caussa habuere. Qui mea ætate Legati, inquit Plinius, ex Arabia venêre, omnia incertiora fecerunt, quod iure miremur, virgis etiam Thuris ad nos commeantibus: quibus credi potest matrem quoque teretem enodi fruticare trunco. Meti semel anno solebat minore occasione vendendi. Deinde quæstus alteram vindemiam attulit. Prior atq; naturalis vindemia, circa canis ortum flagrantissimo æstu, incidentibus qua maximè videbatur esse prægnans, tenuissimúsque tendi cortex. Laxatur hic plaga, nõ adimitur. Inde prosilit spuma pinguis. Hæc concreta densatur, vbi loci natura poscit tegete palmea excipiente, alibi terra circumpauita. Purius illo modo, sed hoc ponderosius. Quod in arbore hæsit, ferro depectitur, ideò corticosum. Autumno legitur ex æstiuo partu. Hoc purissimum, candidum. Secũda vindemia est Vere, ad eam Hyeme corticibus incisis. Rufum hoc exit, nec comparandũ priori. Creditur & nouellæ arboris candidius, sed veteris odoratius. Quidã in insulis meliùs gigni putant. Iuba in insulis negat nasci. Hæc de Thure veteres literis mandarunt, quæ omnia recentioribus non probantur. Primùm Garcias per vniuersam Indiam Thus minimè prouenire certissimum esse ait, & quicquid Thuris hîc cõsumitur, & hinc in Lusitaniam defertur, ex Arabia aduehi affirmat. Quare miratur Dioscoridem & eum secutum Auicennam scripsisse Thus in India nasci. De Arabibus tamen minùs mirum, qui nigricantem colorem Thuris Indici ex Dioscoride, Indum ea ratione vocare possunt, qua Myrobolanum nigrum, Indum. Cæterùm Thus Arabibus dici *Louan*, idem Garcias auctor est, nomine ex Græco deducto, eóque solo nomine ab omnibus vocari, à paucissimis *Conder*. Arborem etiam quæ Thus producit *Louan* ab iisdem appellari, eiúsque duo esse genera. Vnã montanam, alteram in planis nascentem. Montana montibus confragosis prouenit, optimúmque & laudatissimum Thus profert. In planis nascens Thus profert nigrum & improbum, quo cum aliis resinis permixto naues picant, vti nos pice. Eæ arbores sunt Regis, nec cuiquam Thus colligere licet nisi Regis permissu. Confluunt eo negociatores ex Aden, Xael, & aliis Arabiæ locis, & cum Rege de Thuris quantitate quam auecturi sunt, & de pretio conueniunt, modò laudatum sit ac legitimum, quod nos masculum appellamus, ipsi *Melato*. Arbor Thuris humilis est, & folia habet Lentisco similia, peculiarísque est Arabiæ. Aiunt tamen Hispani in nouo orbe etiam Thus inueniri. Sed fides penes eos esto. Cùm autem optimi Thuris satis vile sit pretium, improbi verò, quod interdum cum optimo miscetur, & cui nonnunquam corticum fragmenta inhærent, multò vilius, id minimè adulteratum ad nos deferri putat Garcias. Quis enim, inquit, adulterare vellet, quod tam vili emitur? Theuetus à Garcia dissidet: scribit enim arborem Thuriferam Pinus resiniferas referre, & succum fundere, qui tempore durescit, & Thus vocatur, cum quo granula reperiuntur arenæ aut sabulo similia, quæ Mannam Thuris vocant. Multas insulas & regiones huius esse feraces, non solam Arabiam, & quibusdam in locis tam vulgarem esse, quàm Aurantiam malum in Galliæ Prouincia. Thus tamen quod in Arabia crescit, & à Pecher & Fartach regni Aden oppidis

[Margin notes: Li.1.Arom. Ind. cap.6. — *Nomina.* — *Genera.* — *Forma.* — To.1.Cosmog.lib.4.]

ARBOR Thurifera, Theueti.



oppidis defertur, vt olim, ita etiam hodie præſtantiſsimũ haberi, quod à priſcis magna cum ſuperſtitione colligebatur. Id duplex eſſe. Vnũ quod æſtate, & quandiu Sol ſub cane eſt, colligitur, candicans, purum, nitidum, pellucidum: alterum quod Vere, rubeſcens, pondere, pretio, bonitate & viribus ſuperiore multò inferius, quia illud maturius, & à Sole ſub cortice ſuæ arboris magis excoctum eſſe videatur. Arabes cultris arbores vulnerant, vt copioſior liquor effluat, quem *Alboucor* vocant. Ex iis arboribus quædam ſexaginta Thuris libras, & eo plus emittunt. Arboris iconem ex Theueto expreſsimus, & eliciendi Thuris rationem. Thus lympidum & pellucidum, nitorémque ac puritatem ſuccini aſſecutum ſe vidiſſe & habuiſſe ſcribit Pena, quod Dioſcoridis notis quadrabat: nam dum adolebatur ſuauiſsimum ſpirabat odorem, & vulneribus tumoribúſque diſcutiendi vi relicta aliqua adſtrictione ad robur partis ſummo erat auxilio: ſe Rupellæ à docto Medico Launano gummi iſtius glebis, arboris fructu & folio donatum. Aſſerebat tamen nihil ille, ſed ſibi relatum à nautis vtrumq; trunci Pino ſimilis ſobolem eſſe. At folium quia rariſsimum, neque à quopiam vnquam expreſſum, pictum dedit, magis ſciſcitaturus ſit'ne plantæ reſiniferæ, quàm aſſerturus. Eſt enim quod rarò aliis contigit, ab imo pediculo ad ſummum vſque cuculli verticem duplicatum, quaſi ex geminis tenuibus conflatum tunicis, vagina ſeſquipalmum longa inſtar infundibuli hiantis hiſtrionis ſpeciem præ ſe ferentis, supernè galeata, quod de floribus Napelli & de Lonchitide, non de foliis vllis memorant auctores. Nunc explicandæ Thuris vires, & magnæ ac certiſsimæ aduerſus varios morbos, tum internos, tum externos vtilitatis. Calefaciendi & adſtringendi vi pollet,

THVRIS lympidi folium, Penæ.



Lib.1. c,70. *Vires.*

auctore Dioſcoride, oculorum caliginem diſcutit, caua vlcera replet, & ad cicatricem perducit, cruenta vulnera glutinat, infrenátque cunctas ſanguinis eruptiones, etiámſi cerebri membranis effluat: vlcera quæ cacoëthe vocantur, & ſedis & reliquarum partium permulcet tritum cum eo & lacte linimentum: formicantes verrucas inter initia, impetiginéſque ex aceto & pice illitum tollit: ambuſta igni pernionéſque cum ſuillo adipe, aut anſerino, & vlcera in capite manantia cum nitro ſi infricetur ſanat: paronychiis cum melle, auribus fractis cum pice medetur: ad reliquos aurium dolores cum vino infunditur: inflammatæ à partu mammæ cum cimolia & roſaceo magna vtilitate perunguntur: additur ad arteriæ viſcerúmque medicamenta: prodeſt ſanguinis excreationi potum: ſed in ſecunda valetudine hauſtum inſaniam mouet & largiùs cum vino potum interficit. Cortici Thuris eadem vis quæ Thuri, ſed validior, adſtringentiórque. Quare potu cruentis excreationibus & vuluis fluxione laborantibus in

tibus in

tibus in pesso confert, ad cicatrices oculorum, & caua sordésque efficax est, tostus scabris lippitudinibus auxiliatur. Manna Thuris (Sic micas Thuris concussu elisas vocamus, inquit Plinius) vim habet eandem quam & Thus, sed inualidiusculam. Fuligo Thuris oculorum inflammationes mitigat, fluxiones suspendit, vlcera purgat, caua replet, carcinomata sistit. Galenus distinctiùs eadem declarat. Thus excalfacit ordine secundo, desiccat primo, habet quoque adstrictionem pusillam. Sed minimùm manifesta adstrictio est candido. Cortex eius euidenter adstringit: quare strenuè quoque desiccat, adeò vt ex secundo sit ordine completo desiccantium. Est autem crassiorum partium quàm ipsum Thus, & minimùm habet acrimoniæ. Ob has ergo tum facultates, tum qualitates, multus est eius vsus apud Medicos in hæmoptacis, stomachicis, cœliacis ac dysentericis, non tantùm iis quæ extrinsecus applicantur ipsum admiscentes, sed & iis quæ intrò in corpus sumuntur. Fuligo eius tum ficcioris, tum calidioris est facultatis quàm ipsum Thus, adeò vt ad tertium vsque excessum perueniat. Habet verò etiam abstersorium quiddam. Itaque eo nomine & repurgare, & implere quæ in oculis consistunt vlcera videtur, veluti & myrrhæ & styracis. Hæc Galenus. Quod verò Dioscorides dixit Thus in secunda valetudine haustum insaniam mouere, nullus alius Græcorum scriptorum, quod sciam, prodidit. Contrà Auicenna tradidit Thus conferre rationi, ipsamq́; corroborare, & esse quosdam quibus præcipitur, vt eius infusum bibere assuescant ieiuni, sed eius vsum plurimum dolorem capitis excitare. Id tamen quod ille dixit Thus largiùs cum vino potum interficere, Auicenna etiam vsum eius plurimum cum vino interficere, similiter cum aceto. Serapio locum Dioscoridis sic conuertit. Et quando bibunt de eo sani, parùm meliorat eos, sed si nimis cum vino biberint, inducit maniam, & amplius cum vino occîdit.

Li.7 simpl.

Li.2.ca.532.

Lib. simpl. cap.178.

MYRRHA. CAP. IIII.

ΣΜΎΡΝΑ Græcis, Latinis Myrrha, Arabibus *Ler Mur*, seu *Mor* appellatur, *Mirrha* Italis, *Mirrhen* Germanis, *Myrrhe* Gallis. Myrrhã scribit Dioscorides lacrymam esse arboris quæ in Arabia gignitur Ægyptiæ spinæ non dissimilis, è cuius vulnere defluit lacryma in subiectas tegetes, alia circum caudicem concrescit. Deinde genera eius recenset. Dicitur aliqua pediasimos, præpinguis, qua expressa stacte emittitur. Alia gabirea pinguissima, læto & pingui solo nascens, ea copiosam sudat stacten. Omnium prima est quæ Troglodytica appellatur, accepto cognomine à loco in quo prouenit, splendens, subuiridis ac mordens. Quinetiam legitur tenuis quædam, quæ à Troglodytica secunda est, Bdellij modo mollis, verùm odore grauiuscula, apricis nascens. Alia caucalis cognominatur, præter modum exoleta, nigra & retorrida. Omnium deterrima quæ Ergasima dicitur, pingui carens, cano situ obducta, acris, ad gummi imaginem vergens, & viribus eius proxima. Improbatur Aminæa cognomine. Eligenda est recens, squalore obsita, leuis, vndique concolor, quæ confracta venas vnguium modo candidas & læues ostendit, minutis glebis, amara, acris, odorata, calfaciens: superuacua & inutilis est ponderosa, coloris picei. Plinius cùm de Thure scripsisset, hæc de Myrrha literis mandauit. Myrrham in iisdem siluis permixta arbore nasci tradidêre aliqui, plures separatim. Quippe multis in locis Arabiæ gignitur. Conuehitur & ex insulis laudata, petúntque eam etiam ad Troglodytas Sabæi transitu maris. Satiua quoque prouenit, multùm siluestri prælata. Gaudet rastris atque ablaqueationibus, melior radice refrigerata. Arbori altitudo ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro & intorto, crassiore quàm Thuris, & ab radice

Nomina
Li.1. ca.67.
Forma.
Genera.
μυῤῥα, ας, idem quod σμύρνα, à μύῤῥον. dicta quia unguentu redoleat.
Electio.
Lib.12. c.15

etiam, quàm reliqua ſui parte. Corticem læuem ſimilémque vnedoni: ſcabrum alij ſpinoſumq́; dixere. Folium Oliuæ, verùm criſpum & aculeatum. Iuba Oluſatri. Aliqui ſimilem Iunipero, ſcabriorem tantùm, ſpiníſque horridam, folio rotundiore, ſed ſapore Iuniperi. Nec non fuere qui è Thuris arbore vtrumque naſci mentirentur. Inciduntur bis & ipſæ, iiſdémque temporibus, ſed à radice vſque ad ramos qui valent. Sudant autem ſponte priùs quàm incidantur, Stacten dictam, cui nulla præfertur. Ab hac ſatiua, & in ſilueſtri quoque melior æſtiua. Genera complura. Troglodytica ſilueſtrium prima. Sequens Minæa, in qua & Atramitica eſt, & Auſaritis Gebanitarum regno. Tertia Danitis, Quarta collatitia, Quinta Sembrocena, à ciuitate regni Sabæorum mari proxima. Sexta, quam Daſaritin vocant. Eſt & candida non tantùm loco, quæ in Meſſalum oppidum confertur. Probatur Troglodytica à pinguitudine, & quòd aſpectu aridior eſt, ſordidáque ac barbara, ſed acrior cæteris. Sembrocena prædictis caret vitiis, ante alias hilaris, ſed viribus tenuis. In plenum autem probatio eſt minutis glebis, nec rotundis, in concretu albicantis ſucci & tabeſcentis: atque fracta candidos vngues habens, guſtu leuiter amara. Secunda bonitas intus variæ. Peſſima intus nigra, peior ſi etiam
Lib.9. hiſt. cap.4. foris. Hæc Plinius, qui magnam partem ex Theophraſto mutuatus eſt. Gignitur, inquit, Thus & Myrrha in regione Arabum media, circa Saba & Atramita, & Citibæna, & Mamali. Naſcuntur autem Thuris & Myrrhæ arbores aliæ in monte, aliæ in pede montis culturis propriis. Quamobrem aliæ coluntur, aliæ minimè. Montem iſtum aiunt eſſe excelſum, & ningi ſolitum, amnéſque ex eo in plana fluere. Myrrhæ arborem minorem eſſe Thuris arbore, fruticoſiorémque, caudice duro & contorto iuxta terram, craſſioréque ſura hominis, cortice læui, ſimilique Andrachne. Alij qui ſe vidiſſe affirmant de magnitudine ferè non conſentiunt: neutram earum arborum magnam eſſe aiunt, ſed minorem Myrrhæ, humiliorémque: eius folium eſſe aculeatum, non læue, Vlmo ſimile (ϖροσεμφερὲς τῇ ϖτελέᾳ habent vulgata exemplaria, Plinius legit ἐλαίᾳ, id eſt, Oliuæ) criſpum tamen, in extremo aculeatum Ilicis modo. Alij Myrrhæ arborem Terebintho ſimilem eſſe tradidere, ſed ſcabriorem ſpinoſiorémque, folium paulò rotundius, guſtatu proximum Terebintho. Quidam, ſed falsò, Thus & Myrrham ex eadem arbore naſci putauerunt. Hæc de Myrrha veteres prodidere. Ex recentioribus Garcias ſcri-
Lib.1. Aromat. Ind. cap.8. pſit plurimam etiam adferri ex Arabia ad nos Myrrham, quæ Indis Bola dicitur, tum etiam ex regione Abexim quæ Æthiopiæ eſt. Qualis verò ſit arbor, quæ eam profert, aut qua ratione eliciatur, nunquam ſe ſcire potuiſſe ait. Illud addit, quod à quodam mercatore qui in Melinde & Moſambique negociabatur, tum à quodam ſacrifico Æthiopiæ, & epiſcopo Armeniæ intellexit, genus eſſe quoddam hominum montanum & ſilueſtre (*Bodoins* vocant, linguáque pura Arabica, quæ nonnihil ad Chaldaicam, aut Syriacam antiquam accedit, vti ferunt) quod Myrrham in Bratta & Magadaxo terreſtri itinere adfert, & è Chaldæa regione ſic illis vocata ſe deferre aſſerit. Theuetus falſum eſſe ait quod Plinius Sabæos petere Myrrham ſcribit à Troglodytis tranſitu maris: quia tum veterum, tum recentiorum auctoritate regio hæc eo loco ſita eſt, qui mille, aut mille & ducentis leucis ab Arabum regione diſtet, qui omnium eorum, qui per hæc loca peregrinati ſunt, teſtimonio nunquam tam longas peregrinationes aggrediuntur. Præterea conſtat nullum eſſe in Arabia tam diuitem, qui nauim adornare & inſtruere poſſit omnibus ad nauigationem neceſſariis, quæ ad Troglodytas vſque penetret, quorum ſitus eſſe creditur inter regnum Ceſala, & deſerta Paucal, ad altitudinem promontorij Bonæ ſpei, regionis frigidæ & ferè inacceſſæ ob indigenarum barbariam. Ad hæc eos erroris inſimulat, qui putant Myrrham locis frigidis & humidis perfectionem ſuam adipiſci, & arbores Thuris Myrrhæ'que feraces nuſquam eodem

eodem in loco prouenire, niuésque iis in locis in quibus nascuntur frequentes esse: nam se vidisse asserit duo penè millia huiusmodi arborum in eadem silua permixtarum. Perinde falsum esse ait Myrrham quam Arabes per mare rubrum in Alexandriam Ægypti camelis important, Indicam esse, cùm ipsimet Indi & Insulares Asiatici eam ex felici Arabia petant. Cùm verò Myrrha Dioscoride auctore quadantenus viridis sit, pellucida, gustu acri cum amarore, negant plerique Myrrham genuinam ad nos deferri, cùm ne in Alexādria quidem vix reperiatur quæ non adulterata sit, qui enim eam vendunt, multis modis corrumpunt ac vitiant, Christianos irridentes qui tam curiosè emunt. Quamobrem quæ publicè venit, tantùm abest, vt virescat, pinguis & gummosa sit, vt potiùs arida sit, exusta, nigra vel pallida, & facilè in puluerem dissiliat, & gustu vix amara cum acrimonia sentiatur. At si talis sit Myrrha quæ passim in Officinis habetur, tamen nos vera non carere certum est: aduehitur enim quandoque quæ legitima, ac probatissima sit, sed ea rara admodùm. Pena quod Bdellium putatur certò se scire ait, & à Rondeletio experimētis persuasum fuisse optimè viribus Myrrhæ respondere: ideò Myrrhæ speciem esse credit, nec vulgare rationis momentum addit, Londinum allatas fuisse multas peregrinas merces, inter quas plurimos huiusce ligni surculos perquisiuit, solida substantia, cortice duro, nigricante, spinis multis rigidis & crassiusculis horrentes, in quibus multa copia Bdellij congesta, intus forisq; valde amari: cætera Dioscoridis descriptioni admodùm similia. Ad id quod de colore obiiciunt respondet se vidisse in Officina Gulielmi Driesch pharmacopœi Antuerpiensis fuluam, albescentem, viridem etiam Myrrham. Has eius vires Dioscorides recenset. Li.1. ca.67. *Vires.* Calfacit, soporem gignit, glutinat, siccat, adstringit, vuluam emollit, & præclusam aperit: menses & partus celeriter extrahit cum Absinthio, lupinorum cremore, vel succo Rutæ admota: magnitudine fabæ deuoratur in vetere tussi, orthopnœa, in laterum pectorisq; doloribus, in alui profluuio & dysenteria: horrores discutit duabus horis ante febrium accessiones, fabæ magnitudine pota cum pipere & aqua: subdita linguæ liquatáque scabritiem arteriæ expolit, obtusam vocem expedit: ventris tineas enecat, contrà grauem oris halitum manditur, & aduersus alarum tædia cum liquido alumine illinitur: gingiuas & dentes stabilit, colluto cum vino & oleo ore: vulnera capitis illita glutinat: medetur fractis auribus, ac ossibus nudatis peruncta cum cochleæ carnibus: item purulentis auribus inflammatisq; cum meconio, castorio & glaucio. Ad varos cum cassia & melle illinitur: impetigines ex aceto purgat: defluentes capillos cum ladano & vino myrteo illita firmat, oculorum vlcera complet, albugines tollit, caliginem discutit, scabritiam læuigat. Scribit Galenus Myrrham secundo esse ordine tum excalfacientium, tum desiccantium. Li.8. simpl. Quare capitum vulneribus illitum glutinare ea posse. Inest & amaritudo non pauca, per quam fœtum & lumbricos tum enecat, tum eiicit. Inest ei & abstergendi facultas. Sic igitur ocularibus miscetur

MYRRHA aut Bdellium suo surculo spinoso hærens, Penæ.




medicamentis, quæ ad vlcera & crassas cicatrices præparantur. Eadem de causa inditur & medicamentis quæ ad tussim veterem & asthma exhibentur: non tamen arteriam exasperat, sicut abstergentium nonnulla. Verùm adeò moderatam obtinet abstersionem, vt nonnulli eam arteriacis admisceant, tanquam sufficienter excalfaciens & desiccans medicamen, scilicet abstersionem proficiscentem ab amaritudine nihil verentes.

CARYOPHYLLVM. CAP. V.

Nomina VETERIBVS Græcis ignotus fuit fructus, qui καρυόφυλλον seu καρυόφυλλος dicitur, Latinè etiam Caryophyllum & Caryophyllus, quod, si verbum verbo reddas, Nucifolium dixeris, quo nomine longè alia res designatur, nimirùm fructus aut fructus rudimentum, qui folio Nucis nihil prorsus simile habet. Nostris, quòd claui modo capitatus sit, Clauus dicitur, *Clou de Gyrofle* & *Gyrofle*, Mauritanis *Carhumfel*, & *Charunfel*, Barbaris Gariophilus, Italis *Carofano*, Germanis *Naegel*, Hispanis *Clauo de especia*.
Lib.12. c.7. Huius meminit Plinius his verbis. Est etiámnum in India Piperis grani simile, quod vocatur Caryophyllum, grandius fragiliúsque. Tradunt in Indico luco id gigni. Aduehitur odoris gratia. Serapio de Caryophyllis scribens Galenum falsò citat, cùm ex Paulo, vel Galeno recentiore aliquo scriptore illa mutuatus sit.
Lib.7. De iis sic Paulus. Caryophyllum non eam habet substantiam, quæ nomine prætenditur, sed ex India veluti flores cuiusdam arboris, festucacei, & nigrescentes, longitudine ferè digitali, odorati, acres, subamari, calidi & sicci in tertio propemodùm ordine, qui multiplicis sunt vsus ad opsonia, tum ad alia multa medicamenta. Recentiores de iisdem veriora ac certiora tradiderunt.
Li.1. Arom. Ind. ca.21. Caryophyllum, inquit Garcias, Arabibus, Persis, Turcis, & omnibus ferè Indis *Calafur* vocatur, in Maluccis verò *Chanque*. Nomina autem quæ sunt in Pandectario, *Arumfel* & *Charumfel*, corrupta esse putat.
Locus. Nascitur Caryophyllum in Maluccis tantùm insulis, quæ sunt quinque, nec procul nimiùm à mari, nec etiam locis nimis mari vicinis. Nascitur etiam in Zeilan, nonnullisq; aliis locis, sed nullibi fructifera est arbor quàm in Maluccis.
Forma. Ea est Lauri forma & magnitudine, foliis etiam Laurinis, sed angustioribus, Salicis aut mali Persicæ simillimis auctore Clusio, ramis multis, copioso flore, primùm candido, deinde virescente, postremùm rufescente, qui induratus est Caryophyllum ipsum, clauum vocant, quòd capitatum sit in modum claui, exertis quatuor denticulis sese stellatim decussantibus. Prouenit in extremis ramulis Myrti modo. Est autem flos is viridis adeò odoratus, vt flores omnes odoris suauitate superet. Clusius Caryophyllum non florem induratum, sed potiùs fructus rudimentum esse censet, quemadmodùm in malis, pyris, punicis, atque aliis videre est. Nam flos ipse qui quaternis foliolis constat, huic fructus rudimento insidet, multis fibris plenus, veluti flos Myrti ferè. Pediculi oblongi, ex quibus dependent flores, vulgò *Fusti* vocantur. Folia non tam odorata sunt quam Caryophyllum ipsum, sed neque ramis ipsi nisi aliquantùm siccati.
Tempus. Colliguntur Caryophylla à decimoquinto Septembris vsque in Ianuarium & Februarium, non manu, vt quidam volunt, sed violenta flagellatione: cultores enim flagellant altiores ramos, mundato priùs circa arborem solo, nullum enim genus graminis sub hac arbore nascitur, omnem succum siue humorem ea attrahente. Decussa Caryophylla biduum aut triduum siccantur, deinde asseruantur, & in Malacam aliasq; prouincias mittuntur. Quæ in arbore hærent & remanent, craßsiora fiunt, neq; ab aliis

CARYOPHYLLI aromatici, Matthioli.



ab aliis nisi vetustate differunt. Quare non rectè Auicenna hos fructus mares facit. Nascitur ipsa arbor sponte ex decidentibus Caryophyllis. Cùm enim huic nunquam desit pluuia quæ fructui alimentum præbeat qui in terram decidit, enascuntur arbusculæ, quæ intra octennium quidem adolescunt, in centesimum verò annum perdurant, quemadmodùm ipsi incolæ testantur. Errant, inquit Garcias, qui Caryophylli & Nucis moschatæ arborem eandem esse putant. Nam Nux rotunda ferè folia habet, Pini foliis similia: Caryophyllum folio est Lauri, angustiore. Prætereà Caryophyllum defertur in Bandam insulam procul inde dissitam, quæ Nucem profert. Scribit Auicenna Caryophylli arboris gummi facultate simile esse glutini Albotin, id est, terebinthinæ resinæ: quod se vidisse Garciæ negarunt qui Caryophylla ex Maluccis deferunt. Clusius tamen inter Caryophylla, quæ Antuerpiam aduehuntur, ait inueniri interdum gummi ex atro rufescens, odorum sanè, & quod prunis iniectum Caryophyllorum odorem refert. Id fortasse gummi fuerit Auicennæ, quod tamen affirmare non audet. In Iaua insula crassiora illa & annotina Caryophylla magis expetuntur, à nobis verò tenuiora, quæ adhuc viridia aceto & sale apud Maluccanos condiuntur, sed ex his teneriora saccharo asseruantur, quæ mirum in modum palato grata sunt. Lusitaniæ mulieres quæ istic habitant, ex Caryophyllis viridibus aquam stillatitiam eliciunt, mira odoris suauitate fragrantem, & cordis affectibus vtilem. Nonnulli sudorem mouent iis qui lue venerea vexantur, Caryophyllis, Nuce moschata, Pipere longo & nigro. Alij Caryophyllorum puluerem capiti admouent aduersus capitis dolores à frigida causa prouenientes. Mulieres Indicæ atque etiam Lusitanicæ ea mandunt commendandi halitus gratia. Ea, auctore Serapione, iocinori, stomacho, cordi auxiliantur & ipsa roborant. Concoctionem adiuuant, & ventrem constringunt. Eorum puluis drachmarum quatuor pondere sumptus cum lacte venerem concitat. Prætereà Caryophylla, vt tradit Auicenna, visus aciem acuunt, nubeculas & argema exterunt.

Li.2.ca.31.

καρυοφυλλον. forte quia καρυα est nux φυλλον folium quia hec arbor folium nucis profert.

Lib.2.c.314.

Vires.

Li.5.simpl. cap.329.

NVX MYRISTICA, MACIS. CAP. VI.

Nomina NVx, quæ Græcis recentioribus μοχοκάρυον & μοχοκαρύδιον, & κάρυον μυ-
ρεψικὸν, vel κάρυον ἀρωματικὸν dicitur, Latinis etiam Nux moschata, &
Nux myristica, Arabibus *Ieuzbane*, *Iusbagua*, seu *Gianziban*, Gallis
Noix muscade, Italis *Noce moscada*, Germanis *Moschat nusz*, Hispanis
Nuez de espetie. Ab incolis eius regionis in qua prouenit Palla, Macis verò Bu-
Li.2.ca.195. napalla, in Decan Nux ipsa Iapatri, Macis verò Iaifol, ab Auicenna Iausiband, id
Li.1.Arom. est, Nux Bandensis, Macis verò Besbase. Vtraque describitur à Garcia & aliis hoc
Ind.ca.20. ferè modo. Arbor, quæ Nucem myristicam & Macim fert, Persicæ malo similis
est, breuioribus tamen foliis & angustioribus. Fructum adhuc immaturum Macis

NVX myristica, Matth.



tanquam flos, Rosæ apertæ instar circūstat, ma-
turum complectitur, cui & alius cortex accedit,
crassus & densus. Is per maturitatem primùm
dehiscit, atque tenuiorem corticem, siue mem-
branam ostendit: ea Macis est, Cocci modo ru-
bescens, pulcherrimo aspectu, bene onustis
præsertim arboribus. Exsiccata Nuce dehiscit
etiam Macis, & flaccescente rubore aureum
quodammodo colorem acquirit, cui subest
Nux cum ligneo suo putamine seu libro. Adfe-
runtur ad nos Nuces myristicæ saccharo con-
ditæ, in quibus hæc tria agnoscimus, vesca om-
nia: extimum illud ac primum operimentum
callosum, vt in iuglandibus, plurimùm com-
mendatum, quòd sit odoratum, grati saporis,
morbis cerebri, vteri & neruorum vtile: Macim
qui proximè subest, Officinis notissimum, cu-
ius pretiū triplò maius est quàm Nucis ipsius:
Nucem, inter quam & Macim ligneum est pu-
tamen, siue cutaceus liber, lignosam, odoram,
& præpinguem cùm recens est & matura. Na-
Locus, scitur hæc arbor in insula Bandam. Inueniri
etiam aiunt in Moluccis, sed ea fructifera non
est, quemadmodùm nec ea quæ in Zeilam prouenit. Fuit hæc Nux cum suo Maci
Ca.2.simp. veteribus Græcis incognita, quamuis Serapio in Macis historia Græcos auctores
citet. Septembri mense Nuces certatim legunt incolæ barbari, & quantam quisq;
Electio. potest copiam congerit, illic enim omnia sunt communia. Eligendæ sunt recen-
tes, minimè cariosæ, graues, farctæ, pingues, ita vt adacta acu confestim exeat li-
quor. Inuenitur quandoque oblongum quoddam genus, mas vulgò appellatum,
& à mulieribus alia Nuce longè vtilius existimatum. Nuces myristicæ, vt Mauri-
Temper. & Vires. tani scribunt, siccant & excalfaciunt ordine secundo completo, adstringunt, oris
suauitatem commendant, & fœtorem anhelitus commansæ abolent, lentigines
in facie emendant, visum acuunt, ventriculum & iecur roborant, lienem absu-
munt, vrinam cient, fluentem aluum sistunt, flatus discutiunt, & frigidis vteri affe-
ctibus mirè prosunt. Ex recentibus contusis & in cacabo calfactis, prælo exprimi-
tur liquor, qui refrigeratus ceræ nouæ instar concrescit, fragrantissimum spirans
odorem, neruorum & articulorum doloribus diuturnis à frigida causa excitatis
vtilissimus, qui & venerem stimulat. Mulcet mirificè Nux myristica ventriculi
dolores, si trita decoquatur ex rhodomellis vnciis sex, & duabus aquæ vitæ,
quousque

quousque aqua euanescat. Nam si huiusce colati liquoris cochlearia tria quotidie dentur ieiunis, & dolor à frigidis oriatur excrementis, aut à flatu, proculdubiò iuuabuntur ægri. Maximè commendatur eadem ad vteri cruciatus à flatu genitos, hoc modo. Coquitur crassiusculè tusa cum Matricariæ radicibus ex sex vnciis vini albi generosi ad tertias. Percolatur decoctum, & additis Sacchari duabus drachmis propinatur.

NVX INDICA. CAP. VII.

NON solùm inter Palmas, sed etiam inter arbores omnes Palma illa, quæ nucem Indicam fert, palmam obtinet: adeò multa vitæ humanæ necessaria suppeditat, nec est pro dignitate celebrata ne ab ipsis quidem Arabibus: priscis enim Græcis an cognita fuerit, plerique dubitant, in quibus est Garcias, tametsi Strabo eius meminisse videatur. Eius historiam ex eodem Garcia & aliis hîc contexımus. Arborē scribit ille à Serapione & Rhase *Li.16. Geograph.*

NVX INDICA, *Matthioli.*



Iaralnare, id est, arborem nuciferam dici, Nucem verò Indicam ab Auicenna Iausia Iindi, quæ nomina in codicibus nostris vulgatis non reperiuntur, sed Neregit tantùm, quam Nucem Indicam interpretantur. Vulgò vocatur arbor Maro, & fructus Narel, quod nomen Narel commune est Persis & Arabibus: in Malauar arbor ipsa Tengamaran, fructus verò maturus Tenga, sed viridis adhuc & immaturus Eleri, & Goæ Lanha: in Malaio arbor Triccan, ipsa nux Nihor, cui Lusitani nomen Coccho indiderunt, ob tria illa foraminum vestigia, quibus cercopitheci aut similis alterius animalis caput repræsentat. *Lib.1. Aro. Indic.c.26.* *Nomina* *Li.2.c.498.*

Arbor est vastæ magnitudinis, foliis Palmæ aut Arundinis, aliquantò latioribus, flore Castaneæ, materie fungosa & ferulacea. Fructum parit capitis humani magnitudine, vel maiorem, vel magnis melonibus parem. Eius primus siue extimus cortex primùm viridis est, deinde ex atro rufescens, subdurus, crassus, villosa materie compactus. Subest alius prædurus cornu instar, ferè triangularis, qui nucleū siue medullam continet albicantem, crassam, crassitudine digitali, sapore dulci, concauam, quæ in cauitate suauem, dulcem & limpidam concludit aquam. Quantò autem tenerior nux, tantò suauior est is liquor & copiosior. Maturior verò facta eundem liquorem quidem continet, sed minùs suauem, quique interdum acescat, in inueterascente concrescit. *Forma.*

Gaudet arenoso solo & mari vicino, vt in mediterraneis haud facilè sit reperire. Seruntur ipsæ nuces ex quibus enatæ plantæ transplantantur, quæ paucis annis adolescunt & fructiferæ sunt, præsertim si diligenter colantur. Nam Hyeme cinere aut stercore conspergi volunt, Æstate aqua rigari, lætiores tamen euadunt, si secus ædificia pangantur, quia videntur luto & sordibus gaudere. Has in duo genera distingunt, vt tradit Garcias. Alterum enim fructus serendi causa seruant. Alterum Suræ cogendę gratia, quæ est vinum mustum: decocta autem ab incolis Otraqua vocatur. Sura verò hoc modo colligitur. Præcisis ramis vascula alligantur ad liquo- *Locus.*

rem, quem Suram vocant, excipiendum. Eum vt ex altioribus ramis colligant, arborem conscendunt aptatis ad pedes compedibus & laqueis, aut foramina quædam in corpore faciunt, vt faciliùs conscendant. Hęc Sura distillatur aquæ ardentis modo, vinúmque extrahitur aquæ ardenti per omnia simile, vt etiam pannus lineus eo madefactus non secùs ardeat, quàm si aquæ ardenti intinctus foret. Vocatur autem stillatitius hic liquor Fula, id est, flos, quod reliquũ est Otraqua appellatur, admisto stillatitij liquoris momento. Ex Sura antequàm distilletur insolata fit acetum satis interdum acre. Sublato priore vasculo, si vulnus in arbore factũ Suram adhuc extillet, seruatur ea, & Solis æstu, vel igne densata sacchari modo coit. Id Iagra vocant. Optima censetur quæ in Naledina insula nascitur: nõ enim nigricat, veluti quæ in aliis regionibus prouenit. Materies ligni cùm sit procera, ad plurima perquàm vtilis est, ita vt interdum in Naledina insula naues ex hac arbore fabricentur, atque clauis, molis, velis & rudentibus armentur. Ex ramis qui in Malauar Olla auctore Garcia nuncupantur, fiunt ædium tecta, & nauium tabulata & opercula. Hoc tamen nomine non huius arboris ramos, sed ipsa folia designari scripsit Ferdinandus Lopes in Historia Indica, quibus inscribere solent indices memorabiles & acta publica. Refert etiam simili ollæ seu folio Arabicis characteribus inscriptam fuisse epistolam, quam Rex Calecut ad Emanuelem Lusitaniæ Regem dedit, cùm eò primùm appulerunt Lusitani. Indi istarum Palmarum germinibus vescuntur, nam gratiora sunt palato, quàm aut castaneæ molles, aut humiles Palmæ, quas vulgo *Palmitos*, Itali *Cefaglioni* vocant. Quo autem vetustior est Palma, eo tenerius & odoratius germen producit. At eo sublato perit Palma: quare qui huiusmodi germen edit, non immeritò Palmam edere dicitur. Hæc de arbore, nunc de fructu dicamus. Ex eius extimo cortice è villosa materia compacto fiunt rudentes & funes nauibus necessarij, qui incorrupti manent in aqua marina. Ex eodem stupæ loco naues obturantur & stipantur, ipsisq; stupis præstat, quod putredini minùs sit obnoxius, & aqua marina imbutus infletur densetúrque. Idem affirmat Clusius, qui omnes rudentes & funes liburnicarum regiarum Vlyssipone ex villis Coccorum siue nucum confectos esse scribit præsertim verò earum quæ in Indiam nauigant. Sed etiam ex iisdem villis fieri nodosa cingula, magno in vsu omnibus tenuioris fortunæ mulieribus Vlysipone. Nulla verò ex hac villosa materie fieri aulæa testis est Garcias, id quod tamen persuadere conatus est Lacuna. Ex secundo cortice duro vasa in tenuiorum vsum tornantur, cuiusmodi Vlysipone & aliis locis se vidisse ait Clusius ex Cocco de Maldina confecta, oblongiora plerumque, quàm quæ ex vulgari Cocco parantur, & nigriora nitidioráque. Sed ea paralyticos, si inde bibant, minimè iuuant, vt vulgò Lusitanorum creditum est: nihil enim in hoc fructu est quod neruis conferat præter oleum, de quo mox dicemus, nec ipsi Indi huiusmodi facultates his vasculis tribuunt, nec quisquam alius probatus auctor. Medulla sine nucleo recenti cum carne & piscibus vescuntur, non aliter quàm nos pane, nec amygdali dulcis sapori cedit. Ex eadem trita lac exprimunt, cum quo coquitur oriza, non minùs suauis quàm si cum lacte caprino decoqueretur, aut ex ea & auium quadrupedúmve carnibus edulia parantur, Caril illis nuncupata. Ex eadem exsiccata panem conficiunt. Nuces istæ recentes siccatæ, atque supremo cortice delibratæ & confractæ ab indigenis Copra vocantur, deferuntúrque in Ormuz, Balagnate, & in alias regiones, in quibus minor est earum copia quàm vt exsiccari possint, aut in eas prouincias quæ his omnino carent. Suaues sunt, iisque vtuntur tanquàm castaneis siccis, multóque sunt gratiores palato, quàm quæ integræ in Lusitaniam deferuntur. Ex iis nucibus duo olei genera exprimuntur. Vnum ex recentibus contusis calida affusa aqua, quibus expressis oleum aquæ supernatat. Hoc vtuntur, inquit

Vsus. — *Lib. 1.* — *Caril.* — *Copra.* — *Olea.* — *Vires.*

inquit Garcias, ad purgandum excrementis ventriculum & intestina: purgat enim leniter & sine noxa. Multi Tamarindorum expressionem addunt: quod vtile esse medicamentum sæpius se expertum fuisse ait. Si id oleum Auicenna & Serapio intelligunt, cùm melioris succi esse dicunt quàm butyrum, rectè quidem eos sentire Garcias arbitratur, in eo verò falli, quòd ventrem minùs mollire aiunt quàm butyrum. Li.2.c.498. c.218.simp. Alterum olei genus est, quod ex iisdem recentibus siccatis, delibratis & confractis (Copra vocari diximus) limpidissimum magna copia torculari extrahitur. Id non solùm neruis vtile, sed etiam oryzæ coquendæ aptum est. Neruis autem admodùm conferre, & neruorum contractionibus, & articulorum doloribus antiquis, se expertum fuisse testatur Garcias, ægrum eo inunctum in cupa grandi imponendo, ibíque quiescere sinendo concalefactum. An verò lumbricos enecet, vt Auicenna & Serapio tradunt, nondum se expertum fuisse ait. Quod verò ipsam nucem eadem esse falcultate præditam scribant, non modò rationi consentaneum non esse, sed quotidiana experientia manifestissimum esse, eius esu lumbricos generari. Li.2.c.498. c.218.simp. Id verius quod tradit Serapio ex auctoritate Mesarugie, Cocchi esu sisti aluum. Cap.218. simpl. Nam alienum à ratione non est, nucem, quæ terrestrium est partium, ventrem constringere, oleum, quod tenuiorum est partium & aërearũ, ipsum lenire. Ex ipsa autem arbore nullum oleum elicitur, sed ex Coccho tantũ: quamuis Lacuna scribat quosdam in ea opinione esse, vt credant dulce id oleum quod ex hac Palma stillat, Dioscoridis esse Elæomeli. In c.29.lib. 1.Diosco. Cocchus, quẽ de Maldina appellant, nigro est cortice & nitidiore quàm vulgaris, cui figura magna ex parte nec ita rotunda vt vulgari. Medulla interior, quæ siccata dura est admodùm & candida, nonnihil tamen ad pallorem inclinans, in superficie rimosa est, & valde porosa, nullo sapore præstans. Laudatur hic Cocchus, vt auctor est Garcias, sed præsertim eius medulla aduersus venena ab ipsis harum insularum incolis. Et à viris fide dignis se accepisse ait, ad coli dolores, paralysim, epilepsiam, aliósque neruorum affectus prodesse. A' coli quidem doloribus, quòd vomitum excitaret, ab aliis verò ægritudinibus liberari ægros, si aquam in nucibus aliquandiu conseruatam ebiberint, adiecto medullæ momento. Quibus fidem ille non adhibet, vtpote quæ experimentis minimè sint confirmata, iisq; vtatur medicamentis quorum facultates iamdiu perspectæ sunt, & infinitis experimentis comprobatæ. Li.2.c.498. Auicenna scribit nucem Indicam calidam esse in principio secundi gradus, siccam in primo: inesse tamen in ea humiditatem excrementitiam: quare recentem humidam esse primo ordine, grauem quidem stomacho esse, sed non mali nutrimenti: oleum è veteri nuce conferre doloribus dorsi & genuum.

NVX VOMICA ET METHEL. CAP. VIII.


NVX quæ Arabibus *Leuz alkei* seu *alke* dicitur, Officinis ac Barbaris Nux Vomica: quæ verò *Leuz atrachaha*, Nux Methel seu Nux Methela. *Nomina* Nucem Vomicam Serapio Abraam citans breuiter sic delineat. Est nux colore inter glaucum & album, Auellana paulò maior, nodosa. Nucem verò Methel hoc modo. Est fructus similis Nuci Vomicæ, cuius semẽ Citri semini simile est. Cap.163. simpl. Et ex Hacse. Nux Methel similis est Nuci Vomicę, semine Mãdragorę semini æmulo, cortice aspero, gustu suaui. *Forma.* Et Auicẽna. Nux Methel inquit, est similis nuci, cortice aculeis crassis & breuibus tecto. Nuci Vomicę similis est: eius semẽ Citri semini simile est. Lonicerus arbitratur Nucis Vomicę descriptionẽ Nuci Methellę Officinarũ conuenire, & contrà: vt Nucem Vomicã Officinarum pro vera Methella, & earumdem Nucem Methellã pro legitima Vomica Serapionis & Arabum accipiamus. Cap.365. simpl. Amatus Lusitanus in eadem est opinione, quod Nux Methella Officinarum colore sit glauco in album vergente, & ab vtroque latere attollatur tuberculis quibusdam circularibus, oculos imitantibus, tum quòd quæ Methellæ assignantur notæ, omnes Vomicæ Officinarum conueniant, T.2.cap. In cap.161. lib.1.Diosc.

quæ plana eſt vtroque latere, cortice aſpero, veluti piloſo, ſapore vnctuoſo & pingui, canes interficiens. Quod verò eius ſemen ſemini Mandragoræ ſimile dicatur, id intelligit Amatus de virtute & effectu, non de figura, cùm hæc etiam nux quarto gradu frigida ſit. Id quod ante Amatum Lonicerus annotarat. At ſi Vomica vulgaris vera eſſet Methella, neceſſe foret, vt ſcribit Anguillara, huic ineſſe ſemen Citri ſimile, vt ſcribit Auicenna, vt Serapio, Mandragoræ, quibus tamen ſimile nihil in ea reperias. Quare Methellam vulgarem, veram eſſe Methellam veriſimilius fuerit, quàm Vomicam. Ex cuius Methellæ deſcriptione ab Auicenna tradita, ſunt qui coniiciant, nec id temere, eſſe Crateuæ Hippomanes, cuius meminit Theocriti ſcholiaſtes, ἱππόμανες κραλέυας φησὶ τὸ φυλὸν ἔχειν καρπὸν ὡς σικύε (ἐ μελάνʃερον δὲ τὸ φύλλον ὥσπερ μήκωνος) ἀκανθώδη, ſic enim legendum cenſet Anguillara.) Crateuas Hippomanes plantam eſſe dicit, quæ fructum habet Cucumeris ſilueſtris modò (folia non nigriora veluti Papaueris) ſpinoſum. Vomicam autem vulgarem nec veram Vomicã eſſe, nec Methellam putat Anguillara, nam eius hiſtoriæ à Serapione ex Abraam expoſitæ refragãtur color, aliqua cum auellana ſimilitudo, nodi in ea nulli. Præterea à viro fide digno, & rei herbariæ peritiſimo ſe accepiſſe ait vulgarem Vomicam radicem eſſe non nucem, foliis rotun-
In cap. 141. lib. 1. dis, per humum repentibus. Matthiolus credidit aliquando quas Vomicas ſeplaſiæ vocant, genuinas eſſe Methellas, quam ſententiam tandem retractauit, ſeq; iis aſſentiri ait qui Nucem Methellam Strammonij fructum eſſe credunt. Etenim præterquam quod Nucis imaginem refert, etiam aculeis craſsis & breuibus riget, ſemen Mandragoræ ſimile habet, nec dubitat quin fructus ipſe, ac tota etiã planta ſoporiferæ ſit facultatis: qua de re in Horto diximus. Vomicam verò Nucem Officinarum non eſſe genuinam: quia (ſi Auicennæ & Serapioni credimus) Vomica Nux Methellæ ſimilis eſſe debet, ſed aculeorum vice nodos habere, quibus
Li. 2. c. 501. Vomica vulgaris caret: quinetiam nullam Nucis ſpeciem refert. Scribit Auicen-
Vires & Temper. na Nucem Methel venenatam eſſe, ſtupefaciendi vim habere, ſomnum profundum inducere, cerebro & cordi noxiam eſſe, ſemiſcrupuli pondere ſumptam inebriare, drachmæ verò vnius pondere deleteria facultate vna die interimere. Alij drachmæ vnius pondere inebriare aiunt, duarum drachmarum pondere necare. Auctore Rhaſe obſtupefaciendi vim habet, dolores leniendi ſedandíque, quandoque interimere, meatus farcire, vomitus excitare. Eos qui maiore quàm drachmæ pondere ſumpſerunt, interficit. Succurritur iis ſi butyrum calfactum continuò aſſumant, & extremas corporis partes in aquæ calidæ ſolium iniiciant. Præterea ad vomitum ſæpiſſime cogendi ſunt. Denique iis omnia auxiliantur, quæ
Cap. 163. ſimpl. aduerſus Mandragoræ venenum valent. Nux Vomica per ſe, vt ſcribit Serapio, aut cum ſale, aut aliis medicamentis trita drachmæ pondere, vomitum ciet. Idem præſtat cum ſemine Anethi aut Fœniculi, & melle mixta, & cum aqua calida pota humores phlegmaticos bilioſóſque expellit, & aluum mediocriter ſubducit. Vomica noſtra vulgaris præſertim canes citò interimit.

ANACARDIVM. *CAP. IX.*

Nomina VETERIBVS Grȩcis incognitus fuit hic fructus, quẽ recentiores Græci Ἀνακάρδιον, Latini ſimiliter Anacardium à cordis tum ſimilitudine tum colore vocauerunt, Arabum veſtigia ſecuti, quibus *Balador* dicitur, Indis *Bybo*, Luſitanis *Faua de Malaqua*, quòd viridis & in arbore pendens ſimilis ſit noſtrati maiori fabæ, maior tamen. Auicenna de eo ſic ſcribit. Anacardium eſt fructus ſimilis oſſi Tamarindorum. Et nucleus eius eſt ſimi-
Forma. lis nucleo amygdalæ dulcis, qui innoxius eſt. Et cortex ipſius eſt durus, habens foramina,


ANACARDIVM.



foramina, in cuius raritate eſt mel viſcoſum habens odorem. Et ſunt qui ipſum maſticant, & non nocet eis, & propriè cum nuce. Serapio ſic etiam deſcribit. Balador, id eſt, Anacardus, eſt fructus arboris, ſimilis cordi auis, cuius color eſt rufeſcens, parum ad ruborem declinans, ſicuti eſt color cordis. Intus eſt res ſimilis ſanguini, & id quod adminiſtratur ex eo, & defertur ex Sini. Naſcitur ex montibus Siciliæ ignitis. Hunc fructum ex Cluſio hîc pictum damus. Magna eſt eius in Cananor copia, auctore Garcia, tum in Calecut, & reliquis Indiæ prouinciis, velut in Cambaya & Decan. Calidum ſicúmque eſſe quarto exceſſu tradit Auicenna, vlcerare, adurere ſanguinem, & humores, delere radicitus verrucas, vitiligines albas & lepram, ſanare alopeciam, commouere calida apoſtemata partium interiorum, aduerſus neruorum affectus à frigidà cauſa ortos & paralyſim valere, memoriæ iacturam reſarcire, maximè ſumpta confectione anacardina, mentem tamen de ſtatu deiicere & furorem excitare, eius ſuffitu hæmorrhoides exſiccari. Sed deleteria facultate non carere, humores adurere & interficere. Eius antidotum eſſe lac vaccinum potum, & oleum ex nucibus expreſſum. Eadem Serapio tradit, citátque Galenum, qui huius fructus meminerit, cui tamen planè ignotus fuit, atque noxium eſſe præſertim bilioſis & iuuenibus. Quod illi Anacardium calidum & ſiccum ſtatuunt quarto ordine, alij tertio, Garcias non probat: in virente enim perſpicuum eſt hunc caliditatis & ſiccitatis gradum deeſſe, neque rationi conſentaneum videri, eò caliditatis & ſiccitatis exceſſu conſtituere quò piper. Niſi fortè, inquit, quod in Sicilia naſcitur iis ſit facultatibus præditum. Præterea deleteria eſſe facultate negat, quòd experientia repugnet. Nam his in regionibus, inquit, è lactis ſero maceratum aſthmaticis datur, & aduerſus lumbricos. Adhæc iis viridibus & ſale condítis vtimur in cibariis, oliuarum conditarum modo. Fructu verò ſiccato cauſtici vice vtuntur in ſtrumis, totáque India huius cum calce mixti vſus eſt ad pannos obſignandos. Anacardij hiſtoriæ à Garcia deſcriptæ Cluſius Scholiaſtes adiecit deſcriptionem & picturam fructus cuiuſdam, ſiue nucis, quam aliquando Vlyſsipponẽ adferri ait è Braſilianorũ regione: Caious vocant. Arbor eſt magna, foliis Pyri (in recens nata Lauri potiùs) fructu oui anſeriri, forma & magnitudine, qui ſucco plenus eſt, veluti id Citriorũ genus, quod Limã vocant, quo quidẽ vtuntur Braſiliani (licet Theuetus contrà aſſerat) vt ab iiſdem ſe intellexiſſe ait Cluſius. In extremo fructu prominet nux quædã, renis leporini figura, colore cinereo, interdum ex cinereo rubeſcente. Duplici hæc nux contecta eſt cortice, inter quos ſpongioſa quędam eſt materia, olei aſperrimi & calidiſsimi plena, intus verò nucleum continens, edulem, & Piſtaciis guſtus ſuauitati non cedentem, pellicula cinericia obductum, quem eximere oportet. Eo leuiter toſto veſcuntur incolæ: ſic enim gratior eſt, & venerem ſtimulare fertur. Acri illo nihil præſtantius eſſe ferunt ad lichenas & impetigines tollendas. Incolæ certè aduerſus ſcabiem vtuntur. Sed illud mirum, primarium fructũ nulla ſemina continere, & extrema illa nuce earum arborum genus conſeruari debere. Nonnulli Anacardiorum genus eſſe arbitrantur, ob ſimilitudinem acris illius humoris, quem corticibus incluſum habent.

CAIOVS, Cluſij.

MEDIVS. INTEGER.



Margin notes: Cap. 346. ſimpl. — Locus. — Lib. 1. Aromat. Ind. cap. 30. — Lib. 2. c. 40. — Temper. & Vires. — Cap. 346. ſimpl. — Lib. 2. c. 30. Arom. Ind. — Cap. 61. de ſcrip. Ameri.

FAVFEL

FAVFEL. CAP. X.

Nomina Lib. 1. cap. Arom. Ind. cap. 25.

FAVFEL Arabibus dicitur, id eſt Auellana Indica, inquit Serapio, Auicēnæ Filfel & Fufel, ſed deprauatè auctore Garcia, in Malauar Pac à vulgo, à nobilioribus Areca, quo nomine vtuntur Luſitani qui in Indiis habitant: in Gazarate & Decan Çupari, in Zeilan Poaz, in Malaca Pinan, in Couchin Chacani.

Forma. Arbor quæ fructum hunc parit, recta eſt, fungoſa materie, foliis Palmæ, fructu Nucis moſchatæ, minore tamē, aut iuglandibus exiguis ſimilis, intus dura, & candidis rubentibúſque venis reſperſa, non planè rotunda, ſed altera parte ſeſſili: quæ tamen notæ non omnibus Arecæ generibus conueniunt. Integitur inuolucro admodùm lanuginoſo, & foris ſubflauo, perquàm ſimili Dactylis cùm maturuit & antequam ſiccatus fuerit. Hanc nucem probè agnouit Matthæus Siluaticus: ſic enim ſcribit. Fauſel id eſt, Auellana Inda, eſt ſimillima Nuci muſcatæ, niſi quòd pars vna eſt plana, altera eminentior, ita vt poſſit ſtare erecta, ſicut calculus qui in ludo dicitur Pedes. In cæteris intus & extra Nuci muſcatæ ſimilis eſt, ſine odore, & ſine ſapore. Naſcitur incluſa in quadā lanugine ſimili folliculo ſerici. Multoties fertur inter alias ſpecies à Calecut. Et ego vidi ipſum in ſuo folliculo. Hæc ille.

ARECA ſiue Fauſel, Cluſij.



Locus. Naſcitur Fauſel plurimùm in Malauar, in Guzarate & Decan pauca quantitate, idq́; duntaxat in maritimis, ſed laudatum, præſertim in Chaul, quod defertur Ormuz. Optimum verò prouenit in Mombaim inſula. Laudatur etiam quod in regione Bacain prouenit, atque id defertur in Decan cum eo quod in Gauchin naſcitur nigrum & puſillum, durum admodùm, poſtquàm ſiccatum fuerit. Prouenit etiam in Malaca, ſed tam parua quātitate, vt vix incolis ſufficiat: item in Zeilan magna copia, ſed cādidum, quod in eam partem regionis Decan defertur, quæ Catamaluco paret, tūm etiā in Biſnaga. Defertur etiam ex Zeilan in Ormuz, Cambaya & inſulas Maldinas. Scribit Serapio ex Haboaniſa arborem iſtam in Arabia non prouenire, quod de mediterraneis locis & magna ex parte intelligendum eſſe cenſet Garcias: naſcitur enim laudata ſed exigua in Dofar & Xael portubus Arabicis. Amat enim hæc arbor loca maritima, mediterranea reſpuit, alioqui magna diligentia ſereretur, quoniam ſingulis diebus eam edunt cùm Mauritani, tum Moalis (genus hominum id eſt, qui Ali generum Mahometi ſectantur) etiam in ieiuniis ſuis cùm à Betre abſtinent: mandunt enim Arecam cum Cardamomo purgādi ventriculi & cerebri gratia.

Cap. 335. ſimpl.

Temper. & Vires. Scribit Serapio ex auctoritate Iſaac Fauſel parùm excalfacere, & paucæ amaritudinis particeps eſſe. Sed ſe deguſtaſſe Garcias aſſerit, nullumq́; in eo calorem deprehendiſſe, verùm cum inſipiditate adſtrictoriam facultatem. Cui conſentiunt quæ ſubiungit Serapio ex aliorum auctoritate, frigidum eſſe ac ſiccum, atque adſtringens: ob id aduerſus calidos morbos valere, doloribus dentium auxiliari, gingiuas & commotos dentes ſtabilire. Quibus accedit Auicennæ auctoritas, ſcribentis Fufel refrigerare atque adſtringere. Immaturum Fauſel ſtupefacit & inebriat,, vt refert Garcias: ideò ſic editur à nonnullis, vt veluti

Cap. 335. ſimpl. Li. 2. c. 256.

luti ebrij dolorum cruciatus non sentiant. Admiscentur Faufel siue Arecæ eadē quæ Betre admisceri dicemus, tametsi Betre calidum sit, Areca verò frigida & sicca. Sed & admiscetur Lyrium, quoniam vtrumque gingiuas confirmat, & dentes stabilit, stomachum roborat, & vtile est aduersus sanguinis reiectiones, vomitus

AVELLANA Indica, Matthioli.



& alui profluuia. Sic autem parant. Contusam Nucē Faufel in tenuissimas partes cum Lycio & folio Betre, cui sit exemptus neruus, mandunt, sicuti in Betre dicetur, & priorem satiuā quæ cruenta est expuunt, eáque ratione cerebrum & ventriculum expurgant, gingiuas stabiliunt. Potētiores ex Faufel, Lycio, Caphura, Ligno Aloës & Ambari momento pastillos componunt, quos mandunt. Garcias ex Faufel viridi aquam stillatitiam vitreis organis eliciebat, qua maximo cum successu in biliosis alui profluuiis vtebatur. Nucem Faufel cum suo operimento ex Clusio hîc depinximus, qui & aliam vidit nucem oblōgam, quæ Faufel cum suo inuolucro magnitudine æquat, prædura & foris nigricans, quæq; per medium secta Nucem myristicam proximè æmulatur. Fortè Faufel genus erit, aut aliquid simile. Eius quoque iconem hîc ex eodem expressimus. Alias Auellanas Indicas à Cortuso dono datas depinxit Matthiolus, & descripsit his ferè verbis. Prior tum facie, tum magnitudine differt à Faufel. Contegitur putamine extimo Cardamomi maioris putamini simili, sed duriore, compactiore, & colore magis obscuro, magnitudine iuglandis viridi adhuc putamine tectæ. Eo Auellana concluditur oblōga, vtraque parte acuminata, dorso arcuato, inferiore parte lata ac sessili, osse cō tecta duro, læui, castanearum colore, in quo nucleus concluditur solidus, eiusdem ferè figuræ, tenui albáque membrana obductus, dulci intus medulla, albicante. Altera est superiore longè minor, quæ è suo inuolucro exempta, quod læue molléque est, colore subpallido, nec folio Palmæ crassius, glandis acuminatæ aut myrobalani flauę ferè figura est, duro putamine conclusa, quod colore vulgaris auellanæ oblongum intus nucleum pumilam amygdalam referentem continet. Clusius in Scholiis in Garciæ Aromaticorū Indicorum historiam aliquot Auellanarum Indicarum icones cum suis descriptionibus exhibuit. Prior exigua est tribus lateribus elatioribus, atque itidem tribus foraminum vestigiis, vti Coccus conspicua villoso quodam inuolucro velut Faufel ferè tecta. Altera pollicari est longitudine, duorum verò

AVELLANARVM Indicarum, Clusij.



digitorum craſsitudine,inferiore parte ſeſsilis,rugoſa ſcabritie & cinerea, ſuperna autem & eminentiore parte læuis, ſubruſiq; coloris, ita vt animalculum duro corio tectum videatur. Prægnans eſt, & aliam continet. Huic ferè ſimile genus inuenitur minus,nigricãs,quod à Matthiolo priori generi Auellanarum Indicarum adſcribitur. Tertia Mehenbethene nomine à Cortuſo miſſa.Pollicem tranſuerſùm longa eſt,forma triangulari, duro & ligneo putamine, fracta tres cellulas oſtendens, in quibus nucleus oblongus, albus dulcíſque inuenitur. Quomodo
Li.2.c.473. autem Mehenbethene nomen illi tribui poſsit non video, cùm Auicenna de Mehenbethene tractans,nihil aliud quàm Græcorũ Lathyrim deſcribat.

SANTALVM. *CAP. XI.*

Nomina VETERIBVS Græcis ignotũ fuit quod Santalum dicitur, Auicẽnæ, Serapioni,atq; Mauritanis omnibus corrupto nomine *Sãdal*, in Timor inſula, omnibúſque Malacæ vicinis prouinciis *Chandama*, in Canara,
Lib.1,Aromat. Ind. cap.17. Decan,& Guzarate, *Sercanda*, auctore Garcia.Santali tria ſunt genera,
Genera. rubrum,album,pallidum,quod Officinæ Citrinum appellant. Idem Garcias Santalum ſcribit in Nucis iuglandis magnitudinẽ aſſurgere, foliis eſſe admodùm vi-
Forma. rentibus, Lẽtiſci æmulis, flos ex cæruleo nigricat,fructus eſt Ceraſi magnitudine, primùm viridis, deinde niger, inſipidus & facilè decidens. Inodoram ferunt eſſe arborem,niſi cùm detracto iam cortice exſiccata fuerit.Tria huius genera vno in
Locus. loco non proueniunt, ſed in regionibus multùm à ſeſe diſtantibus.In Timor inſula vndique portubus abundante plurimum album & pallidum reperitur, & in India vltra Sangem fluuium,quem Indi Hanga vocant, item in Verbali portu lauæ,vehementer quidem odoratum,ſed quod breuì ſeneſcat,debeatq; poſt annum multo ligno adempto odor eiusreuocari, qui in medio eſt.Præfertur id quod minimum ligni,plurimum cordis habet: rubrum in India intra Gãgem,videlicet in Tanaſarim,& maritimis quibuſdam Charamandel.Hoc à Braſilio liquo (quamuis vtrunque ſit inodorum)differt,inquit Garcias,quòd Santalum rubrum neq; dulce eſt,neq; inficit,quæ notæ in Braſilio perſpicuè apparent. At rubrũ Santalum vulgare Officinarum ſæpe inficere comperias. Eius ea in regione,in aqua prouenit, rarus eſt vſus,quòd Indi aduerſus febres duntaxat eo vtantur.Reliquum in Luſitaniam & Occidentales regiones defertur. Ex eo interdũ idola ſua eorumq; delubra fabricãtur: qua de cauſa craſſiora ligna magis expetũtur,maioriq; pretio redimun-
Electio. tur.Primum locum tenet pallidum,ſecundum album,tanta tamen inter vtriuſque arbores eſt ſimilitudo, vt hæc ab illa diſcerni nõ poſsit,niſi ab incolis,qui eas cæſas mercatoribus vendunt. Vtriuſq; magna copia per vniuerſam Indiam abſumitur:quoniam omnes ferè eius regionis incolæ,ſiue Mauritani,ſiue Gentiles eo in mortariis lapideis contuſo,& aqua macerato,vniuerſum corpus inungunt,deinde ſiccari ſinunt,ad æſtus corporis tollendos,vel ad odorem conciliandum.Eſt enim regio calida admodùm,& incolæ plurimùm odoribus delectantur.Garcias legitimum Santalum citrinum vix in Luſitaniam deferri putat,cum multò pluris apud Indos,quàm in Luſitaniam delatum vendi poſſit.Ex quibus non ſine ratione dubitandum genuinumne Santalum citrinũ habeamus, an potiùs aliquod aliud lignũ odoratum eius loco ad nos deferatur. In citrini tamen penuria,albi & rubri partes æquales præſcribendas eſſe non putat Garcias,ſed potiùs, ſolum candidũ, mul-
Li.2.c.649. tò magis enim cum citrino affine eſt album quàm rubrum. Auicenna de Santalo
Vires & Temper. ſcribẽs, Galenum, cui id incognitum fuit,falſò citat,ſtatuitq; frigidum eſſe in fine ſecundi ordinis ad tertiũ vſq;, ſiccum in ſecundo. Serapio ſimiliter ex multorum Arabum auctoritate frigidũ in tertio gradu, ſiccum in ſecundo:rubrũ tamen frigi-
Cap.336. ſimpl. dius eſſe albo & citrino.Præſertim rubrum humorum fluxum inhibere,eryſipelatis, inflam

tis,inflãmationibus,podagræ à bile ortæ ex ſucco Solani, aut Sedi, aut Portulacæ vtiliter illini.Candidum ac pallidum ex aqua roſarũ fronti impoſita capitis dolores à bile & caliditate mulcere. Omnia calidis febribus aduerſari:epota æſtuãti vẽtriculo auxiliari.Fiunt ex his & aqua roſarum epithemata, quæ vẽtriculo admota, eius feruorem in ardẽtiſſimis febribus extingunt.Prætereà Santalũ, auctore Auicenna libro de viribus cordis,cordi amicum eſt, lætitiam enim adfert, & robur ei addit. Quare iis miſcetur medicamentis quæ cordi & eius palpitationi ſuccurrũt. Sed cùm Santalũ album & pallidum odorata ſint, Mauritanorum ſententia improbanda,qui Santalum tertio ordine refrigerare prodiderunt.

AGALLOCHVM. CAP. XII.

PRISCIS Græcis ἀγάλλοχον, recẽtioribus etiam ἀγάλλοχον & ξυλαλόη, Latinis Agallochum & Lignum Aloës, Arabibus *Haud*, *Agalugin*, ſeu *Agalugen*, à Guzarate & Decan incolis, auctore Garcia, *Vd*, quod ex Arabibus ſumptum videtur in Malaca *Garbo*, ſelectiſsimum autem *Calambac*. De eo ſic Dioſcorides. Agallochum lignum eſt, quod ex India,& Arabia deportatur, Thuiæ ligno ſimile,maculatũ, odoratum,guſtu adſtringens,cum quadam amaritudine,cute veriùs quàm cortice veſtitur, aliquantùm verſicolore. Auicẽna duobus diuerſis capitibus de Agallocho tractat.De priore, nomine Agalugen ſiue Agalugin, de altero nomine Xyloaloës. Priore quidẽ ait Agalugin lignum eſſe Indicum, aut Arabicum, odoratũ,cute aſpera,diuerſis & lineis colorata.Huic adſtringẽdi vis ineſt cum pauca amaritudine. Quæ omnia ex Dioſcoride deſcripta ſunt,in quo legit ἐστιγμένον, εὐῶδες, quemadmodum & vulgaria exẽplaria habent, id eſt, punctis maculatum, odoratum, pro quo Oribaſius legit, ἔστι μὲν ὄυν εὐῶδες,id eſt,Eſt igitur odoratum.Deinde eaſdem,quas Dioſcorides ſubiungit vires.Serapio Dioſcoridis verba tranſcribens nec macularum nec punctorum meminit,nec Paulus.Poſteriore loco Auicenna nomina & regiones enumerat,à quibus Xyloaloë deportabatur. Sed in omnibus verũ & legitimũ nõ naſcitur.Nam quod in promõtorio Comorin,veteribus Cori dicto,& Zeilan inuenitur, lignum odoratum eſt,quod lignum Aloës ſilueſtre vocarunt,cùm tamen non ſit. Legitimum in Malaca & Sumatra naſcitur,vnde à Chinenſibus ferebatur.Serapio ex Dioſcoride & Galeno omnia tranſcripſit, item multa eius genera,& plurima alia ex Arabibus.Garcias legitimum Lignũ Aloës nõ niſi in India naſci putat.Ex Arabia quidem adferri potuiſſe, priùs tamen ex India eò deportatum,vt pleraſque alias merces.Nam in Arabia prouenire non arbitratur:nec cute veſtiri,ſed cortice,vt & alia ligna:neq; veriſimile eſſe pro Thure ad ſuffimẽta ſubſtitui,ſed potiùs contrà, pro Agallacho Thus ſubſtitui debuiſſe, vt pote cuius maior copia fuit: non ſolemus enim rariora & inuentu difficiliora vulgaribus ſubſtituere,ſed contrà. Eſt autem Agallochum eodem auctore arbor Oleæ inſtar, interdũ minor. Nec florem nec fructum vidit,ob periculoſam huius arboris diuturnam obſeruationem, frequenter iſtic graſſantibus tigribus.Ramos autem ex Malaca delatos vidit.Ferunt Agallochum recens diſſectum nulla odoris fragrantia gratum eſſe, nec niſi ſiccatum odoratum,nec eum odorẽ per vniuerſam ligni materiam diffundi, ſed in ipſa matrice conſiſtere. Craſſus enim eſt cortex,& ligni materies odoris expers. Non negat tamen Garcias, quin putreſcente cortice & ligno, oleoſus ille & pinguis humor matrici ſeſe inſinuet,illamq; odoratiorẽ reddat. Sed vt odor Agallocho concilietur minimè putredine opus eſt:nam tẽpore aliud magis, aliud minùs odoratum ſit,quod multi experientia edocti probè norunt, vt etiam de recẽns diſſecto ſtatim iudicare poſſint, ſitne odoratũ futurum, ánnon. Nam in omni lignorum genere aliud alio præſtãtius eſt. Solent autẽ Malacæ incolæ Agallochum repur-

Nomina.

Lib. 1. Arom. Ind. cap. 16.

Lib. 1. c. 21.

Forma.

Lib. 2. c. 4.

L. 21. c. 735.

ἀγάλλοχον ob ἀγάλλομαι glorior, gaudeo hinc ἀγάλλομα oblectamenta hinc ἀγάλλοχον quia gaudia et oblectamenta cordi affert ex n. cordialium medicamentum

Locus.


Forma.

Electio. gare antequàm mercatoribus vendant. Præfertur multùm nigricans, cinereis discurrentibus venis, pōderosũm, plurimo pingui humore prægnans. Probatio erit, si igni accensum multũ humorem exudet, si in aquam iniectum nō sidat: nam solidissimũ quodq; innatat. Guzarate & Decã incolæ præter supradictas notas, vt magna sint fragmēta requirunt, quemadmodũ maiores gemmas & margaritas cæteris præferunt: sibi enim persuaserunt quo maiora sunt fragmēta, eo maiore facultate prædita esse. Fabulam narrant qui Agallochi arborem à nemine visam referunt, quòd in terrestri tantùm paradiso proueniat, illiusq; lignum ferri fluminibus

Cap.30. quæ ex eo manant. Hoc verò multò absurdius quod Pandectarius scribit Agallochum Chamelæa adulterari, cùm tota ea regione Chamelæa nō nascatur auctore

Cap.197. simpl. Garcia. Illud quidē Serapio tradit ex quorundam auctoritate ramos Agallochi frãgi, & in flumina decidere, cum iis vehi in eas regiones quas alluũt: prætereà lignũ Aloës ex arbore sua excisum anni spatio sepeliri, ibiq; corrodi, ita vt remaneat lignum Aloës purum, nihilq; è ligno illo erodatur. Cui Symeō Sethi subscripsit, nō aliàs futurum odoratius scribēs, nisi priùs marcorem aliquem & teredinem sensérit. Quod ait Garcias Auicennam hallucinari cùm scribit Agallochum ab incolis elixari, vt omnem odoris vim eliciant, id in nostris exemplaribus nō reperitur. Verùm Agallochum Officinis omnibus diu ignotum fuit, atq; etiam hodie à multis ignoratur aliud atq; aliud lignum ei substituētibus: quãquam verum à Lusitanis ex India Vlyssiponem & Hispaniam delatum sit, sed magno æstimatum: fiunt interdum ex eo sphærulæ precatoriæ, odoris iucunditate, & pretij magnitudine commendabiles. Frequentiores tamen sunt eæ quę ex Xyloaloë syluestri, cuius ex Garcia meminimus, fiunt, tum ex alio ligni genere quod Agallochum proximè æmulatur: inodorum tamē est. Venetiis etiam habent institores, inquit Pena, carissimum, & vsu probatissimum, gustu astringenti, præsicco, non multùm amaro: suffitu suauissimũ reddit odorem, & succum aut liquorem pinguem, odorē qualem in Ebeno vel Guyaco percipias, cui concolor & fortè congener.

AGALLOCHVM siue Xyloaloë.



Lib.1.c.21. *Vires & Temper.* Manditur Agallochũ, inquit Dioscorides, aut decocto os colluitur, commēdandi halitus gratia. Sudores arcet toti corpori inspersum. Pro thure ad suffimenta substituitur. Radix epota drachmæ vnius pondere humida stomachi vitia, & imbecillitatē feruoremq; mulcet. Si lateris iocinorisq; dolor excruciat,

Lib.2.c.733. si dysenteriæ aut tormina infestant, ex aqua bibere prodest. Agallochum auctore Auicenna calfacit atque exsiccat ordine secundo. Facit ad cordis affectus: ob id inter ea medicamenta quæ cordi præsidio sunt ab eodem recensetur.

BALSAMVM. CAP. XIII.

Nomina Lib. 1. c.18. *Forma.* GRAECE βάλσαμον, Latinè etiam Balsamum dicitur, Arabibus *Balsem Balesma*, *Belsan*, Italis *Balsamo*, Gallis *Baume*. Dioscorides Balsamum esse tradit Leucoij, &, vt in vulgatis exemplaribus habetur, Pyracanthæ magnitudine, folio Rutæ proximo, longè cãdidiori, semper

Locus. exurēte. In Iudæę solùm quadam valle, & Ægypto nasci, differēs scabritia, proceritate, gracilitate: quòd igitur tenui & capillacea coma sit, Theriston vocari, quasi

Tempus. *Opobalsanum.* demessile, fortassis quòd ob gracilitatem facilè demetatur. Aestiuis sub ortu canis ardoribus arborem vnguibus ferreis incídi, manareq; è plaga succum siue liquorē, quem

quem Opobalſamum vocant, ſed tam exiguo ſtillatu, vt annis ſingulis, non plures quàm ſeni ſeptenìve congij cogantur, inibiq; pondus duplo rependitur argento. Theophraſtus paulò aliter delineauit his ferè verbis. Balſamũ in valle Syrię naſcitur, in hortis dũtaxat duobus, vt aiunt, alterum viginti eſſe iugerum, alterũ multò minorem. Arbor magnitudine eſt Mali Punicæ magnæ, ramis valde multis, folio Rutæ ſimili, ſed ſubcandidiore, perpetuo virente. Fructus ſimilis eſt Terebintho, magnitudine, figura & colore, valde odoratus, & lacryma ipſa odoratior. Hãc ex plaga colligi tradunt, inciſo vnguibus ferreis caudice circa ſuperna, ſub ſydere cùm maximè æſtus feruet. Colligi verò æſtate tota, ſed multùm nõ eſſe quod fluit, vnam enim die concham duntaxat plenam colligi : odorem eius eximium eſſe & copioſum, adeò vt ex eius tantulo odor longum ſpatium permeet. Verùm ſincerũ nullum ad nos aduehi, ſed cùm collectũ eſt atq; permixtum : multarũ enim rerum permixtione vitiari, & quod in Græcia venditur, ſæpe adulteratũ eſſe. Quin & valde odoratas eſſe huius arboris virgas: & eas quidem amputari quotãnis, partim vt reliqua valentiora ſeruentur, partim vt emolumenti plus comparetur: vẽdi enim eas magno pretio poſſe. (ex qua Gazę cõuerſione ſic legẽda Græca in vulgatis codicibus deprauata. δένδρα γὰρ καθαίρειν καθ᾽ ἑκάστους ἐνιαυτοὺς, τῶν ἄλλων ἕνεκα, ὥστε ἰσχυρότερα σώζειν, καὶ πλεῖον κέρδος εἰσφέρειν, πωλεῖσθαι γὰρ τιμίως.) atq; huius arborum cultus cauſam ad imbrem referunt, (Lege, καὶ τῆς ἐργασίας περὶ τὰ δένδρα σχεδὸν τὴν αἰτίαν εἶναι &c. Continuò enim eum decidere : atq; etiam virgarum amputationem cauſam quandam eſſe aiunt, cur arbores magnæ non fiunt. Etenim quia frequenter tondentur virgas tantùm producunt, nec in vnũ caudicem vires intendũtur. Nullum vſpiam ſilueſtre Balſamum eſſe audiuimus : ex maiori horto vaſa duodecim impleri, quæ dimidiũ congij capiunt. Ex altero verò duo duntaxat. Sincerũ vendi duplo ad argentum pretio, adulteratũ proportione mixtionis. Et Balſamum quidem odoris gratia videtur excellere. Plinius quædam alia ſcribit, alia ex vtroq; mutuatus videtur. Sed omnibus odoribus præfertur Balſamum, vni terrarum Iudeæ conceſſum, quondam in duobus tantùm hortis, vtroq; Regio, alterum iugerum viginti, nõ ampliùs, altero paucіorũ. Oſtendêre arbuſculam hanc vrbi Imperatores Veſpaſiani. Clarumq; dictu à Põpeio Magno in triumpho arbores quoq; ductas. Seruit nunc hæc, & tributa pendit cum ſua gente, in totum alia natura quã noſtri externiq; prodiderũt. Quippe Viti ſimilior eſt quàm Myrto. Malleolis ſeri creditur, nuper vincta vt Vitis: & implet colles vinearũ modo, quæ ſine adminiculis ſeipſæ ſuſtinent. Tondetur ſimiliter fruticans, ac raſtris miteſcit, properatq; naſci, intra tertium annum fructifera. Folium proximum Rutæ, perpetua coma. Sæuière in eandẽ Iudæi, ſicut in vitam quoq; ſuam. Contrà defendère Romani, & dimicatum pro frutice eſt. Seritq; nunc eam fiſcus: nec vnquã fuit numeroſior aut procerior. Proceritas intra bina cubita ſubſiſtit. Arbori tria genera. Tenui & capillacea coma, quod vocãt Eutheriſton. Alterũ ſcabro aſpectu, incuruum, fruticoſum, odoratius. Hoc Trachy appellãt. Tertiũ Eumeces, quia eſt reliquis procerius, læui cortice. Huic ſecunda bonitas, nouiſsima Eutheriſto. Semen eius vino proximũ guſtu, colore rufum, nec ſine pingui : peius in grano quod læuius atque viridius. Ramus craſſior quã Myrto. Inciditur vitro, lapide, oſſeiſq; cultellis. Ferro lædi vitalia odit. (Theophraſtus & Dioſco. ferreis vnguibus ſcalpi dixêre) Emoritur protinus, eadẽ amputari ſuperuacua patiẽs. Incidentis manus libratur artifici tẽperamẽto, ne quid vltra corticẽ violet. Succus è plaga manat, quẽ Cipobalſamũ vocant, ſuauitatis eximiæ, ſed tenui gutta : ploratus lanis parua colligitur in cornua. Ex iis nouo fictili cõditur craſſiori ſimilis oleo, & in muſto cãdida. Rubeſcit deinde, ſimulq; dureſcit è trãſlucido. (Legẽdum, & trãſlucet) Alexãdro magno res ibi gerẽte, toto die æſtiuo vnã conchã impleri iuſtum erat. Anni verò fœcunditate è maiore horto con-

Lib. 9. hiſt. cap. 6.

Græcis d[icitu]r Balsamon latinis Balsamu[m] … ab Arabib[us] quib[us] dicit[ur] Ballessan dicit[ur] … in lib.o de plant. …

Li. 12. c. 25.


gios ſenos,minore ſingulos,cum duplo repẽdebatur argẽto.Nunc etiã ſingularum
arborum largior vena,ter omnibus percutitur æſtatibus, poſtea deputatur. Et ſar-
menta quoq; in merce ſunt. Denariis trecẽtis amputatio ipſa ſurculuſq; vænit. In-
tra quintũ demum annum Xylobalſamum vocatur, & coquitur in vnguentis.Pro
ſucco ipſum ſubſtituêre Officinæ. Corticis etiã ad medicamẽta pretium eſt.Præci
pua autẽ gratia lacrymę,ſecũda ſemini,tertia cortici,minima ligno.Strabo etiã Bal
Lib. 16. Geogr. ſami hiſtoriã ſic deſcripſit. Hierichus eſt cãpus à montana quadã regione circũda-
tus,q̃ in theatri ſpeciẽ ad ipſum declinat. Hoc in loco eſt Palmetũ Palmis abundãs
ſpatio ſtadiorũ centũ,& totũ irriguum,& habitationibus plenũ,vbi & regia eſt,&
Balſami viridariũ.Arbor odorata eſt & fruticoſa, Cytiſo & Cerebintho pſimilis.
Eius corticẽ vulnerãtes,ſuccũ in vaſis ſuſcipiunt tenaci lacti perſimilẽ.Alibi etiam
Ibidem. naſci Balſamũ teſtatur,cùm ſcribit.Et apud Sabæos Thus & Myrrha,& Cinnamo
Lib.2. c.81. mum naſcitur:in ora etiã Balſamũ, & quædam alia planta odorata. Auicẽna Balſa-
To.1. lib.2. cap.3. mum in Ægypto naſci ſcripſit,eandemq; ferè omnia quæ Dioſcori.de eo tradidit.
Ait Theuetus ſe vidiſſe hortum non procul à Cairo Ægypti liquore illo raro &
pretioſo ex Balſamo arbore profluẽte celeberrimum, quam Prouinciæ præfectus
adhibitis cuſtodibus diligentiſſimè cõſeruat,vt eius liquorẽ colligat, quẽ quotan-
nis ad Turcarũ Imperatorem mittat. Itẽ à Græcorum Patriarcha & vrbis ſeniori-
bus audiuiſſe eum qui hodie colligitur,neq; tam oleoſum, neq; vulneribus vlceri-
buſq; curãdis tam vtilem, quã qui poſtremi Regis Ægyptij tempore colligebatur.
Plures quidem clam Opobalſamũ vendere,ſed adulteratũ.Narraſſe Arabas ex hi-
ſtoriis Cleopatram Ægypti Reginam ex Iudæa Balſamum primam in Ægyptum
trãſtuliſſe. Sed huic hiſtoriæ vix aſſentitur Theuetus, quòd in alia vulgari Græca
lingua cõſcripta in Paleſtina legerit,Traians tẽpore Balſami feracia fuiſſe monta-
na Engadi, & quædã alia Aſiæ minoris loca:quãquam re vera cùm hæc luſtraret,
nullam reperire potuerit Balſami ſtirpem.Præterea Baſiliani montis Libani inco-
læ ex hiſtoriis ſuis referebãt,in quadam mõtis parte quę Solis ortũ ſpectabat, Ale
xi Græcis imperãte,tantum Balſami colligi ſolitum, quantũ in Ægypto. Sed re-
gione à Turcarũ tyrannide oppreſſa, & exactis inde Chriſtianis,eius liquoris me-
moriã vnà cum planta ipſa exoleuiſſe. Ægypti Reges nihil pretioſius habebant,
quod Regibus & Imperatoribus Perſidis,Catax, Æthiopię,Græciæ,cęteriſq; dono
darẽt,ſiue ad ineundã ſiue ad confirmãdam cum eis amicitiam.Auctor deſcriptio
nis Africæ,in octaua eius parte tradit extra vrbẽ Ægypti Milfruhetich primã in
Ægypto à Mahumetanis cõditam ad Nilum,excellẽtes eſſe & magnificas ſepultu
ras Regum Ægypti,qui eorum lingua Soldani dicũtur. Ab his ſepulchris mille &
quingẽtis paſſibus ſtare dignos dictos Almathria,in quibus eſt hortus vnicã alens
arborẽ,quæ Balſamum producit,nec in toto orbe vlla alia eſt quã hæc ſola.Plãtula
eſt in medio fontis inſtar putei. Nã eſt procera arbor.Folia eius ſimilia ſunt foliis
vitis,& parua.Audiuiſſe ſe refert qui dicerent, ſi aqua fontis diminuatur,plantam
ipſam ſiccatã iri.Hortus cinctus eſt validiſsimis muris, in quem ingredi nemo po
teſt,niſi maximo fauore aut dono cuſtodiẽtibus dato.Multa quidẽ hæc illi de Bal-
ſamo. Nullus tamen notis omnibus delineauit eius imaginẽ, vt veriſimile ſit eam
præſertim veteribus illis incognitam fuiſſe. Hanc ex amici cuiuſdam oratione ſic
refert Pena: Humilis eſt frutex, aſpectu deformis, cineracei coloris, flore puſillo
Iaſmini lutei ſimili, minore,perpetuis virgis.Folia horna exuit menſe Decembri,
quibus non niſi menſe Maio noua ſubſtituuntur. In Cairo atque Babylone ſata vi
get. Decembri menſe ramuli præſcindũtur, quibus cera oblitæ appenduntur am-
Succi Electio. phoræ,excipiendo aureo liquori,qui moſchum ſapit. Nunc de tribus plantæ par-
tibus dicamus, vt veras ab adulteratis diſcernamus, & earum vires perſpectas ha-
Lib.1.c.18. beamus. Succus probatur,auctore Dioſcoride,recens, odoris validi,ſincerus,non
ad

ad acorem vergens, dilui facilis, læuis, adstringēs, ac modicè mordēs linguam. Sed
variè vitiatur misto ab aliquibus Terebinthi, Cypri, Lentisci, Balani vnguēto, item
Susino, Metopio, Melle, aut cerato Myrteo, aut Cyprino liquido, læui. Sed dolus fa
cilè deprehēditur. Nam purus in laneam vestem instillatus, si eluatur, neque ma-
culam, neque notam relinquit: vitiatus autem inhæret, & lac instillatus coagulat,
quod adulteratus nō efficit: Prætereà sincerus in aqua, au lacte celeriter liquatur
& lactescit, adulteratus olei modo innatat se cōuoluens, & in stellæ modū diffun-
dens, Sincerus tempore crassescit, deteriorq; redditur. Xylobalsamum probatur *Xylobals.*
recēs, tenuibus ramulis, fuluum, odoratum, quadātenus Opobalsamum spirās. Se- *Electio.*
men eligitur flauum, plenū, grande, ponderosum, mordēs gustu, feruens, modicè *Carpobal*
Opobalsamū olens. Adulteratur semine Hyperico simili, quod è Petra oppido de- *sa. Ele-*
fertur. Sed coarguitur magnitudine, inanitate, virium ignauia, sapore piperis. *ctio.*
Efficacissima vis inest succo, & maximè calfaciens, abstergit quæ tenebras oculis *Vires &*
offundunt, medetur perforictionibus vuluæ cum cerato rosaceo appositus: mēses *Temper.*
quoque secundas & partus extrahit, horrores illitu discutit, sordida vlcera expur-
gat, & cruda cōcoquit: vrinam potu ciet, ægrè spirātibus prodest: datur in lacte cō-
tra Aconitū haustum, ac serpētium ictus. Miscetur acopis, malagmatis & antido-
tis. In summa efficacissima vis inest succo, secunda semini, minima ligno. Semen
cōmodè potui datur pleuriticis, peripneumonicis, tussi, ischiadicis, comitialibus,
vertiginosis, orthopnoicis, vrinæ difficultati, torminibus, ac serpētium morsibus:
ad muliebres insessus vtile est: vuluā aperit in desessionibus balnearum decoctū,
& humorem euocat. Lignum easdem habet vires, aliquāto minores. Ex aqua po-
tum cruditatibus, torminosis, venenatorū ictibus, vulsis opitulatur, vrinam cit, ad
vulnera capitis cum Iri sicca conuenit, squamas ossium extrahit, & ad vnguento-
rum spissamenta additur. Balsamum, vt scripsit Galenus, desiccat & excalfacit or- Li.6. simpl.
dine secundo. Est autem tenuium partium, adeò vt odoratum sit. Sed liquor eius
subtiliorum etiam partium est quàm ipsa planta, non tamen adeò calidus, vt qui-
dam existimant, tenuitate partiū falsi. Porrò fructus eius persimilis genere facul-
tatis est, cæterum longè in subtilitate partium inferior. Cùm hæ tres Balsami par-
tes rarissimæ sint, imò potiùs cum his prorsus destitutæ sint Officinæ, succedanea
tria excogitarunt. Liquori Balsama quæq; sua, quæ vocant artificialia substitue-
runt, quorum mirificas vires ad vulnera curanda omnes celebrant, & experimētis
confirmant. Xylobalsamo Lētisci surculos, fortasse haud abs re, modò cariosi non
sint, sed recentes, nec odorem amiserint: ea enim sunt temperie, nempe modicè
calfaciente, desiccante, moderatè etiam adstringente & aromatica, vt horum pul-
uis stomacho commodus esse posit. Iisdem qualitatibus dentiscalpia ex iis, dentes
& gingiuas purgant & roborant. Hoc Pseudoxylobalsamo abundat Gallia Narbo-
nensis & Italia. Carpobalsamum Officinarum prorsus reiiciendum est, neq; enim
Balsami fructus est, sed ignotæ cuiusdam plantæ, vietum, exoletum, inodorum.
Quare eius penuria semine Terebinthi, vel Lentisci immaturi vtendum cēset Pe-
na, quòd eius vires Carpobalsami facultatibus planè respondere videantur. Quin
è Terebinthi pullulantibus botris atque flagellis tempore Verno lympidissimus
liquor extillans, odoratissimus, non parùm tenax, digerendo, glutinando, dolo-
rémque mulcēdo eadem quæ Opobalsamum præstare potest: cui suffragatur om-
nium consensus: nullus enim Balsamum confecit, qui non Terebinthinam vulga-
tam permiscuerit. Quare nullum ille succedaneum aptius arbitratur, cuius partes
omnes omnibus partibus, liquori, ligno, semini respondeant, quàm Terebinthus
genuinus. Hodie ex Occidentali India præstantissimus liquor in Hispaniam de- Balsamum
fertur, quem ob excellentes & admirandas virtutes Balsamum nuncuparunt, veri Indicum.
illius Balsami quod in Iudæa & Ægypto nascebatur nomine. Quare Balsamum

Li. de simplic. Ind. Occident. Indicum siue Occidentale nominetur. Nascitur auctore Nicolao Monard. in
Hispania noua arbor Indis Xilo dicta, Punica malo maior, foliis Vrticæ similibus,
Forma. serratis & tenuibus. Ex hac duobus modis liquor elicitur. Vno multis incisuris
vulnerato arboris cortice, qui tenuis est. Liquor inde fluens tenax est, subalbidus,
& præstantissimus, sed adeò paucus, vt totum sibi seruent incolæ, nec ad nos trans-
feratur. Altero Indis admodùm familiari in eliciendis succis ex quauis arbore.
Ramos atque etiam truncos arboris assulatim & minutim cōcisos in amplissimū
lebetem coniiciunt, multa affusa aqua. Bulliunt omnia quantùm satis sit: sublato
igne refrigerari sinunt, & conchis oleum supernatans colligunt. Id verò est Bal-
samum quod in Hispaniam aduehitur, & quo illic vulgò vtuntur, colore ex nigro
rubente, odoris suauissimi. Vasculis argenteis, vitreis, stanneis, aut fictilibus vitra-
tis asseruatur, aliam omnem materiam penetrans. Gustu est acuto & aliquantulū
Temper. amaro, vnde colligere licet adstrictionis particeps esse, calidum & siccum secūdo
& Vires. gradu. Tribus autem modis in vsum medicum recipitur. Aut enim intus sumitur,
aut foris illinitur, aut chirurgicis remediis permiscetur. Intus sumptum manè ie-
iuno ventriculo asthmaticis vtile est, & vesicæ doloribus, menses ciet, vt & pessi
modo subditum. Eius quatuor aut quinque guttulæ vino, aut aqua rosacea in co-
chleari exceptæ, & diluculo sensim in guttur instillatæ, sic vt linguam nō contin-
gant (eius enim Balsami sapor in ore diutius hærens forsitan nauseam moueret)
veteres stomachi dolores finiunt, eúmque roborant: colorem commendāt & an-
helitum. Iocinori prodest, obstructiones aperit, & iuuentutem conseruat. Phthi-
sicos iuuat, sterilium vterum expurgat pessi modo admotum. Foris calidum cum
pluma illitum omnes cruciatus à frigidis humoribus ortos mulcet, præsertim si
linteum liquore delibutum apponatur. Oedemata discutit & absumit: quam-
libet corporis partem roborat. Capiti illitum cerebrum reficit & fouet, om-
nemq; noxium humorem absumendo, dolores sedat. Paralyticis opitulatur, cere-
bro, ceruice, spina, & ea parte quæ paralysi tentata est inunctis. Eadem ratione ad
omnes neruorum morbos & contractiones vtile est. Stomacho illitum eum ro-
borat, concoctionem iuuat, & flatibus obstructionibusq; liberat, sicuti & lienem,
quem etiam emollit. Nephritidem & ventriculi dolores à causa frigida & flatibus
prouenientes, calidum loco dolenti impositum sanat. Idem præstat pani calido
inditum, sicq; appositum. Vrinam cit & expellit illitum. Summopere laudatur in
articulorum doloribus, præsertim coxendicum, quia omnem duritiem & tumo-
rem resoluens discutiat. Chirurgicis medicamentis mixtum, mirum quantùm va-
leat. Vulgò in recentibus vulneribus vtuntur: nam statim & sine suppuratione
glutinat. Iis etiam prodest in quibus contusio adglutinationem impedit, quòd
statim digerat, & reliqua præstet quæ ad vulnus glutinandum necessaria sunt, vt
non abs re pauperum chirurgia cēseri possit. Neruorum iuncturarumq; vulnera
præ reliquis medicamentis ad cicatricem perducit, contractionemq; prohibet.
Capitis vulnera sanat, modò cranium illæsum sit. Denique recētia omnia in qua-
libet corporis parte, antiqua verò per se, aut cum aliis eò pertinētibus expurgat, &
ad cicatricem perducit. In diuturnis febribus spina eo calente inuncta, dimidia
hora ante paroxysmum, & illico quinq; aut sex guttis eius in vino sumptis modo
supradicto, horrores discutiuntur, si ter aut quater remedium id repetatur. Hoc
Balsamum statim, atque in India innotuit, ab Hispanis vsu receptum fuit, Indorū
exempla secutis, hoc succo vulnera sua curantium. Quare in Hispaniam delatū
ob admirabiles eius dotes magno fuit in pretio: eius enim vncia modò decem, mo-
dò viginti ducatis æstimabatur, nunc libra non pluris quàm tribus aut quatuor
ducatis væniit. Romam quoque primùm illatum in eo fuit pretio, vt vncia centum
ducatis venderetur. Deinde magna eius copia ad nos delata cœpit vilescere.

Eodem

FRVCTVS Balsami, Monardi.



Eodẽ Nicolao Monardo auctore, ex Americæ siue Noui orbis cõtinenti magna copia deferri cœpit Balsamũ aliud per incisionẽ extractũ ex arboribus iis similibus quæ in noua Hispania nascũtur, vbi Balsamũ decoctione colligitur. Sunt autem eæ arbores vastæ magnitudinis, & ad radicem vsque ramosæ, duplici septæ cortice, altero crasso, Suberum modo, altero tenui, interno, materiam arborum amplectente. Ex eo quod inter vtrumque corticem est spatio, incisione Balsamum profluit, alba limpidissimáque lacryma, suauissimi odoris, qui insignes suas facultates statim prodit. Idem auctor affirmat eius guttulam, alterius quod decoctione elicitur libra præstare, eiúsque arboris fructum se habere, qui pro arboris magnitudine exiguus est, nempe Ciceris aut Pisi grano non maior, gustus aliquantùm amari, inclusus extrema siliqua angusta, digitum longa, alba & tenui. Eo fructu sese suffiunt Indi ad capitis dolores & defluxiones. Auctor generalis Indiarum Historiæ narrat in India & insula Hispaniola plantam quandam sponte nasci, arboris magnitudine, vt pote quæ ad duorum hominum proceritatem interdum assurgat. Caulibus est cinereis, foliis viridibus superiore parte magis quàm inferiore, grandibus & amplis costa crassiore & elatiore per medium diuisis, foliorum pediculis non virentibus, sed rubescentibus. Fructus est racemosus, longus instar manus digitatæ. Acini eius rari, virentes, quandoque rubescentes, & qui maturescendo magis, ac magis rubescunt. Succum ex ea hoc modo extrahunt. Cymas & asparagos teneros huius plantæ colligunt, alij racemos addunt, & ex his succum exprimunt, quem in aqua coquunt ad dimidias, deinde magis ac magis ad sapæ aut mellis crassitudinem. Residere sinunt, & ad vsum reponunt. Vlceribus & vulneribus admouent: sanguinem enim reprimit, terget, & mirificè eis medetur, etiam vero Balsamo efficaciùs. Eius folium hîc ad viuum est expressum, vtroque extremo acuminatum, sex digitos longum, latum quatuor cum dimidio. Reperitur in multis locis insulæ Hispaniolæ. Balsamum nouum vocant. Ex eius summitatibus destillatur aqua præstantior aqua vitæ, vulneribus vtilissima, & morbis omnibus qui à frigore ortum habent, vti dolori ventriculi, aut partis alterius, si diebus aliquot bibatur.

Li. de simpli. Occid. Indiæ.

Forma.

Vsus.

Lib. 11. 7. 3.

BALSAMI folium.



MACER.

MACER. CAP. XIIII.

Nomina Lib.1.c.94. *Forma.* Lib.12.c.8.

VT GRAECIS μακέρ, ita Latinis Macer & Macir nominatur, Auicennæ Talisafar, de quo breuiter sic Dioscorides. Macer est cortex flauescens, crassus, gustu perquàm adstringens. Ex Barbaria aduehitur. Plinius non plura tradit. Et Macer ex India aduehitur, cortex rubens radicis magnæ, nomine arboris suæ. Qualis sit ea incompertum habeo. Plinius & Galenus ex India conuehi Macerem aiunt, Dioscorides ex Barbaria, quæ, Ptolemæo auctore, in Indo fluuio insula est, vel vrbs. Illud maiore consideratione dignum, quòd Plinius radicis, alij alterius partis, vel trunci, vel ramorum arboris corticem Maceris nomine intellexisse videntur. Quis autem sit hic cortex, hodie ignoramus, nec etiam aliunde ad nos aduehitur. Attamen Pena scribit inter eximi Casiæ corticis magna fragmenta, de quibus dicemus, etiam repertum fuisse alium, qui ex cuiusdam arbusculæ stipitis imo exemptus, inferiore sui parte valde similis & concolor est superiori, sed minùs crassus, ferè inodorus, aut quiddam Iuglandis aut Lauri redolens, gustu perparùm caloris glutinis've mixti cum adstrictione habens. Quare Macer videri posit, cùm Macer Dioscoridi & Galeno adstringens sit, & calfaciat, & arboris cortex esse videatur. Macim autem Officinarum non esse, integumentum scilicet Nucis myristicæ, multis rationibus demonstrari potest. Est enim Macis tenuis cortex, acris odoratus, & amariusculus: Macer verò Plinio cortex rubens, radicis magnæ. Præterea vires & facultates plurimùm à sese disident.

μακερ antiquis græcis dicebatur quia μακαρ vel μακαριος ut felix et beatus vel quia in felici Arabia nasceretur et inde adveheretur vel quia felices in medicina produceret effectus.

Vires. Nam Macer gustu valde adstringit, vt Dioscorides auctor est. Quare contra cruentas excreationes, dysenterias, & alui fluxiones bibitur. Et
Lib.12. c.8. ex Plinio, Corticis melle decocti vsus ad dysenterias præcipuus habetur. Galeno
Li.7.simpl. verò Macer gustu est multùm acerbo, cum leuicula quadam acrimonia odorata, iucundum sanè redolens. Videtur itaque ex mixta constare essentia, pleraque terrena frigida, paucula verò calida, & tenuium partium. Quamobrem valenter desiccat adstringitque: ob id cœliacis & dysentericis miscetur facultatibus, in tertio desiccantium consistens ordine, in caloris frigorísque differentia neutram insigniter efficiens. At Macis non ita adstringit, nec tam leui est acrimonia, sed linguam & fauces satis vellicat, odoratior est, & leuiusculum amarorem cum siccitate relinquit, vt dici posit calfacere & siccare in fine secundi ordinis, vel princi-
Ca.2.simp. pio tertij. Maceris à Maci discrimen non ignorauit Serapio, qui cum ex Isaac dixisset Macim esse Nucis odoratæ operimentum, subiungit aliud esse de quo intelligit Dioscorides, scribens Macerem ligni corticem esse siue corium. Item
Li.2.c.448. Auicenna de Maci Nucis odoratæ inuolucro tractauit vno in loco, de Macere
Li. 2.c.687. autem tanquam diuersa re, nomine Thalisafar, alibi. Postremò Dioscorides & Galenus de Macere illa quidem quæ suprà diximus, literis mandarunt, de Maci verò vtpote incognito aromate, ne verbum quidem.

MALABATHRVM BETRE. CAP. XV.

Nomina Lib.1.ca.11.

MΑΛΑ'ΒΑΘΡΟΝ Græcis & φύλλον, Latinis similiter Malabathrum & folium simpliciter, & folium Indicum. De quo hæc prodidit Dioscorides. Malabathrum quidam esse putant Indicæ Nardi folium, decepti quadã odoris similitudine: multa enim Nardum olent, vt Phu, Asarum, Niris. Res autem nõ ita habet. Nam Malabathrum folium est sui
Forma. generis, quod in Indiæ nascitur paludibus, Lentis palustris modo innatans aquis sine radice. Id collectum statim lino transsuitur, & siccatum reconditur. Ferunt siccatis æstiuo feruore aquis, humum aridis fruticibus vri. Quod si non acciderit, non ampliùs renasci. Probatur recens, ex nigro candicans, non fragile, integrum, odore

odore caput feriens, quod in ſua odoris ſuauitate diù permaneat, vt Nardum ſapore immiſcetur, nullo ſatis guſtu. Infirmũ verò, & minutim conciſum, carioſum, virus olens, improbatur. De eodem ſic Plinius. Dat & Malabathrum Syria, arborẽ folio conuoluto, arido colore, ex quo exprimitur oleum ad vnguenta, fertiliore eiuſdem Ægypto. Laudatius tamen ex India venit. In paludibus ibi gigni tradũt Lentis modo, odoratius Croco, nigricans ſcabrúmq;, quodam ſalis guſtu. Minùs probatur candidum. Celerrimè ſitum in vetuſtate ſentit. Sapor eius Nardo ſimilis eſſe debet ſub lingua. Odor verò in vino ſufferuefacti antecedit alios. Hîc Plinius diuerſa Malabathri genera ponit, Dioſcorides vnicum. Vnum in India laudatius, ibi in paludibus gigni Lentis modo, quod Dioſcorides dixit Lenticulæ paluſtris modo aquis innatare. Quodam ſalis guſtu, Dioſcorides nullo, μὴ ἁλμυρίζον, id eſt, nauigationis tempore aqua marina non perfuſum. Minùs probari candidum, Dioſcorides probat ex nigro candicans. Auicenna & Serapio quæ de Folio Indo tradiderunt, à Græcis mutuati ſunt, qui cùm Malabathrum non norint, ex eorum ſcriptis innoteſcere aliis non potuit. Quare veram Malabathri hiſtoriam ex Garcia hîc exponemus. Indi folium ſiue Malabathrum Tamalapatra appellant, ex qua voce Græci & Latini ſuum Malabathrum detorſerunt, Arabes *Ladegi Indi*, id eſt Folium Indum, Actuarius à Mauritanis *Tembul* nominari perperàm ſcripſit. Eſt autem Folium Indum folio mali medicæ ſimile, anguſtius tamẽ per extremũ, colore viridi, tribus per longitudinem excurrentibus coſtis (qua nota facilè dignoſcitur) odoratum, Caryophylla quadantenus redolens, non tam vehementis odoris quàm Nardus aut Macis, neque tam ſubtilis & acuti quàm Canella. Non igitur aquis innatat hoc folium Lentis paluſtris modo, vt referunt Dioſcorides & Plinius, ſed naſcitur in procera arbore procul ab aquis, cùm multis aliis in locis, tum in Cambaya. Neque tam validi ſunt odoris folia hæc quàm Spica Nardi, ſed ſuauioris, neque eo modo colliguntur atque reponuntur quo Dioſcorides ait, ſed collecta in faſciculos colligantur, atque ita væneunt. Dilutiore viridi colore nitent, nõ ex candido nigricant, & præferuntur integra, quòd facultas in iſtis meliùs conſeruari credatur. Odore nequaquam caput feriunt, vt reliqua odorata. Plinius in Syria, Ægypto & India naſci tradit, quod cùm perquiſiuiſſet Garcias à Medicis Memphiticis, Damaſcenis, & Alepinis, omnes vno ore negarunt in Syria aut Ægypto gigni, neque tam validi eſſe odoris quàm Crocum, neque Nardi eſſe ſapore affirmat. Quod verò huius in vino ſufferuefacti odorem alios antecedere ſcribit, eius tempore verum id eſſe potuit, cùm adhuc ignota eſſent Berzuinum, Ambarum, Moſchus, Calambac, id eſt Agallochum præſtantiſsimũ, aromata odoratiſsima. Hoc folium quale à Garcia diſcribitur, eius Scholiaſtes ad nos, ipſis etiã tenuioribus ramis interdum adhuc inhærens & integrum adferri ait, quale & hîc pictura expreſsit, guſtu Laurini ferè folij. His addit picturã fructus cuiuſdam exigui, glandis ferè forma à Cortuſo miſsi cum hac inſcriptione, Fructus Canellæ quorundam ſententia, ex aliorum verò ſententia, *Tembul* conuoluoli in India.

TAMALAPATRA cum ſuo ramuſculo.



Eum

Li.12. c.26.

Li.2. ca.253. Cap.53. ſimpl. Li.1. Arom. Ind. ca.19.

Nomina.

Forma.

Eum quoniam intellexerat aliquando vnà cum folio Indo ad nos adferri,atque id
legitimum esse folium ex Garciæ descriptione coniiciat. (Nam *Tembul* fructus
longè diuersus est,vt in Betre dicetur) pingendum curauit ea magnitudine qua
missus est, quem & nos hîc cum folio exhibemus. Falluntur, inquit Garcias, qui
Malabathrum Caryo phyllorum folium esse putant: nam regio in qua Caryo-
phylla nascuntur,biennij ferè itinere distat ab ea in qua Malabathrum prouenit.
Neque opus fore ἀντιβαλλομένῳ ait,si diligentiores essent pharmacopœi & Medi-
ci Lusitani: tanta enim eius copia exportari posset,quæ vniuersæ Europæ satisfa-
ceret. Eius autem penuria Canellæ foliis vtendum consulit,si ea nanciscantur,sin
Li.2.ca.253. minùs,Spica Nardi,non autem Maci,vt quidam voluerunt, Auicenna Thalisafar
substituit aut Spicam , Bellunensis autem Thalisfar , seu Thalisafar, seu Thalaffir,
seu Thaleffir interpretatur folia Oliuæ Indæ. Alij dicunt,inquit, quòd est lingua
auis. Rectiùs opinor Clusius,qui Thalisafar Auicennæ Græcorum Macerem esse
censet,de quo Thalisafar nomine scripsit Auicenna, vt diximus. Malabathrum,
Li.2. c.687. Dioscoride auctore,easdem quas Nardus vires habet,sed omnia efficaciùs præstat.
Lib.1.ca.11. *Vires.* Vrinam vehementiùs ciet,& stomacho magis prodest Malabathri vis. Oculorum
inflammationibus tritum & in vino feruefactum commodè illinitur , subditum
linguæ oris halitum commendat. Vestibus interpositum earum odorem seruat,
Lib.23. c.4. & ab erosione tuetur.Plinius,Malabathri quoque naturam, inquit , & genera ex-
posuimus. Vrinam ciet, oculorum epiphoris vino expressum vtilissimè imponi-
tur:item fronti dormire volentibus,efficaciùs si & nares illinantur, aut si ex aqua
bibatur. Oris & halitus suauitatem commendat linguæ subditum folium, sicut &
Betre. vestium odorem interpositum. Folio Indo Betre siue Betle adeò simile est, vt idẽ
In cap.11.li. esse credant multi,etiã qui in India peregrinati sunt. Amatus Lusitanus vtrumq;
1. Dioscor. confundit. Item Odoardus Barbosa, scribens fluuium esse Betelle nuncupatum,
Lib.Nanigat. in cuius ripis vici sunt aliquot,& horti amœnissimi ac paradisi , in quibus tanta
Betelle copia colligitur(folium id est ad mandendum præstantissimum) vt iis na-
uigia paruula & scaphas onerent, quæ ad alias regiones & maris portus vendẽda
transuehunt.Hoc folium,inquit,Folium Indum vocamus,Lauri folio magnitudi-
Forma. ne par,eademque ferè specie. Hederæ modo alias arbores conscendit , & palis ri-
dicisque fulcitur. Fructu semineque caret. Folium istud in ore detentũ roborandi
Vires. vim habet. Quamobrem Indi omnes tam viri quàm fœminæ,noctu diuq;, domi
& foris id perpetuò mandunt ita præparatum. Ex ostreorum testis calcem confi-
ciunt,in qua aqua dissoluta folium macerant,quibus adiungunt paruula quædam
poma (*Areca* vocant) quæ permixta in ore tenent manduntq;,nihil deglutientes,
præterquàm succum qui ex superioribus tribus commixtus elicitur , quæ semper
os rufo colore,& dentes nigro inficiunt. His tradunt ventriculum à superuacuis
humoribus expurgari atque exsiccari,cerebrum & cor mirè roborari,flatus discu-
ti,sitim sedari,vt nulla apud Indos res maiori sit in pretio. Non solùm loco supra-
dicto,sed etiam in tota India magna folij huius copia est. Persæ & Arabes *Tambul*
Li.1.Arom. vocant. Hæc Odoardus Barbosa. Sed hallucinantur, inquit Garcias,qui Betre fo-
Ind.ca.18. lium Indum esse putant,in quo etiam errore se fuisse fatetur.Sed Nizamoxæ Regi
medicamentum roborando stomacho iussus componere , cùm medicamenta ex
quibus constaret enumerasset,adderetq; id folium quod manderet,folium Indum
esse,risit ille,& Auicennam ostendit Arabica lingua conscriptum, qui diuersis ca-
pitibus de Folio & Betre agebat. De Folio quidem loco suprà citato,de *Betre* verò
Li.2.c.699. multò pòst,quod *Tembul* vocat corrupto,vt Garciæ videtur , vocabulo, quod ab
Nomina omnibus *Tambul* non *Tembul* vocatur. In Malauar,vt idem Garcias scribit, *Betre*
Locus. vocatur,in Decan,Guzarate & Canam,*Pam*,in Malaio *Siri*. Nascitur in omnibus
Indiæ regionibus maritimis Lusitanis cognitis,in continenti non reperitur, nisi
è maritimis

è maritimis delatum. Verum quidem in Dultabado, vrbe opulenta, in Decan, in Biſnaga inueniri, ſed minori certè quantitate quàm vt ad Perſas & Arabes deferatur. Supra Calaiate, quod octoginta leucis ab Ormuz diſtat, inueniri haud erit facilè. Nam neque regionem frigidam amat, vt ex China, neque ſolibus nimiùm peruſtam, vt Moſambique & Sofala. Eſt autem Betre, inquit ille, folium ſimile fe- *Forma.* rè Mali Medicæ folio, oblongius tamen, & per extremũ arctius, venas ſiue coſtas per longitudinem excurrentes habens. Optimum cenſetur bene maturum, colore fuluеſcẽte, tametſi mulieres nonnullæ præferunt quod immaturum eſt, quia maiorem ſonum edit in ore dum manditur. Corrumpitur ſi recens à planta collectũ diutius manibus tractetur. Fert Betre in Maluccis fructum quẽdam cõtortum, lacerti caudæ ſimilem, quem iſtic edunt, quòd bene illis ſapiat. Fuit id ſemen delatum Malacam, atque deguſtatũ optimi ſaporis inuentum eſt. Seritur autem Vitis modo, adduntur q; pedamẽta, per quæ repens ſe ſuſtineat noſtratis Hederæ modo. Quidam maioris quæſtus gratia Piperis, aut Arecæ arboribus id maritant, atque ita pulcherrima vmbracula conficiunt. Multam verò curam & aſsiduam rigationem deſiderat. Betre folium manſum amarum ſentitur. Quã ob cauſam Arecam, *Vſus & Vires.* calcem, atque alia admiſcent. Sunt qui addant Lycium, opulentiores Caphuram de Burneo, nonnulli lignum Aloës, aut Moſchum, aut Ambarum. Sic autem paratum, adeò ſuauis eſt ſaporis, oríſque halitum adeò commendat ſua fragrantia, vt perpetuò ferè illud mandant ditiores, tum etiam alij pro facultatum ratione. In ſolitudinibus autem & remotioribus à mari locis carè venditur. Ideò fertur Nizamoxa ſingulis annis in id impéndere trigeſies mille aureos Luſitanicos. Hæc ſunt eorum tragemata, hoc abeuntem donant, atque Rex ipſe interdum propria manu potentioribus largitur, aliis verò per manus famuli. Sed quia Betre venas habet per folij longitudinem diſcurſantes, vngue pollicis (quẽ ea de cauſa in acutũ præſecant, non veluti nos in rotundum) eas eximunt: deinde admiſto calcis momento (quæ tum ob exiguam quantitatem, tum quòd ex teſtis oſtreorum concrematis facta ſit, nocere non poteſt) & Areca contuſa aut confracta, folium Betre complicant, atque in os iniectum mandunt, priorem illum ſuccum expuentes (quod tamen nonnulli non faciunt) qui cruentus videtur: deinde alia atque alia folia ſimiliter præparata ſumunt. Solent aliquem dimiſſuri, aut ipſi ab adſtãtibus diſcedentes his foliis præparatis plena burſula ſericea abeuntem honorare. Nemo autem diſcedere ſuſtinet, donec Betre ſit donatus: id enim eſt dimiſsionis indiciũ. Præterеà opulentiores adituri, hoc Betre manducare pro more habent, vt odore os commendent. Eſt enim apud eos valde indecorum odoratum non habere anhelitum: ita vt ſi tenuioris fortunæ aliquem cum potentiori fabulari neceſſe ſit, manu ori admota id faciat, ne teter aliquis odor nares alterius feriat. Sic etiam mulieres cum viris congreſſuræ Betre mandunt, antequàm colloquantur, exiſtimántque ad laſciuiam ſummam eſſe illecebram. Omnes eius regionis incolæ ſumpto cibo mandere ſolent, alioqui cibos nauſeam prouocaturos aiunt, & mandere aſſuetis oris halitum tetrum fieri ſi abſtineant. Solent ab eius vſu aliquot dies abſtinere, quibus obierũt ſanguine iuncti, & in quibuſdam ieiuniis. Ab eius etiam vſu abſtinent, & humi ſe abiiciunt Arabes & Moalis, id eſt, Ali ſectatores, decem diebus quibus ieiunant. Auicenna tradit Betre gingiuas confirmare, in quem *Li.2.c.699.* etiam vſum ſemper ab Indis manditur: & paulò pòſt ſubiicit ſtomachum roborare, ob quam facultatem etiam ab Indis expetitur. Quod autem frigidam facultatem illi tribuat in primo gradu, & exſiccantem in ſecundo, putat Garcias exemplar vitioſum eſſe, aut (quod docti Arabes arbitrantur) Auicennæ in temperamenti ratione impoſitum fuiſſe. Fit enim plerumque, vt vulgus quæ calida ſunt, frigida eſſe dicat, vt Piper, Cardamomum, Cepam. Calidum autem


& ſiccum eſſe Betre ad finem ſecundi exceſſus Garcias expertus eſt, & ex ſapore, ac odore iudicauit.

LACCA. CAP. XVI.

LACCA Officinis, Italis etiam *Lacca*, quibuſdam *Lachetta*, Auicenna
Li.2. c.432. Luch vocat, & Dioſcoridis Paulíq; Cancamum eſſe cenſet. Scribit
enim ex Paulo gummi eſſe ſimile Myrrhæ, boni odoris, deberéque
adhibita cautione ſumi. Deinde eos reprehendit, qui Caraben dixe-
Cap.181. ſimpl. runt eſſe Laccam, quamuis Carabe nonnullas facultates ſimiles habeat. Serapio
ex ſententia Dioſcoridis & Athabaris (quem nonnulli Paulum putant, quòd eius
verba transſcribat) ſcribit Laccã gummi eſſe arboris in Arabia naſcentis, Myrrhæ
ſimile. Deinde ex ſententia Rhaſis, ex cælo decidere in ramos arboris Gubera, id
eſt Meſpili. Poſtremò ex Iſaac, Lacca, inquit, res quædam rubra, quæ tenuibus li-
gnis inhæret, ſaporis ſuauis. Coquitur hæc, & ex ea panni rubro colore inficiuntur,
quam infecturam Kermes vocant. Ex Armenia defertur. Sed de Lacca longè ali-
In cap. 23. lib.1. Dioſ. ter ſcripſerunt recentiores. Amatus Luſitanus tradit Laccam hodie à Luſitanis ex
India deferri, rubram, tranſlucidam, infecturis præcipuè expetitam, ex qua etiã
Officinæ compoſitionem præparant, quam Dialacca appellant. Hanc certum eſt
non gummi eſſe, nec arboris plantæ've alicuius lachrymam, ſed potiùs formica-
rum alatarum ſtercus, fauaginémve, veluti ceram apum. In Regno igitur Pegu
apud Indos, cùm terra pluuia, vel arte plus iuſto irrigatur, formicæ alatæ ligna
quædam tenuia ab incolis ſic diſpoſita conſcendunt, in quibus Laccam generant:
qua de cauſa in Lacca ligna viſuntur, quæ proculdubiò arboris non ſunt Laccam
Li.1. Arom. Ind. cap.6. ferentis. Garcias tradit quam Officinæ Laccam vocant Arabibus, Perſis, & Tur-
Nomina cis *Loc Sumutri*, quaſi dicas Laccam è Samatra, nuncupari, non quòd Samatra ſit
prouinciæ Pegu, vbi plurima Lacca naſcitur, finitima, ſed quòd Arabes & alij in
Samatra gigni putarent. Idem nomen ſeruarunt incolæ prouinciarum Balagnate,
Bengala, & Malauar, quia à Mauritanis id didicerunt. Legitimum tamen in his
prouinciis nomen eſt Lac, in Pegu verò &
Martaban, vbi eſt præſtantiſsima, Tree, atque
iſtuc à Iamay adferri tradũt. Non vocatur Aec,
nec Aucuſal, vt Pandectarius ſcribit, neque Sar,
vt corruptè apud Serapionem legitur. Porrò
incolæ Pegu & Martaban eam Samatram defe-
rebant, vnde Piper in ſuam regionẽ reuehebãt.
Quomodò autem illic naſcitur, ita narrat. Va-
ſtam arborem illic inueniri, foliis quodammo-
dò Pruni, in cuius ſurculis & minutioribus ra-
mis magnæ formicæ in terræ viſceribus aliiſq;
locis enatæ hanc Laccam elaborant (vt apes
mel conficiunt) materiam ex ipſa arbore exſu-
gentes: hos deinde ramulos ab arbore reuelli,
atque in vmbra ſiccari, donec decidẽtibus ipſis
Lacca veluti in tubulos cõcreta maneat: inter-
dum ligni fragmenta ipſi inhærent. Melior
ſincera, ligni & fragmẽtorum expers, deterior
cui ligni fragmẽta inhærent. Inuenitur etiam
ſolida & minimè ſincera, quã poſteà colliquãt,
& in pollinem redigũt. Hæc vilior, quia multã
terram admixtam habet. Non eſt autem arbor
in qua

LACCA cum ſuis bacillis.

Cap.13.



in qua Lacca prouenit, Myrto ſimilis facie, aut magnitudine, vt aliqui putant, ſed interdum in Nucis iuglandis magnitudinem accreſcit, interdum minor eſt. Idem refert ſe in Balagnate vidiſſe ramulum ex arbore Betifera reuulſum, cui inhærebat Lacca: ſed quia exigua admodùm quantitate aduerſante, cæli temperie prouenit, negligi: multi tamen ſe vidiſſe in iis arboribus affirmabant. Formicas autem Laccam conficere perſpicuum eſſe, quòd plerumque alæ formicarũ Laccæ permixtæ reperiantur. Eligenda Lacca quæ præmanſa pulcherrimo colore rubro inficit. *Electio.* Quæ etiam ad nos aduehitur, circa ramulos elaborata eſt, inquit Cluſius, & quãuis prædura & exſucca, manſa tamen ſputum efficit ſanguineum, quod probitatis eſt indicium. Ex his intelligere licet Laccam à Cancamo Græcorum diuerſam eſſe, quòd Lacca minimè odorata ſit, Cancamum autem ad ſuffimenta vſurpatur, quod boni odoris eſt indicium. Quare Auicennæ & Serapioni ignotam fuiſſe qui Cancamum Græcorum eſſe putarunt, quibus æquè incognita fuit. Non eſt autem Lacca Myrrhæ ſimilis, quia hæc in exterioribus ramulis conficitur, & odorata nõ eſt, Myrrha ex ipſo arboris trunco extillat, & odorata eſt. Fallitur etiam Auicẽna ſcribens ſimiles illi cum Carabe eſſe facultates: Carabe enim adſtringit, Lacca obſtructiones aperit. Prætereà Laccam in Arabia naſci falſum eſt, cùm in Arabiam ex India deportetur. Neque in Sorbi ramulos delabitur, neque etiam Meſpili, vt nonnulli perperàm verterunt: cùm nullæ ſint, auctore Garcia, in vniuerſa India Sorbi neque Meſpili. Sed nec in Armenia prouenit, nec eſt Kermes Arabum, cùm id nihil aliud ſit, quàm Coccus infectorius Græcorum. Lacca excalfacit ordine ſecundo, ventriculum & iecur roborat, & ab obſtructionibus liberat, ictericis prodeſt, aquas pellit. *Vires & Temper.* Eſt alia Lacca artificialis, quam infectores vendunt: quæ ex fæce braſilij & croci conſtat, qua pictores maximè vtuntur in exprimendo colore rubro obſcuro.

BENZOIN. CAP. XVII.

Belzoe, vel Belzoim, vel Belzuinum vulgò, Garciæ Benini, ſiue Benzuinum dicitur. *Nomina* Id ille veteribus prorſus incognitum fuiſſe ſcribit: *Li. 1 Arom. Ind. cap. 5. Collig. 5. ca. 56.* neque enim apud Græcos, neque apud Arabas vllos eius deſcriptionẽ legimus. Auerrhois quidem ſcribit Belenizan, ſiue Belanzan, ſiue petroſam exſiccantem & excalfacientem in ſecundo exceſſu habere facultatem, ſtomachum humidum & langueſcentem exſiccare & roborare, oris odorem commendare, partes corporis confirmare, & venerem excitare: quod nonnulli Beniui eſſe putant, quibus Garcias non aſſentitur. Veteribus etiam Iudæis incognitum fuiſſe ex eo coniicit, quòd neque Dauid, neque Salomon eius meminerint, qui tamen odores & ſuffimenta maximè celebrarint. Beniui genera multa Garcias recenſet. *Genera.* Vnum à mercatoribus maximè expetitum, quod amygdaloides vocant, quia vngues ſeu maculas candidas amygdalorum inſtar admixta habet, & quo pluribus abundat, eo præſtãtius habetur. Amatus Luſitanus hoc genus Myrrham Troglodyticam Dioſcoridis, omnium præſtantiſsimam eſſe cenſet. *In cap. 71. lib. 1. Dioſ.* Maximè prouenit in Sian, & eius cõtermina Martaban. Alterum genus nigrius inuenitur in Iaoa & Sumatra, quod vilius eſt. *Locus.* Eſt & genus nigrum in Sumatra, è nouellis arboribus profluens, quod ab odore grato Beniui de Boninas vocant: id ſuperiori decuplo carius eſt. E nouellis autem plantis profluens amygdaloide odoratius eſſe ait Garcias, quia gummi multùm natiuæ ſuæ fragrãtiæ vetuſtate amittat, vt ferè reliqua huiuſmodi. Sed quia candidum elegantius eſt, nigrum & nouellum odoratius, vtrumque permiſcere ſolent, vt odoris fragrantiæ etiam elegantiam concilient. Beniui genera à Chinenſibus vocantur *Cominham*, ab Arabibus *Louaniaoy*, quaſi dicas Thus de Iaoa, quòd hæc regio primùm Arabibus innotuerit: Arabes

[Handwritten marginal note, partly illegible: Iaxta opinione[m] ... Benzoin, quasi Ben. iudeo, qui vox significat filius iude ... potius debemus credere ... in Iudeis ... fuerit incognitum ... Benzaoi per vox significat filius Iaoa in qua regione eius maxima quantitate ... ideo nomine ... Benioin]

enim Thus Louan vocare diximus, Gazarate & Decan incolæ *Udo* nominant. Est autem Beniuifera arbor procera, vasta, pulchra, vmbrã latè diffundens ob ramorum copiam, quos venusto ordine digestos, & in altũ sublatos habet. Caudice est crasso, materie pulchra & firma. Folia minora sunt aliquantò Citri, seu Limoneræ foliis, non tamen adeò virentia, sed parte auersa candicantia, quæ in maioribus ramis nascuntur, ad Salicis folia magis accedũt, latiora tamen sunt, sed minùs longa. Nascuntur interdum in siluis Malaca. Vulnerãtur interdum arbores vt Beniui maiori quantitate effluat, nouellæ, vt dictũ est, Beniui de Boninas emittũt. Credidêre permulti Laserpitij lacrymam, siue Asam odoratam esse Benzuinũ, quorum sententiam Garcias improbat. Nullum enim, inquit, in condimenta vnquã Benzoinum recepisse certum est. Asæ verò frequens est vsus in condiendis cibis apud Indos. Deinde maxima pars Laseris ex India vltra Gãgem (Indi Ganga vocant) aduehitur. Benzoin verò quod in Indiam adfertur, quódq; Amygdaloides dicunt, nascitur in Sumatra & Sian (non in Armenia aut Syria, aut Cyrene) eiúsque maxima pars in Indiam conuehitur, deinde in Arabiam, Persiam, & Asiam minorẽ, atque etiam in Palestinam Syriam, Armeniam, Africam.

Forma. (margin)

BDELLIVM. CAP. XVIII.

Nomina
Lib.1.c.69.
Vide sub pag. 1757.

BΔΈΛΛΙΟΝ Græcis, μάλδακον & βόλχαν, Latinis Bdellium. Est, auctore Dioscoride, lacryma Sarracenicæ, seu Arabicæ arboris. Probatur gustu amarum, translucidum taurini glutinis modo, intus pingue, facilè liquescens, ligni ac sordis expers, suffitu odoratũ, vngui simile. Est etiam Bdellij genus sordidum, nigrũ, vberioribus glebulis in offas conuolutũ, Aspalathi odore, ex India aduectum. Deferunt etiam ex Petra oppido siccum, resinosum, liuescens, sed facultate secundum. Adulteratur gummi, sed ita vitiatum non perinde gustui amaritudinem representat, nec adeò suffitionibus odoratum.


Lib.12.c.9. Dioscorides hîc solùm gummi meminit, Plinius etiam arboris. Vicina est Bactriana, inquit, in qua Bdellium nominatissimum. Arbor nigra est, magnitudine Oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturáq;. Gũmi alij Brochon appellãt, alij Malachrã, alij Maldacon. Nigrũ verò & in offas conuolutũ, Hadrobolon. Esse autem debet translucidũ simile ceræ, odoratũ, & cùm fricatur pingue, gustu amarũ citra acorẽ. In sacris vino perfusum, odoratius. Nascitur in Arabia, Indiáq;, & Media ac Babylone. Aliqui Peraticũ vocant ex Media aduectũ. Facilius hoc & crustosius, amariúsq;: at Indicũ humidius & gũmosum. Adulteratur Amygdala nuce. In nostris

Lib.2.c.115. Auicẽnæ exemplaribus cõfusa est admodùm & inepta Bdellij descriptio. Serapio

Cap.117. simpl. duobus diuersis capitibus de Bdellio tractat. In priore scribit Molechil de Machi, id est Bdelliũ de Mecha esse arborẽ Iunci, quæ maturatur in Mecha, & comeditur, estq; dulcis, cuius cor est Cefilio, estq; ex genere Palmæ. In altero capite de

Cap.194. simpl. Molochil agit, quod est Bdellium Dioscoridis. Bdellij fructum à Cortuso missum rei herbariæ studiosis cõmunicauit Clusius, quem & hîc expressimus. Est nucis Iuglandis magnitudine, aut etiam amplior, triangulari forma, oblongiori tamen, & ad Figum quodãmodò accedente, odoratus, colore subcinereo, durissimo

BDELLII fructus Cortuso.



rissimo putamine, quod prægnans est, & nucleum continere videtur. Bdellium calfacit auctore Dioscoride, & emollit duritias, & turgentia guttura, humidasq́; hernias discutit, cum ieiuna saliua dilutum: vuluæ spiracula laxat apposιtu & suffitu, & partus humiditatésque omnes extrahit, calculos potu comminuit: vrinam mouet, tussientibus & à serpente percussis vtilissimè datur: valet ad rupta, vulsa, laterum dolores, & discurrentes spiritus: malagmatis inseritur, quæ contra duritias & neruorum nodos prosunt. Contusum resoluitur affuso vino aut aqua calida. Dilucidiùs easdem facultates exponit Galenus. Bdellium quod Scythicum nominant, quod sanè & acrius est & resinosum magis, emollientis admodùm & efficacis virtutis est. Arabicum, quod dilucidius est, magis desiccat quàm emollientia. Igitur recens & humidum est, & contusum facilè mollescit, ad omnia ad quæ Scythicum idoneum. At quod antiquum est, & gustu admodùm amarum, & acre & siccum ab eorum quæ indurata emolliunt mediocritate excidit. Vtuntur autem illis & potissimùm Arabico, & ad bronchocelas, & hydrocelas saliua matutina ieiunáque subigentes, vt emplastri consistentiam accipiat. Porrò Arabicum & calculos renum in potu sumptum frangere apparet, tum vrinas ciere, & crudorum flatuum discursus, & laterum dolores, & rupturas persanare.

Temper. & Vires. Li.1. ca.69.

Li.6 simpl.

CAPHVRA. *CAP. XIX.*

KAPHOR seu *Chafur* Arabibus, recentioribus Græcis κάφουρα, vt etiam Latinis Caphura nominatur, Officinis & Italis *Camphora*, Germanis *Campher*, Gallis *Camphre*. Serapio tradit Camphoram de Panzor esse de terra Panzor, id est, de insulis propinquis regioni Sarandin, & quibus annis fiunt multa fulgura, tonitrua, & terræ motus, ibi generari multā Camphoram, & cōtrà. Aiunt etiam, inquit, in montibus Indiæ & Sim esse arbores Caphuræ. Deinde scribit ex Isaac, Camphoram deferri ex regione Saffella, & ex regione Calca, & Dhabehac, & Harigi. Et Camphorā esse gūmi arboris nascentis in partibus illis, & esse gummi maculati coloris rubri, & lignū eius esse album, tenerū, quasi velit fieri nigrum, & Camphoram reperiri in corde ligni arboris, & in interueniis ligni. Meliorem esse quæ Camphora Riach appellatur, quæ spōte ex ligno arboris manat, & coloris est maculati rubri, quæ sublimatur, & fit Camphora alba, Riachina dicta à nomine Riach Regis, qui ibi primus regnauit. Nomen loci Panzor. Secundum bonitatis gradum obtinet Camphora de Sauzen, crassa, coloris obscuri, nec clara sicut Riachina, & vilior. Sequitur Camphora de Carsal, fusca, vilioris etiam pretij quàm Riachina. Deinde Camphora Halonichi, fragmenta ligni admixta habens, pinguis, gummosa, ad suffitus vtilis cum Costo, Myrrha & Thure in templis. Omnes hæ species, inquit, clarificantur per sublimationem, & ex his prodit Camphora alba in laminis, figura paropsidum, & vocatur Camphora operata. Hæc ex Serapione. Auicennæ species Camphoræ sunt, Alkanturi, & Ariagie, deinde Alzeid, & Alescek: & est alba quæ permixta est cum ligno suo. Quidam autem dixerunt quòd est arbor magna, faciens vmbram multitudini animalium valde numerosæ, sub qua vmbra consueuerunt habitare aluemur, seu aluemer (lupos ceruarios Bellunensis interpretatur) & non peruenitur ad ipsam arborem nisi in tempore noto anni. Lignum eius sæpius se vidisse ait, quod est album, frangibile, leue, in cuius cauitatibus quandoque continetur aliquid de vestigiis Camphoræ. Hæc ferè Auicenna. Sed de hac tota re multò certiùs & enucleatiùs scripsit Garcias. Ac primùm *Capur* seu *Cafur* ab omnibus Arabibus nominari, quia apud eos literæ p, & f, magnam habeant affinitatem. Quod si à quibusdam aliis alia imponantur nomina, aut mendosa esse exemplaria, aut auctores ipsos ea in re deceptos fuisse censet. Præterea nomina locorum in quibus Auicenna &

Nomina

Cap.344. simpl.

Lib.2.c.133.

Lib. Aromat. Ind. 1. cap.9.

Serapio nasci tradunt, magna ex parte corrupta esse. Nam ea, quam de Panzor vocat, est de Pacen in Samatra insula. Pro regione Calca ex qua aduehitur, è Malaca dicere debebat, quoniam in Bairros loco Malacæ vicino nascitur. Ea, quam Auicenna de Alsuz appellat, de Sonda esse potest, inquit Garcias, quæ est insula Malacæ vicina. In nostris tamen Auicennæ exemplaribus nõ legimus Camphorã de Alsuz, sed Alkansuri, Ariogiæ, deinde Alzeid & Aleschek, vt suprà diximus. Est autem Caphura nobile medicamentum, veteribus Græcis ignotum, & solis Arabibus acceptum ferendum, gummi quod in meditullium ligni cadens, deinde extrahitur, aut per rimas exudat. Id in aliquot lignis se vidisse Garcias affirmat. Principio verò exudat admodùm candida, sine vllis rubentibus, aut nigricantibus maculis, non autem organis elicitur, neque ad candorem conciliandum decoquitur, vt Auicenna & Serapio tradidêre. Duorum est generum, Caphura de Burneo, & quæ ex China defertur. Caphura de Burneo nũquam ad nostras vsque regiones penetrauit: nec id mirum, inquit Garcias, quia huius libra tanti emitur, quanti centum libræ eius quæ ex China est, quæ secundũ est genus, quæq; in Europam defertur in panes orbiculares coagmentata, diametri quinque digitorũ: quæ cùm coagmentata sit, compositum medicamentum, nõ simplex, videtur. Caphuræ de Burneo, quæ magnitudine est Milij, aut paulò maior, genera quatuor constituunt Gentiles, Baneanes, & Arabes qui eam emunt. Nam diuidunt in caput, in pectus, in crura & pedes. Eius quæ ex capite est libra vænit Pardan octoginta. (Est autem Pardan monetæ aureæ apud Indos genus, quod cõ ficit decem regales Castellanos.) Quæ ex pectore, aureis viginti: quæ ex cruribus, duodecim: quæ ex pedibus, quatuor, aut summùm quinque. Nõnulli curiosiores quatuor instrumenta cuprea sumunt, inæqualibus foraminibus pertusa, per quæ Caphurã trasmittunt. Ea quæ per instrumentum maiora foramina continens transmittitur, suum habet pretium, quæ per instrumentum mediocrium foraminum, aliud: sic de cæteris intellige. Multa nascitur Caphura in Burneo, Samatra & Pacen. Quæ ex Burneo adfertur, plerumq; admixta habet lapidum fragmenta, aut gummi quoddã Chonidetros illis vocatum, Succino crudo persimile, aut ligni cuiusdã scobem. Sed maleficium deprehenditur facilè, nullamq; aliam adulteratione nouit Garcias. Nam si interdum rubentibus, aut nigricantibus maculis conspersa videatur, id ex sordidarum & impurarum manuum contrectatione, aut ex madore contrahi affirmat. Sed facilè à Baneanibus id vitium emendatur. Nam in panno lineo colligatam, in calidam aquam clam demittunt, additis sapone & Limonum succo: deinde probè elotam in vmbra siccant, sic multò candidior redditur, pondere non multùm imminuto. Id ab amico Baneane fieri vidit Garcias, qui & hoc arcanũ docuit. A viris fide dignis sibi relatum fuisse idem Garcias narrat, Caphuræ arborem Nuci iuglãdi similem esse, foliis tamen candicãtibus, Salignis similibus, fructum & florem haudquaquam se vidisse, fieri tamen posse vt vtrumque ferat. Illud autem certò se scire, materiem esse cinerei coloris, Faginæ ferè similem, interdum nigriorem, nec eam quidem leuem, aut fungosam, vt ait Auicenna (nisi fortè caducã, aut emortuã viderit) sed mediocriter solidam. Addũt pleriq; vastam & præaltam esse arborem, latissimè sese fundẽtem, aspectu perpulchrã. Fabulosum est quod ad eius vmbram omne animaliũ genus cõfugere aiunt, vt ferociora animalia deuitent: item quod scribit Serapio largioris huius prouẽtus augurium esse, cùm frequẽtibus fulgetris cælũ coruscat, aut crebro tonitru cõstrepit. Nam cũ Samatra insula (quã nõnulli Taprobanã putãt) & circũiacentia loca lineæ Æquinoctiali vicina sint, multis tonitribus subiecta sint necesse est, eámq; ob causam singulis diebus imbres, aut leues pluuias habẽt. Quare singulis annis Caphura abundare debebant. Ex quibus perspicuum est tonitru largioris Caphuræ prouentus caussam, aut indicium non esse.

Genera.

Locus.

Forma.

esse. Nonnullis Caphura ex China composita videtur ex eius parte quæ ex Burneo adfertur. Affirmarunt præterea Garciæ panes illos orbiculares qui ex China deferuntur compositos esse, quoniam Caphura de Burneo in Chinam defertur, incolis expetita, vt eam alteri viliori permisceant. Cui opinioni suffragantur Baneanes de Cambaya, qui pro arcano dicunt deficiente Caphura de Burneo, solere se eius exiguam quantitatem cum multa Chinensi commiscere, eámque falsò de Burneo nuncupare. Addunt item isti Baneanes Chinensem Caphuram compositum esse medicamentum, quod tempore euaporet & corrumpatur, Caphura verò de Burneo minimè. Garciæ verò compositum medicamentum non videtur, nisi ex duobus Caphuræ generibus constare dicamus. Quod Ruellius & Matthiolus Lib.1.c.26. Serapionem secuti tradunt Caphuram cæteris bonitate præstare quæ à Rege Riach, qui primus eius dealbandæ rationem adinuenit, Riachina dicta est, vix credit Garcias, quia Indiæ Reges potentiores sunt, quàm vt huiusmodi mangonio operam dare velint. Rhasis Caphuram frigidam & humidam esse, Auicenna & Serapio, quos plerique sequuntur, frigidam & siccam ordine tertio constituunt. *Temper. & Vires.* Cùm tamen in aquam coniecta flagret, cùm sit odorata & tenuium partium, calida videtur ac incidens. In qua etiam sententia se aliquando fuisse ait Garcias, Sed cùm experimento didicisset, ophthalmiis & oculorum inflammationibus, atque etiam ambustis impositam non minùs quàm niuem refrigerare, sententiam retractare coactus est. Adde quòd omnes apud quos nascitur frigidam esse asserunt. Neque verò huic sententiæ repugnat, quòd odorata sit, quia ob tenuitatem partium facilè exhalat odor qui in superficie est. Potest & interdum factitia esse quæ ad nos adfertur, arte & mangonio caliditatem aliquam acquirens. Genuina autem capitis dolores à calore prouenientes illita mulcet, incandescentes inflammationes restinguit, præsertim iocinoris. Circumlitionibus imponitur ad cutis nitorem conciliandum, & ad arcendas vulnerum & vlcerum inflammationes, erysipelata extinguit, aduersus gonorrhœam & albas vuluæ fluxiones efficax est, cum Succino & aqua Nymphææ hausta. Idem præstat pubi, testibus & renibus illita, priùs seminis Psyllij spissamēto, vel Omphacio, vel Solani succo probè macerata. Sanguinem è naribus fluentem sistit, aut cum semine Vrticæ immissa, aut cum maioris Sedi & Plantaginis succo fronti circumlita. Collyriis ad calidas oculorum lippitudines vtiliter imponitur. Renibus ac testibus illita venerem extinguit. Scribit Auicenna Caphuram vigilias excitare. Qui autem id fieri potest cùm frigida sit ipsius etiam testimonio, & frigida somnum accersant? Somnum certè inducere ait Garcias, foris & intus exigua quantitate vsurpatam. Si quis verò sæpius odoretur, & naribus admoueat, cerebrum exsiccat & vigilias inducere potest. Magni est vsus his in regionibus in quibus nascitur multis in rebus, tum etiam in cibis. Legitimæ probationem hanc esse ait Ruellius. In calido pane ponatur, si humore madeat, sinceræ est argumentum, contrà si perarescat indita, spuriæ ac fictitiæ certitudo est. Nisi diligenter asseruetur in operculatis etiam capsulis nonnunquam euanescit. Tutò asseruatur in vase marmoreo aut alabastrino, Lini & Psylij semine sepulta. Venetias Caphuram omnem rudem important, ibíque arte, igne scilicet & vitreis organis elaboratur, vt candescat atque pelluceat.

SASSAFRAS. CAP. XX.

IN Florida Noui orbis prouinci a Galli paucos ante annos ligni cuiusdam facultates admirabiles aduersus varios morbos experti fuerant, quas ab eius regionis incolis didicerant. Hos cùm profligassent Hispani,& in similes morbos incidissent, ob praui succi alimenta,aquarum insalubrium potationes, sub dio dormitiones, à quibusdam qui illic remanserant Gallis illius ligni virtutes edocti,eo vsi sunt,& sanitati restituti.Ob id recens in Hispaniam inuehitur,de quo Nicolaus Monard.hæc ferè tradit. Arbor hæc ab Indis *Pauame* nominatur, à Gallis, quos imitati sunt Hispani, nescio quam ob causam *Sassafras.* Arbor est magna, Pini mediocris magnitudine & forma (tametsi minores inueniantur) vnico trunco nudo : ramis in cacumine expansis, quales habet Pinus repurgata: cortice, quem integit cinerea quædam pellis ex cinereo nigricante, gustu aliquantulùm acri sed aromatico, nonnihil ad fœniculi saporem accedente, odorato, ita vt parua eius quantitas cubiculum suo odore compleat:materie trunci & ramorum alba,ad cinereum colorem vergente,nõ adeò aromatici saporis & odoris vti cortex: folio ficulneo, in tres angulos desinente, nouello verò folio Pyri folium æmulante, sed quòd vestigia angulorum habeat, semper virente, hoc est,nouellis foliis semper iis quæ decidunt succedentibus, colore viridi obscuriore, odorato, præsertim si siccum sit. An florem habeat, adhuc incompertum. Radicibus nititur nunc crassis,nunc tenuibus pro arboris magnitudine, læuibus, sed non adeò vti lignum, per summa cespitum vagantibus, vt facilè euelli possint, quod ferè commune est omnibus arboribus Indicis (imò referunt Hispanicas arbores eò translatas steriles fieri nisi in summa terra pangantur.) Cortex radici firmus inhæret cinereus, ipsiusq; arboris cortice magis aromaticus,ideóque radicis decoctum odoratius & præstantius est,& ab Hispanis istic vsurpatur. Nascitur in maritimis,& locis temperatis, hoc est, neque nimiùm siccis, neq; nimiùm humidis, vt in portubus S.Helenæ,& S.Matthæi:nam alibi per vniuersam Floridã haud facilè inuenias. Istic verò sunt integræ siluæ,quæ ob suauissimum quẽ spirant odorem, ab Hispanis eò primùm venientibus, arborum Canellæ esse existimabãtur, nec immeritò:nam adeò odoratus est & acris huius arboris, atq; Canellæ cortex, & eosdem effectus præbet,quos Canellæ decoctum. Omnium optima est radix, deinde rami, tertiò truncus,sed cortex omnibus præfertur. Arboris & ramorum temperamentum calidum & siccum est in secundo gradu, cortex aliquantò calidior, ad initium tertij gradus in calore & siccitate accedens. Quibusdam calidus videtur in fine primi gradus, siccus in tertio. Eius decoctum commendatur in omni morborũ genere, præsertim verò in obstructionibus, & partibus internis roborandis ad tertianas febres & antiquas.Commodè ex saccharo propinatur defluxione laborãtibus,asthmate,pectoris vitiis ex frigiditate ortis,doloribus nephriticis & renum,è quibus calculos eiicit, & flatus discutit:quam etiam ob causam

Nomina

Forma.

SASSAFRAS arbor, Monard.



Electio.

Temper.

Vires.

ſam vterum ad conceptionem præparat, & menſes ciet. Vomitus inhibet, concoctionem iuuat, aluúmque ſubducit. Decocti verò præparandi hæc eſt ratio. Radicis cum ſuo cortice aſſulatim confractæ vncia dimidia in tribus aquæ ſextariis, fictili nouo duodecim horas maceratur, lento igne ad duorum ſextariorum conſumptionem decoquitur, colatur, & fictili vitrato aſſeruatur. Poſtmodum iiſdem fragmentis tãtundem aquæ ſuperinfunditur, decoquitur ad dimidij ſextarij conſumptionem. Illud verò obſeruandum eſt plus aut minus ligni in decoctionem iniiciendum pro morbi magnitudine, viribus & temperamento ægrorum: minori enim quantitate & minùs cocta propinatur decocti aqua bilioſis quàm pituitoſis. Sed frequentiùs & vulgò quarta ſextarij pars decocti prioris tepidi ſumitur manè: deinde ſudatur, veſtis mutatur, nec quiſquam eorum qui medicamentum hoc ſumpſere lecto ſe continere cogitur. Prandium ſit media gallina aſſa cum aliquot vuis paſſis & amygdalis. Cœna ſit è conſeruis conuenientibus morbo qui curatur: potus ſecundùm decoctum. Hoc ſic propinatum aſſerit Nicolaus Monard. ſe ſingulari experimento compertum habuiſſe, vtiliſſimum iis eſſe qui pedes & manus ex podagra & chiragra ſic contortos habent, vt iis vti non poſſint. Ad luem item veneream non minùs vtile quàm Guayaci aut Chinæ decoctum. Qui tam exquiſita victus ratione vti nollent, aquã ſimplicem hac ratione decoquunt. Ligni aſſulatim confracti ſemuncia plùs aut minùs pro conditionibus iam enumeratis, in tribus aquæ ſextariis coquitur ad dimidias, ea aqua diu vtendum cùm in prandio, tum in cœna, & interdiu. Qui vino abſtinere non norunt, eadem aqua id diluant: etenim ſaporis & odoris gratiam vino conciliabit. Ligni huius fragrantiam aſſiduè geſtare & odorari maximè prodeſt aduerſus peſtis contagia, non neglectis aliis remediis. Denique ob ingentem ſiccitatem & moderatum calorem, remedium eſt excellens ad omnis generis defluxiones, quoniam eas abſumit. Sed iis qui extenuati ſunt & imbecilles non conuenit. Eiuſdem fragmentum præmanſum eo dente qui dolet, & iſtic retentum, dolorem ſedat. Porrò ſupradictus ligni & corticis vſus in medicinis duntaxat receptus ſit, Indi tamen recentia folia trita vulneribus imponũt, & ſicca ad alios vſus medicos ſeruant.

MOLLE, Arbor.



MOLLE. CAP. XXI.

ARBORIS in Peru naſcentis, quam vocant Molle, plantas duas è ſemine natas vidit Cluſius ante aliquot annos Mechliniæ, quarum hiſtoriã hanc tradit. Erant, inquit, eæ arbuſculæ trunco (quia tenellæ) ex viridi nigricante, multis conſperſo veluti maculis cinereis, foliis pẽnatis vt Fraxini, ſed multò minoribus, ex viridi nigricantibus, ſerratis, & ſub extremum anguſtioribus, ab arbuſculis reuulſa lacteo ſucco, eóque lento & viſcido & odorato manabant, & ipſa folia trita Fœniculi odorem reddebant, guſtata adſtringentis facultatis nonnihil habere videbantur. Fructus ex quo natæ ſunt, Piperis ferè eſt magnitudine, oleaginoſus, pellicula rubeſcente tectus, racematim cohærens, vt ex eius icone hîc expreſſa perſpicere licet. *Forma.*

Quem

Quem florem habeat adhuc incertum, nisi quòd tradunt quidam minutum esse, Viti similem. Hæc arbor copiosè nascitur in conuallibus & locis planis Peruanç regionis, vt referunt omnes qui Occidentalium Indiarum descriptionem dederunt, sed Petrus Cieca maximè, qui eius historiam hoc modo exponit prima parte Chronici. Toto hoc tractu conspiciuntur magnæ, quædam etiam paruæ arbores, quas *Molle* appellant incolæ. Folia habent minuta, odore Fœniculi, cortice adeò commendato, vt eius decocto crurum dolores & inflammationes summa cum vtilitate foueantur. Ex ramulis fiunt dentiscalpia vtilissima. Ex eius fructu cum aqua cocto pro cocturæ modo fit vinum, siue potio admodùm bona, aut acetum aut mel: tantóque in pretio sunt apud Indos hæ arbores, vt quibusdam locis eas consecratas suis idolis habeant. Addunt nonnulli eius arboris foliorum decoctum, doloribus ex frigida causa ortis auxilio esse, gummi verò eius, quod mumiæ modo candidum est, lacte dissolutum oculorum caliginem abstergere.

Locus.

LIGNVM AROMATICVM, LIGNVM ad Nephritidem. CAP. XXII.

SCRIBIT Nicolaus Monard. ligni cuiusdam fragmentum sibi à Bernardino de Burgo pharmacopola fuisse ostensum, Ligno sancto ferè simile, cuius corticis sapor & odor adeò aromaticus est & excellens, vt Nucem myristicam longè superet, imò Canellam odoris suauitate, Piper acrimonia. Magna huius ligni quantitas in monte quodam cæsa fuerat & in nauim delata ignis struendi gratia. Vnde perspicere licet quàm multæ arbores & aliæ plantæ in Indiis inueniantur insigni facultate præditæ, cùm ignis accendendi causa tam odoratis & aromaticis lignis vtantur, quorum cortice in puluerem redacto cor & ventriculus roborari, reliquáque membra foueri possint, & aromatum ex Moluccis insulis, Arabiáque & Perside vsque petitorum vires supplere. Mittit etiam noua Hispania aliud quoddam ligni genus crassum & enode, materia Pyri, cuius vsus iam diu receptus fuit in his regionibus ad renũ vitia, vrinæ difficultates & incommoda. Posteà experimento compertum est eius aquam in iecoris aut lienis obstructionibus vtilem esse. Fit autem hoc modo. Lignum assulatim & minutim concisum in optima & limpidissima fontana aqua maceratur, atque in ea relinquitur, donec aqua à bibentibus absumpta sit. Dimidia hora post iniectum lignum aqua cæruleum dilutiorem colorem contrahit, qui sensim intenditur pro temporis diuturnitate, tametsi lignum candidum sit. Id adulteratur ligno illi simili, quod aquã croceo colore inficit. Hac aqua qui assiduè vtuntur, ea vinum diluunt, & mirabiles experiuntur effectus sine vlla humorum commotione, neque alia opus est victus ratione quàm temperata: aquæ enim sapor non magis immutatur ligni iniectione quàm si pura esset, & nihil in ea maceratum. Calidum & siccum est in primo gradu.

FRVCTVS ET CORTEX AD Dysenteriam. CAP. XXIII.

NARRAT item Nicolaus Monard. ab adolescente quodam Hispano delatum ex Quito prouincia fructum, qui vt ex eius fragmentis (quæ altera parte læuia erant, & lutei coloris, altera aspera & admodùm rubra, seu ex rubro nigricantia) coniicere licebat, ex magna quadam arbore natus videbatur. Is ad dysenteriam mirum in modum confert. Quod experimento comprobatum vidit in puella quæ dysenteria miserè torquebatur, cui

cui adoleſcens ille fragmentorum eius fructus tenuiſsimè tritorum puluerem ex ſtillatitio calicũ roſarum liquore hauriendum dedit veſpere, tantundem poſtridiè manè, ſtatimq; ſiſti cœpit fluxus, ita vt breuì puella ſanitati reſtituta ſit. Quis autem eſſet hic fructus, aut ex qua arbore naſceretur Nicol. Monard. ſcire non potuit. Idem refert in Nouo orbe prægrandem arborem foliis cordis effigie, nullo fructu prouenire. Eius corticem digiti craſsitudine, aut ampliorem, ſolidum, durum & ponderoſum tenui, candicante pellicula contegi. Is ſimilis admodùm eſt cortici Guayaci, vti Gentiana amarus, adſtrictionis, & grati ſeu aromatici cuiuſdam ſaporis particeps. Magno eſt apud Indos in pretio, vt qui eo vtantur aduerſus omnis generis alui profluuia, eius puluerem drachmæ pondere, aut paulò ampliùs manè propinantes ex aqua conueniente, aut vino craſſo & rubro. Ter aut quater id remedium repetitur, obſeruatúrque in reliquis victus ratio, quæ eiuſmodi morbo neceſſaria eſt. Eius corticis fragmenti periculum iam bis feciſſe affirmat in alui profluuiis inueteratis, magno ſucceſſu.

FRVCTVS CHOLAGOGVS, AVELLANAE, & Nuclei pinei cathartici. CAP. XXIIII.

bilem ducens

FRVCTVS quidam ex maritimis Nicaragna & Nata (quæ ſunt in Noui orbis continenti) inuehitur in Hiſpaniam auctore Nicolao Monard. qui ex quadam vaſta arbore naſcitur, Caſtaneæ ſimilis, ſed calice læui, non vt illarum echinato. Eo calice fructus continetur Caſtaneis non multùm abſimilis, ſed ſine cortice, & ferè quadratus, in duas partes diuiſus, medium intercurſante, & totum deinde ambiente pellicula. Editur hic fructus viridis, aut contuſus vino exceptus, ſi ſiccus, eius puluis ex vino aut gallinæ iuſculo ſumitur: datur etiam toſtus vt minùs purget. Quocunq; tandem modo ſumptus ſine moleſtia purgat, obſeruatis iis quæ à purgandis obſeruari ſolent, & præparatis humoribus. Illud verò minimè ſilentio prætereundum, pelliculam illam exteriorem & internam abiiciendam eſſe, alioqui grauia ſymptomata excitaturam, veluti magnos vomitus, animi deliquia, & periculoſa profluuia. Calidus eſt in primo gradu. Narrat idem Nicol. Monard. Nouo orbe primùm inuento inſulam D. Dominici quoddam Auellanarum genus mittere, quo ſe Indi familiariter purgabant: poſteà Hiſpanos neceſſitate compulſos iiſdem ſeſe purgare cœpiſſe, non ſine vitæ diſcrimine. Colore & forma noſtris Auellanis ſimiles ſunt, putamine tenui, coloris ſpadicei, triangulares, medulla interiore alba & dulci, ſic vt multi dulcedine allecti decepti fuerint. Medicorũ vulgus eas Ben magnũ vocat, paruum autem quod Ciceris eſt magnitudine, ex quo Itali oleum odoratũ conficiunt, quod Oleum de Ben nuncupant. Validiſsimè pituitam & bilem ſupernè & infernè purgant. Nonnulli tamen eorum vehementiam aſſatione infringebãt. Coli doloribus præſens ſunt remedium, flatus diſcutiunt, & enematibus iniectæ mediocriter euacuãt. Doſis eſt à dimidia drachma ad drachmam vnam: ſed aſſandæ ſunt. Calidi ſunt temperamenti initio tertij gradus, & ſicci in ſecundo. Auellanas has ſe vidiſſe ait Cluſius.

AVELLANAE purgatrices.



Vires & Temper.

Cæterùm hanc, cuius iconem hîc exhibemus ex Cluſio, lentus & mollis integit cortex, partim ex cinereo candicans, partim nigricans: hunc ſequitur putamen minùs ſolidum quàm in vulgaribus Auellanis, id nucleum continet Auellanæ magnitudine, candidum, ſolidum, Auellanæ vulgaris aut ilignæ glandis ſapore,

pore, tenui membrana obductum. Integra nux altera parte ſeſsilis eſt & coniunctim binæ naſci videntur, vt interdum caſtaneæ. Tranſmittit etiam noua Hiſpania, vt idem Nicolaus refert, Pineorum nucleorum genus, quo Indi ſe purgant, quos imitati ſunt plurimi Hiſpani. Noſtris Pineis nucleis ſimiles ſunt, naſcentes in ſtrobilis magnis, quales ſunt Mayzi ſpicæ muticæ, molliori putamine, & nigriore quàm noſtri, rotũdi, intus albi, pingues, & guſtu dulces. Bilem, pituitam & aquas valenter admodùm purgant, & licet auellanis mitiores, attamen vomitum cient, atque ventrem ſubducunt. Aſsi neque tam valenter, neque cum tantis torminibus purgant. Peculiari quadam facultate craſſos humores expellunt. Quinque aut ſex triti & vino diluti dantur pro virium robore, euacuando humore conuenientibus ſyrupis præparato, & recta victus ratione obſeruata. Calidi in tertio, & ſicci in ſecundo, pinguedine tamen quadam præditi quæ ſiccitatem imminuit.

Pinei nuclei cathartici. *Forma.* *Vires.* *Temper.*

RICINVS AMERICVS. *CAP. XXV.*

Forma. RICINI genus ex America delatum pinxit Cluſius, noſtrate paulò maius, cuius ſiliqua triãgula quæ ſemina continet tuberculis aſperis caret, læuíſque eſt & cinerei coloris. Ipſum ſemen noſtrati ſimile, nigrum tamen & non maculoſum, Curcas ab incolis nuncupatum. Arbor quoque noſtrati ſimilis, niſi ob ſoli vbertatem in maiorem altitudinem ex creſceret. Semen tanta purgandi facultate præditum eſſe referebat qui Cluſio dabat, vt dimidia tantùm grani vnius pars ſumpta valenter supernè & infernè humores pellat. Ex eodem oleum elici tradit Nicolaus Monard. quod Oleum ficus inferorum Hiſpani vocant, quia Ricinus Hiſpanis *Figueira de l'inferno*, id eſt, Ficus inferorum nominatur. Semine trito & in aqua decocto innatans oleum cochleari colligitur, qui ſolus modus olei parandi Americis notus eſt, alios non didicerunt. Duros tumores mollit, diſcutit. Sanat dolores à frigidis humoribus & flatibus exortos, præſertim ventris: ac ideò Anaſarcam & Tympanitem curat inuncto ventre, aut tribus vel quatuor guttis ſumptum ex vino, aut infuſo mixtum. Aquas enim ducit, flatus diſcutit, pituitam craſſam purgat. Doloribus colicis & ilei medetur ſumptum, illitum, iniectum clyſtere. Articulorum morbis à cauſa non admodùm calida natis auxiliatur. Contractos artus molliter diſtendit. Aurium doloribus confert. Infantium aluũ ſubducit, pube inuncta: lumbricos necat ac eiicit, maximè ſi eius vna aut altera gutta è lacte aut iure propinetur. Ad pſoras & capitis vlcera manantia valet. Calidum eſt initio tertij gradus, humidum ſecundo.

Vires.

RICINVS Americus.



LAC PINIPINICHI. *CAP. XXVI.*

IN omnibus continentis oris Noui orbis, vt refert Nicolaus Monar. lacteus quidam ſuccus elicitur ex arbuſcula Mali ſimilitudine, quem Indi Pinipinichi vocant: ex cuius ramis reciſis lacteus is humor ſtatim manat, aliquãtulùm denſus & viſcoſus, cuius tres aut quatuor guttæ ſumptæ validiſſimè per aluum purgant bilem & aquas. Bibitur è vino, aut eius deſiccati puluis deglutitur pauca quantitate propter nimiam vehementiam. Illud autem peculiare habet, quòd ſi quis eo ſumpto, iuſculum, vinum, aut aliud quid iniiciat, ſubitò eius facultas infringitur & ceſſat. Calidus & ſiccus eſt is liquor in ſecundo gradu.

Vires. *Temper.*

COPAL,

COPAL, ANIME. CAP. XXVII.

DVo resinarum genera multùm similia, teste etiam Nicolao Monard. ex Hispania noua afferuntur, quorum vnum Copal vocatur, alterum Anime. Copal resina est admodùm candida, splendida, pellucida, magnis offis, Citri condíti & clari similibus, mediocriter suauis. Eam Americi in sacrificiis thuris vice adolebant. Vtilis est ad suffitus in frigidis capitis morbis. *Vires.* Calida ordine secũdo, humida primo. Discutit ac emollit. *Temper.* Gomara in Mexicana Historia duo Copalis genera facit. *Genera.* Vnum rugosum, quod Xolochcolpasi vocari dixit, molle, thuri simile. Alterum multùm præstantius Copalcahuiel, quod plerique Myrrham existimarunt. Vulnerata arbore guttatim stillat liquor albus, qui statim concrescit. Anime arboris prægrandis est resina candida, ad thuris colorem nonnihil vergens, magis oleosa quàm Copal, granis siue guttis thuri similibus, grandioribus, quæ fracta luteum colorem ostendunt resinæ modo, & iucundissimum odorem spirant, & accensa facilè liquescunt ac consumuntur. Est alia Anime resina orientalis, auctore Garcia, quam Lusitani ex Æthiopia Arabiæ finitima in Europam deferunt. *Lib. 1. Aromat. Ind. cap. 8.* Candidior est & nitidior occidentali, magnis item offis adfertur, pellucidis, ita vt nonnulli Carabe seu Succini speciem esse suspicati sint, è quo spherulæ precatoriæ tornantur. Sed ij vehementer errant. Garcias hanc resinam orientalem, Cancamum Græcorum esse putat. Qua in re Amati Lusitani sententiam secutus videtur in commentariis in Dioscoridem capite de Cancamo, sic scribentis. Est igitur Cancamum gummi quoddam, quod ex Guinea, Mina, Africáve, & insulis illi circuniacentibus Lusitani nostri adferunt, Aniimum appellantes: decidit enim gummi hoc, vt testantur illi, ex proceris arboribus, folia Myrti habẽtibus, quod album reperitur, & aliud subnigrum Myrrhæ quodammodo persimile, odoratum, quod Dioscorides illis de causis inter Myrrhę species tanquam improbam commemorat, & Minæam à terra, vnde præcipuè nascitur, eam appellat: quanquam Serapio Aminæam nominet, vnde Lusitani corrupta voce pro Minæa vel Aminæa Anijmum vocent, & eo mulieres maximè in suffitibus, & Medici contra dolores à frigiditate ortos pręcipuè vtuntur. Id verò primus asseruit Brisottus Gallus, vir magna eruditione præditus, qui quum apud Lusitanos ageret, vt inde ad Indos cognoscendarum rerum nouarum cupidus nauigaret, gummi hoc vidit, quod Cancamum esse dixit. Quare cùm Cancamo opus fuerit, Lusitanorum Aniimo vtemur. Idem Amatus capite de Myrrha, Myrrha verò Minæa vel Aminæa dicta, inquit, hodie quoque in Lusitania, & vniuersa Hispania paucis mutatis literis habetur, vt capite de Cancamo diximus, gummi scilicet Aniimum appellantes: cuius duo genera habentur, albũ & nigrum, album Cancamum esse ex Brisotto didicimus, nigrum verò, Minæa hæc Dioscoridis Myrrha est, quæ ex proceris arboribus decidit, nullo cogente artifice, aut vulnere in arbore facto. Clusius gummi illius quod Anime vocant, & Lusitanorũ nauigationibus in Europam adfertur, tria inueniri genera scribit. *In schol. in lib. 1. Aro. Ind. Historiæ.* Primum fuluescit, & pellucidum est, nobiliusq; illud succinum crudum æmulatur. Hoc Cancamum esse Amatus à Brisotto Gallo edoctus contendit. Alterum genus nigricat, & ferè taurino glutini simile est, siue illi resinæ quam Officinæ Colophoniã vocant. Id Amatus Myrrham Aminæam Dioscoridis esse vult. Tertium genus pallidum est, & resinaceũ retorridúmque. Omnia verò iucundum in suffitibus odorem spirant, idémque videtur temperamẽtum sortita. Posteriora duo degustata magis siccare & amarescere deprehenduntur. Hæc Clusius. Sunt qui Anime verum Bdellium esse putant, ob multas quas habet cum Bdellij historia notas communes, de quibus suo loco diximus. Anime Americum siue nouæ Hispaniæ colligitur, auctore Nicolao

ety nem Anime

cancamu

Monard. ex arboribus mediocris altitudinis vulneratis, non aliter quàm thus ac mastiche. Valet ad suffitus in dolore capitis à frigido, & defluxionibus post purgationes: aëris vitia corrigit, suffitu caput roborat. Miscetur emplastris & ceratis, quę frigidos humores & flatus discutiunt, ac roborant: imponitur capiti & cerebro inualidis, item neruosis partibus. Idem temperamentum quod & Copal. Hoc Anime occidentale Aminæam Myrrham esse putat Hermolaus.

TACAMAHACA. CAP. XXVIII.

DEFERTVR item ex noua Hispania, vt scribit Nicolaus Monard. aliud gummi siue resinæ genus, ab incolis *Tacamahaca* vocatum, quod nomen Hispani retinuerunt. Resina est proceræ arboris Populo similis, quæ fructum gerit similem Pæoniæ granis. Elicitur arbore sauciata. Colore est Galbani (nec desunt qui idem esse putant) frustulis tamen quibusdam albis vt in ammoniaco, odoris saporísque ingrati. Suffitu vtero strangulatas mulieres reuocat: vmbilico imposita vterum ad suam sedem redire cogit, ventriculum roborat. Ad hos vsus totam ferè mulieres absumunt. Illita sic adhærescit, vt non nisi euanida cùm effectum suum præstiterit excidat. Coquit & discutit mirificè ægritudines ex flatu & succis frigidis natos. Fluxiones sistit: neruorũ vulneribus medetur. Denique ad quosuis sedandos dolores nullum aliud præsentius remedium, si ab inflammationibus admodùm calidis non oriantur. Sed & iis admodùm vtilis est in morbi declinatione, ad discutiendum qui superest humorem. Calfacit in principio tertij gradus, siccat secundo. Prætereà vim satis adstringentem obtinet.

Forma. *Vires.* *Temper.*

CARAGNA. CAP. XXIX.

EX continentis parte interiore, per Carthaginem & Nomen Dei Americæ prouincias deferri scripsit Nicolaus Monard. resinam coloris Tacamahaca, odorísque eiusdem, sed grauioris. Est & liquidior, glutinosior, splendidior, magis oleosa. Lingua Indica *Caragna* vocatur, quod nomen etiam Hispani adhuc seruant. Prodest ad omnia ad quæ Tacamahaca, sed effectu celeriore & certiore. Temperamenti est calidioris. Vulnerata arbore colligitur superiorum modo. Ex eadem Carthagine Noui orbis prouincia allatam fuisse ait Caragnam quandam puriorem, & Balsami modo limpidam, superiore multò præstantiorem, vtiliorem & odoratiorem.

Forma. *Vires.* *Temper.*

LIQVIDAMBAR, ET EIVS Oleum. CAP. XXX.

RESINAM odoratam Liquidambar ad nos ex Hispania noua adferri referunt Nicolaus Monard. & Historiæ Mexicanæ auctor. Manat ex incisa vasta arbore, quam Americi vocant *Ocoçol*. Huic folium est hederæ, cortex crassus, cinereus, quo secto aut ex cauato Liquidãbar fluit. Indigenæ huic corticem confractum admiscent, quoniam ita suauiorem odorem mittit dum vritur. Odor styracis, qui cælari non potest, præsertim vbi magna est Liquidambræ copia, quoniam in ædes ac vias propinquas latissimè diffinitur. Ex ea resina recenti ac pingui in humido loco reposita stillat sponte Oleum pretiosissimum ob maximam odoris iucunditatem. Quidam machinis exprimũt, vt manicis inficiendis vnguentariis vendant. Sed id bonitate ac pretio longè inferius est. Vt præstantissima quæque fraude hominum adulterantur & interpellantur: quidam quæstus causa ex ramis arborum concisis, & in aqua feruefactis Liquidambram innatantem colligunt, altera longè deteriorem. Liquidambar

Forma. *Vires.*

dambar frigidis omnibus morbis opitulatur. Eadem vis & olei sui, sed cum maiore partium tenuitate. Calfacit propemodùm tertio gradu. *Temper.*

GVMMI AD PODAGRAM, SVLPHVR Quitense. CAP. XXXI.

Refert Nicolaus Monard. se ab Episcopo Carthaginiẽsi dono accepisse gummi genus quoddam (cuius arborem describere non poterat) ex cõtinenti Noui orbis delatum, quo se istic podagrici purgant hoc modo. Istius gummi fragmentum Nucis Ponticæ magnitudine stillatitio aquæ liquore totam noctem macerant, postridie manè percolant & exprimunt, eam aquam ad duas vncias hauriunt, neq; quicquam cibi sumunt ante meridiem. Eo medicamento purgatur humor qui podagram creat sine molestia. Insipidum est & inodorum. Calidum videtur in primo gradu. Mittit Quito prouincia Peruana Sulphur viuum præstantissimum, vitri modo pellucidum, colore auri purissimi, cuius fragmentum pusillum lucernę admotum odorem maximum sulphuris eiaculatur, fumo viridi permixtum, sed antequàm incendatur nullum sulphuris odorem prębet. Huius puluis vino dissolutus, & per aliquot dies vesperè faciei illitus (purgato priùs corpore) inflammationes curat, scabiem delet oleo rosaceo mixtus. Drachmæ pondere cum oui luteo sumptus, coli doloribus, nephritidi, neruorúmque contractionibus & ictero vtilis est. Calidum & siccum esse hoc sulphur summo excessu ait Nicolaus Monard. Quare mirum non sine causa videatur eo inflammationes curari. Ex Nicaragna aliud sulphuris genus aduehi idem scribit, colore cinereo, densum, minimè transparens, nihilque cum alio commune habens præter odorem. *Vires.*

RESINA ABIEGNA INDICA. Resina Carthaginiensis. CAP. XXXII.

Ex novi orbis continenti etiam asportari tradit Nicolaus Monard. liquorem siue resinam, quàm abiegnam vocant, ex arboribus spuriis quæ neq; Pinus, neque Cupressi dici possunt, sed Pino altiores sunt, & Cupressi modo rectæ. In harũ arborum cacumine vesiculæ quædam enascuntur nunc magnæ, nunc paruæ, quibus confractis guttatim stillat liquor admirandus, quem Indi diligenter conchis excipiunt, sed tanto labore & molestia vt multi exiguam admodùm quantitatem singulis diebus cogant. Ad eadem omnia, ad quæ Balsamo vtuntur: nam vulnera optimè curat, dolores ex materia frigida & flatulenta progenitos mitigat. Item vtilis est stomachi vitiis ab humore frigido aut flatibus sumpta ex modico vino albo, vt in Balsamo dictum est. Idem Nicolaus Monard. auctor est, nunc etiam mitti à Carthagine Noui orbis prouincia, resinam quandam purissimam & odoratissimam, abiegna aut Terebinthina Veneta multò præstantiorem, iisdem facultatibus seu maioribus præditam quàm sit selectissima Terebinthina. Experientia docuit vtiliter iniici neruorum, articulorum pedúmque vulneribus, & antiquis vlceribus: magno etiam commodo ea elota & præparata matronæ sibi faciem oblinunt. *Vires.*

MVNGO SIMILIS FRVCTVS, Buna. CAP. XXXIII.

Lib. 2. Arom. Indic. histor. cap. 21.

SCRIBIT Garcias Mungo ſemen eſſe viride, quod per maturitatem fit nigrum, Coriandri ſicci magnitudine, pabulum equorum, interdum etiam hominum. Guzarate & Decan incolæ in febribus hoc modo vtuntur. Febricitans decem, nonnunquam quindecim dies cibo abſtinet, poſt quos huius fructus decoctum illi propinatur, in quo nonnihil pulpæ remanſerit: deinde cortice delibratum Mungo, & Orizæ modo coctum febricitanti exhibent: panem verò triticeum non niſi poſt multos dies: non quòd frumento careant hæ prouinciæ, nam etiamſi non ſtercorentur & colantur agri, ſed ſuperficie tenus duntaxat arentur, natiua ſua pinguedine & vbertate etiam interdum ſine pluuia frumentum menſe Nouembri ſibi creditum, medio Ianuario maturum & colligendum exhibent. Naſci etiam ferunt hoc Mungo in Palæſtina, eiúſque Auicennam meminiſſe, & vocaſſe Meſſe, Bellunenſem interpretem, Mens. In noſtris tamen publicis exemplaribus legimus Meiſce, (& Piſa interpretantur) & in margine Mes. Mex autem debere dici ab eruditis Medicis Arabibus ſe didiciſſe ait Garcias. Alio in loco putat Auicennam eius mentionem feciſſe, vbi prohibet auiculas cum Mex edi: in noſtris tamen libris non Mex, ſed Meſt ex aratum eſt. Et Serapio, Mes, inquit, id eſt, Robiliæ eſt granum paruum ſicut Orobus magna, viridis coloris &c. Cæterùm Mungo à Garcia deſcripto optimè conuenit fructus à Cluſio depictus & hîc expreſſus, niſi calidus eſſet, Mungo verò frigidus, quantū ex eius effectu colligere licet. Is fructus omiſſus à Valerando Duræo, inquit Cluſius, ex Ormuz, exigui Piperis magnitudine, rotundus, ſtriatus, qui Coriandri grana ita æmulatur, vt primò intuentibus Coriandrum videatur, maius tamen & nigrum: membrana ſuperior granum continet nigricans calidi guſtus. Prætereà ex eodem Cluſio puſilli cuiuſdam fructus ab Alphonſo Pautio Medico Ferrarienſi miſsi iconem hîc exhibemus, quem Buna à nonnullis, ab aliis Elicano nominari tradit. Eſt igitur Buna Fagaræ magnitudine, aut paulò amplior, oblongior plerumque, colore ex cinereo nigricante, cortice tenui, & veluti ſulcum quendam per longitudinem vtrinque habente, per quem facilè in duas æquales partes diuiditur, quæ ſingula grana continent oblonga, altera parte plana, fuluefcentia, guſtu acido. Aiunt in Alexandria potionem quandam fieri ex iis, vim refrigerandi non mediocrem obtinentem.

Li. 2, c. 488.

Lib. 1. fen. 3. cap. 7.

Cap. 116. ſimpl.

MVNGO ſimilis fructus.



BVNA.



TVNA

TVNE INDORVM. CAP. XXXIIII.

QVae ex Indiis occidentalibus aduecta est tam planta hîc appicta, quàm fructus, Tune Indis vocatur & Tunas. In maris Peruani insulis, Hispaniola, & aliis, mirabile folium istud spinosum ruri ac sponte oritur, vnico folio, humi ad medium vsque defosso, productis ex sese radicibus, posteà folia supernè ex ipso accrescunt, ex iis alia, ita vt continuata serie aliis ex aliis prodeuntibus foliis in arborem accrescat sine cortice, sine ramis. Folia ista crassissima sunt, aliquando pollicis crassitudine, ex quibus albæ, tenues, longiusculæ, acutæq; prominent spinæ, ex horum etiam summitatibus fructus, nostratibus Ficubus similes, sed crassiores, qui suprema parte in coronæ speciem desinant, colore ex viridi purpurascente, interiore pulpa Ficubus simili, sed adeò succosa & rubente, vt sanguineo succo Mororum modo manus inficiat, & vrinam cruentam multo esu creet, quod multis tum primùm esitantibus & huius effecti ignaris magno aliquando terrori fuit. Ex Indiis folia permultis in locis Hispaniæ, Galliç, & Italiæ sata flores & fructus produxerunt, quales se vidisse & decerpsisse, & maturas Ficus esitasse testatur Pena: vnà cum ficuum rudimentis in paruo vmbilico calathi balaustij quadantenus effigie emicare luculentiore magnitudine & luteo colore, Ficus maturas Ficum magnam æquare, spinulis in ambitu horridam, cute purpurascente, succo intus cruento, grauis & pulpa ficulneis, sed gustu insuauiore. Hanc Theophrasti & Plinij Opuntiam esse, non sine ratione quis suspicetur. Sic enim Theophrastus. παραπλήσιον δὲ τούτῳ, μᾶλλον δὲ τρόπον τινὰ θαυμασιώτερον, εἴτις ἐκ τῶν φύλλων ἀφίησι ῥίζαν. οἷον φασὶ περὶ ὀποῦντα πόαρον εἶναι, ὃ καὶ ἐσθίεσθ' ἐστιν ἡδύ. Id est, Huic (Fico Indicæ) simile est, vel potiùs quodammodo mirabilius, si qua ex foliis radicem mittat, qualem circa Opuntem herbulam esse aiunt, quæ & esu suauis est. Et Plinius, Item circa Opuntem (Opûs Locrorum Epicnemediorum oppidum lib. 4. cap. 7.) Opuntia est herba etiam homini dulcis. Mirúmque è folio eius radicem heri, ac sic etiam nasci. In iisdem insulis atque etiam in continenti sponte crescit arbuscula superiori valde cognata, quç Indis Ferruminatrix vocatur, nobis Opuntia Ostocollos dici potest, quòd artuum fracturis & luxationibus mirè prosit. Ramos profert foliis refertos aspectu deformibus, admodùm spissis & spinosis, Tune foliis simillimis, vt describit auctor generalis Indiarum historiæ. Rami isti folia primùm fuêre, ex singulis singula oriuntur, atque ex his alia, quæ demùm indurantur, & mutuò sibi ipsi succedente foliorum sobole in ramos abeunt, ac tandem arboris magnitudinem adipiscuntur, quæ perpetuò viret, caudice in imo & ramis cineritiis, asperis. Fructum fert superiore minorem & spinosiorem, purpureum, viscidum, succum remittentem, & ad inficiendos pannos infecturæ tenacissimæ. Folia spinis exemptis trita, & cataplasmatis modo imposita fracta ossa mirè glutinant & ferruminant. Sed illa priùs locis suis aptissimè repo-

Nomina
Locus.
Forma.

FICVS Indica, siue Opuntia.




Lib. 1. hist. cap. 12.
Lib. 21 c. 17.
Ostocollos
Forma.
Lib. 10. c. 1.

ni ac restitui oportet. Nam admotum cataplasma cùm agere in partem cœpit, ita parti hæret, vt auulsu perdifficile sit. Ea verò sanata statim sponte excidit.

ROSA DE HIERICHO, Loniceri.
CAP. XXXV.

Nomina



ROSAM de Hiericho, siue Hiericunthis, siue Hiericunthinam vocant ab Hiericunthe Palestinæ oppido. Monachi & mulierculæ Rosam Mariæ. Hanc describit Lonicerus fruticem esse Labruscæ similem, sed minorem, venosum, odoratum, ramulis duriusculis, colore subflauo, baccis inter se racematim cohærentibus, flore violæ candido. Lonicerus & quidam alij Amomum esse falsò crediderunt. Qua de re paulò pòst dicemus. Crescit haud ita difficilè ex semine recenti, auctore Pena: hærent autem semina parua, complura, racematim vnà compacta, glumosa, Sorgi minora, & intra fruticis cancellatim reticulatimq; implexi glomum contenta. Hac Rosa vtuntur superstitiosæ mulierculæ ad partus horam cognoscendam. Nam, vt aiunt, in aquam demissa non priùs fatiscit, quàm partus nasci incipiat.

Forma.

CANELLA, CASSIA, CINNAMOMVM.
CAP. XXXVI.

Nomina

QVAE Græcis κασσία & ξυλοκασσία nominatur, Latinis Cassia & Cassia lignea, Arabibus *Selicha, Seliche*, siue *Selihacha*, Italis *Canella*, Hispanis *Canela*, Gallis *Canelle*, Germanis *Zimmet*, seu *Zimmet roezlin*. Cassiam autem Etymologicum dici vult παρὰ τὸ κάσαι, quasi κοσμοῦσαν διὰ τῆς εὐοσμίας τὰς αἰσθήσεις. Quod verò Græci κιννάμωμον, Latini quoque Cinnamomum dicunt, Plinius etiam Cinnamum, Arabes *Darseni*. De vtroque seorsum tractauit Dioscorides. Cassiæ multa sunt genera, quæ circa Arabiam aromatiferam nascuntur. Virgas seu ramulos habet crassi corticis, folia Piperis (alij ἴρεως, id est, Iridis legunt, & ita Serapio legit.) Eligẽda est fuluescens, pulchri coloris, Coralli æmula, valde angusta, crassa, longa, fistulosa, gustu mordens, & cum multo feruore adstringens (non cum aliquanto feruore, vt Ruellius vertit, est enim μετὰ πολλῆς πυρώσεως, quod & Plinius confirmat, à gustu, inquit, quàm maximè mordens) aromatica, vinoso odore, cuiusmodi est quæ ab incolis Achy nominatur, ab Alexandriæ negotiatoribus Daphnitis. Huic præfertur crassa, purpurea & nigricans Zigir cognomine, quæ Rosam odore imitatur, præcipui in medicina vsus. Secundum locum tenet antedicta. Tertia cui Mosylitico blasto, id est, germini cognomen est. Reliquæ viles, vt quæ Asyphemum dicitur, nigra, insuauis, cortice tenui ac rimoso: vt quæ Darca & Citto vocitatur nomine barbaro. Similior huic est Pseudocassia, quàm vt explicari possit, quę gustu coarguitur, cùm nec acris, nec aromatica sit,

Lib.1.c.12. & 13.

Cap.91. simpl.

sit, hæretémque medullæ corticem habeat. Inuenitur etiam lata quædam fistula, mollis, leuis, ramosa antedictæ præfertur. Damnatur candicans, scabra, hircinum virus olens, & quæ nō habet fistulam crassam, sed scabram & tenuem. Deinde de Cinnamomo hæc scripsit. Cinnamomi genera plura patrium sibi nomen vendicantia. Præfertur tamē Mosyliticum, quòd Casiæ, cui Mosyliti cognomē est, aliquam referat effigiē: sed in eo genere recens, nigrum, ex vinoso in cinereum vergens, læue, tenuibus ramulis, ac frequentibus nodis cinctum, perquàm iucundè olens. Optimi ferè iudicium iucundi odoris proprietate constat: inuenitur enim cū optimo, eoq́; quod peculiare est, odor Rutæ, aut Cardamomo proximus. Insuper acre, mordens, & cum calfactione quadātenus salsum, quòd confricanti non citò asperum, & frianti puluerulentum, læuibus tamē internodiis appareat. Si certior fieri voles, vellito ab radice surculum, facilis est huiusmodi probatio: namque fragmenta miscellanea quædam esse videtur. Quæ autem meliùs spirant suo habitu cùm nares primo consuluntur, olfactum explentia, deterioris dignotionē impediunt. Est etiam montanum, crassum, pumilum, fuluescens admodùm. Tertium à Mosylitico perquàm suauiter olet, nigrum, fruticosum, paucis intercedentibus geniculis. Quartum fungosum, candicans, aspectu tuberosum, vile ac friabile, magnam habens radicem, quæ Casiam repræsentat. Quintū genus odore nares feriens, subrufum, & cortice fuluæ Casiæ simile, tangēti firmum, minùs neruosum, densa radice firmatum. Iis quæ Thuris, Casiæ, Myrti aut Amomi odorem spirant, minùs suauitatis inest. Deligito scabrum, album, rugosum: at læue, & lignosum circa radicem, vt inutile reiicito. Est etiámnum simile aliud, cui Pseudocinnamomo nomen est, vile, inualidi odoris, solutarumq́; virium. Vocatur etiam Zingiber, cùm tamen sit Xylocinnamomum, præbens quandam Cinnamomi faciem. Est autem lignosum Cinnamomum, sarmenta longa, robustáque ferens, odore longè Cinnamomo inferiore. Sunt qui Xylocinnamomum à Cinnamomo genere differre dicant, quòd à natura eius abhorreat. Plinius recitatis iis quæ de Cinnamomo & Casia fabulosa narrauit antiquitas, subiicit, Cinnamomum, idemq́; Cinnamum nascitur in Æthiopia Troglodytis cōnubio permixta. Ij mercantes id à cōterminis, vehunt per maria vasta ratibus, quas neque gubernacula regant, neque rami trahant vel impellant, non vela, non ratio vlla adiuuet, cùm omnium instar ibi sint homo tantùm & audacia. Prætereà hybernum mare exigunt circa brumam, Euris tum maximè flātibus. Hi recto cursu per sinus impellūt, atque à promontorij ambitu Argeste deferūt in portum Gebanitarum, qui vocatur Ocila. Quamobrem illi maximè id petunt, produntq́; vix quinto anno reuerti negotiatores, & multos interire. Cōtrà reuehunt vitrea, ahena, vestes fibulasq́; cum armillis & monilibus. Ergo negotiatio illa fœminarum maximè fide cōstat. Ipse frutex duûm cubitorum altitudine amplissimus, palmíque minimus, quatuor digitorū crassitudinis statim à terra sex digitis surculosus, arido similis. Cùm viret nō odoratus, folio Origani, siccitate gaudēs, sterilior imbre, cæduæ naturæ. Gignitur in planis quidem, sed dēsissimis in vepribus rubísque difficilis collectu. Metitur nō nisi permiserit Deus. Iouem hunc intelligunt aliqui: Assabinum illi vocant, quadraginta quatuor boum caprarumq́; & arietum extis impetratur venia cædendi. Non tamē aut ante ortum Solis, aut post occasum licet. Sarmenta hasta diuidit sacerdos, Deóque partem ponit, reliquum mercator in nassas condit (meliùs in naues.) Est & alia fama, cū Sole diuidi, ternasq́; partes fieri, dein sorte cremia discerni, quodq́; Soli cesserit relinqui, ac sponte cōflagrare. Præcipua bonitas virgultorum tenuissimis partibus ad longitudinem palmi. Secunda proximis breuiore mēsura, atque ita ordine. Vilissimum quod radicibus proximum, quoniàm ibi minimùm corticis, in quo summa gratia. Qua de caussa præferuntur cacumina, vbi plurimus

Li.12.ca.19.

cortex. Ipſum verò lignum in faſtidio eſt, propter Origani acrimoniam, Xylocinnamomum vocatur. Quidam Cinnami duo genera tradidêre, candidius, nigriusq́;. Quondam præferebatur candidum, nunc contrà nigrum laudatur, atq; etiam varium præferunt candido. Certiſsima tamen æſtimatio, ne ſit ſcabrum, atque inter ſeſe tritum tardè frietur. Damnatur in primis molle, aut cui albet cortex. Ius eius à Gebanitarum Rege ſolo proficiſcitur: is edicto mercatu vendit. Pretia quondam fuêre in libras denariûm mille. Auctum id parte dimidia eſt, incenſis, vt ferunt, ſiluis ira Barbarorum. Id acciderítne ob iniquitatē præpotētium, an fortè, non ſatis conſtat. Auſtros ibi tam ardentes flare, vt æſtatibus ſiluas accendant apud auctores inuenimus. Et mox, frutex & Caſsia eſt, iuxtaq; Cinnami campos naſcitur, ſed in montibus, craſsiore ſarmento, tenui cute veriùs quàm cortice, quem contrà ac in Cinnamo leuari & exinaniri pretium eſt. Amplitudo fruticis trium cubitorum. Colos triplex. Cùm primùm emicat, candidus, pedali menſura, deinde rubeſcit addito ſemipede, vltrà nigricans. Hæc pars maximè laudatur, ac deinde proxima: damnatur verò candida. Conſecant ſurculos longitudine binûm cubitorum. Mox præſuunt recentibus coriis quadrupedum ob id interemptarū, vt iis putreſcētibus vermiculi lignum erodant & excauent corticem tutum amaritudine (legendum & excauent, cortice tuto amaritudine.) Probatur recēs maximè, & quæ ſit odoris molliſsimi, guſtúve quàm maximè feruēs potiùs, quàm lento ſapore leuiter mordens, colore purpureo, quæq́; plurima minimùm ponderis faciat breui tunicarum fiſtula, & nō fragili. Lactam vocant talem Barbaro nomine. Alia eſt Balſamodes ab odore ſimili appellata, ſed amara, ideoq́; vtilior Medicis, ſicut nigra vnguentis. Hæc Plinius, quorum magnam partem ex Theophraſto

Lib.9. hiſt. cap.5. exſcripſit: ſic enim de Cinnamomo & Caſsia ſcribit. De Cinnamomo & Caſsia iſta referunt. Vtrūque fruticem eſſe non magnum, ſed magnitudine Viticis (ἄγνου, non Amerinæ, vt vertit Gaza) multis ramis conſtantem & lignoſum. Cinnamomum exciſum in quinas partes diuidi: id optimum eſſe, quod germinibus proximum fuerit, quod ad palmi longitudinem cæditur, aut paulò maius. Secundum locum tenet quod ſequitur, quod & breuiùs cæditur. Eſt & tertium, ac quartum: vltimum omnium deterrimum radici proximum, quod minimùm corticis habeat: is enim vtilis eſt, non lignum. Quam ob cauſam quod ex cacuminibus decerpitur, omnibus præfertur, quia plurimùm corticis habeat. Hæc quidam ſic referunt. Alij fruticoſum eſſe Cinnamomum aiunt: duo eius eſſe genera, vnum nigrum, alterum candidum. De quo hæc fabula narratur, ipſum in cōuallibus naſci, in iis eſſe ſerpētes, morſu necem inferentes, aduerſus quos munitis manibus pedibúſque deſcendere, atque ita Cinnamomum legere, quod cùm exportauerint, eo in tres partes diuiſo, cum Sole ſortiri, & quæcūque illi ſorte obtigerit, eam relinquere, abeūteſq́; ſtatim eam flagrantem cōſpicere. Sed hæc planè fabula eſt. Caſsiam autem ferunt virgultis eſſe craſsioribus (παχυλέρας pro πλαλυλέρας rectè legit Gaza) valde neruoſis, nec poſſe cortice exui, eum verò corticem eſſe vtilem. Cùm virgulta ſecāt longitudine binûm digitorum (Plinius habet lōgitudine binûm cubitorum) aut paulò maiora abſcindunt, recentiq́; bouis corio ea conſuunt, vt ex eo & lignis putreſcentibus vermiculi gignantur qui lignum erodant, corticem verò non attingunt propter amarorem & odoris acrimoniam. Galenus Dioſcoridem ſecutus lib.1. de Antidotis multa Caſsiæ genera recēſet, eamq́; cæteris præfert, quæ Zizir cognominatur, Cinnamomíque adeò æmulam eſſe ait, vt eſſent ſuo tempore, qui eam Cinnamomi loco venderent. Idem eodem in loco tradit Caſsiam ſæpenumerò in Cinnamomum tranſmutari, ſeq́; vidiſſe eximiæ Caſsiæ ramulos omni ex parte Cinnamomum referētes. Contrà vidiſſe ſe Cinnamomi ſurculos Caſsiæ prorſus perſimiles, adeò vt aſſerat pro qualibet Cinnamomi parte in componendis medicamentis

camentis, duas selectæ Casiæ adhiberi posse. Item describit quoddam aliud deterioris Casiæ genus, quod iunior Andromachus Casiam fistulam nominat, quòd fistularum modo inanis cauáque sit, & crasi corticis, cuiusmodi in vulgari Cinnamomo frequentisima conspicitur. Eius verò historiam sic persequitur eodem in loco Galenus. De Cinnamomo contraria iis quæ de Opobalsamo diximus, compertum habeo: persuasum namque est mihi ipsum omnium cognitu facillimum esse illis, qui sæpe optimũ viderunt. Optimum verò consequi nemo potest, nisi repositum ab Imperatoribus intueatur, sex generibus quodammodò distributum. Siquidem & in hoc ipso, velut & in Casia, optimi ad deterrimũ tam magna differentia est, vt optima Casia à pesimo Cinnamomo parùm distet. Neq; verò Cinnamomi virtus ad vsum apta longo tempore durat: ad triginta siquidem annos, quam à principio vim habuit, integram non conseruat. Nugantur autem qui Cinnamomum ex iis medicamentis esse dicunt, quæ senectutem non sentiunt. Atqui ego non centum, neque ducentûm annorum interuentu, sed pauciorum, si quis ad tantum numerum conferat, iam aliquam mutationem vetustiori Cinnamomo factam obseruaui. Quo tempore enim Antonino Imperatori Theriacam paraui, vasa lignea in quibus eiusdem generis Cinnamomum inerat, multa cõspexi, alia Traiani, quædam Adriani, nõnulla Antonini, qui post Adrianũ Imperator fuit, ætate reposita: omniaq; hæc sese & saporis & odoris imbecillitate vehementiaq; tantùm superabant, quantùm & tempore differebant. Olim è Barbarorum terris arca cubitos quatuor & medium longa, Romam perlata cùm fuisset, in qua Cinnamomi primi generis integra arbor erat, ex eóque Marco Antonino Imperatori antidotum quandam composuissem, ipsum cæteris multùm præstare deprehendi, adeò vt Imperator quoque ea degustata medicinæ cõcoctionem, velut in aliis fieri solet, expectare noluerit, sed etiam ea vsus sit, nondum integrè duobus mẽsibus elapsis. Antonino succesit Commodus, qui nec Theriacæ, nec Cinnamomi curam vllam habuit, sub quo non solùm arboris illius quod superfuerat omne disipatum est, verùm etiam quodcũque post Adriani tempora comportatum fuerat. Quo factum est, vt nunc Imperator Seuerus cùm me sibi antidotum eo modo conficere iusisset, quo Antonino cõfeceram, ex Cinnamomo Traiani & Adriani tẽpore reposito sumere coactus sim, imbecillioráque planè visa sunt, & tamen nondum triginta anni intercesserant. Hîc tamen optimi Cinnamomi notas quasdam necessarias subiicere volumus, ipsum summoperè bene olere, inexplicabilémque præ cæteris bonum quẽdam odorem spirare, ac calidum gustantibus se multùm exhibere, non tamen ita vt mordicando tristitiam palato inferat: colorem denique talem habere, qualem si quis lacti nigrum colorem admisceat, atque cærulei aliquantùm addat. Ex hoc igitur quantùm volebam, vt mos mihi fuit, cùm accepissem, ramusculos paucos apud me reposui ex apotheca, in qua res meas omnes pretiosas seruabam. Verùm ipsa combusta, quo tempore & delubrum Pacis incensum est, & hæc & aliæ quinque Cinnamomi species, quas mihi conquisieram, periêre. Neque itaque cùm Seuero Imperatori Theriacam componerem, ex Cinnamomo Adriani tempore reposito quod optimum visum est elegi. Supersunt adhuc ibi multa vasa lignea, quæ omnia habent plurium radicum, vel plurium ramorum, vel Cinnamomorum differentias: nullum tamen veluti truncus in plures ramos diuisus attollitur, sed Veratri vtriusque figuram præ se fert, atque etiam magis Damasonij, quod è Creta ad nos adfertur. Quæuis autẽ Cinnamomi species ab vna radice, ceu frutex quidam paruus consurgit, emittitq; hæc sex, illa septem virgulta, vel paulò plura pauciorave, non æquali tamen omnia longitudine: verùm quod maximum est, pedis Romani dimidium non excedit. Vniuersa autem Cinnamomi natura similis est quodammodò optimæ

Casiæ

Caſsiæ. Hactenus Galenus. Strabo cum Theophraſto, Dioſcoride, Plinio, Cinnamomum in Arabia gigni dicit, atque etiam in India, ea ſcilicet parte quæ ad Auſtrum vergit. Quia cùm hæc Arabiæ & Æthiopiæ Sole perſimilis ſit, ea omnia, vt ipſe ait, gignit aromata, nempe Cinnamomum, Caſsiam, & alia, perinde ac illa.
Lib.9. c.13. Idem teſtatur Ariſtoteles in Hiſtoria animalium. In Arabia Cinnamomus auis appellatur, quã ſurculos Cinnamomi portare, ac nidos ex iis cõficere aiunt. Nidificant in excelſis arboribus & ramis, ſed incolæ ſagittis plũbatis nidos petunt, atq;
Lib.10.c.33. ita decuſſum in terra Cinnamomum legunt. Quæ Plinius mutuatus, in Arabia, inquit, Cinnamologus auis appellatur, Cinnami ſurculis nidificat. Plũbatis eos ſagittis decutiunt indigenæ mercis gratia. Ariſtoteli auis non κινναμολόγος dicitur, ſed κιννάμωμος eodem cum planta nomine. Verùm Iulius Solinus de eadem re ſcribẽs, auem ipſam nõ Cinnamomum, ſed Cinnamologum appellat, atque etiam addit Cinnamomum hoc pretiis vendi amplioribus, quòd magis, quã aliud mercatores
Lib.2.c.151. & 124. portent. Auicenna & Serapio nihil aliud de Caſsia & Cinnamomo literis mãdarunt, quàm quod ex Dioſcoride & Galeno deſcripſerunt. Ex quibus omnibus intelliget ſtudioſus lector, quàm fabuloſa, varia, & incerta de Caſsia & Cinnamomo à veteribus Græcis & Latinis auctoribus perſcripta ſint: tam longis enim difficilibúſque nauigationibus, ex regionibus tum parùm notis petebantur hæc aromata, vt perfectam horum cognitionem ſibi comparare non potuerint. Primùm Dioſcorides ſuccinctè admodùm Caſsiam dixit eſſe virgultis craſsi corticis, Piperis foliis: Cinnamomi verò deſcriptionem prorſus omiſit. Theophraſtus Caſsiam & Cinnamomũ magnitudine Viticis, multos ramos habere, lignoſos. Plinius Cinnamomum dixit fruticem eſſe duorum cubitorum altitudine ampliſsimum, palmíque minimum, & cætera quæ ſuprà poſuimus. Caſsiam fruticem eſſe amplitudine trium cubitorum, &c. Galenus arcam Romam delatam fuiſſe tradit è Barbarorum regione, longitudine cubitorum quatuor cum dimidio, in quo integra Cinnamomi arbor erat. Quibus indicat Cinnamomum eſſe arborem. Idem ſcribit vnãquamque Cinnamomi ſpeciem, ab vna radice, ſeu fruticem quẽdam paruũ conſurgere, adeò vt maiora eius virgulta dimidium Romanũ pedẽ non excedant. Quibus innuit Cinnamomum in paruorum fruticum genere eſſe. Quid verò ſibi vult Galenus cùm dicit Cinnamomorũ nullum veluti truncum in plures ramos diuiſum attolli, ſed Veratri vtriuſq; figuram præ ſe ferre, aut etiam magis Damaſonij? Ad hæc cũ Caſsiam & Cinnamomũ diuerſas arbores eſſe ſtatuit. Eſt & illud permirum, quod ait Caſsiam ſæpe in Cinnamomũ trãſmutari, ſeq; vidiſſe eximiæ Caſsiæ ramulos omni ex parte Cinnamomum referentes: contrà Cinnamomi ſurculos Caſsiæ prorſus perſimiles. Caſsiæ genera Galenus recenſet eadem quæ Dioſcorides: item Cinnamomi ſex, à Dioſcoride etiam declarata. Theophraſtus Cinnamomum in quinque partes diuidit, vt diximus. Eidem & Plinio duo duntaxat Cinnamomi genera ſunt, candidum & nigrum. Iam verò priſci illi regiones & natales locos apertè & diſertè non deſignant. Dioſcorides Caſsiam circa Arabiam odoriferam prouenire ſcribit, Plinius Cinnamomum in Æthiopia, mox ſubiungens Æthiopas mercari id à conterminis. Quòd ſi apud illos naſceretur, cur ab aliis id emerẽt? Multò abſurdius quod ſequitur, Æthiopes eas merces per vaſta maria vehere. Nam ſi contermini ſunt qui vendunt, tam longa nauigatione quid opus eſt? vt nunc, ita & olim à Molucis in ſuperiorem Indiam Cinnamomum vehebatur, mercimonium id exercente quæ ad mare rubrum iacet Æthiopum gente, quos Abyſsinos vocamus, ob commodam Occeani propinquitatem. Quæ res Plinium fefellit, vt rectè Dalechampius annotauit. His fabulas addidêre non ſolũ Herodotus, ſed etiam Theophraſtus & Plinius. Fabuloſum enim eſt ſectos ſurculos præſui recentibus coriis boum, vt iis putreſcentibus vermiculi lignum erodant & excauent

& excauent cortice tubo amaritudine. His expositis nunc discutiẽdum an veram hodie Casiam habeamus, sitq́; ea quæ Canella vulgò vocatur. Deinde an ab ea Cinnamomum differat, an verò genuino careamus. Primùm recentiores omnes, qui doctrina & iudicio præstant, censuerunt Officinarum Cinnamomum, vulgò Canella dictum, legitimam esse priscorum Casiam: cuius genera à Dioscoride & Galeno tradita internoscere poterit is: qui magnã huius copiam in mercatorum apothecis diligentiùs perquisierit, & examinauerit. Quare ex Officinis omnibus reiicienda segmenta & frusta quædam, nec odore, nec sapore, nec viribus commendanda, quæ Casiæ ligneæ siue odoratæ vice tum Medici, tum seplasiarij diu vsurparunt. Inter quæ cùm sint nonnulla quæ præter odorem saporémque quibus ferè carent, Casiæ Dioscoridis admodùm similia videantur, eius Pseudocasiam esse non temerè quis dixerit: medicamentorum verò compositionibus Xylocasiam, id est, Casiam ligneam, siue Casiam odoratam postulantibus, Canella nostra adhibeatur. At cùm hæc Casia etiam Casia fistula nominetur, quoniam ligno exempta tubuli seu fistulæ specie est, Mauritaníque Siliquam Ægyptiam, siue Casiam nigram, siue Catharticam vulgò dictam etiam Casiam fistulam vocent siue sua, siue interpretum culpa, cauendum ne hac homonymia decipiamur, præsertim in medicamentis à Mauritanis inuentis, quæ Casiam fistulam expetunt, quæ Siliqua Ægyptia, siue Casia cathartica, non illa odorata intelligenda est. Quantum ad Cinnamomum attinet, quidam credunt in capsis Canella siue vulgari Cinnamomo refertis, fragmenta veri, ac legitimi Cinnamomi reperiri posse ab iis qui & deligere & distinguere nouerunt. Pena scribit se Casiam ad Cinnamomum proximè accedentem vidisse in Officina Gulielmi Driesch pharmacopœi Antuerpiensis. Erat verò multorum iudicio surculus ille Cinnamomi, bacillo solido, fractu facili, Cinnamomi cortice obtecto, cui etiámnum cuticula pullo colore obducta fuit. Clusius in Scholiis in Historiam Aromat. Indic. Garciæ, asserit se tres vidisse Cinnamomi surculos. Erant ij recti, non enodes, sed nodis quibusdam sine ramulorum vestigiis palmum à sese disitis insigniti. Cortex tenuis, subcinerei quodammodò coloris, iucundi odoris, suauis gustus, sed qui sua acrimonia aliquantulùm linguam vellicet. Lignum certè inodorum est & insipidum, non minùs quàm Salicis ramus, cui perquàm similis est. Retinet autem cortex suauem illam cum odoris tum saporis iucunditatem (tametsi totis quadraginta aut ampliùs annis à matre reuulsi sunt ramuli) atque eam etiam maiorẽ, quàm nostra Canella. Istud autem hodiernum Cinnamomum neque idem cum Casia, neque multùm diuersum esse certum est, inquit Pena. Nam si vtriusque notas ex Dioscoride perpendas, videbis easdem ferè esse vires, non disparem vsum. Si recentioribus assentiaris & exploratoribus, eiusdem arboris non ita diuersas partes esse disces. Quod Galenus innuit, cùm dicit Casiam sæpe in Cinnamomum transmutari, seq́; vidisse eximiæ Casiæ ramulos Cinnamomum prorsus referre. Cõtrà se vidisse Cinnamomi surculos Casiæ prorsus persimiles. Quibus tanta horum cognatio significatur, vt Galeni auctoritate freti quidam putent Casiam & Cinnamomũ ex vna & eadem arbore prouenire, sed ex diuersis eius partibus, nimirũ Cinnamomum ex summis & tenerioribus surculis, Casiam ex aliis. Alij nos verò Cinnamomo destitutos esse contendunt, ídque quod Cinnamomum Officinis dicitur, nihil aliud esse quàm Casiam ligneam, siue odoratam, quæ vulgò Canella nominatur, quos secutus est Matthiolus, qui contra veterum & recentiorum omnium qui de Cinnamomo & Casia tractarunt sententiam, Cinnamomum lignum non corticem esse ait. Ex iis recentioribus Garcias horum historiam luculentè describit his ferè verbis. Propter locorum distantiam, inquit, & minùs frequentatas has regiones à negotiatoribus, probè cognita Casiæ historia veteribus non,

Lib. 1. ca. 15.

Li. 1. Arom. Indic. c. 15.

canella hodierna qd.
canella officinar. ē legitima cassia Dios. et antiquor.

[illegible] cinnamomi

non fuit. Nam qui eam Ormuz & Arabiam deferebant, Chinenses erant. Ex Ormuz deinde in Alep emporium totius Syriæ nobilissimum ab aliis negotiatoribus transferebatur. Qui verò inde eam ad Græcos deportabant, aut apud se nasci, aut in Æthiopia dicebant, multísque cum superstitionibus cędi diuidíque à sacerdotibus, vt ex Theophrasto & Plinio diximus. Cæterùm neque Cassiam, neque Cinnamomum apud Æthiopes aut Arabes nasci, Lusitanorum nauigationibus palàm factum fuisse ait Garcias, qui totam illam oram circunlegerunt, magnáque ex parte terrestri itinere peragrarunt: nullam autem Cassiam aut Cinnamomum se vidisse affirmarunt. Dicet aliquis Canellam quidem apud eos non nasci, & propterea ab Indis petere: sed legitima Cassia & vero Cinnamomo eos non carere, fortè autem à Barbaris & inconditis populis ignorari. Cui respondet Garcias, familiares se habere eruditos Medicos Arabes, Turcas & Coracones, qui omnes Canellam crassiorem Cassiam ligneam appellant. Præterea nonnullos Lusitanos totam Æthiopiam sub Ægypto (quam nunc Guineam vocant) non solùm secundùm mare, sed in mediterraneis peragrasse, alios ab insula D. Thomæ vsque ad Sofala & Mozambique, & inde Goam penetrantes, plerosque alios à promontorio Bonæ spei (cùm naufragium passi essent) vsque ad Mozambique & Melindam, ita vt vtramque Æthiopiam, supra & infra Ægyptum perlustrarint: nullam tamen ab his conspectam illic fuisse Canellam vel Cassiam. Neque credendum est ipsos incolas tam nobilia medicamenta ignorasse, aut tacituros fuisse. Nam quemadmodùm barbarissima gens, quæ insulam D. Laurentij incolit, mercatoribus, qui eò interdum deferuntur, fructum quendam auellanæ magnitudine ostendit, quia Caryophylla redolet, eadem ratione credendum est Æthiopas Cinnamomum & Cassiam, adeò odorata aromata Lusitanis demonstraturos fuisse. Porrò Cassia lignea Arabibus, Persis, Indis *Salibacha* vocatur, à vulgo autem Indorum eodem nomine, quo Canella: nullum enim inter Canellam & Cassiam discrimen faciunt. Neque reuerà quispiam Cassiam à Canella differentem vidit. Cæterùm quòd Canellæ diuersa Cinnamomi & Cassiæ nomina indita fuerint, occasionem præbuisse putat Garcias mercatores Chinenses, (nam annales vrbis Ormuz produnt olim quadringentas naues è China vno eodémque tempore eò appulisse) qui cùm è sua regione aurum, sericum, vasa murrhina, moschum, margaritas, cuprum, aliásque merces euehérent, nonnullas ex eis in Malaca vendebant, Santalum, Nucem myristicam, Macim, Caryophylla, lignum Aloës contrà in suas naues inferebant. Quæ rursus in Zeilam & Malauar diuendebant, indéque sumebant Canellam, ex Zeilam, videlicet laudatissimam, ex Malauar minùs selectam: similiter & ex Iaoa, vnde etiam Piper Cardamomúmque euehebant, eáque omnia deinde Ormuz, aut in Arabiæ oram maritimam perferebant. Interrogati autem isti Chinenses, quæ nam essent hæc aromata, & vnde aduehérent, fabulas illas narrabant quas recenset Herodotus, vt iis commentis earum mercium pretia augerentur. Cùm autem eam, quæ in Zeilam prouenisset, Canellam ab ea, quam in Iaoa & Malauar sumpserant, differre conspicerent, diuersa illis indidere nomina, cùm tamen eiusdem generis essent cortices, pro soli cæliq; varietate duntaxat differentes, vt plerumque idem fructus pro regionum & cæli differentia suauior fieri, aut à naturali bonitate degenerare solet. Ementes ergo incolæ Ormuz eam Canellam à Chinensibus, Darchini, quod Persis lignum Chinense significat, appellarunt. Deinde Alexandriam vehentes, vt eam Græcis eò confluentibus cariùs venderent, Cinnamomum vocarunt, quod significat lignum odoratum, quasi Amomum ex China delatum. Deteriori autem Canellæ, quæ scilicet ex Iaoa & Malauar delata esset, idem nomen quo in Iaoa appellatur

Nomina

Etymon citrini


appellatur, indiderunt, ſcilicet *Cais manis*, quod lingua Malaya dulce lignum ſonat, duo diuerſa nomina eidem rei imponentes. Græci corrupto vocabulo Caſsiam dixere. Vſus eſt Auicenna cum Rhaſe & reliquis Arabibus vocabulo Perſico Darchini, vt pleriſque aliis Perſicis ſolet. Nam Canella cuiuſcunque generis Arabicè *Querfaa* & *Querfe* dicitur. Reliqua verò nomina apud Arabas corrupta ſunt, vt *Darſihahen*, & ſimilia. Vocatur in Zeilam *Cuurdo*, in Malaya, vt dictum eſt, *Cais manis*, in Malauar *Camraa*. Nam quod Serapio Darchini arborem de China interpretatur, corruptum eſt, & ab interprete additum. Quare Garcias Caſsiam, Cinnamomum, & noſtram Canellam, vnum idémque medicamentum eſſe cenſet, atque ita depingit. Arbor eſt magnitudine Oleæ, interdum minor, multis onuſta ramis, non iis quidem contortis, ſed rectis fermè, foliis colore quidem ad Lauri, forma verò ad Citri folia accedente (non autem foliis Iridis, vt fabuloſè quidam ſcripſere.) Floribus candidis, fructu nigro & rotundo, auellanæ ferè magnitudine, aut exiguis oliuis ſimili. Eſt autem Canella nihil aliud quàm ſecundus & interior arboris cortex. Nam hæc arbor duplici cortice munita eſt, veluti Suber, non eo tamen adeò craſſo & diſtincto. Hoc confirmat Forma.

CANELLAE *folium & bacillus.*



XYLOCASSIA.

ξύλον. lignum



Pena, qui ſcribit Venetos inſtitores Londini oſtendiſſe corticem pollicem craſſum, ſcabrum, calloſum, foris Ilici aut Oleæ concolorem, interiùs verò conuexum mollius, ſuperficie, odore, ſapore, colore, guſtu quadantenus Canellæ vulgaris. Idcirco doctiorum Medicorum ſententia, Caſsiæ arboris extimum & craſſiſsimum corticem iudicatum fuiſſe. Similiter adnotauit Cluſius in Scholiis in Garciæ hiſtoriam, interdum inueniri fragmenta, quæ non videntur interior ille cortex, ſed omnino ſuperior, cinerea quodammodo pellicula obductus. Exemptus ergo cortex craſſo illo & exteriore libro repurgatur, deinde in laminulas quadrangulas ſectus humi abiicitur, atque ita per ſeſe conuoluitur, vt vnius rami integer cortex videatur, cùm tamen partes ſint duntaxat corticis in tubulos digiti craſsitudine conuolutæ, truncus verò interdum femoris craſsitie

reperiatur. Roseum autem illum, siue ex cinereo vinosum colorem Solis calore contrahit: qui non probè paratus, candicans siue cinerei coloris fit, nimiis verò Solis ardoribus adustus, niger. Exempto cortice tribus posteà
Locus. annis ab ea arbore abstinetur. Frequentes sunt hæ arbores in Zeilam, solebátque vili emi Canella: sed triginta ab hinc annis nemo eam emere potuit præter Procuratorem regiorum negotiorum, quem Factorem vocant. Zeilanicis minores sunt eæ arbores, quæ ignobiliorem Canellam ferunt in prouin-
Li.12.ca.19. cia Malauar, & in Iaoa, siue Iaua, non tamen adeò pusillæ, vt Plinius & Ga-
Lib.1. Antidot. lenus esse scribunt. Sunt verò omnes siluestres & sponte nascentes. Nusquam alibi, quod sciam, inquit Garcias, nascitur Canella, tametsi Franciscus de Tamara scribat in freto maris Erythræi Cinnamomi arbores & Lauros maris æstu interdum opertas inueniri. At Lusitani singulis annis per mare Erythræum nauigant, nullam tamen eiusmodi arborem se vidisse referunt. Præterea Occidentalis Indiæ Historia refert Canellam istic nasci, quod verisimile non esse Garcias arbitratur: eam enim narrat calices glandésque Suberis modo ferre, cùm legitima Canella veluti oliuas tantùm ferat. Quare alia erit sui generis arbor. Quotquot tamen Historiam Peruanam descripserunt, istius Canellæ, quam in prouincia Sumaco nasci tradunt, meminerunt. Est verò ex eorum descriptione, Canellæ arbor vasta admodùm, folio Laurino, fructu racematim cohærente, sed qui calice Suberino simili contineatur, ampliore tamen & magis cauo, colore nigricante. Huius arboris fructui, foliis, cortici & radicibus (licet Canellæ saporem & odorem habeant) longè calices præferuntur, quorum duntaxat puluis in vsu est. Nam si Canellæ modo cum cibis decoquantur, tantùm abest vt suauitatem eduliis concilient, vt potiùs eorum facultas & saporis gratia decoctione euanescat. Horum puluere ad diuersos morbos vtuntur, sed præsertim aduersus coli, intestinorum, & stomachi dolores in potionibus eum propinant. Quamuis autem multæ sint huius generis arbores siluestres, diligenter tamen & magna cura eas in prædiis suis colunt (fit enim culta longè melior) atque in vicinas regiones deferunt, alias merces ad vitam
Cap.143. humanam necessarias hoc aromate redempturi. Hæc Franciscus Gomara in Historia generali. Nec vti eadem Historia Occidentalis Indiæ narrat, in China Canella nascitur, nam è Malaca Chinam cum aliis mercibus defertur. Intellexit verò Garcias plurimam etiam Canellam in insula Mindanao nasci, & vicinis insulis, sed eæ procul à China absunt. Putarunt etiam nonnulli in Alep nasci Canellam, quòd apud aliquos auctores scriptum inuenerint Cinnamomum Alepinum. Sed sciant, non magis istic, quàm in Hispaniis nasci. Verùm cùm ex illis regionibus Ormuz, & inde Alep deportabatur, factum est, vt incorruptam Canellam inde in Europam aduectam ab ipsa vrbe Alep denominarint. Quamuis autem Zeilanica cæteris præferatur, inuenitur tamen etiam interdum ignobilis, qualis est quæ crassiori cortice constat, minúsque in tubulos conuoluitur, quòd non sit eiusdem anni: quo enim vetustior cortex, eo deterior. Quæ verò in Malauar nascitur, tota ferè est deterior, tantumq; à Zeilanica differt, vt centenæ Zeilanicæ libræ decem aureos pendant, Maluaricæ verò libræ quadringentæ vnum duntaxat aureum. Ludouicus de Barthema in nauigatione sua scribit in Zeilam insula Indiæ nasci Canellæ arborem Laurum proximè referentem præsertim foliis: item baccas Lauri modo ferre, sed minores & candidiores. Hæc Canella siue Cinnamomum (nihil enim inter ea discriminis ponit) cortex est huius arboris, cuius ramos tertio quoque anno secant, & cortice spoliant: truncum verò illæsum relinquunt. Similiter Odoardus Barbosa scripsit in Zeilam Indiæ insula nasci optimam Canellam locis

locis montosis ex arbore Lauro simili. Arrianus in nauigatione maris rubri refert duorum dierum itinere ab Emporio Mordo dicto locum esse Mosillum nuncupatum, in quo maxima Casiæ copia prouenit. Idem ait Emporium esse Aromata dictum Orientem versus, in quo nascitur Casia, Zigir & Asyphi, & alia aromata. In quam Arriani nauigationem is qui scripsit, quod de Casia & Zigir Canellæ generibus ab Arriano proditum est, diligenter expendendum esse annotauit, nempe ea nasci in Troglodyticæ parte, velut in Aromata & Mosillo, vnde mercatores emunt, & ad alias partes transportant. Similiter quod Plinius dixit, Cinnamomum nasci in Æthiopia Troglodytis contermina, quæ ob id ab antiquis auctoribus teste Strabone Cinnamomifera appellata fuit, quod etiam confirmauit Ptolemæus. At nunc tota Troglodytica & Æthiopia probè cognitis, certum est neque Cinnamomum, neque aromatum speciem vllam illic nasci, dempto Zingibere, quod in regno quodam Damute nuncupato prouenit. Theuetus partim Garciæ assentitur, partim ab eo multùm discrepat. (To.1. Cosmog.lib.12 cap.7.)

ARBOR CANELLAE, *Theueti.*



Narrat ab insulæ quæ Monorique dicitur celebriores esse Cauit & Subanin, propè quas optima Canella prouenit, quam Maluarici *Cais-mani* appellant, quæ vox dulce lignum significat, creditque Theuetus Græcos corrupto inde nomine Casiam ligneam appellasse. Ac reuerà veteres plerique, inquit, existimarunt arborem, quæ Casiam, & eam quæ Cinamomum & Canellam fert, eandem planè esse, quod falsum est, etiam si Garcias id asserere voluerit: tantùm enim differt hæc ab illa, quantùm glandifera arbor à Castanea arbore. Cæterùm Canellam Arabes appellant *Querfaa*, alij *Querfe*, Zeilam incolæ *Cuurde*, in Iauan insula *Cameaa*, in Ormuz *Darchini* dicitur, id est, Lignum Chinense. Arbor hæc in montibus nascitur, Lauro nostrati similis, cuius ramuli duntaxat, & tenuiores surculi stato anni tempore Regis iussu amputantur & væneunt. Ramulis multùm brachiata est, in quorum extremis flores sunt parui, quibus Solis feruore statim flaccescentibus & delapsis succedit fructus, ferè rotundus, Nucis auellanæ magnitudine, ex cuius nucleo oleum exprimitur, inodorum, nisi sit igni excoctum, quo ægri neruos & cæteras corporis partes malè affectas illinunt. Canella quæ ad nos aduehitur, secundus est arboris cortex, qui dissectus in sese conuoluitur, & colorem mutat. Radix vtilis est, nec non succus qui ex arbore manat, iisque confert maximè, qui sanguinis ex naribus profluuio obnoxij sunt, orisque halitum commendat. Scire autem licet nullam Canellæ arborem, neque in Africa, neque in Asia minore, neque in Peru, neque in Europa prouenire, quicquid scribant Plinius & Herodotus. Hæc ex Theueto. Superest vt Cinnamomi & Casiæ vires ex veteribus explicemus. Casia vim habet calfaciendi, inquit Dioscorides, vrinam ciendi, siccandi, & leuiter adstringendi. Conuenit ad medicamenta oculorum, quæ efficiendæ claritatis gratia concinnantur, & ad ma- (*Temper. & Vires.* Lib.1. c.12.)

lagmata. Lentigines tollit cum melle illita, menses trahit, contra viperarum morsus pota auxiliatur. Aduersus intestinas inflammationes omnes, & renum vitia potu proficit. Fœminis in solio desidentibus aut suffimentis prodest ad dilatationem vuluæ. Ea duplo pondere medicamentis mixta Cinnamomi vicem supplet, si ipsum desit: nam eosdem effectus præbet, ad plurima perquàm vtilis. Cinnnamomum omne, eodem auctore, excalfacit, emollit & concoquit, vrinam ciet: tam menses quàm partus potum, aut ex Myrrha impositum pellit, contra bestias quæ virus eiaculantur, venenáque conuenit: crassitiem extenuat, lentigines & vitia cutis in facie ex melle illitum deterget: contra tusses, defluxiones, hydropem, nephritidem, & vrinæ difficultatem efficax est. Vnguentis pretiosis inseri solet. In summa magni ad omnia vsus. Garcias contra Dioscoridis & Galeni auctoritatem monet rogátque Medicos & pharmacopœos omnes, ne Casiam duplici pondere pro Cinnamomo compositionibus immisceant. Tum ne posthac Casiæ loco Canellam deteriorem præscribant, sed selectissima vtantur, cùm tanta sit eius copia. Galenus scribit Casiam exsiccare & excalfacere tertio quodammodo ordine, sed & tenuium admodùm esse partium, gustu verò plurimam in se acrem deprehendi, leuiter quoque nonnihil adstringere. Quamobrem ob hæc omnia incidere, simúlque digerere quæ in corpore sunt excrementa: ad hæc robur etiam instrumentis addere. Idoneam verò etiam suppressis mensibus, cùm videlicet à copia simul & crassitudine excrementorum quod sufficiat euacuari nequit. Cinnamomum verò summè tenuium esse partium, non summè tamen calidum, sed ex tertio ordine. Nihil autem æquè desiccare eorum quæ pari sunt excalfaciendi facultate, propter tenuitatem essentiæ. Garcias auctor est extillare ex Casiæ radice liquorem Caphuram redolentem. Sed Rex vetuit radices vulnerari, ne arbores pereant. Præterea elici aquam vitreis organis ex ipsis floribus, sed quæ fragrantia & odoris suauitate ei cedat, quæ ex corticibus nondum resiccatis elicitur. Vtilis est hîc liquor stillatitius ad plurima. Nam stomachi imbecillitatem roborat, coli dolores à caussa frigida prouenientes illico lenit. Faciei colorem commendat & oris halitum. Præterea ad condiendos suauioresque efficiendos cibos perquàm idoneus. Ex Canellæ baccis oleum exprimitur, quemadmodùm ex oliuis, sebaceum quodammodo & saponi Gallico simile, inodorum, nisi calfactum sit, tunc enim Cinnamomum aliquantùm olet, & vtuntur aduersus ventriculi, & neruorum frigidam intemperiem.

Lib. 1. ca. 13.

Lib. 1. hist. Arom. Ind. cap. 15.

Li. 7. simpl.

PIPER

PIPER. CAP. XXXVII.

QVod Græci πέπερι, id Piper Latini dicũt, Arabes *Fulfel* & *Fulful*, Itali *Nomina*
Pepe, Germani *Pfeffer*, Hiſpani *Pimienta*, Galli *Poiure*. De eo
Dioſcor. hæc prodidit. Piper arborem tradunt naſci in India, breuem, Lib.2.c.153.
quæ inter initia prælongum fructũ veluti ſiliquam promit, quod eſt
longum Piper, habens intus aliquid tenui Milio ſimile, quod tãdem in perfectum
Piper euadit. Id autem ſuis temporibus dehiſcens, racemos emittit grana ferentes,
qualia videmus. Ea acerba candidũ Piper faciunt, aptũ ocularibus remediis, anti-
dotis, & theriacis medicamẽtis. Longum verò vehementiùs mordet, & ſubamarũ
eſt, quia immaturum decerpitur, antidotis & theriacis medicaminibus expetitum.
Nigrum verò candido ſuauius, acrius, ori gratius, & quod non niſi maturum colli-
gatur, magis odoratum, nec non ad condimenta vtilius. Sed candidum & ſubacer-
bum antedictis infirmius eſt. Piperis radix Coſto ſimilis eſt. Eligendum eſt gra-
uiſsimum, plenum, nigrum, non valde rugoſum, recens, nõ furfuroſum. Inuenitur
etiam in genere nigri, nutrimento deſtitutum, inane, leue, quod vocatur braſma.
Plinius, Paſsim verò, inquit, quæ Piper gignunt arbores, Iuniperis noſtris ſunt ſi- Lib.12. c.7.
miles: quãquam in fronte Caucaſi ſolibus appoſita gigni tantùm eas aliqui tradi-
dere. Semina à Iunipero diſtant paruis ſiliquis, quales in Phaſeolis videmus. Hæ
priuſquàm dehiſcant decerptæ, toſtæq; ſole faciunt quod vocatur Piper longum:
paulatim verò dehiſcentes per maturitatem oſtendunt candidum Piper, quod
deinde toſtum ſolibus, colore rugíſque mutatur. Dioſcorides arborem Piperife-
ram neque delineauit, neque cuiquam alteri aſsimilauit. Plinius Iunipero compa-
rauit: in cæteris haud multùm diſſentiunt. Theophraſtus dixit tantùm Piper fru-
ctum eſſe, cuius genera duo. Vnum enim rotundum Erui modo, cute carnéque Lib.9. hiſt. cap.22.
conſtans, ſicuti Lauri baccæ, ſubrubrum. Alterum oblongum, nigrum (contrà, ro-
tundum μέλαν, nigrum, oblongum ὑπέρυθρον ſubrubrum dicendum videtur) ſemina
parua Papaueris continens. Longè hoc validius altero. Auicenna & Serapio, quæ
de Pipere tradiderunt, ex Græcis exſcripſere. At Dioſcorides, Theophraſtus, & hos Li.2. c.549.
ſecutus Plinius Piperis plantæ formam, ac notas ignorarunt, vt ait Garcias, neque Cap.357. ſimpl.
natales locos probè deſignarũt. Quod minùs mirum videri debet: regionis enim
procul diſsitæ, ideóque minùs bene cognitæ, nec perluſtratæ plantam non inſpe-
ctione notam, ſed auditione tantùm acceptam, alienam fidem ſecuti deſcribebãt.
Illud magis mirum Arabas & recentiores in eundem errorem incidiſſe. Quare
veram Piperis hiſtoriam ex aliis referemus. Ac primùm ex Garcia. Maxima, in-
quit, Piperis quantitas prouenit in Malauar, tota ea maritima regione quæ à pro- Li.1. Arom. Ind.ca.22.
montorio Comorim ad Cananor vſque pertingit. Naſcitur etiam in Malacæ ma- *Locus.*
ritimis, ſed bonitate ſuperiori cedens, & magna ex parte inane. Prouenit ſimiliter
in inſulis Iauæ vicinis, & Sunda, & Cuda, aliiſq; locis. Sed id in Chinarum regio-
nem tantùm deportatur, & loco natali conſumitur, præter id quod in Pegu &
Martaban deuehitur. Maxima etiam eius pars quæ in Malauar oritur, in vſum in-
colarum cedit, tametſi regio ampla non ſit: nonnihil etiam à maritimis eius re-
gionis populis abſumitur. Pars eius defertur in Balagate bubulis coriis. Et magna
copia (quamuis edicto Regio vetitum ſit) à Mauritanis per mare Erythræum ex-
portatur, id ſuffurantibus ipſis incolis. Inuenitur etiam Piper ſupra Cananor, qua
Septentrionem ſpectat, ſed adeò exigua quantitate, vt ipſis incolis non ſufficiat,
& externo importato opus habeant. Etenim non gaudet planta hæc locis deſertis
ac mediterraneis. Quantùm verò diſtent hæ regiones à Caucaſo monte, ex Geo-
graphiis ſatis liquet. Piper Maluatica lingua Molanga dicitur, Malacitana, Loda,
in Guzarate & Decan, Meriche, in Bengala, Morois, longum Piper quod ſolùm *Nomina*

iſtic prouenit Pimpilim, Arabibus medicis, tum vulgò *Filfel.* Tamen Auicenna Fulful & Fulfel appellat, quem ſecutus eſt Serapio. Seritur Piperis planta ad radices alterius arboris (magna ex parte iuxta arborem Faufel, aut Palmam ſatam Garcias vidit) ad cuius faſtigium vſque ſeſe conuoluendo conſcendit, foliis raris, Mali Aſſyrij effigie, ſed minoribus, in extremo acutis virentibus, guſtu aliquantùm calidis, & folij Betre ſapore. *Forma.* Fructus vuarum modo racematim cohæret, minores tamen ſunt Piperis racemi, & fructus ipſe minor, ſempérque virens, donec ſiccetur, & perfectam maturitatem conſequatur, quæ incidit circiter medium Ianuarium. Radix puſilla, nō Coſto ſimilis, vt vult Dioſcorides, quia Coſtus radix non eſt, ſed lignum. Verùm inter plantam quæ Piper nigrum fert, & eam quæ candidum, tam parua eſt differentia, vt à nemine quàm ab incolis dignoſci poſsit, quemadmodū Vitem quæ vuam fert nigram ab ea quæ candidam non dignoſcimus, niſi cùm vuas habent, & eas quidem maturas. Quæ autem Piper longum edit, longè alia eſt planta, quæq; non plus habet ſimilitudinis cum ſuperioribus quàm faba cum ouo. Prætereà Piper longum in Bengala prouenit, quæ regio quingentarum leucarum ſpatio à Malauar diſtat, vbi nigrum & candidum gignuntur. Li.8. ſimpl. Quare Galenus Dioſcoridem ſecutus eandem plantam Piper longum, candidum & nigrum

ARBOR *Piperifera, Theueti.*



PIPER *nigrum & album.*




proferre falsò credidit. Candidi plantæ rariores ſunt, nec niſi certis Malauar & Malacæ locis raræ naſcuntur. Condiuntur aceto & ſale recentes adhuc, & immaturi Piperis nigri racemi, & vſui aſſeruantur, cuiuſmodi racemos interdum cum Zingiberis radicibus muria conditis Antuerpiæ reperiri ait Cluſius, oblongos quidem & graciles, neque ita farctos, vt ſunt vuarum racemi, ex quo eorum iconem expreſſam hîc exhibemus. Arabes & Perſæ Medici Piper calidum tertio ordine ſtatuunt. Sed empirici cuiuſmodi ſunt maxima pars Indicorum Medicorum, frigidum Piper faciunt, vt & pleraq; alia aromata, quæ reuerà excalfaciunt. Solent magnates candido Pipere vti quemadmodùm nos ſale. Venenis reſiſtere, & Li.2. ca 153. ocularibus medicamentis vtile eſſe aſſerunt, quod & Dioſcorides annotauit. Vis omnium,

omniũ, inquit, excalfacit, vrinam ciet, cōcoquit, trahit, discutit, absterget quæ tenebras oculis offundunt. Piper horroribus febrium periodicis siue potu, siue illitu subuenit: serpentium morsibus auxiliatur, partus extrahit, conceptum adimere creditur statim à concubitu suppositum: tussi omnibúsque pectoris vitiis siue eclegmate, siue potu succurrit: anginæ eo & melle vtiliter perunguntur. Potum cum recētibus Lauri foliis tormina discutit. Cum vua passa commanducatum pituitam à capite elicit: dolores sedat, appetentiam mouet, concoctionem adiuuat ad intinctus esculentorum additum. Strumas cum pisce discutit, vitiligines cum nitro terget. Radix ora gustantium accendit, saliuam ciet, lienem reprimit cum aceto illita, aut pota. Caput etiam purgat cum semine Staphisagriæ manducata. Garcias candidi Piperis loco, quod calidius est & odoratius, nigrum præscribendum esse non consulit, nisi in candidi penuria. Similiter nec longum Piper candidi aut nigri loco, cùm prorsus diuersæ sint plantæ, & nigrum cum candido

Lib.2.c.153

PIPER, Matth.



PIPER Aethiopicum, Matth.



magis conueniat. Idem alius generis Piperis meminit, q; lingua Maluarica à Canara Canaricum nuncupatur. Est autem id inane, eóque vtuntur ad pituitam à capite eliciendam, ad dentium dolores, & in cholerico affectu. Annotauit Clusius Scholiastes Antuerpiam inuehi solitum aliud Piperis genus, quod Lusitani Pimienta delrabo, id est, Piper caudatum vocant. Sed veritus Rex Lusitaniæ ne legitimum Piper alterius inuectione vilesceret, id ampliùs deferri edicto vetuit. Erat id Cubebis ferè simile, pediculo subnixum exiguo, rotundum, plenum, aliquantulùm rugosum, nigricans, eadem acrimonia qua Piper præditum, aromaticum, racematim cohærens. Amomum esse nonnulli perperàm existimarunt. Est & aliud Piperis genus quod Aethiopicum vocatur, à Serapione Granum Zelim & Piper Nigrorum, atq; ita describit. Habzeli, inquit, id est, Granum Zelim, granum est pingue, magnitudine Ciceris, foris flauum, intus album, boni saporis. Adfertur ex Barbaria, vbi vocatur Croni, Piper etiam Nigrorum nuncupatur: quanquam reuerà Piper Nigrorum sit aliud. Specie Phaseolis simile est, sed granis &

Piper Canaricum.

Piper Caudatum.

Cap.317. simpl.

corticibus minoribus, colore nigro, ſapore acri ſicuti Piper. Ex regione Nigrorum defertur, & doloribus dentium confert. Hęc Serapio. Hoc Piper ſic depictum dedit Matthiolus. Sunt qui perperàm Carpeſium eſſe opinentur. Nicolaus Monard. aliud Piper longum Americum depinxit, cuius toto continentis tractu, in quo Nata, Carthago, atque etiam in nouo Regno magnus eſt vſus. Id oblongum eſt, maiori acrimonia præditum Orientali, magiſq; aromaticum, ac iucundiore odore quàm Capſicum: quinetiam Piperi nigro tum ſapore, tum ſuauitate præferẽdum. Altę cuiuſdam plantæ fructus eſt, oblongus eſt, craſsitudine quidem funiculi, & dimidij pedis longitudine, veluti granulis multis conſtans, circa pediculum oblongum, cõtinuo & coniuncto ordine diſpoſitis, veluti in ſemine plãtaginis, quibus ademptis pediculus nudus conſpicitur. Recens viridis eſt, ſole matureſcit, & nigreſc it. Calidus eſt tertio gradu.

PIPER longum.



CARDAMOMVM. CAP. XXXVIII.

Nomina. Lib.1.c.5. ΚΑΡΔΑ'ΜΩΜΟΝ Græcè, vt Latinè Cardamomum, Arabicè *Cordumeni* vocatur. Dioſcorides de Cardamomo tractans id non deſcribit, ſed duntaxat quibus in locis naſcatur optimum, qualéque illud ſit, docet his verbis. Cardamomum optimum eſt, quod ex Comagene, Armenia, Boſphoróque deuehitur. In India quoque & Arabia prouenit. Eligi debet plenum, frangenti contumax, occluſum farctumq́; (Quod enim huiuſmodi non eſt, exoletum iudicatur) & guſtu acre, ſubamarum, & odore caput feriens. Lib.12.c.13. Plinius de eodem aliter hæc ſcripſit. Simile his (Amomo & Amomidi) & nomine & frutice Cardamomum, ſemine oblongo. Metitur eodẽ modo & in Arabia. Quatuor eius genera. Viridiſſimum ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti, quòd maximè laudatur. Proximum è rufo candicans: tertium breuius atq; nigrius. Peius tamen varium, & facile tritu, odoríſque parui, qui verus Coſto vicinus eſſe debet. Hoc & apud Medos naſcitur. Quod ſemine oblongo dixit Plinius, de ſeminis conceptaculo ſiue calice intelligendum videtur. Ex quibus verò auctoribus quatuor eius genera faciat, neſcio. Dioſcorides enim, Galenus & cæteri Græci vnius tantùm Cardamomi meminerunt. Quod maximè laudari ait viridiſſimum ac pingue, acutis angulis, Dioſcorides requirit occluſum plenúmque, & δυσθρόωστον, id eſt, frangenti contumax, quod Plinius contumax fricanti, vt fortaſſe legendum ſit contumax frianti. Auicenna de Cardamomo duobus diſtinctis capitibus tractauit. Priore de Cardamomo, id eſt, Sacola, de quo poſteà dicemus: Li.2.c.156. altero de Cordumeni, id eſt, Cardamomo. Quo capite eaſdem planè vires ei aſsignat, quas ſuo Cardamomo Dioſcorides. Ex quo perſpicuum eſt, de Græcorum Cardamomo Auicennam hîc verba facere. Item Serapio nomine Cardamomi eadem prorſus refert quæ Dioſcorides & Galenus de ſuo Cardamomo. Sed Cardamomúmne Genera. Græcorum ſit quod vulgò in Officinis habetur, id in cõtrouerſia eſt. Matthiolus tria Cardamomi genera ad nos adferri ſcribit, maius, medium, & minus. Maioris inuolucrum fici faciem refert, materia compactum tenaci, lenta ac læui, Indicę nucis inuolucro, aut Palmæ elates non abſimili, ſtaminibus multis per longitudinem diſcurrentibus. Intus ſemine farctũ eſt ſubrubro colore, granis inæqualibus, multis intercurſantibus membranis albicantibus, quibus ſemina conteguntur, quæ Melegettas quidam appellauere, quòd Milium Indicum referant, quod Itali Melegam vocant, ſaporis acuti, odoris iucundi ac ſuauis, vnde Grana Paradiſi à multis vocitantur. Medium folliculo contegitur oblongo, triquetro, ſtriatóque, retuſo in ſummitate cacumine, in quo ſemen conditur, membranis quoque

Cardamomum dr. quia cardam. et Amomi notulas participat.

CARDAMOMI species, Matth.



quoq; obuolutũ, oblongum, pressum, canaliculo quodã altera parte diuisum, multis transuersim intersecantibus lineis, colore ex albo rufescente. Minus folliculo constat breui, facie triangulari, fagini ferè nuclei effigie, obtusioribus tamẽ angulis, media intus dissepiente membrana. Vtrinque semen est altera parte caua linea diuisum, subrotundum & tactu subasperum. Omnium semen est fractu facile, acre, cum quadam odoris sapo risque suauitate, & sine vlla amaritudine. Maius tamen acrius est, & aromatis quid magis resipiens. Minus vt medium acrimoniæ vehementia superat, ita & odoris fragrantia. Maius Cardamomum videri possit, inquit Matthiolus, id esse quo veteres Græci vsi sunt, quòd suo è Cardamomo apud Galenum folliculos abiiciat Zeno, & quòd in Theriaca carmine descripta folliculorum Cardamomi mentio fiat. Prætereà alio in loco Galenus ex Pamphilo myropola transscribens Cardamomi delibrati meminit. At repugnat sapor, in quo nulla prorsus amaritudo percipitur, quæ in Galeni Cardamomo adeò euidens est, vt eo vermes intestinorum necari affirmet. Adhæc illius sapor suauis est, nec caput tentat, nec frangenti contumax est, sed dentibus facillimè cedit. Quare maius illud Matthioli Cardamomum, veterum Græcorum Cardamomum minimè fuerit: neque etiam medium, neque minus, id quod ex sequentibus perspicuum fiet, quibus de Cardamomo vulgari Officinarum dicemus potissimùm ex Garcia. Quod Cardamomum vocant, inquit, aroma est in India notissimum, ob frequẽtem eius vsum, cuius etiam magna pars in Europam, Africam, & Asiam deuehitur. Quàm verò rectè sit illi Cardamomi nomen inditum, aliis disceptandum reliquit. Certè Auicenna peculiare scripsit caput de Saccolaa, quod duûm generum esse tradit. Alterum Saccolaa quebir, id est, magnum, alterum Saccolaa ceguer, id est, minus. His nominibus cognitum esse vtrumque Cardamomum cùm Medicis Arabibus, tum mercatoribus. In Malauar vocatur *Etremelli*, in Zeilan *Ençal*, in Bengala, Guzarate & Decan interdum *Hil*, interdum *Elachi*, idque inter Mauritanos: nam à gentilibus indigenis omniũ suprà dictarum prouinciarum *Dore* nuncupatur. Quæ diuersitas & nominum confusio multis errandi occasionem præbuit: alij enim Indicis vocabulis, alij Arabicis vsi sunt. Nam quòd Serapio alterum Saccolaa, alterum Hilbane vocat, mendosum est, & Hil duntaxat scribendum. Quòd si Bane quis adiici velit, potiùs Bara dicendum censet Garcias, quod lingua Canarina magnum significat. At Serapio nomine Hilbane Cardamomum minus intelligit. Nihil igitur aliud est Saccolaa omnium Arabum, aut Saccule Auicennæ, aut Elachi, quàm quod vulgo Cardamomum vocant Officinæ, veteribus tum Græcis, tum Latinis incognitum, de quo sic Auicenna. Saccolaa quid est? Aliud est magnum sicut Cicer nigrum, quod cùm frangitur, interius habet granum album, mordicans linguam sicut Cubebæ, in quo est aromaticitas. Et aliud est paruum sicut Lens, aromaticum etiam. Serapio etiam de vtraque huius Cardamomi specie ex auctoritate Isaac fusiùs agit. Nascitur, & seritur auctore Garcia, leguminum modo, altitudine quando summa, cubiti, in quo dependent siliquæ paruæ granula interdum vsque ad viginti continentes.

Lib. 2. Antidot.

Lib. 7. compos. med. loca. cap. 3.

Lib. 1. Aro. Indic. c. 24.

Nomina

Cap. 64. simpl.

Lib. 2. c. 155.

Forma.

nentes. Prouenit vtrumq; in India præſertim ab Emporio Calecut vſque ad Ca-
Locus. nanor: tamen aliis etiam locis Malauar, & in Iaoa naſcitur, non tamen adeò co-
Electio. pioſum, neque cortice tam candido. Optimum cenſetur minus, quod odoratius
eſt altero, & facultate maius dici poteſt. Id veterum Græcorum Cardamomum
eſſe nequit. Nam Galenus ſcribit Cardamomum non eſſe tam calidæ facultatis,
quàm Naſturtium, ſed ſuauius & magis fragrans cum quadam amaritudine. Quas
notas omnes, præſertim amaritudinem Cardamomo noſtro non conuenire ex-
perientia docet. Dioſcorides verò commendat quod ex Comagene, Armenia,
Boſphoróque adfertur (tametſi in India quoque & Arabia prouenire dicat) eli-
gendúmque plenum, frangenti contumax, guſtu acre, ſubamarum, odore caput
tentans. Noſtrum contrà in regiones illas defertur, ex quibus Dioſcorides ſuum
deferri ſcribit. Sed neque id frangenti contumax eſt, neque caput tentat, neque
amarum, neque guſtu adeò acri vt Caryophylla. Neque vllum ex Plinij Cardamo-
mis cum noſtro conuenit, quod fragile eſſe debet, ſiliqua candicante, granis in-
tus nigris. Ex iis etiam ſatis liquet erraſſe eos qui Capſicon ſiue Siliquaſtrum pro
Ruell. lib. 1. cap. 5. Mauritanorum Cardamomo exhibuerunt. Item eos qui Melegetam Cardamo-
mum Dioſcoridis eſſe putant, nam Melegeta Dioſcoridi ignota fuit: quíque Car-
Lacun. in 5. cap. lib. 1. Dioſcori. damomum maius coloris eſſe cinerei aiunt, Nigellæq; id tertium genus, quod
in Officinis habetur, quoniam Nigella in his omnibus prouinciis non naſcatur.
Quòd verò Melegeta Cardamomum minus non ſit, ſatis ex vtroq; genere quod
in India naſcitur perſpicuum eſt, quorum alterum Cardamomum, vt vocant, ma-
ius eſt, alterum minus, eiuſdem tamen formæ, & magnitudine duntaxat differen-
Vſus. tia. Multi vſus eſt in his prouinciis in quibus prouenit. Etenim cum Betre (vt
iam diximus) manditur, pituitaq; caput & ſtomachum expurgat, & Serapiis ad-
Temper. & Vires. miſcetur. Hæc ex Garcia. Scribit Auicenna Saccola calidum & ſiccum eſſe ter-
tio gradu, cum calore adſtrictionem illi ineſſe, præcipuè in cortice. Conferre
vomitui & nauſeæ cum maſtiche & aqua vtriuſq; granatorum. Serapio verò tra-
dit Cardamomum maius minore minus eſſe acre, & maiore adſtringendi vi præ-
ditum, præcipuè cortices & folliculos. Calidum ſiccúmque eſſe primo gradu,
reſoluere, ventriculum roborare, concoctionem iuuare, valere ad ſyncopem &
vomitus maximè cum ſuo cortice & folliculis, cum maſtiche, ligno Aloës, ſucco
Menthæ & vino granatorum. Minus eodem gradu calidum, & iiſdem viribus
præditum, ſed ſubtiliorum partium: quare concoctionem magis iuuare, guttu-
ris, pectoris & ventriculi ſuperuacuos humores magis exſiccare. Græcorum ve-
Lib. 1. c. 5. rò Cardamomum, auctore Dioſcoride, calfaciendi vim habet. Potum ex aqua
facit ad comitiales, iſchiadicos, tuſſes, neruorum reſolutionem. Item ad rupta,
vulſa: latas ventris tineas excutit. Ex vino autem potum renibus, difficultati vri-
næ, à ſcorpione ictis, neque non omnibus venenum vibrantibus auxilio eſt. Cum
cortice radicis Lauri epota drachma calculos comminuit: partus ſuffitu enecat,
Lib. 7. ſim. ſcabiem ex aceto illitum adimit. Et ad vnguentorum ſpiſſamenta additur. Gale-
nus, Cardamomum, inquit, eſt facultatis admodùm calidæ, non tamen vſque adeò
vt Naſturtium, ſed quantò ſuauius, magíſque fragrans eſt Naſturtio, tantò & im-
becillius ei calida facultas ineſt: nec enim vlcerare idoneum eſt, vel ipſum per
ſe illitum. Porrò adiunctum habet quiddam etiam amaritudinis, qua lumbricos
interficit, & cum aceto valenter pſoras deterget. Apud Indos ſolo eo aut cum Be-
tele mixto ad oris fœtorem, pituitam purgandam, & ſtomachum roborãdum ma-
ximopere commendatur.

CVBEBAE.

CVBEBAE. CAP. XXXIX.

ACtvarivs κομβέβας fructus vocat, quos nos Cubebas, Arabes Medici *Cubebe* & *Quabebe*, vulgus *Quabebechini*, in Iaoa vbi frequens nascitur *Cumuc*, reliqui Indi præterquàm in Malayo *Cubabchini*. Non est autem nomen huic fructui inditum quòd in China nascatur, quia ex Cunda & Iaoa, vbi plurimus est, in Chinam perferatur, sed quia Chinenses qui Oceanum Indicum nauigabant, hunc fructum, quem in supradictis insulis emerant cum aliis mercibus, in alios maris Indici portus & emporia transuehebant. Siluestris est planta & sponte nascens, neque multorum generum, vt quidam putauerunt, Malo vulgari similis, minor tamen, foliis Piperis, sed angustioribus, per arbores Hederæ, aut veriùs Piperis modo repens, non Myrti effigie, neque foliis Myrto similibus. Fructus racematim cohæret, non vt in vua coaceruatus, sed singulis granis ex singulis pediculis pendentibus. Flos est odoratus. Piperis genus non est, quoniam plurimùm Piperis ex Cunda aduehitur, quod nihil differt à Maluarico, hic verò fructus minima quantitate istic nascitur, qui cum ipsa planta diuersi generis est. Cubebarum rarior vsus est in Europa, nisi in medicamentorum compositionibus: apud Indos verò frequens est earum in vino maceratarum vsus ad excitandam venerem, tum etiam in Iaoa ad excalfaciendum ventriculum. Tanto autem in pretio est hic fructus iis in locis in quibus nascitur, vt eum incolæ decoquant, antequàm efferri sinant, veriti ne alibi satus nascatur. Hinc fortasse fit, vt corruptioni magis sit obnoxius in Europa. Id quod à Lusitanis fide dignis se accepisse ait Garcias, qui longo tempore in Iaoa insula habitauerant. Multi Auicennæ, Serapionis, Actuarij auctoritate nixi, Cubebas legitimum Galeni Carpesium esse censuerunt. Etenim Auicenna de Cubebis scribens, ea omnia ferè exscripsit quæ à Galeno de Carpesio dicuntur. Serapio Myrtum siluestrem siue Ruscum Dioscoridis, & Galeni Carpesium eodem Cubebarum nomine, eodémque capite descripsit. Actuarius Mauritanorum nomina secutus in quibusdam medicamentis Carpesium miscet, quod Barbaris κομβέβας vocari ait. At illorum Cubebæ à vulgaribus & Officinarum nostrarum Cubebis permultùm differunt: neque enim iis Rusci historia conuenit, neque fructus cùm sint Galeni Carpesium dici possunt, de quo scribit, λεπτὰ δὲ ἐστι τὰ κάρφη, παραπλήσια τοῖς ἀκρέμοσι τῦ κινναμώμυ, id est, tenuia esse sarmenta, Cinnamomi virgultis similia. Et alibi, Carpesium simile esse Phu, non gustu tantùm, sed & facultate. Nec minùs errarunt qui Cubebas Viticis semẽ esse asseruerunt, cùm vtriusque historia & facultates plurimùm dissideant. Cubebæ nostræ cùm odoratæ sint, & præter odoris gratiam gustu acrimoniam & amaroris tantillùm relinquant, dicere possumus eas excalfacere initio tertij ordinis, & in fine eiusdem exsiccare. Quare languentem ex pituita ventriculum, vel ex flatibus roborare, pectus à lentis crassísque humoribus expurgare, lienem iuuare, flatus discutere, & frigidis vteri malis auxiliari. Diu cùm mastiche mansæ pituitam à capite trahunt, & cerebrum roborant.

Nomina. *Forma.* *Vsus.* Cubebæ non sunt Carpesiũ. Li. 2. c. 134. Lib. 7. sim. *Temper. & Vires.*

AMOMVM. CAP. XL.

GRaecis ἄμωμον, Latinis etiam Amomum dicitur, Arabibus *Hamemus* siue *Hamana*. De hoc breuiter sic Dioscorides. Amomum paruus est frutex, ex ligno sese conuoluens in racemi modum: florem habet paruũ ceu Violæ albæ. Folia Bryoniæ similia sunt. Id in Armenia, Media, & Ponto nasci innuit Dioscorides, cùm dicit. Optimum Armeniacum aureo

Nomina. Lib. 1. c. 14. *Forma.* *Locus.*

e. uox Indica ex quo loco dici [illegible]

aureo colore, ligno ſubrufo, valde odorato. Medicum, quia in campeſtribus & aquoſis naſcitur, infirmius eſt. Magnum autem & ſubuiride eſt, tactu tenerum, frutice vinoſo, odore Origani (ὀριγανίζον expreſſerunt vetus interpres & Hermolaus. Codices vulgatiores habent ϖηγανίζον, odore Rutæ:) Ponticum verò ſubrufum, paruũ, fragile, racemoſum, fructu plenum, & odore nares feriens. Adulteratur herba ſimili, quæ Amomis vocatur, ſed ſine odore, ſine fructu. Naſcitur in Armenia

Lib.12 c.13. flore Origani. Plinius de eodẽ hæc tradit. Amomi vua in vſu eſt, Indica Vite Labruſca (rectiùs fortaſſe ex Indica Vite) vt alij exiſtimauere, frutice myrtroſo (fibroſo Dioſcorides) palmi altitudine, carpitúrque cum radice, manipulatim leniter componitur protinus fragile. Laudatur quàm maximè Punici mali foliis ſimile; nec rugoſis, colore rufo. Secunda bonitas pallido. Herbaceum peius, peſſimũq; candidum, quod & vetuſtate euenit. Pretium vuæ in libras X. L X. friato verò Amomo X. L VIII. Naſcitur & in Armeniæ parte, quæ vocatur Otene, & in Media, & in Ponto. Adulteratur foliis Punicis, & gummi liquido, vt cohæreat, conuoluátque ſeſe in vuæ modum. Eſt & quæ vocatur Amomis, minùs venoſa atque durior, ac minùs odorata: quo apparet aut aliud eſſe, aut colligi immaturum. Idem quod Dioſcorides Amomum Plinius intellexiſſe videtur, cùm Indicã Labruſcam

Lib.9. hiſt. cap.7. eſſe ait, cui folia Vitis albæ tribuit, atque eoſdem natales. Theophraſtus, Cardamomum, inquit, atque Amomum, alij ex Media, alij ex India cum Nardo & reliquis, aut plurimis aduehi narrant. Sed de Amomo magna eſt inter auctores contentio. Alij verò Amomo nos carere exiſtimant, eiq; ex Galeni præcepto Acorum ſubſtituunt. Alij Hierichuntinam roſam Amomum eſſe contendunt, magno ſanè errore, quòd folia Bryoniæ non habeat, nec odorata ſit adeò vt nares feriat, neque Origanum reſipiat, ſicuti Amomũ. Quidam, inquit Matthiolus, ex Gargano Apuliæ monte pumilum quoddam ſemen deferunt, colore nigro, odore Melanthij, paululùm aromaticum, guſtu acre, quod pro legitimo Amomo vendunt. At Dioſcorides ſeminis Amomi non meminit, ſed Amomum racemoſum, id eſt, ex

Lib.1. c. 31. ligno ſe conuoluens in racemi modum dixit. Quare nos vero Amomo carere peritiores cenſuerunt. Garcias hiſtoriæ Aromatum Indicorum auctor, de Amomo ſcribens narrat ſe percontatum aliquando à quodam pharmacopœo Hiſpano, ſed religione Iudęo, qui Hieroſolymis habitabat, quid eſſet Amomum. Eum reſpondiſſe Arabica lingua *Hamama* nuncupari, quod pedem columbinum ſignificat, ſtirpem hanc nouiſſe, quam tamen apud Indos non vidiſſet. Poſteà ſe euocatum à Nizamoxa Rege in Decam potentiſſimo, Medicos eruditos tum Perſas, tum Turcas, quos ſemper magnis ſtipendiis domi alebat, interrogaſſe num Amomum haberent, dixiſſe illos iſtic quidem non naſci, ſed inter alia aromata quæ ad Regem ex Aſia, Perſia, & Arabia conficiendis alexipharmacis perferrentur, Amomum etiam aduehi: eiúſque ramulis ſe ab eis donatum, id cum Dioſcoridis deſcriptione contuliſſe, & venuſtiſſimè quadraſſe, ac, licet iam ſiccum, pedem columbinum repræſentaſſe. Sed eius figuram nec prolixiore oratione, nec pictura Garcias expreſsit. Eius verò Scholiaſtes nobis vt hîc picta eſt exhibuit, ad Valerandum Doræum diligentem & eruditum pharmacopœum Amomi, item Amomidis

AMOMVM & Amomis.



Amomum.



Amomis.

Amomidis nomine ex Ormuz celebri ſinus Arabici emporio miſſam. Neutram tamen cum Plinij & Dioſcoridis Amomo conuenire ille putat, niſi id fortè ſit quo ſe Garcias donatum, quódque pedem columbinum referre aſſerit. Nam hæc fragmenta, aliquot ſunt ramuli, foliolis quibuſdam adeò frequentibus onuſti, vt ex ſolis foliis conſtare videatur (veluti in Tithymalo paralio videre licet) quæ in extremo ita ſunt diſpoſita, vt floſculum aut roſulam efforment. Ramuli iſti ſimul compacti non ineptè pedem columbinum (qualis columbarum eſt, quæ pedes, vt ita dicam, plumatos habent) referre videntur, nullo tamen ſingulari odore aut ſapore præditi ſunt. Cæterùm cùm auctor hic pedem columbinum memorat, atque etiam Serapio, minimè intelligunt id Geranij genus, quod Herbarij Pedem columbinum vocant, ſed Amomum ipſum, vt ex Serapionis deſcriptione perſpicere licet. Quare ineptiſsimè faciunt, neque ex Serapionis aut aliorum Arabum auctoritate, qui Pedē columbinum vulgarem Herbariorum, Amomo ſubſtituūt. Huius vires Dioſcorides his ferè verbis explicat. Vim habet calfaciendi, adſtringendi, exſiccandi. Somnum allicit, & illitum fronti dolorem ſedat. Inflammationes & meliceridas concoquit & diſcutit. Iuuat quos ſcorpius percuſsit ex ocimo illitum: podagricis confert: inflammationes oculorum viſcerúmque lenit ex vua paſſa: ad vuluarum vitia in peſſis aut in ſeſsionibus vtile eſt. Decoctum iocinoroſis, nephriticis, podagricis potu conuenit. Antidotis miſcetur, & precioſiſſimis vnguentis. Amomum, inquit Galenus, Acoro ſimilem facultatem obtinet, niſi quòd Acorum ſiccius ſit, maiore autem concoquendi facultate Amomum.

Cap. 269. ſimpl.

Lib. 1. c. 14.

Lib. 6. ſim.

ASPALATHVS. CAP. XLI.

ΑΣΠΑ'ΛΑΘΟΣ Græcis & ἐρυσίσκηπτρον, Aſpalathus Latinis dicitur & Eryſiſceptrum, Arabibus *Darſchichahan*. Aſpalathus, vt deſcribit Dioſcorides, frutex eſt lignoſus, multis ſpinis horrens. Naſcitur in Iſtro, Niſyro, Syria & Rhodo, quo ad vnguentorum ſpiſſamenta vnguentarij vtuntur. Optimus eſt grauis, detracto cortice rubeſcens, aut purpuraſcens, denſus, odoratus, guſtatu amarus. Eſt alterum genus candidum, lignoſum, inodorum, quod deterius habetur. Plinius non eadem omnino tradit. In eodem tractu Aſpalathus naſcitur ſpina candida (& lignoſa, Dioſcorides) magnitudine arboris modicæ (Dioſcoridi frutex eſt) flore Roſæ (id prorſus omiſit Dioſcoride.) Radix vnguentis expetitur (lignum Dioſcor.) Tradunt in quocunque frutice curuetur arcus cæleſtis, eandem quæ ſit Aſpalatho ſuauitatem odoris exiſtere, ſed in Aſpalatho inenarrabilem quandam. Quidam eum Eryſiſceptrum vocant, alij ſceptrum. Probatio eius in colore rufo, vel igneo, tactuq́; ſpiſſo (rubeſcente vel purpuraſcente Dioſcor. tactúque denſo & graui) & odore caſtorei. Dioſcorides εὐώδες habet, id eſt, odore iucundo. Idem alibi oſcitanter Orientalē alium à Rhodio facit, his verbis. Per Hiſpanias quidem multi & inter odores, & ad vnguenta vtuntur illa (meliùs, alia) Aſpalathū vocantes. Eſt ſine dubio hoc nomine ſpina ſilueſtris in Oriente, vt diximus, candida, magnitudine arboris iuſtæ. Sed & frutex humilior, æquè ſpinoſus in Niſyro, & Rhodiorum inſulis (legendum ex Dioſcoride in Niſyro, Iſtro, & Rhodiorum inſula) quē alij Eryſiſceptrū, alij Adipſatheon, ſiue Dipſacon, ſiue Diacheton vocant (fortè meliùs Adipſacon, quoniam locis ſitientibus gaudet, & Diareton, id eſt, eximiæ magnificæq́; virtutis.) Optimus qui minimè ferulaceus (grauis & denſus Dioſco.) rubens, & in purpuram vergens detracto cortice. Naſcitur pluribus locis, ſed non vbiq́; odoratus. Auicenna etiam à Dioſcoride diſſentit, cùm ait Aſpalathum arborem eſſe craſſam, quæ ſpinas grandes habet, qua vnguentarij ad vnguentorū ſpiſſamenta vtuntur. Aſpalathū quidā Santalum rubrū eſſe crediderunt. Sed eos falli conſtat tum ex iis quæ de Santalo

Nomina

Lib. 1. c. 19.

Forma.

Locus.

Electio.

Lib. 12. c. 24.

Lib. 24. c. 13.

diximus, tum ex multorum qui ad Orientales Indias aliasq; Noui orbis terras nauigarunt scriptis, qui omnes vno consensu affirmant se cõtinuas Santalorum rectorum & procerorum siluas vidisse. Aspalathus verò humilis est frutex, suauiter odoratus, amaricante gustu. Quæ notæ Santalo non cõueniunt, neque enim odoratum est, nisi odorem ex albo pallidóque & aliis aromatis, quibus permixtum fuerit, contraxerit, qui breui euanescit, neq; amarum est. Alij pro vero Aspalatho id vsurparũt quod Rhodium Oleastrum appellant, quo olim pharmacopœi Agallochi vice vtebantur: cuius materies cùm partim nigra sit, partim ex nigro flauóque venosa, neque rubra, neq; subrubra, prætereà cùm ex Olearum sit genere, vt Rhodij narrant, in Rhodo insula frequens, & oliuas ferat, cùm etiam nullis spinis armata sit, neque detracto cortice rubescat, Aspalathus dici nullo modo potest. Ac, vt verum fateamur, Officinis olim omnibus hodie quoque permultis incognitus fuit geminus Aspalathus. Verùm recentiorum diligenti peruestigatione factũ est, inquit Pena, vt tres lignorum differentiæ nobis innotuerint, quarum quælibet Aspalathi nomine digna sit. Primam vidisse se ait Veronæ, & dono accepisse à doctis pharmacopœis Francisco Calceolario & Andrea Bellicoco, qui eam Theriacis suis miscent & doctorum Medicorum Veronensium consilio, frustum illud quod habuit, densum, solidum & compactum esse, quasi ex cuiusdam fruticis ima parte resectum, radiatis fibris, graue, colore buxeo, sed saturatiore, suauissimo odore & pertinaci, sapore non ita amaro, nec gustu insuaui. Alteram speciem Venetias aduectam Rhodo, missam Nicolao Comasco erudito Medico, apud quem tum maximum truncum vidisse, detracto cortice rubentem, Taxo concolorem, odore adeò fragrantem, vt quàm latè patebat cœnaculum, eximio imbueret odore. Tertiam albicantem foris, intus torulo subflauo, aut citreo, Santali albi & citrij simillimam: Rosam sapore nullam gustanti exhibere manifestam qualitatem, nisi tantillùm calidi, quod vix gustu discerni possit. Hanc alij Aspalathi speciem, alij Oleastri Rhodij aut Santali arbitrantur. Aspalathi vires hæ sunt ex Dioscoride. Vim calfaciendi habet cum adstrictione. Vnde decoctum cum vino ad tetra oris vlcera colluenda conuenit, ad nomas genitalium, & sordida narium vlcera infunditur, subditum in pesso partum extrahit, aluum sistit eius decoctum, & sanguinis reiectionem potu cohibet: vrinæ difficultatem inflationésque discutit. Plinius eadem ferè tradit. Sanat tetra oris vlcera & ozænas, genitalia exulcerata aut carbũculantia (vlcera sordida & depascentia genitalium, Diosco.) item rhagadia: inflationes potu discutit, & strangurias cortex. Sanguinem reddentibus medetur decoctũ eius. Aluum sistit cortex. Dilucidiùs verò Galenus hæc declarat. Aspalathus gustu quidem acris simul & adstringens est, facultate verò ex dissimilibus constat, nempe partibus suis acribus excalfaciens, partibus verò aliis, austeris scilicet, refrigerans. Quare vtriusque ratione desiccat, atque hac ratione aduersus putredines & fluxiones est vtilis. Auicenna calidum esse in primo gradu, siccum in fine secundi vsque ad tertium scribit. Cætera ex Galeno & Dioscoride transcripsit.

Aspalathi genera. *Lib. 1. c. 19.* *Temper. & Vires.* *Lib. 6. sim.*


COSTVS. CAP. XLII.

Nomina *Lib. 1. c. 15.* *Lib. 12. c. 12.*

ΚΟΣΤΟΣ Græcis dicitur, Latinis Costus, Arabibus Costos siue Chost. Dioscorides eius genera & delectum declarat omissa descriptione. Præcellit, inquit, Arabicus, candidus, leuis, eximia odoris suauitate. Secundum locum sibi vendicat Indicus, plenus, & niger, & leuis vt Ferula. Tertius est Syriacus, grauis, colore buxeus, & odore feruens. Optimus est recens, albus, abunde plenus, densus, aridus, à teredinibus non exesus, sine graueolentia, gustu calidus ac mordens. De eodem Plinius hæc breuiùs scribit. Radix & folia (lege

(lege, radix Costi & folium) Indis est maximo pretio. Radix gustu feruens, odore eximio, frutice aliàs inutili. Primo statim introitu amnis Indi in Patale insula duo sunt eius genera, nigrum, &, quod melius, candicans. Auicennæ species sunt tres. *Lib.2.c.161.* Arabicus est, inquit, albus, leuis, aromaticus. Alter est Indus, qui est magis leuis. Tertius est amarus, grauis odoris, qui nominatur garyophyllata. In quo à Dioscoride dissentit, scribente tertium esse Syriacum, grauem, colore buxeo, & odore feruentem. Serapio de Costo omnia ex Dioscoride & Galeno exscripsit. *Cap.308. simpl.* Officinæ Arabes secutæ Costum fecere duplicem, dulcem & amarum. Dioscorides tamen & Plinius neque dulcis, neque amari mentionem vllam fecerunt. Galeno verò omnis Costus amarus est, & ex Græcis qui Costum quendam dulcem esse dicat, reperies neminem, nisi si ex recentioribus sint, qui Arabas hac in re & permultis aliis sint imitati, in quibus est Actuarius, qui dulcis Costi meminit. Hos tamen Pena excusat, quòd Costus dulcis collatione quadam cum acriore & amariore vocetur, vt eadem plantæ radix cùm recentior est, mitior multò, vetustior verò amarore & feruore ingratior facta, amara, aut inamœna dicatur. Aliam huius diuisionis causam ex Garcia in sequentibus proferemus. Vtvt sit, Officinarum Costus adulterinus est: neque enim vlla est odoris suauitate, neque gustu mordens & feruidus, neque ita acris & calidus, vt etiam exulceret, vt ait Galenus, sed fusca radix, grauis, inodora, Helenij compacto concretione ignota. Quamobrem sunt qui Zedoariam legitimum Costum esse contendant. At hæc minùs odora, minùs aromatica est, gustúque grata. Alij Angelicam nigrum Costum siue Indicum faciunt, propter odorem suauem & insignes vires. Sed non est peregrina planta, imò Europæ familiarissima, nihil adstrictionis habens, neque exulcerans. Arabici Costi radices omnibus adstipulantibus notis se habere Matthiolus ait, à Francisco Calceolario pharmaco *In cap.15. lib.1.* pœo Veronensi ad se missas, Indici verò frustum à Cecchino Martinello missum, quod secum ex India detulerat, quæ cùm forma tum substantia differunt: quin tamen Costi genera sint non dubitat, cùm ex Dioscoride Arabicus ab Indico non parum differat, hic quoque à Syriaco. Arabicum tamen alteri præfert. Garcias Costi historiam paulò aliter descripsit. Costus, inquit, *Lib.1. Aro. Ind. cap.35.* Arabibus dicitur *Cost*, aut *Cast*, in Guzarate *Nomina* *Vplot*, in Malaca, vbi eius plurimus est vsus, *Pacho*, & inde vehitur in Chinarum regionem. Græci & Latini ab Arabibus nomen mutuati sunt: nam in Serapione & aliis Chost & Chast *Cap.308.* corruptum est, legendúmque Cost, Cast & *simpl.* Costi. Huius etsi tria genera veteres constituant, vt diximus, tamen Garcias vnicum *Costi genus vnum* duntaxat Costi genus esse tradit, aítque se à negotiatoribus perquisiuisse Arabibus, Persicis & Turcis, vbinam tanta Costi copia consumeretur, quæ apud eos ex India exportaretur. Respõdisse maximam partem in Asia minori & Syria consumi, atque etiam apud Arabas & Persas. Rursus interrogatos an alius quispiam Costus apud eos nasceretur, id negasse. Idem percontatum fuisse à Nizamabuci Medicis, sed ne-

COSTVS *Indicus.*



gasse se Costum alium vidisse vnquam, quàm qui ex India ad eos deferretur. Quòd autem tam diuersa nomina sortitus sit, in causa fuisse negotiatores putat, qui ex variis regionibus oriundi erant. Quòd autem Arabes eius duo genera faciant, amarum & dulce, id euenit, quòd istud medicamentum cùm recens est, & incorruptum, nullius amaritudinis sit particeps, candidiúsque persistat: cùm autem vetustate corrumpi incipit, amaritudinem contrahit, fitq; nigricans. Describunt autem Costum qui viderunt Sambuci effigie; & Arbuti aut Azimbri magnitudine, (Quid sit Azimbri nescio. Clusius Iuniperum suspicatur intelligi, quod Zimbro Lusitanis sit Iuniperus) florem odoratum ferens. Præcellit qui intus candidus est, cortice cinereo. Inuenitur etiam colore Buxi, cortice pallescente. Tanta odoris fragrantia pollet, vt plerisque nares feriat, & dolorem capitis excitet, gustu nec amaro, nec dulci, tametsi iam senescens interdum amarescat: nam recens acri gustu est, vt reliqua aromata. Nascitur circa Guzarate, inter Bengala, Delli & Cambaya, in Marmadon & Chitor. Inde multi currus Vplot, Spica, Chrysocolla, aliísque mercibus onusti aduehuntur in Regni metropolim Amadabar, quæ in desertis sita est, & in Cambayete vrbem non procul à mari: vnde posteà per maiorem Asiæ, aliquam Africæ partem, & vniuersam Europam deferuntur. Hoc vtuntur in multis medicamentis Indici Medici. Nec mirum si eius loco vtuntur adulterino Officinæ procul à Lusitania dissitæ, quoniam exigua admodùm quantitas in Lusitaniam defertur. Sed hîc obseruandum est, quod & annotauit Clusius, veterum Costum radicem fuisse, non lignum. Plinius enim radicem disertè appellauit. Dioscorides cum Helenij Comageni radicibus adulterari scripsit, radicem esse innuit: nam trunci aut rami lignum tantam non habet cum radice affinitatem, vt radice adulterari possit. At Garciæ Costus, vt descriptio indicare videtur, nihil aliud ferè quàm lignum est, suo cortice contectum, aut certè minimùm corticis habet. Et de Pipere scribens Costum radicem non esse, sed lignum asserit. Quare aut veterum Costum non describit, aut Arabum Costus (si is quem describit illorum Costus est) à Græcorum veterum Costo diuersus videtur. Costi genus Antuerpiam è Lusitania adfertur, vt & affirmat Clusius, solidum, cortice cinereo, intus candicans, interdum cinerei coloris. Odorata est admodùm radix, violaceum seu irinum spirans odorem, præsertim dum manditur. Ei caulis fragmentum, quod è terra extat, sæpe inhærere, conspicitur, ferulaceum quiddam referens, & fungosam medullam continens, vt perspicuum sit Costo Garciæ bellè conuenire.

Forma. (margin)

Lib.1.c.22. (margin)

COSTVS *Syriacus, & Arabicus.*



Eius iconem ex Clusio, qualis ex sicca radice exprimi potuit, hîc appinximus. Paucis ab hinc annis è Syria & Ægypto Venetias aduehi cœpit radix Zedoariæ aut Zingiberis effigie, quam Varerandus Douræus materiæ medicæ peritissimus verum Costum esse iudicauit. Radix est intus candida, inquit Pena, læuis, minimè grauis, pollicem crassa, vnciam & sesquiunciam longa, hinc inde tuberibus oblongis altrinsecus donata, odora, gustu acri, odore intenso & iucundo Cupressi, aut Cedri Libani quadantenus. Interdum buxea visitur, vti vulgata odore & sapore similis, subamara vtraque, cætera similes. Initio nomine Zingiberis siluestris vendebant. Hæc radix si genuinus Costus

Coſtus non eſt, inquit Pena, tamen quia radix eſt, & eximia odoris ſaporíſque acris gratia aromatica pollet, parem Coſto laudem & gratiam meritò adepta eſt. Pictam ex Pena hîc exhibemus. Idem Pena duas alias radices Coſtum admodùm ſimilantes depinxit à Rupellenſi Medico Launaio donatas, quas ille à naucleris è Moluccis redeuntibus acceperat. Horum altera maior arboris maiuſculæ cortex videtur, & figura Sambuci adultioris & cineracei, rugis & plicis frequens, ſapore & odore æquè vehementi. Altera minor radice Solani ſilueſtris valde ſimilis, colore pullo diluto, guſtu vrente, vt vix ardorem lingua ferre queat. Illis perſuaſum erat Coſti ſpeciem eſſe, etſi parum odora eſſet. Quod vt non inficiatur Pena, ita priorem vt potiorem retinet, & haſce ambas Moluccenſes minùs odoras iudicio ſtudioſorum ſic pictas ſubdidit. Coſto vis excalfactoria, auctore Dioſcoride. Vrinam ciet, menſes pellit, vuluæ morbis tam impoſitu quàm fotu & ſuffitu auxiliatur. Contra viperarum morſus vncias duas bibere prodeſt: item aduerſus pectoris dolores, conuulſa, inflationéſque ex vino & Abſinthio. Venerem ex mulſo ſtimulat, latas ventris tineas pellit ex aqua: horroribus ex oleo ante febrium acceſsiones, & neruorum reſolutionibus oblinitur: vitia cutis in facie cum aqua vel melle illitus emendat. Additur in antidota & malagmata. De eo ſic Galenus. Coſtus leuiculam planè amaram, plurimam autem acrem, & calidam in ſe qualitatem, ſimul & facultatem continet, adeò vt etiam exulceret. Vnde ipſo cum oleo perfricant corpus ante acceſsiones in rigoribus per circuitus redeuntibus. Sic verò etiam in reſolutis & iſchiadicis, atque in ſumma in quibus excalfacere partem quamuis, aut ex alto in ſuperficiem attrahere aliquem humorem opus eſt, ad Coſtum confugitur. Eadem de cauſa vrinas menſéſque prouocat: & ad rupta, conuulſa, ac laterum dolores conuenit. Porro ob amaritudinem quæ illi ineſt, lumbricos latos enecat. Ob eandem & ad contractas velut à Sole maculas cum aqua aut melle vſurpant. Ineſt item flatuoſa illi humiditas, per quam & venerem excitat cum vino mulſo.

COSTVS *Moluccenſis corticoſus.*



Vires & Temper.

Lib.1.c.15.

Lib.7.ſim.

ZEDOARIA, ZERVMBET.

CAP. XLIII.

Nomina Cap.172. simpl. QVAE Officinis Zedoaria, Græcis recentioribus ζαδῶρα dicitur, iisdem Officinis Zurumbet & Zerumbet. Quæ duæ radices peregrinæ, ex facultatibus potiùs quàm ex ipsarum plantarum partibus notæ notis, Græcis veteribus incognitæ fuerunt. Quare ex aliis petendæ descriptiones. Serapio de iis sic scribit ex auctoritate Isaac. Zurumbet, id est, Zedoaria, sunt radices rotundæ, similes radicibus Aristolochiæ rotundæ tum facie, tum magnitudine, verùm sapore & colore Zingiber æmulantur. Deferuntur ex Chinarum regione. Excalfacit & siccat ordine secundo. Flatus discutit, & propria quadam facultate impinguat. Pòst sumpta graue virus animæ, quod allium, cepa, vel vinum excitauerit, abigit. Venenatorum animalium morsibus confert, aluum sistit, vteri abscessus resoluit, vomitiones reprimit, coli dolores à flatu ortos mulcet. Auicenna Zedoariam dixit esse portiones similes Aristolochiæ, minores tamen. Addit meliorem esse illam quæ cum Napello crescit, eiúsque vicinitate Napelli vires plurimùm debilitari. Aliquantò pòst Zeduar siue Algieduar Zedoariam esse opinatur. Alio capite Zurumbet ait esse lignum simile Cypero, sed maius, & minus odoratum, easdémque eius vires recenset, quas Serapionem ex diuersis auctoribus suo Zurumbet, id est, Zedoariæ assignare diximus. Hoc tantùm distant, quòd Auicenna Zurumbet calidũ & siccum esse ordine tertio ponit, Aben Mesue apud Serapionẽ calidum & siccum secundo duntaxat. Hic conferre morsibus venenatorum, ille valde conferre morsibus venenatorum vermiũ, ita vt ad Zedoariam proximè accedat. Quibus verbis innuit aliquid esse inter Zurumbet & Zedoariam discriminis. Serapio alio capite Zurumbet aliud describit hisce planè verbis. Zurumbet est ex speciebus odoriferis, & propter hoc admiscetur cõfectionibus aromaticis, & est calidum & siccum prope tertium gradum, & est in virtute sua simile Cassiæ ligneæ & Cubebis. Et dixit Cassidonius. Si non habes Cinnamomum, pone pro eo Zurumbet. Hæc se ex Galeno & Paulo transtulisse ait, ne detracta quidem aut addita vna litera. In quibus vt falsò Galenum citat, ita Pauli orationem, qua de Arnabone agit, ad verbum conuertit. Sic enim ille. Arnabo ex aromaticis est, vnde maximè in vnguenta miscetur, vt quòd calidæ ac siccæ sit facultatis in tertio ordine, Cassiæ aut Carpesio similis. Vnde etiam Posidonius (perperàm in Serapione Casidonius legitur pro Posidonius) Cinnamomo nõ præsente, hoc vsum se esse dicit. Perspicuè videre licet Serapionem Zurumbet cum Pauli Arnabone eundem statuere. His subiungit descriptionem Zurumbet auctore Isaac. Est arbor magna quæ nascitur in montibus, in Oriente, nullum ferens fructum, folia verò longa in viridi citrina, foliis Salicis similia, ramos eiusdem coloris: odore est Citri, calida & sicca, adstringens. Resoluit & aluum sistit. Inest & ei partium subtilitas. Ex quibus perspicere licet Serapioni Zurumbet & Zedoariam easdem esse radices, nisi deprauata sint eius exemplaria, item aliud Zerumbet arborem: Auicennæ verò diuersas esse plantas, vt qui Zedoariam radices Aristolochiæ radicibus cõpararit, Zerumbet lignum Cypero nisi hic sit interpretum error, qui Zurumbet Aristolochiæ radicibus, Zedoariam Cypero cõparasse debuissent, præsertim cùm ei quæ Cypero similis est, easdem prorsus tribuerit vires quas Serapio Zedoariæ, vt ostendimus. Quod & indicat Bellunẽsis, cùm scribit. Zedoaria apud Arabes quosdam appellatur Cyperi Indi, quia nascitur in India, & assimilatur Cyperis. Hæc Arabes de Zedoaria & Zerumbet literis mandarunt. Ex quibus expendere oportet, an duæ radices, quæ in Officinis Zedoariæ & Zerumbet nomine venæunt,

Forma. *Locus.* *Temper.* *& Vires.* Arabh. dr. Seldoar Li.2.c.734. Cap.743. Cap.736. Cap.161. simpl. Lib.7.c.3.

nascunt, eæ sint quibus vsi sunt Arabes. Qui dubitāt, imprimis descriptionē competere negant, quòd nostra vulgaris radix sit oblonga, læuis, foris candicans, intus ex flauo rufescens, aromatica, amara, figura Zingiberis, valde acris. Matthiolus radicem hanc ob id non esse Zedoariam non censet, quòd longa sit: esse enim quasdam radices longas, alias rotūdas Aristolochiæ similes, quales à Calzolario pharmacopœo Veronensi se accepisse narrat, quæ Zedoariæ nomine comprehenduntur, quòd eiusdem sint saporis, coloris, & odoris, nec nisi forma differāt, vt quemadmodùm Aristolochiæ, ita Zedoariæ duo sint genera, alterum longum, alterum rotundum. Pena & Lobellius hac de re ita statuunt. Zedoariam & Zerumbet vt nominis, sic eiusdem radicis partes esse, nec secùs inuicem differre, quàm Cyperum rotundū vel longum à suis cohærentibus radicū anfractibus: cuiusmodi videndi & habendi copia fuit Antuerpiæ in Myropolio simpliciū ditissimo Francisci Pennini. Eóque Serapionem Zedoariam eandem cum Zurūbet dixisse, vt quemadmodùm Doronicis, Aristolochiis & Oenāthis euenit, variam nancisci radicis molem, aliàs oblongam, teretem, aliàs orbiculatā & nodosam, sic euenisse Zedoariæ, cuius naturæ, sicut & nominis particeps est Zerumbet, quia amaror, feruor, odor, color, ingratus vehementior gustus, modus, durities, duratio eadem, & vsus ad colicos cruciatus, præsertim aduersus venena certissimus. Vnde Zedoariæ nomē fluxisse ingeniosè cōiectatur Pena. Indeq; videntur Auicenna, Serapio, ac Arabes nonnulli designasse antidota multa, ampliore, vt solent, nominis Zedoariæ ambitu, vt quemadmodùm Bezardica generatim vocarunt quæ vitam tuentur, ita celebrem quandam arborem foliis salignis, odore Citri, eodē Zedoariæ aut Zerumbet nomine donarint. Eo etiam significatu Auicenna dixisse meliorem esse Zedoariam, quasi dicat Antidotum, quæ radicibus Napelli adnascitur, eiúsque & aliorum venenorū esse Theriacam, qualem se expertum fuisse ait, & copiosam eruisse in variis montibus, quod fabulosum esse Garcias dixit. Ergo triplicem Zedoariam Arabes innuere voluisse Pena existimat, oblongam vulgatiorem ad Cyperum propiùs accedentē, & huius speciem Zerumbet rariorem nobis rotundam dictam, tertiam egregiam illam arborem, hodie incognitam. Non desunt qui Zedoariam Officinarum Costum Arabicum, vel Syriacum Dioscoridis esse opinentur, quòd multæ ei Costi notæ satis quadrare videātur. Diuersā prorsus Zedoariam nobis enarrat Garcias, quam Geiduar vocat Auicenna, magnitudine glandis, eiusdem ferè formæ, colore sublucido. In regionibus Chinensium prouinciæ finitimis nascitur. Ait magno emi, nec facilè inueniri, nisi apud circūforaneos quosdam & circulatores, qui peregrinationibus, & stipem emendicando vitam sustinent. Ab his (quod mirū videri debet) Reges & magnates Geiduar emere. Hoc Dioscoridi incognitū fuisse, atque etiam Auicennæ. Porrò ad plurima vtile esse, præsertim aduersus venena, & venenatorum animalium ictus morsusq;. Id Europæ quoque hodie ignotū esse ex descriptione liquet, nec facilè cognosci posse ob has quas adfert caussas. Nam

ZERVMBET Serapionis, & Zedoaria eiusdem radicis partes.



In cap. 54. lib. ...

Li. 2. c. 734.

Li. 1 Arom. Indic. c. 13.

Li. 1 Arom. Ind. ca. 42.

Zedoaria nostra nihil minùs est quàm hoc Geiduar. De Zerũbet verò hæc tradit. Lib.1. Aro. Ind. ca.43. Arabibus, Persis, & Turcis *Zeruba* vocari, in Guzarate, Decan, & Canara, *Cachoraa*, in Malauar *Cua*. Copiosè prouenit in Malauar prouincia, videlicet in Calecut & Cananor, tum sata, tum sponte in siluosis earũdem regionum locis, vnde à multis Zingiber siluestre dicitur, nec id sine ratione, inquit, quoniam eius folia Zingiberis foliis similia sunt, maiora tamen, & magis aperta, radix Zingibere maior. Radicem erutam ait concidi & siccari, deinde in Arabiam, Persiamq́; deferri, in Gida & Alexandriam, inde posteà Venetias, & alias regiones transferri. Condiri etiam saccharo, & præstantiorem esse Zingibere candido. Ex quibus ille colligit Auicennæ ignotam fuisse Zedoariam, vt iam diximus, solam verò Zerumbam aut Zerumbet cognitum. Cùm enim vidisset radices quasdam in frusta rotunda, alias in oblonga sectas ad sinum Persicum vehi, duo genera existimasse, Zerumbam, de Li.2.c.734. Cap.736. quo nomine Zedoariæ priùs tractat, & Zerumbet, de quo posteà. Hac de caussa folia quæ nõ viderat prætermisisse, radices quales ex India in alias regiones transferebantur duntaxat expressisse. Serapionis verò emendatos codices scribit additã expositionem Zerumbet, id est, Zedoaria, nõ habere, sed ab interprete adiunctam, qui differentiam inter Zedoariam & Zerumbam, siue Zerumbet ignorabat. Quã ex eo perspicuè deprehendi ait, quòd Zedoariam ex Chinarum regione conuehi dicat Serapio. Certum enim esse Zedoariam in Chinarum regione nasci, raram autem in India reperiri: Zerumbam autem copiosè in India nasci. Sed quid de Zedoaria & Zerumbet sentiendum sit, item de Garciæ Zedoaria iam fusiùs diximus. Reprehendit etiam eos Garcias, qui Pauli Arnabonem eundem esse cum Zerumbet opinantur: quia Arnabo Pauli, arbor sit procera, suaui odore fragrans. Zerumba verò graminea planta. Qua in re ipsemet reprehen- Lib.7. ca.3. dendus est, cùm apud Paulum de Arnabone scribentem nulla arboris mentio fiat, ac ne stirpis quidem, sed ex aromaticis esse, ideò in vnguento addi, & cætera quæ suprà posuimus. Annotat Clusius inueniri Antuerpiæ apud quosdam aromatarios Zedoariæ genus, illis *Bloczeuuar*, quod tuberosam Zedoariam significat, nuncupatum, rotundum instar Aristolochiæ rotundæ, foris nigricans, interdum cinerei coloris, intus candicans, gustu vulgaris Zedoariæ. Eam radicem quoniam multùm cum Serapionis Zerumbet conuenire Clusio videtur, hîc exprimendam ex eodem curauimus.

ZERVMBET Serapionis, Clusio.



TERRA MERITA. CAP. XLIIII.

Nomina Lib.1. ca.4.

PEREGRINA hęc radix, Curcuma Officinis dicta, Gallis *Terra merita*, Cyperus Indicus Dioscoridis esse creditur. Sic enim ille. Aliud Cyperi genus tradunt in India nasci Zingiberis effigie, quod manducatum Croci vim reddit, gustu amaro sentitur, & illitum præsentem Psilothri vim exhibet. Quæ omnes notæ Curcumæ Officinarum aptissimè conueniunt. *Forma.* Est enim radix Zingiberis effigie, crocei intus coloris, quæ manducata croceum colorem reddit, amara, cuius & in psilothris vsus est. Sed cùm Dioscorides Zingiberi radicem hanc comparet, & reuerà Zingiberi propior sit quàm Cypero, mirum est cur Cyperi speciem fecerit. Quare verisimilè est eum quæ de Indico Cypero scripsit, ab aliis auditione accepisse, & speciem Cyperi esse apud quosdam

quoſdam legiſſe, eóque fortaſſe minùs aptè dixiſſe, vt annotauit Pena, Zingiberis radices paruas, candicantes, odoratas Cyperi modo. Eſt enim Curcumæ valde exigua cũ Cyperis ſimilitudo, cum Zingibere magna. Præterea vires quaſdam ſimiles habet (præter croceum ſuccum quem manſu emittit) cum Zingibere, tametſi guſtu ignauiore, ingratiore, facultate verò viſcera ab obſtructione liberandi potiore. Ideò, inquit Pena, curſores & mulierculæ cum Zingibere miſcent ad icterũ. Vis autem illa pſilothri videtur elangueſcere, longo temporis & locorum interuallo, atque teredine, cui obnoxia eſt, minùs tamen quàm Zingiber. Pictoribus & chymiſtis quàm medicamentis hodie frequentior eſt, attamen in electarium aſſumitur Diacurcuma nuncupatum aduerſus ægritudines inueteratas, hydropem, & cachexiam perutile. Hîc non omittendũ quod prudenter animaduertit Matthiolus, Curcumam Serapionis non eſſe eam de qua hîc agimus. Illa enim nihil aliud eſt quàm Chelidonium Dioſcoridis. Quod vel Serapionis ipſius, vel interpretis errore accidit: nam Curcuma neque Mauritanum, neque Græcum eſt vocabulum. Mauritani enim Chelidonium *Kauroch* vocant: ex quo perſpicuum eſt Curcumam pro *Kauroch* in Serapione deprauatè legi. Quod cũ tum Medici, tum ſeplaſiarij non animaduertiſſent, & cuiuſnam plantæ hæ radices eſſent ignorarent, eas Chelidonij maioris radices eſſe crediderunt, ob crocei ſucci ſimilitudinem, quæ ſunt Cyperi Indici. Quare deprauatam Serapionis lectionem ſecuti, has Curcumam nuncuparunt.

Vires.

In ca.5. li.1. Cap.196. ſimpl.

CHINA RADIX. *CAP. XLV.*

CHINA, vt ſcribit Nicolaus Monard. Orientalis Indiæ prouincia eſt, Scythis atque Sericanis finitima. Eſt Chinarum regio vaſtiſsima, vt refert Garcias ab Horto, quæ ad Moſcouiam vſque extendi creditur. Addit Chinēſes eſſe Aſiaticos Scythas: & quamuis barbari eſſe exiſtimentur, in negotiatione tamen, & in artificiis quæ manu perficiuntur eſſe admodùm induſtrios, neque cuiquam regioni in literarum cognitione cedere: habere etiam leges ſcriptas Imperatorio iuri ſimiles, & apud eos doctrinæ eſſe gradus & præmia, eruditisq; viris Regis, totiúſque regni moderationem committi. His addit artem Typographicam tam vetuſtam apud illos eſſe, vt omnem hominum memoriam ſuperet, & ſemper apud illos vſurpatam fuiſſe. Hæc Garcias. Sæuit in tota hac prouincia, atque in Iapã lues venerea, cui malo vt ſuccurrerent, benignus Deus radicis vſum dedit, quæ apud eos naſcitur, à nobis à loco natali China nuncupata, quemadmodùm Guayaci Noui orbis incolis, qui eodẽ morbo infeſtantur. Scribit idem Garcias plantam ab indigenis vocari Lampatan, trium aut quatuor cubitorum altitudine aſſurgere, cauliculis tenuibus, quos rara cingunt folia, Mali Aſſyrij iunioris ſimilitudine radicem palmi lõgitudine, interdum craſſam, nonnunquam tenuem, quæ recèns enata admodùm tenella eſt, & cruda & elixa mandi poteſt. Vnicam duntaxat plantam in Goa ſe vidiſſe, eámque perpuſillam, quæ ſiccitate periit antequàm excreuiſſet. Si ſeratur ea radix, iuxta arbores ſerendam eſſe aiunt, quoniam Hederæ modo eas ſcandit & amplectitur. Aliter deſcribit Nicolaus Monard. Chinam Arundinis maioris radici ſimilem eſſe, nodoſam, intus albam, interdum rufeſcentem, foris rubram. Optimam eſſe recentem, ponderoſam, ſolidam, pinguem, non carioſam, inſipidam. Eius figura ex recentiſsima, & ſuis propaginibus adhuc cohærente hîc expreſſa eſt, quæ demonſtrat eam ſub terra ſerpere, ac variis ex locis teretes, ac lignoſos proceſſus emittere, quibus noua radicũ aliarum ſoboles adnaſcitur, & incremẽtum capeſsit, multis & tenuibus alioqui fibris capillata, quibus nutrimentum attrahit. Eſt autem grandior & adultior radix ſcabris & inæqualibus nodis tuberoſa, cortice obſcuriùs virente

Li.1. Arom. Ind. ca.38.

Electio.

Galangæ

CHINA radix.



Galangæ ferè modo vestita, cùm recẽs est succulenta, cùm exaruit fungosa, & intus laxa, è rubro dilutè pallida, quæ diutius seruata carie & teredine facilè vitiatur. Quod si acciderit, mercatores foramina à teredinum erosione aut carie facta obturãt bolo Armenia aqua diluta, velut cæmento quodam, obducuntq; extrinsecus pari fraude totam radicis molem: quæ fraus & natiuum illius colorem ementitur, & ei pondus addit. Illam præferunt quæ ponderosa est, & quæ quantùm in eius arida natura fieri potest, maximè succulenta est, quæ à teredine, carie, putredine est illæsa: quibus vitiis obnoxia est, quæ recondita fuit, & in longum tempus seruata. Saporis est fatui, perinde ac Suberis cortex citra omnem adstrictionẽ, aut oleosæ pinguísve substantiæ occursum. Est & eius decoctũ prorsus insipidum, nõ aliter quàm Hordei integri, colore subrubrum, seu colore vini gilui. Eam ob causam ἄποιον radicem hanc quidam vocauerunt, quemadmodùm & olim Græci aquam salubrem omnis qualitatis expertem.

Locus. Nascitur hæc radix in China Orientalis Indiæ regione, vt dictum est, maritimis locis, Arundinis aut Vluæ palustris modo. Nicolaus Monard. auctor est etiam in Occidua India prouenire, seq; vidisse huiusmodi radices alias paruas, alias magnas, in Hispania noua à D. Frãcisco de Mendozza collectas, & recẽtissimas inde delatas. *Chinæ decoctũ.* Decocti ex China radice propinandi, & eius vtendi hæc est ratio. Obseruatis iis quæ in omnibus morbis obseruare decet, nimirùm natura morbi, anni tempore, regione, sexu, ætate, temperamento ægri, atque exquisitè purgato corpore, radicis vncia minutim concisa fictili nouo imponitur: huic infundũtur aquæ sextarij tres, maceratur viginti horas fictili obturato, coquitur lento igne ex prunis accenso ad dimidias, frigescit, colatur, atque in fictili nouo aut vitreo vase asseruatur. Eius aquæ calidæ vncias decem æger hauriet, duas horas aut paulò diutius sudabit: sudore deterso indusium & linteamina mundis & calfactis mutabit, posteà in lectulo duas aut tres horas perdurabit: deinde vestitus calidè se in cubiculo continebit. Circiter vndecimam prandebit. Prima mensa iusculum sumet, deinde pullum coctum, aut gallinæ quartam partem, aut veruecinam aliquando elixam, aliquando assam cum pauco sale: pro bellariis carnes Coroneorũ, aut quid simile. Poterit & sumpro iusculo passas vuas, aut pruna passa cocta edere. Cum cibis panis bene cocti crustis, aut biscocto vescetur. Potus erit eadem aqua quam ieiunus sumpsit, aut dilutior. Si inter pastus bibere velit, eadem aqua cum conserua aliqua propinabitur. Qui igitur hac radice vtuntur, tenui illa victus ratione non egent, qualis in Guyaci vsu requiritur. Abstinendum tamen est à bubulis & suillis carnibus, piscibus, crudis fructibus, tametsi ne à piscibus quidem in China regione abstineant, quoniam magni sunt helluones. Aliquando tenera tantùm radice Chinenses vtuntur cum carne elixa, quemadmodùm & nos napis, aut rapis cum carnibus elixis. *Vires.* Mirabiles sunt eius virtutes ad luis venereæ curationem: efficaciorq; est in inueteratis morbis, in quibus videlicet magni sunt tumores & vlcera maligna, quàm in recentioribus. Nec solùm ad eos morbos valet qui cum contagio luis venereæ commune aliquid habent, sed etiã ad tremores, paralyses,

articulorum

articulorum dolores, iſchiada, podagram, tumores ſcirrhodes & œdematodes. Strumas etiam extirpat, ſuccurrit ventriculi imbecillitati, inueterato capitis dolori, calculo, & veſicæ vlceribus. Primùm innoteſcere cœpit huius radicis vſus poſt annum 1535. adferentibus eam in Indiam Chinenſibus quibuſdam ea lue infectis, qua ſe intereà dum illic negotiarentur curarent. Poſteà Luſitani reliquo orbi communicarunt.

RADIX CONTRA VENENA, CARLO SANCTO, RADIX S. HELENAE. CAP. XLVI.

EX Charcis Peruana prouincia, ita referente Nicolao Monard. radices quædam aduehuntur Iridis radicibus valde ſimiles, ſed minores & ficulnei folij odore. Hiſpani Indias inhabitantes *Contrayerua* appellant, quaſi dicas alexypharmacum, quoniam earum puluis ex vino albo ſumptus, aduerſus omne venenum, cuiuſcũque ſit generis, præſentiſsimum eſt remedium (vno ſublimato excepto, quod ſola lactis potione extinguitur) vomitione illud reiicere faciens, aut per ſudores euacuare. Sed & amatoria pocula, eo puluere hauſto, reiici ferunt. Ventris etiam animalia pellit. Guſtata radix aromaticum quiddam ſapit cum acrimonia coniunctum. Quare calida videtur in ſecundo gradu. Nicolaus Monardi narrat ante triennium ex prouincia Mechioacan delatam eſſe radicem quandam *Carlo ſancto* dictam, cuius inſignes facultates prædicant. Noſtro Lupulo ſimilis eſt, & perticis ſe conuoluit illius more, quibus ſi careat, per humum ſpargitur & diffunditur: folia etiam Lupulo ſimilia, colore viridi, ſed obſcuriore, odore graui: neq; florem, neq; fructum fert. Radix craſſo capite eſt, ex quo aliæ radices oriuntur digiti maioris craſsitudine, colore candicante: cortex qui facilè ſeparatur, cuiúſque vſus eſt, odore aromatico, guſtu amaro cum quadam acrimonia: neruus radicis cortice ſpoliatus, multis quaſi fibris, ſeu tabellis tenuiſſimis conſtare conſpicitur, quæ ſingillatim ſeparari poſſunt. Naſcitur temperatiſsimis prouinciæ Mechioacan locis, ſolo neque nimiũ ſicco, neque humido. Calida & ſicca initio ſecundi gradus. Radicis cortex manè aliquanto tempore commanducatus, multam pituitam, alioſq; humores ex capite elicit, eamq; ob cauſam rheumatiſmos & capitis dolores & defluxiones curat: in nonnullis etiam vomitu multam bilem & pituitam è ſtomacho expellens, ſed illius decoctum maximè, cuius gratia ventriculum noxiis humoribus liberat, eumq; roborat, purgationem tamen præcedere neceſſe eſt. Idem commanducatus gingiuis abſcedentibus auxilio eſt, dentéſque ſtabilit, eóſque à ſcabritia & corruptione liberat, oríſque halitum commendat: ſed poſteà vino os eluendum ad amaritudinem tollendam. Pulueris exigua quantitas ex vino albo, aut Adianti, aut Canellæ decocto ſumpta vuluam obſtructionibus liberat, menſes prouocat, flatus diſcutit, purgato priùs corpore, & aluo (dum eo remedio vtetur) ex æquis partibus Liquidambar, & vnguenti Dialthææ inuncta. Cordis affectibus, iis præſertim qui ex vteri ſympathia oriuntur, auxilio eſt puluis vt antè ſumptus, aut illius decoctum hoc modo præparatum. Radicis minutim conciſæ drachmæ duæ in aquæ ſextario & dimidio coquuntur ad dimidias, corticis Citri in puluerem redacti drachmæ quatuor, pulueris Canellæ drachmæ duæ ſtatim iniiciũtur, ac denuo feruent, deinde colantur.

RADIX *Carlo ſancto, Monardi.*



Locus.

Temper. & Vires.

Iſtius

Istius decocti sex vnciæ singulis diebus manè addito saccharo propinantur, purgato tamen priùs vt decet corpore. Eundem puluerem & idem decoctum nonnulli in morbi Hispanici affectibus, atque in epilepsia commẽdant. Narrat idem

Radix S. Helenæ. Nicolaus Monard. ex portu S. Helenæ, qui est in Florida prouincia, adferri radices quasdam prælongas, sed nodosas admodùm, pollicari crassitudine, foris nigras, intus albas, sapore aromatico, Galangæ ferè simili. Resectis his nodis & perforatis fiunt precatoriæ sphærulæ, quas milites Hispani & Indi è collo suspendunt, & multùm illis tribuunt. Hi siccati rugantur, duríq; & quasi cornei fiunt. Planta ramos suos per terram diffundit, foliáque ampla & viridia admodùm profert. Nascitur

PATER noster, vel Radix S. Helenæ, Monardi.



Locus. locis humidis. Sicca initio, calida in fine secundi gradus existimatur. Has radices Indi lapidibus conterunt, totíque corpori inducunt balneaturi: quoniam cutim constringunt, & membra, vt inquiunt, suo grato odore roborant. Illius puluis cum vino haustus in ventriculi doloribus, vrinæ difficultatibus & nephritide commendatur. Hæc planta, sicut annotat Clusius, vt ex eius descriptione facultatibúsque colligere licet, ad Cyperi genus aliquod referri poterit.


PERSEA. CAP. XLVII.

Nomina ARBOR περσέα Græcis, similiter Latinis Persea nominatur. Quidam Persion ipsam etiam appellant. Qui hanc arborem eandem esse existimarunt, & Malum Persicam vulgò notam, de qua iam tractauimus, certè hallucinati sunt, vt ex Theophrasti, Dioscoridis, Galeni, Plinij testimoniis perspicuum fiet. Perseam veram Theophrastus his verbis de-

Lib. 4. hist. cap. 2. *Forma.* pingit. Est in Ægypto alia arbor Persea vocata, aspectu magna, & pulchra, sed maximè similis Pyro, & foliis, & floribus, & ramis, & tota figura, præterquàm quòd hæc folio perpetuo est, illa deciduo. Fructum autem fert multum, ipsúmque omni tempore maturum edit, nouo semper veterem occupante. Maturat autem sub Etesiarum flatum. Reliquum crudiorem tollunt & reponunt. Est autem Pyro magnitudine par, figura oblongus, Amygdali speciem, colore herbidus. Intus nucem habet quemadmodùm Prunum, sed multò minorem, & molliorem, carnem verò valde dulcem, iucundam, & concoctu facilem: nihil enim lædit eos, qui multùm ederint. Arbor hæc radicum excellit tum longitudine, tum crassitudine, tum etiam multitudine. Materia est robusta, aspectu pulchra, nigra Loti modo, ex qua simulacra, lectulos, mensulas, atque alia huiusmodi conficiunt. Persea Dioscoridi arbor est in Ægypto, fructum ferens cibo idoneum, stomacho

Li. 1. ca. 146. vtilem, in quo phalangia Cranocolapta nomine inueniuntur, præsertim in Thebaide.

PERSEA America, Matthioli.



περσεα, περσαι. arbor in Aegypto nascens sic denominata a Persa, seu Perseo inuentore

Arida folia in farinam redacta, illitu ſanguinis eruptiones ſiſtunt. Arborem hanc prodiderunt aliqui in Perſide exitioſam eſſe, tranſlatámque in Ægyptum mutata natura in cibos receptam. Hæc Dioſcor. cùm anteà alio capite de Perſicis egiſſet. Galenus duobus locis de Perſica malo, & Perſea ſeorſum tractat. Perſeam, inquit, vidi in Alexandria: ex magnis & ipſa eſt arboribus. Narrant autem fructum huius apud Perſas adeò eſſe noxium, vt eos qui ederint interimat, qui tamen ſi in Ægyptum transferatur, fit eſculentus, manditurq; non aliter quàm pyra & mala, quibus etiam magnitudine conuenit. Idem cùm dixiſſet Perſicæ folia vincentem habere amaram qualitatem, & cætera, multò pòſt ſcribit, Perſeæ folia adſtringentem vim modicam participare, adeò vt queant etiam nonnunquam vtiliter ſanguinis eruptione affectis partibus imponi: ac rurſus, In ſola Alexandria, inquit, Perſeæ arborem vidi, at non in alia Romanis ſubdita gente. Quidam Perſion ipſam etiam appellant, aiuntq; in Perſis lethalem eius arboris fructum eſſe, cùm tamen in Ægypto innoxius ſit. Quare cùm Perſeæ hiſtoria Perſicæ Malo nullis notis conueniat, cùm Dioſcorides & Galenus diuerſis locis de iis tractauerint, ſcripſerítque Galenus ſe in Alexandria ſolùm Perſeam vidiſſe, Perſica verò in Aſia, Græcia, Italia notiſsima eſſe, apertè demonſtrauit Perſeam à Perſica plurimùm differre. Iam verò Plinius Perſeam à malo Perſica perſpicuè diuerſam facit his verbis. Perſicæ arbores ſerò, & cum difficultate tranſiere, vt quæ in Rhodo nihil ferant, quod primùm ab Ægypto earum fuerat hoſpitium. Falſum eſt venenatam cum cruciatu in Perſis gigni, & pœnarum cauſa à Regibus translatam in Ægyptum terra mitigatam. Id enim de Perſea diligentiores tradunt, quæ in totum alia eſt, Myxis rubentibus ſimilis, nec extra Orientem naſci voluit. Eam quoque eruditiores negauerunt ex Perſide propter ſupplicia tranſlatam, ſed à Perſeo Memphi ſatam: & ob id Alexandrum illa coronari victores ibi inſtituiſſe, vel vt in manuſcripto legimus, coronam victoriæ ſibi inſtituiſſe in honorem ataui ſui. Semper autem folia habet, & poma, ſubnaſcentibus aliis. Quod autem Plinius hîc non ex Perſide tranſlatam, ſed à Perſeo Memphi ſatam ait, Nicander Perſeum Mycenis, non Memphi Perſeam plantaſſe his verſibus cecinit.

Li.2.Alim.

Li.7.ſimpl.

Li.8.ſimpl.

Lib.2.c.ph. par.c.2.

Lib.15. c.13.

In Alexi.

Καί τε καταλειφθέντα μετ' ἀργήεντος ἐλαίου,
Σκληρ' ἀπὸ περσείης κάρυα βλάστος οἷον ἐρύξει.
Περσεὺς ἥν ποτε ποσσὶ λιπὼν κηφηΐδα γαῖαν,
Αὐχέν' ἀποτμήξας ἅρπῃ γονόεντα μεδούσης
Ῥεῖα μυκηναίησιν ἐνηίξησιν ἀρούρης,
Κηφῆος νέα δῶρα.

Quos ſic Gorræus conuertit.

Tunſa quoque interdum quæ Perſea protulit oſſa
Palladio noxam depellent mixta liquori.
Hanc olim Perſeus poſtquam Cephēa liquit
Arua, & fœcundæ præcidit colla Meduſæ,
Cephei noua dona, Mycenis intulit aruis.

Nicander autem hoc loco aduerſus ceruſſæ venenum remedia docens, Perſeæ nuces pro Perſicorum nucleis intelligere videtur. Nam Dioſcorides contra ceruſſam περσικῶν ὀστᾶ exhibet. Paulus verò, ſicut hîc Nicander, περσείης κάρυα ad id laudat, vt ipſe Nicander inter Perſeam, & Perſicam Malum nihil diſcriminis nouiſſe videatur, & contra ipſum imprimis dictum eſſe credibile ſit, quod ex Plinio ſuprà memorauimus. Prætereà idem Nicander octauum phalangij genus phalænæ muſcæ circa faces noctu volitanti ſimile eſſe ait, & Perſeæ foliis innutriri.

Lib.6.

Lib.5. c.59.

In Theria.

Τῷ ἴκελος περσῆος ὑποτρέφεται πετάλοισι.

Hoc Phalangij genus à Nicandro nominatim non expreſſum, Cranocolaptam eſſe ſcribit eius Scholiaſtes, quem & κεφαλοκρούστην appellari ſcribit, vtroque nomine, ab eo quòd caput impetat, ſic nuncupatum, quod etiam Dioſcorides de Perſea tradit, ἐφ' οὗ τὰ λεγόμενα κρανοκόλαπτα φαλάγγια εὑρίσκεται). Idem Scholiaſtes hoc loco Soſtratum citat, qui ſcribit Perſeam Rhodaceneam vocari, & ex Æthiopia in Ægyptum tranſplantatam fuiſſe. ἰστέον δὲ, inquit, ὅτι σώστρατος ἐν τῷ περὶ βλητῶν, ἢ δακέτων τὴν περσέαν, ἣν ῥοδακηνέαν καλοῦσι, φησὶν ἀπὸ αἰθιοπίας εἰς αἴγυπτον μεταφυτευθῆναι. At Rhodaceneam oſtendimus, nihil aliud eſſe quam Malum Perſicam, & Rhodacena, Perſica Mala. Gorræus itidem Nicandri interpres, iis verſibus quos modò citauimus ſubiungit. Perſea oſſa Perſicorum oſſa, ſiue nuclei, euidentem habent amaritudinem. Proinde calfaciunt, & detergent. Eſt autem Perſea arbor, à Perſeo dicta, & cætera. Ex quibus intelligitur, Nicandri interpretes & Soſtratum aperto errore Perſeam, & Malum Perſicam eandem arborem putaſſe. Fructus eius figuram hîc damus affabre expreſſam, quem fructum ex Ægypto Dalechampius habuit, cum Theophraſti deſcriptione optimè congruentem. Nam pyri maiuſculi formam præ ſe fert (pendebat enim vncias quatuor & ſemiſſem) ſed ſtatim à ſuperiore parte qua pediculo hæret, multis locis tuberoſam, in mucronem obtuſum ſenſim deſinentem, colore, cum diu exſiccatus fuerit, qualis erat is quem vidimus, foris ſaturatè rufo, pulpa ſemidigitum craſſa, dulci, & guſtu ſuaui, intus nucem coërcente, totius fructus ſeu pyri ſpecie, foris rufeſcẽtem, intus cornu pellucidi prorſus colore & duritie cùm inaruit: in medio eius cauo nucleum nullum vidimus: aquam enim ſuauem eo concludi putamus quæ tempore abſumitur. Fructus is aliquandiu aqua maceratus muccaginem in ea emiſit ſuccúmque valde viſcidum, & valde ſuauem. Annis aliquot ante quã liber Cluſij ſtirpium per Hiſpanias obſeruatarum prodiiſſet, hæc deſcripſeramus: ex quo diuerſam, vt arbitror, à ſuperiore Perſeam hîc apponimus, quam in ſolo Valentino vnicam vidit in monaſterio D. Virginis, cui cognomen de Ieſu, primo ab vrbe Valentia lapide. Ex America eò delata fertur. Pyro ſimilis eſt, in latum diffuſa, perpetua coma virens, ramis ex viridi palleſcentibus, foliis Lauri latifoliæ, parte ſuperna virentibus, inferiore cinereis, firmis, neruis aliquot per obliquum diſcurrentibus, odore & ſapore commendatis, cum adſtrictione linguam mordicantibus. Flos illi eſt Lauri ferè, copioſus, racematim compactus, pallidus, ſex foliolis conſtans: fructus per omnia pruno ſimilis, deinde tempore pyri modo oblongus, nigro colore, iucundo ſapore, nucleum cordis effigie continet, guſtu caſtaneæ, aut dulci amygdalæ haud abſimili. Vere florentem vidit. Autumno fructum ferre intellexit. Hæc Cluſius.

PERSEA Americana, Cluſij, cum fructu, Dalech.

Lib. 1. ca. 2.



Forma.

CEREVS

CEREVS SPINOSVS. CAP. XLVIII.



HVIVS penè portentosa elegantia Naturæ Genius omnem prouocauit in nostratibus plantis admirationem. Nam mirabilitatis opplet spectantis animum & oculos huius rarissimæ venustatis plantæ spectaculum. Eam plebecula effigiei argumento Cereum vernaculè vocauit: hastas enim surrigit quaternas & quinas, nouendecim & vicenûm cubitorum, virgatis & ad normam directis striis, cannulatas: in externis extantibus striarum angulis obtusis exeruntur stellulæ, corneis stilis, radiatim è suo centro quoquouersum minacibus, vno duntaxat prominulo horsum, æquè directo longiùs: tota quandam effigiaturam, & concolorem superficiem echino Melocacti præfert, sed brachium æquabili ductu æquante, columellæ, aut cerei funalis prælongi instar. Eius è medio & striarum dorsis, ansatim, angustiore ceruice, Cucumeris ventre, surriguntur brachia terna, quasi folia teretia crassa, eundem commensum proportionis & figuram sortita. Intus torulus ligneus, carpi crassitie, obductus est callosa carne, & succo Aloës: gummeo enim turget, perquàm amaro lentore: flores in vestigio summo promit, referente qui attulit, digitalis purpuræ fructus: hilari purpura miniata rubet, ficus ferè effigie, gustu non insipido.

PERVVIANA ALIA FACIE ARBORIBVS ITEM INNASCENS. CAP. XLIX.



EIDEM cælo & natalibus ramorum arborum Indicarũ debemus hanc vnde auulserunt qui Morgano miserunt, cespite latiore, sessilis caudicibus incumbit, fibrillis cepaceis radicata: vnde proximè surgunt folia inuicem conuoluta, tunicea, inferiùs fermè palmum lata, numerosa, quadantenus Aloës, aut Scyllæ: & supernè in ligulas prætenues, mucronatas desinentia: purpureum, striatum, concauum, alis donatum scapum Hastulæ regiæ, aut Aloës, duorum & trium cubitorum ambientia, quæ multis glumosis siliculis spicantur, Auenæ situ: magnitudine verò & sericeo tomento candido Apocinum, vel Asclepiadem repræsentant, & semine, sed Conisæ exili gustu salso, ingrato, nitroso, fortè quia in aura maritima adoleuit, vt Aloës illic in sabuletis.

VISCVM INDICVM. CAP. L.



VISCVM Indicum ait Pena in Peruuianis insulis nusquam nisi in ramis & truncis arborum nasci solitum nostratis modo, multumq; adumbrare Sesili, sed transuersim excurrente radicis cespite; gramineis geniculis, & Polypodij quadãtenus, sed albicãtibus culmis, ex pallido virentibus, à medio summo tenus crassioribus, fungosis, striatis, sesquipedem longis, in quibus folia semper virent, Visci effigie, sed duplo maiora, crassiora, fungosiora secundum neruum folium medium intercurrentem: circulis vtrinque senis, veluti scalpro impressis, non parum admirandis.

POPVLVS America.



POPVLVS AMERICA. CAP. LI.

EX NOVO orbe elegantes ramos ac prægrandes mercatores Anglos illinc reuersos attulisse testis est Pena, ex quo effigiem hanc exhibemus. Virgulta sunt aliquantulùm flexuosa, & per sesquipalmum palmúmque crebra, geniculata, veluti insectione, commissuráque partium nodosa: vnde exeunt, singulo pediculo singula folia, ora exquisitè rotunda, nec vsquam nisi quà pediculus hæret intercisa, crassa, rigida, latiora, arboris Indæ, cui flosculi alternatim exeunt, prælongis loculis, stipati acinulis multis, exiguis, planè Populi modo. Quare & hanc Populum Peruuianam vocare illi visum fuit: gustu perquàm adstringente, aliquantulùm calfaciente, subsalso.

PALMACEA, SEV ARVNDINACEA PINNATA SPINOSA. CAP. LII.

SVNT huius plantæ indidem aduecti rami foliosi, illis affines, nec minùs intuenti effigie peregrinæ: quippe sambucini, aut ferulacei sunt, fistulosi & medullæ pleni, recti, rotundi, octonûm aut denûm cubitorum: sed per longitudinem triplici cartilagine, digitum lati, pinnati aut alati instar tesli: & oris extremis modicè fimbriis sinuatæ sunt cartilagines, stellulisque spinosis ornatæ, solertis opificis sapientiam arguentes. Alterius etiam illic natæ arboris

PALMACEA pinnata spinosa.



NERII facie arbor, Pena.



arboris truncum aut bacillum hîc proximè exprimendum curauimus qualem vnà accepimus: quod carpi craßitie est longa hasta & cortice nigro, densóque vestitur, tuberculis crassis, senticosis, creberrimis in clauæ modum muricato, solido, graui & prædura ligno.

NERII FACIE ARBOR Penæ. CAP. LIII.

ARBORIS peregrinæ Nerij facie ramulum, cuius perpulchræ sunt siliquæ, pingendum curauit Pena, & paucis descripsit. Propendent siliquæ de ramis & surculis Sambuci palustris, medullosis, pallidis, pullis, nodosis, sesquipalmum & pedem longis vaginis, cutaceis, vno cohæsu septenis aut nouenis, singulis gracilem lampetram exprimentibus. Intus farciuntur pelliculis cepaceis & tomentosis, adeò exuuium serpentis ementientibus, & quiddam cadauerculi anguini simile inuoluentibus, vt pueris terrori sit: consimili florum exortu oblongi exeunt caliculi, Herbæ sanctæ aut Stramoniæ.

FAGARA Auicennæ. CAP. LIIII.

MAHALEB meminit Clusius in Historia Aromat. Indicorum de Fagara Auicennæ hæc scribens. Fagara fructus est Ciceris arietini magnitudine, cortice tenui cõstans ex cinereo nigricante, cui subest tenue putamen nucleum continens satis solidum, & tenui nigraq; membrana obductum. Integer fructus cùm magnitudine tum forma & colore adeò similis est ei

FAGARA, Auicennæ.



quem Officinę Coccũ Indũ, Galli *Coque de leuant* appellant, vt primo aspectu fallere, & pro eo sumi posit. Meminit huius Auicẽna, ca. 260. hoc modo. Fagara quid est? Granũ simile Ciceri, habens granum Mahaleb, & in concauitate eius est granum nigrum, sicut Schehedenegi, & asportatur de Sofala. Collocat verò eam in tertio calefacientium & siccantium ordine, atque stomachi & hepatis frigiditati vtilem esse, concoctionémque iuuare, & aluum constringere scribit.

ARBOR TINCTORIA. CAP. LV.

Forma. Theuetus cap. 12. lib. sing. Vires.

MVLTAE sunt aliæ siluestres & peregrinæ plantę admirabiles, quarum nonnullæ solis descriptionibus nobis notæ esse potuerunt, quòd ij qui in exteras illas regiones nauigarunt, in quibus proueniunt, earum figuras non expresserint. Inter arbores in Regno Senegæ vna est glandiferarum nostrarum crassitudine, fructum ferens dactylis parem, ex cuius nucleo oleum exprimunt miris virtutibus præditum. Aquæ permistũ croceo colore planè inficit, quo tingunt pocula, ac pileos quosdam ex iunci, vel orizæ paleis contextos. Præterea id oleum odore est Violæ Martiæ, olei nostri sapore. Quamobrem multi pisces, orizam, aliósque cibos eo condiunt.

PALMAPINVS, SIVE CONIFERA. CAP. LVI.

VVLGARIS Palmæ congeneres esse multas siluestres in sinu Guineæ Oceani occidui, quæ steriles sunt, nec nisi exilitate à satiuis absunt, Pena intellexit ex mercatoribus Gallobritonibus, qui illuc quotannis ferè commercij causa adeunt. Inter quas & alij Angli institores non parum venustam & miram hanc icone hîc expressam ibi oriri illi affirmarunt,

PALMAPINVS siluestris.



PALMAPINVS, siue Conifera, Penæ.



eiusdémque ramos luculenta conorum fœtura onustos attulerunt: quorum arborem quasi quandam ex Palma & Pino hybridam natura ludibunda videtur conflasse. Lignum ipsum fungosa est Palmæ prorsum textura, in villos totum dehiscens, & squamosa cute loricatum, fastigiato termite numerosis & in orbẽ exortis surculosis ligulis quadraginta, aut quinquaginta, compactili vertibulorum & squamarũ serie pyxidatim articulatis, pedem longis, rotundis, parum compresis, quarum singulis commissuris singuli numerosi coni altiùs inseruntur triceni, aut quadrageni, qui mediocrem conum Cedri ementiuntur, puluillis in quincuncem digestis, reticulatoq; & imbricatim extuberante ventricoso nucis cortice fusco, nitido, polito, crassitie & concretione nucis Indicæ, intus nucleum glandémve oblongam sesquiunciam, aut duas vncias longam, præduro, & in farinam ægre friatili, gustu glandis & castaneæ, quæ sunt ei genti panis supplementum. (Forma.)

GENIPAT

GENIPAT. CAP. LVII.

MAGNI æstimatur in America arbor, quæ Genipat dicitur, maximè fructus eiusdem nominis causa:non quòd esculentus sit, sed quòd alios vsus Barbaris præbeat. Arboris folia Nuci iuglandi similia sunt,fructus ferè in ramorum extremo prouenit, aliis aliis impositis mirando quodam modo.Is magnitudine, coloréque Persicis nostris similis est,ex cuius succo vniuersum corpus inficiunt hoc modo. Miseri illi, & bruti homines, cùm succum ex hoc fructu aliter exprimere nesciant, illum mandunt,ac si voraturi essent,deinde ore reiiciunt,& manibus veluti spongiam exprimunt,vt succum emittat,qui admodùm limpidus est.Profecturi igitur illi aut ad stragem aliquam edendam,aut ad inuisendos amicos,aut ad solenne aliquod,totum corpus hoc liquore madefaciunt. Is quo magis in corpore exsiccatur, eo magis natiuum colorem acquirit, qui vix verbis exprimi potest: est enim quodammodo inter nigrum & cœruleum,siue eum colorem qui vulgò azurus dicitur,medius. Hoc infecti Barbari incedunt,non minùs ornatos sese existimantes, quàm nos nostris coccineis, ac sericis vestibus.Est alia arbor etiam Genipat appellata, cuius fructus maior est, & edulis.

Forma. Theue us cap.32. lib. sing.

Vsus.

HYVOVRAHE. CAP. LVIII.

SILENTIO non prætereunda arbor, quam ob raras dotes Barbari Hyuourahe appellant,id est,rem raram. Arbor est procera, cortice coloris argentei,ligno rubescente, gustu ferè salso, aut ligni glycyrrhizæ. Corticis mira est virtus, & mirandus effectus. Quare eodem est in pretio apud Barbaros, quo Gaiacum apud nos. Fuerunt etiam qui Gaiacum verum esse existimauerint, à quibus dissentit Theuetus. Quicquid enim similes Gaiaco vires habet, Gaiacum dici non oportet. Nihilominus Christiani hoc cortice Gaiaci loco vtuntur ad curandum morbum Indicum hoc modo. Corticis huius, qui recèns ab arbore sua auulsus lacteum succum emittit, quātùm satis sit in particulas concídunt,tres quatuórve horas in aqua decoquunt, donec vini rubelli colorem acquisierit.Hoc decocto quindecim vel viginti diebus vtuntur continuis, cum tenui victu.qua ratione, vt audio, curatur optimè morbus Indicus,nec is modò, sed quiuis alius, qui à frigidis & pituitosis humoribus pendet, qui huiusmodi decocto attenuantur, ac probè exsiccantur.Eundem Americi in morbis vsurpant. Estq; huius potio etiam sanis suauissima. Est etiam aliud in hac arbore præstantissimum, nimirùm fructus ipsius pruni nostri mediocris magnitudine, auri obryzi colore, nucleum concludens mirè suauem & delicatum, ægris,& iis quibus prorsus deiecta est appetētia vtilissimum.Præterea hæc arbor quindeno quoque anno tantùm fructum profert, quod plerisque incredibile videri possit: id tamen affirmare asseueratione possum, quod curiosiùs perscrutatus sum, didicíque à senioribus Americis, quorum vnus arborem mihi ostendit, mihíque asseruit se toto vitæ tempore ter quatérve solùm huius fructum gustasse.

Forma.

Theuetus cap.50.

Vires.

PENOABSOV. CAP. LIX.

EST etiam in America arbor Penoabsou dicta, cortice odoris planè admirandi, foliis Portulacæ, valde spissis,perpetuò virentibus. Fructus edit magnos, grandioris pomi magnitudine, orbiculatos, pilæ lusoriæ modo, minimè edules, imò venenatos. Singuli senas nuces intus habent, amygdalis nostris similes, nisi quòd latiusculæ sunt,& magis com-

Forma. Theuetus cap.58.

pressæ in singulis singuli nuclei conduntur, qui ad sananda vulnera mirificè faciunt, quibus etiam vtuntur Barbari sagittis icti, aut quouis alio modo in præliis vulnerati, ex his contusis oleum exprimentes rufum, eóque vulnera illinentes.

PALMA VINIFERA. CAP. LX.

Forma. Theuetus Cap. 11. PROMONTORIVM Æthiopum, nunc Promontorium viride, vt infinitis arboribus, fruticibúsque maximè fructiferis, ita etiam Palmis tum ob aëris naturam, tum summam soli fertilitatem abundat. Est autem ex Palmarum genere arbor pulcherrima, siue proceritatem, siue perpetuam viriditatem, atque alias speciosæ arboris dotes contempleris. Hanc instrumento aliquo incidunt, & aperiunt, tanto hiatu, vt in eum pugnus immitti possit, qui à terra pede vno, aut plurimùm duobus absit. Inde manat succus, quem vasis terreis excipiunt ad hiatum vsque pertingentibus. Ex Palma Cichorin eiusmodi succum elici gustu suauissimum posteà dicemus. Hinc in alia transfundunt, reponúntque in quotidianam potionem, quam Mignol appellant. Vt autem integrum diutius cõseruent, modicos sales, vt nos in omphacium nostrum, iniiciũt, à quibus consumpto humore crudo & immaturo liquor incorruptus permaneat. *Vires.* Colore verò & consistentia vinis albis Campaniæ nostræ, & Andium similis, gustus suauissimi, ad refrigerandum & ad sedandam sitim, cui incolæ ob continuos & summos æstus maximè obnoxij sunt, conuenientissimus, quíque non minore apud eos est in pretio, quàm apud nos vina nostra præstantiora, quamuis eiusdem arboris fructus, qui parui sunt dactyli, sint gustui acerbi, nec edi facilè possint.

ARBORES VENENATAE. CAP. LXI.

Theuetus Cap. 61. lib. Sing. INTER Peru & Canibales multæ sunt insulæ, quæ vnius imperio parent, quem Cassique nominant, in quarũ maxima, in qua sæpius Rex habitat, Gaiacum arbor copiosissimè prouenit. Item alia fructum ferens pilæ magnitudine visu speciosum, sed venenatum. Huius succo sagittas Barbari imbuunt, iis aduersus hostes in præliis vsuri. Est etiam alia ex qua scarificata succus emanat mortifer: radices tamen sunt esculentæ, ex quibus farinam faciunt qua vescuntur. Hæc in gratiam eorum qui rerum naturæ variarum, nouarúmque cognitione delectantur, ex Theueto descripsimus. Qui & T 1. Cosm. lib. 10. c. 3. hæc de Baxama tradidit. Ab insula Ormuz decem miliaribus distat ea quæ Queionne nominatur, è regione illius sita, olim Principum quorundam delitiæ, nunc inculta & deserta, tum quòd magna ex parte diruta sit ob vehementes terræ motus, tum ob viperarum, aspidum, colubrorum, qui colore à nostris valde differunt, atque serpentium omnis generis copiam, quæ illic stabulantur, ex quibus tam venenata & pestilens aura exhalat, vt non solùm homines perimat, qui vel aliquãtulùm moram illic fecerint, sed etiam stirpes ipsas inficiat, in quibus est arbor Baxama, cuius fructus vel minimùm degustatus, mox suffocat, id quod ipsius etiã vmbra præstat, si quis vel quadrantem horæ sub ea moretur. Cùm tamen aliis in regionibus eiusdẽ arboris radix venenorum omnium sit antidotus, illic lethalis, nec non & folium ipsius, & fructus qui Rabuxit vocatur.

ARBOR FINIVM REGVNDORVM. Cap. LXII.

Lib. Exot. Exerc. 15. Exerc. 181. QVASDAM alias nobilissimas ex Æthiopia, Arabia, Troglodytica, India, Sarmatia, Scythia plantas ex Scaligero recensendas esse duximus, etiam à nauigatoribus, & Historiæ Indicæ scriptoribus memoriæ proditas. Ab arbore finium regundorum incipiemus. Nomi- Exerci. 181. 3. nis oblitus Ioannes Balada familiaris meus, inquit Scaliger, qui multos annos Indias pera-

dias peragrauit, faciem modo narrabat arboris. Paruam esse frequentibus virgulis, veluti Punicā, folium Pruni, fructus qualis Castaneæ cum erinaceo. Intus coccus ruber, quo vtuntur ad tincturas & picturas. Non enim literas habēt Mexicij, apud quos nascitur, sicuti neque olim Ægyptij ante Theuth. Sed in tabellis pictis seruant agrorum facies, finésque prædiorum. Quæ fuit causa vt eam Scaliger appellarit finium regundorum arborem, donec alius fœlicior nomen apponat verum. *Forma.* *Vsus.*


MANGA. AMBA. CAP. LXIII.

EST in Malauar Manga arbor Pyri facie, cuius fructus Persico par aut maior. Corticis color viridis immaturo: Augusto mense cum maturitate recipit luteum: simul acquirit splendidum nitorē. Caro, vt pruno, mellei saporis. Os intus sicut amygdalo. Immaturum condiunt vt oliuas. Amba nomen. Ludou. Bononiensis in Itinerario suo in Calicuto nasci tradidit. Cætera planè eadem habet. Garcias in Aromat Indico. historia tradit omnium qui apud Indos nascuntur fructuum præstantißimum esse eum quem ipsi Mangas vocant. Colligi in regionibus calidioribus mense Aprili, in aliis Maio & Iunio, interdum tamen Octobri & Nouembri, cæterùm pro regionum natura & diuersitate variare etiam saporis bonitate. Habere se in prædio suo quod est in Bombaim arborem huiusmodi fructus ferentem, quæ bifera est. Nam Maio mense fructum fert saporis quidem & odoris gratia excellentem, sub finem verò Autumni alium superiori magis commendabilem. Colore est is fructus ex viridi rubescente, & odore gratissimo. Exempto cortice editur, aut sine vino, aut generoso aliquo vino maceratus, veluti Persica. Condîtur etiam saccharo, interdum verò & aceto, & oleo, & sale, inspersis in eius meditullio gingibere & aliis. Nonnunquam editur cum sale, & nonnunquam elixus. Frigidus verò est & humidus, quēadmodùm Persica. Eius osficulis assatis alui profluuia sisti aiunt, quod verum esse Garcias deprehendit. Nucleis verò recentibus lumbricos & ventris tineas necari dicunt, quod rationi consentaneum est ob eorum amarorem. *Forma.* *Exerc. 181. 5.* *Theuet. T. 1. Cosmog. lib. 11. c. 16.* *Locus.*

GVANABANVS. CAP. LXIIII.

GVANABANVS arbor Pini stipite, procera, folio magno, oblongo, fructus Melonis magnitudine. Cortici color viridis, splendor Cydonij, digitalis crassitudo. Caro intus candida, dulcedine lactis coacti, semina continet phasiolacea. Generalis historiæ Indiarum auctor tradit fructus corticem viridem tenuem esse vt Pyri, superficiéque squamulis distincta. Hic Guanabanus planè conuenire videtur cum Ouiedi Guanabano, & vterque ab eo diuersus esse cuius ex Scaligero meminimus. Sic in Historia sua suum describit Ouiedus. Guanabanus procera arbor est, & formosa, folio ferè Mali citriæ virente: fructu pulcherrimo, mediocris Melonis magnitudine, qui tamē interdum in capitis pueri crassitudinē excrescat. Cortex huic fructui viridis, & qui quibusdam squamis distinctus videatur, vt strobilus, læuioribus tamen, neque ita tumentibus, quandoquidem totus cortex tenuis sit, neque crasior quàm in Pyris. Caro candidißima, saporisq; delicatißimi, quæ facilè cremoris lactis instar in ore resoluitur. Per eius carnē sparsa sunt semina magna, Cucurbitarū seminibus aliquātò maiora & nigricantia. Frigidus est hic fructus, & per æstus vtilis. Nam tametsi quis integrum Guanabanum deuoret, *Exerc. 181. 6.* *Forma.* *Lib. 8. c. 17.* *Lib. 8. c. 17.*

GVANABANI fructus, Ouiedo.




deuoret, nullum inde sentiet nocumentum. Infirma est ligni materies. Hæc Ouiedus. Scholiastes verò historiæ Aromat. Indic. Scaligeri Guanabanum eum esse putat, qui superioribus annis ex Æthiopię Mozambique Antuerpiam allatus est fructus crassus, sesquipedali longitudine, cui densus durúsque cortex, tenui mollíque vt in Cydoniis, sed viridi lanugine obductus, aliquot per lõgitudinem excurrentibus venis, siue potiùs sulcis, vt in Melonibus, extrema parte in mucronem desinit, superiori verò quà è ramis dependet, pediculo inhæret firmo, duro, & fibroso. Continet hic fructus pulpam candicantem, qua Æthiopes in febrium ardoribus vtuntur sitis sedandæ gratia: iucunda etenim aciditate prædita est. Hæc siccata friabilis est, sic vt digitis trita in pollinem resoluatur, remanente tamen perpetua aciditate. Per hanc sparsa sunt semina renibus, aut Anagyridis legitimę fructui simillima, nigro tamen colore nitentia, ac ex vmbilico fibris quibusdam suspensa. Huic simillimum, foliis tamen ab hoc diuersis, ex Theueto suprà descripsimus nomine ficus Nigritarum.

MAMEI. CAP. LXV.

Exer.181.8. *Forma.* MAMEI arboris tum facies tota Castaneæ, tum magnitudo. Idẽ folium, sed maximum, fructus non solùm ingentis Persici, sed etiam maximi Cydonij superat globũ. Nuculas duas habemus, inquit Scaliger, quas intus fert, quarum altera penè æquat Persicum, altera longè maior. Ex qua possumus addita aut circumiecta pulpæ corpulentia totum ambitum animo metiri. Rubro colore pulpa est. Corium fructui fuluum. Sapor Persici. De eadem Lib.8.c.20. arbore hæc ex Ouiedi historia decerpsimus. Mamei arbor est speciosissima, magnæ Nucis iuglãdis proceritate, foliis paribus aut maioribus, crassioribus, altera parte viridioribus, palmũ longis, & ad proportionem latis. Huius fructus est omnium qui in insula Hispaniola dicta proueniunt gustui suauissimus, quandoque perfectè, quandoque imperfectè rotundus, pugnos duos magnitudine æquans, aliquando minor, cortice contegitur fuluo, modicè aspero, Pyrorum siluestrium ritu, nisi durior crassiórque esset. Sunt qui vnum, alij duos trésve concludunt nucleos in pomi medio interstitiis distinctos, acinorum ritu membranula tenui opertos, delibratæ castaneæ colore, quorum pulpam si secueris, iudicabis castaneæ, præterquàm sapore, similem, sed interior acinus fellis est amaritudine, delicata tunicula contectus, quam inter & priorem illam membranulam caro sine pulpa intercedit ferè fulua, Persici duracini gustu, aut meliori, non tamen tam succulenta est, neque tam odora. Pulpæ isti digitalis est crassitudo in maioribus, minor in minoribus pomis.

MAMEI folium.



GVAIAVA. CAP. LXVI.

Exer.181.9. *Forma.* GVAIAVA est arbor, tum fructus, Mali facie. Sed color fructui cãdidus. In quo semen nigrum, minutum, rotundum eximit ipsum ex illorum natura. Paulò fusiùs hæc arbor ex Ouiedo describenda. Guayabo, Lib.8.c.19. inquit, arbor est Indis omnibus vulgatæ cognitionis, Aurantiis arboribus magnitudine par, sed ramis rarioribus, foliis minùs viridantibus, laurinis, sed paulò latioribus, crassioribus, & venulis eminentioribus. Poma profert aut longiuscula, aut rotunda, alia intus rubra & punicantia rosarum modo, alia candida, sed foris omnia viridia, aut lutea cùm prorsus maturuerint. Horum quædam ea sunt magnitudine qua quæ Pasipoma Galli vocant, quædam minora, pulpa in quatuor

quatuor partes distincta est, quarum singulæ granulis sunt refertæ durissimis, quæ tamen quo minùs deglutiantur non impediunt, cortex Pyri muscatelli cortici similis, eodem modo eximitur, flos quadãtenus Aurantiæ aut Citriæ mali florem refert, in quibusdam florum Gelsemini odore, eoq; suauiore. Huius arboris quædam siluestris est, alia satiua: fructus esu suauis, concoctu facilis, alui profluuiis vtilis, nam astringit, præsertim si paulùm immaturus & duriusculus edatur, vt arbor Guyabo, ita fructus Guyaba dicitur.

BRVSATHAER. CAP. LXVII.

AD Chinarum sinum marinæ sunt arbores visenda vastitate: tanta, inquam, vt in eis immensæ magnitudinis auibus stabulari liceat. Etenim tam grandes sunt, vt eis etiam grauiora animalia integra sustollatur, atq; auferantur. Has arbores vocant incolæ Brusathaer: fructus ferunt anguriis non minores. Eadem scripsit M. Anton. Pigafetta in Itinerario suo. Exer. 181. 10.

CACHI. CICCARA. CAP. LXVIII.

SPINOSA est arbor in Malauar, cuius folium nõ pingunt. Ipsa Cachi, fructus Ciccara dicitur, longitudine pedali, humanæ coxæ crassitudine. Pondus fidem superat. Cortici color primùm viridis: maturescens in luteo fuscus. Corpus firmiusculum, compressioni tamen ita cedit, vt frangatur. Temporis quoque suapte natura impatiens. Haud enim ita multò postquàm detractus sit, fit rugosum. Totius forma vt Pineæ Nucis. Intus enim camerulæ membranis distinguntur, vt in Punica. Pulpæ odor suauisimus. Sapor mistus ex Melone moschato, Persico arantio dulci, & melle. Intus poma ducena quinquagena ad trecentena vsque, ficorum tum specie, tum dulcedine, sine cortice, vt aiunt. Membranulis tamen distingui necesse est, quibus segregentur, vt ouorum vitella. In his pomis fructiculus est alius, figura castaneæ, qui ad eundem quo castanea modum inter coquendum crepitat, esculentúsque est. Etiam bobus in pastum datur. Exit è trunco fructus, sicut & Iumeiz, id est, Sycomoro, inter spinas & frondes: interdum, quod magis mirum est, è radice subtus terra, vnde prodit. Hic longè præstantior regibus dono datur. Legitur mense Decembri. Eadem prorsus scripsit Ludou. Bonon. in Itiner. suo, nascíque in Calicuto. Eadem etiam Nicolaus Costin. in Itiner. nisi quòd non fructus ait bubus pro cibo præberi, sed eorum cortices. Præterea arborem grandi Fico similem esse, foliis diuisis Palmæ modo, ligno buxeo, ad multa vtili.

Exer. 181. 12. *Forma.* *Tempus.*

MELO CORCOPALI. CAP. LXIX.

CORCOPAL Indiæ prouincia est, in qua Cydonij magnitudine & foliis arbor. Prægrandem gerit fructum, Melonis figura, eodémque sulcatum modo. Intra quem terna, quaternáve grana, acinorum vuæ facie, acore cerasi. Melo hic & edendo est, & ad medicinas vtilis. Ibidem mespilum colore albo, mali magnitudine. Eadem Ludo. Bono. in Itiner. Theuetus in Promontorio Comari fertilissimo prouenire tradit arborem Malo Cydoniæ magnitudine & foliis similem, cuius fructum Corcopal vocant, esu gratissimum, gustu suauissimum, quo etiam ægrotantes vtuntur, quia prauos humores per aluum expurget.

Exer. 181. 13. *Forma.* *Vsus.* *Theuet. 1. Cosm. lib. 11. cap. 17.*

DARIAN. CAMALANGA. CAP. LXX.

SVPERIORI Meloni similis Taprobanæ, quæ nunc Sumatra, fructus, qui Darian dicitur. Anguriæ magnitudo, cortex viridis. Eius in visceribus quini fructus Arancij quantitate, & figura, sed oblonga: butyri sapore suauissimo. Hæc etiam Nicol. Costi. in Itinerario. In eadem

Exer. 181. 14. *Forma.* *Vsus.*

eadem Carcopal Camolaga fructus esitatur, sesquipede maior, Cucurbitæ colore. Humi iacet vt Melo. Pulpæ plurimùm. Condimenta ex ea vel cucurbitinis, quas Carabassadas Hispani vocant, vel Citriis meliora, atque sapidiora. Eadem Ludou. Bonon. in Itinerario suo.

ETTALCH. CAP. LXXI.

Exerc. 181. 19. GRANDIOREM Iuniperū quæ Cedrum maximè æmulatur, Harar vocant Arabes, Afri nominant Ettalch. Eius medulla in Numidia candida, in Æthiopia nigra, in Libya purpurea: qua in scobem comminuta dicuntur Afri Medici fælicissimo successu vice Gaiaci ad morbum Indicum profligandum vti. Hunc morbum tres nationes, Galli à Neapoli, vbi se inuenisse putant: Itali à Gallis in quibus primùm aiunt sese illum conspexisse: Germani ab Hispanis, qui ex India tam pretiosam mercem conuexerunt, nominant. Ego, inquit Scaliger, meritò ac iure Indicum. In descriptione nonæ partis Africæ legimus Ettalch grandem & spinosam esse arborem, foliis Iuniperi, quæ gummi mastiche simile emittit, quo Afri mastichen adulterant, quòd colore & nonnihil odore mastichen referat. Cætera prorsus eadem. Ea prorsus videtur esse Oxycedrus suprà descripta. Meminit Theuetus arboris Etabche, quę in insula Cuoue prouenit valde spinosa, & Iunipero similis.

Forma. *Vires.*

GOR, ARANCIA, LIMONES, AMBVLON. CAP. LXXII.

Exerc. 181. 20. AD fluuium, qui Niger dicitur, nullæ arbores fructiferæ præter paucas admodùm. Inter quas vna, cuius fructus castaneæ similis, sed amarus. Gor vocant incolæ. Ioannes Leo lib. 1. descriptionis Africæ tradit has arbores mirandæ esse proceritatis, satis procul à mari, in continente. In Indiæ insula Zeilam cortex Aranciis dulcis est, & suauis. Limones autem proueniunt ibi, sua specie, pusillli, qui nullum porrò capiunt incremētum, sapore dulcissimi. Siluestrium Limonū arbores in Syria, Ægypto, Africa, frequentes pomis admodùm exiguis, acidissimis. Aruchet insula fert arborem, cuius è cortice fructus exit candidus, sacchararti specie, & magnitudine coriandri. Ambulon ei nomen est.

Exer. 181. 24.

Ambulon vox afric.

ARBOR ΜΗΤΡΟΣΙΔΗΡΟΣ. CAP. LXXIII.

Exe. 181. 27. GRAECVM fortasse nomen à nobis inditum, inquit Scaliger, plus historiæ conueniet, quàm ingenio nostro. Tam enim est prope mendacium, quàm nos à voluntario mendacio alieni. Animi tamen gratia reponentur hîc. In Iaua maiore aiunt raram esse arborem cuius medulla ferrea sit: exilis illa quidem, cæterùm porrecta ab imo ad summum plantæ fastigium. Ex ea frustum qui gerat, ferro esse impenetrabilem. Eadem refert Nicol. Costin. in Itinerario suo, vt & ea quæ sequuntur.

μήτρα matrix uterus, in arboribus ē medulla σίδηρος ē ferrũ.

~~Ambulon uox~~ a

MVSA ARBOR. CAP. LXXIIII.

PALMARVM quoque generis quidam putant esse arborem illam, quæ in Ægypto Cypróque, & Syria non procul ab vrbe Alep vulgò nominata prouenit, quam qui illuc nauigant Musam appellant. Arabibus vt Serapioni & Auicennæ Musa Maum, & Amusa dicitur, in Syria Mose. Græci Christianíque qui Syriam incolunt, & Iudæi, arborem eam esse aiunt, cuius fructus edit Adam. Quod ridiculum esse scribit Garcias in Aromatum Indicorum Historia. Id verò multò magis, quod scribit quidam Franciscanus,

Nomina Li. 2. c. 491. Matth. lib. 1. in Diosc.

ſcanus, fructum hunc laudabilem Muſa vocari, quòd Muſis dignus ſit, aut quòd earum ſit cibus. Naſcitur in Canara, Decan, Guzarate & Bengala, vocaturq; illis Quelli. Naſcitur etiam in Malauar, vbi Palan, & in Malayo, vbi Pican, & in ea Africæ parte quam Guineam appellant, vbi Bananas dicitur. Arbor eſt quinûm ſenúmve cubitorum proceritate, quæ ex ſtolonibus alterius ſeritur, foliis arundinaceis, longè latéque ſeſe diffundentibus, adeò vt ternûm cubitorum longitudinem quandoque excedãt, latitudine ſeſqui cubitum æquent, lata craſſáque per medium excurrente coſta. Ea Aeſtate vel natura ſua, vel ſolis ardore, ſic areſcunt, & veluti torrentur, vt menſe Septembri nudæ tantùm remaneant coſtæ, decidente foliorum materia, quòd admodùm ſit tenuis. Caudice vnico conſtat ſine ramis, ſquamoſo cortice veſtitos, Palmæ vel Arũdinis modo. Ex vertice germen emergit molli corpore, longitudine ferè cubitali, à quo alia prodeunt, ternûm quaternúmve digitorum interuallo, ex quibus circumeminent fructus parui cucumeris magnitudine, per maturitatem quodammodò flaueſcentes ficuum inſtar cortice contecti, eodẽ quoque modo quo ficus ſpoliantur. Subſtantia pulpæ melopeponibus ſimilis nullo intus oſſe, neque ſemine. Ii principio guſtantibus inſipidi eſſe quodammodò iudicantur, nec ita guſtatui ſuaues: ſed qui iis veſci perſeuerant, magis ac magis in dies oblectantur, occulta quadam ſaporis ſuauitate ita allecti, vt nunquam iis ſaturari poſſe videantur. Muſæ meminit Auicenna, vt diximus, item Serapio his verbis. Muſa excalfacit in medio primi abſceſſus, humectat autem in eius fine. Paucum præbet alimentum. Priuatim prodeſt thoracis, pulmonis, ac veſicæ ardoribus. Aluum emollit, verùm liberalior eius vſus ſtomacho aduerſatur, ac iecur obſtruit. Quamobrem ſi quis cùm frigidi ſit temperamenti ea copioſiùs veſcatur, ſubinde aquã mulſam, oxymeli, aut zingiber condîtũ ſumat neceſſe eſt. Fœtũ in vtero alit, renibus opitulatur, vrinam ciet, & venerem ſtimulat. Hæc Serapio. Si Muſa hæc Palmæ genus eſt, quodnam id ſit ex tot generibus quæ ex Theophraſto recenſuimus, dictu difficile eſt, niſi quis id eſſe iudicet, quod Theophraſtus in Cypro naſci prodidit, folio cæteris ampliore, & folio longè maiore, magnitudine Mali Punici & figura oblongo. Carolus Cluſius in ea eſt opinione vt exiſtimet Muſam Arabum eam eſſe plantam, cuius Plinius meminit his verbis. Maior alia pomo, & ſuauitate præcellentior, quo ſapientes Indorum

MVSA arbor.



MVSA cum fructu.



Li.2.c.491. cap.84.

Vires & Temper.

Lib.2. hiſt. cap.8.

In Arom. Indi.hiſto. cap.10.li.2. Lib.12. c.6.

MVSA Pacouera Theueti.



viuunt. Folium alas auium imitatur lõgitudine trium cubitorum, latitudine duûm: fructum cortice emittit, admirabilem ſucci dulcedine, vt vno quaternos ſatiet. Arbori nomen Palæ, pomo Arienæ. Plurima eſt in Sydracis, expeditionum Alexandri termino, &c. Nam ferè omnia, inquit ille, pulcherrimè ad Muſæ deſcriptionẽ quadrant. Huc accedit quòd in Prouincia Malauar, quæ ſupra Indum flumen eſt, intra verò Gangem, Palan adhuc nomen retineat, à quo Latini ſuum Pala mutuati videntur. Cæterùm meminit huius fructus Ludouicus Rom. in lib. Nauigationum ſuarum. Ouiedus nomine improprio Platanum appellat. Theuetus arborem hanc Paquouere Americis vocari tradit, fructum Pacoua. Arborem Mauze in Ægypto vocatam deſcribit non maiorem ficu mediocri, cuius folia quinque aut ſex pedes longa ſunt, duos lata, fructus in caule coaceruatus, non ſecùs ac dactyli in Palma, craſſus & longus mediocris cucumeris inſtar, delicatiſſimus atque ſuauiſsimus quem domi ſuſpendunt vt nos vuas penſiles eóque ſæpe ſolo tanquam optimo vtuntur alimento. Arbor tenella eſt & fragilis, adeò vt niſi maxima truncum haberet coxæ hominis craſſitudine parem, minima tibiæ, in cremiorum non in arborum numero recenſenda foret. In America ſemel aut ſummùm bis fructus fert. In Æthiopia & Arabia viciníſque inſulis etiam trifera eſt. Idem Theuetus in regione Catay naſci arborem refert quæ Photel nominatur Fructũ edit magnum, Muzæ Ægyptiæ fructui parem, ſed paulò breuiorem: quam ob cauſam nonnulli ficum Pharaonis vocitarunt. Is præter cæteras dotes, ad ſedandam ſitim & febrium ardentium æſtus refrigerandos perutilis eſt: folium Plantaginis habet, ſed paulò ſpiſsius. Arbor octo cubitorum altitudinem vix ſuperat. In ramorum eius vtraque parte fructus prouenit, ligno ipſi hærens, ſub foliis occultatus, quæ arthritidi mirè proſunt.

Lib.5.c.15. Lib.8.c.1. Cap.33.ſin. Ame. Theuet. Coſmog. T 1.lib.5. cap.2. *Mauze.*

T.1.Coſm. lib.12. c.19. *Photel.*

NANA. CAP. LXXV.


FRVTEX in America prouenit, folium habens lato Iunci folio ſimile: fructus Nana à Braſilianis nuncupatur, citruli mediocris magnitudine, toto ambitu Pineæ nucis ſpecie, fuſcus cùm maturuit. Mirè excellit hic fructus tum dulcoris, tum ſuauitatis gratia quouis ſaccharo præſtantior, non maturus tam inſuauis vt os vlceret. Semen nullum profert: quare ſurculo ſeritur. Non niſi conditus ad nos deferri poſſet, quia poſt maturitatem diu ſeruari nequit. Hoc ægri frequentiùs veſcuntur, quàm vllo alio cibo. Hunc fructum deſcribere videtur Ouiedus nomine Yayama his verbis à Cluſio traductis. Naſcitur in Hiſpaniola, cæteríſque vicinis inſulis fructus, quem Hiſpani à Pineæ nucis ſimilitudine Pinas appellant, non quòd eiuſmodi ſquamas lignoſas habeat, ſed quòd eius cortex ſimili modo diſtinctus videatur, tametſi non ſquamatim, ſed peponis modo cultello integer auferatur. Vt autem ſucci bonitate & ſuauitate reliquos fructus hic antecellit, ita color illi pulcherrimus ex luteo vireſcens, paulatim per maturitatem virore euaneſcente. Odor ei iucundiſſimus, qualis

ferè

Theuet. cap.46. ſingul. Americ.

Lib.7. c.13. *Yayama Indorũ.*

NANA fructus, siue Yayama.



ferè in eo Persicorum genere, quod à malis & cotoneis nomen apud Italos & Hispanos inuenit: magnitudo illi vulgaris melonis. Nascuntur verò singuli fructus ex Cardui genere aspero & spinoso, cui folia oblonga, ex quorum medio prosilit caulis rotundus, vnicum ferẽs fructum, qui post decimum aut duodecimum mensem demum maturescit. Eo sublato nullus præterea in planta nascitur fructus, ideóque ea velut inutilis abiicitur. In extremo fructus, interdum etiam in extremo caule sub fructu enascuntur veluti germina & turiones quidam, qui fructui magnum addunt ornamentum: hi sunt tanquã semen; panguntur enim tribus sub terra digitis, sic vt media turionum pars extra terram extet, atque radices agunt, suóque tempore fructum perficiunt. Varia sunt eius genera, quæ pro linguarum varietate diuersis nominibus nuncupantur: tres vero distinctæ species notantur. Prior Yayama ab incolis appellata, altera Boniama, tertia Yayagua. Postrema carne est candida, gustu vinoso, sed acido & acerbo. Boniama carne est candida, gustu dulci, & quodammodo fatuo. Yayama reliquis oblongior est, & bonitate illis præstat, carne fuluescente, gustu dulci & suaui. Per omnium tamen carnem sparsæ sunt fibræ quædam tenuissimæ, quæ tametsi palatum inter edendum non offendant, gingiuas tamen lædunt, si quis crebriùs eis vescatur. Quibusdam locis nascuntur etiam hæc genera sponte in agris copiosè, at quibus cultura accessit longè sunt iis suauiores, & cultoris beneficium abunde pensant. Huius fructus abundãtia auctoritatẽ eius minuit. Sed tamen & his insularibus cùm bonitate, tum magnitudine præstant qui in continenti nascuntur. Maturus fructus quindecim tantùm aut viginti diebus conseruari potest. Hactenus Ouiedus. Narrat etiam Theuetus Necumere maris Indici insulam innumeris fructibus abundare, inter quos qui ipsorum lingua Melenken nominatur, magnus est nucis pineæ specie, cortice luteo, quo spoliatã carnem & in particulas consectam si degustaueris, saccharum ore continere dixeris cum pauxilla nucis muscatæ portiuncula permixtum. Hoc Barbari præsertim ad sedandam sitim vtuntur. Fructui Nana satis similis est, nisi quòd Melenken in arbore prouenit Mori ferè proceritate, nigro cortice vestita, folio quadãtenus rubescente, longitudine & latitudine folij Angelicę. Nana autem planta est foliis Iunco similis, nunquam ad tantam altitudinem accrescens.

ARBOR GEHVPH. CAP. LXXVI.

ALIT Taprobana insula hodie Sumatra nuncupata arborem admirandæ facultatis, vt refert Theuetus, quæ illic Gehuph, in India Cobbam dicitur. Foliis est paruis, quemadmodùm & arbor quæ siliquam catharticam fert, ramis breuioribus, cortice flauescente, siue croceo: fructu crassiusculo & rotundo pilæ lusoriæ instar, in quo nux auellanæ par coërcetur, quæ nucleum includit valde amarum, qui linguæ admotus radicis Angelicæ saporem refert. Fructus ad sedandam sitim commodissi- Cosmog. T.1. lib.12. cap.1. *Forma.*

ARBOR Gebuph.




mus. Eo tamen nucleus quamuis amarus longè præstantior: ex eo enim indigenæ oleum eliciunt, seduloq; cõseruant, quia ad hepatis & lienis dolores maximè confert: quibus doloribus cum affliguntur, primùm dies aliquot parcissimo vtuntur victu: deinde octo dierum spatio oleum sumunt: quo tempore morbus paulatim minuitur, & tandem curatur. Quod si qui oleum sumere noluerint, veluti pueri & mulierculæ, eo ventriculum, spinam dorsi, latera inungunt. Idem articularis morbi, cui huius insulæ incolæ valde obnoxij sunt, summum est remedium. Ex eadem arbore gummi manat vtilissimum. Ex eo enim cum mediocri oleo supradicto dissoluto, cataplasmata conficiunt quæ pellibus illinunt, & partibus laborantibus applicant. Hanc arborem diligenter prope ædes suas, & in hortis colunt.

FICVS NIGRITARVM.

CAP. LXXVII.

FICVS Nigritarum.




NVNC siluestres plantæ dicentur quæ peregrinæ sunt, non illæ quidem in Syria, aut Ægypto genitæ, sed in Nouo, & veteribus Cosmographis incognito orbe, scilicet in America, seu Francia Antarctica, quas illic Andreas Theuetus vidit, obseruauit, aut à peritioribus curiosiùs didicit, & literarum monimentis consignauit. Ac primùm in Regno Senegæ promontorium est, ab incolis Ialont, à nostris qui primi illuc nauigarunt Cap Verd, id est, promontorium Viride nuncupatum, ab arborum fruticúmque toto ferè anno illic virescentium copia. Iuxta hoc promontorium tres sunt paruæ insulæ continenti propinquæ, pulcherrimarum arborum feraces, à nullis tamen habitatæ. In vna harum prouenit arbor quæ folia fert Ficus nostratis similia, fructum pedes duos, aut circiter longum, proportione crassum, ad longitudinem crassitudinémque Cypriarum cucurbitarum accedentem. Quidam hunc esitant, non aliter quàm nos melones nostros. Intus semen est reni leporino figura simile, magnitudine fabæ. Alij eo simias nutriunt. Sunt qui ex eo maturo, & tempestiuè exsiccato pulchra monilia conficiunt. Huic arbori similem ferè, sed folio valde diuersam arborem describit Ouiedus in Indica Historia, quam Higüero vocat nomine tetrasyllabo. Arbor est prægrandis, inquit, velut Morus nigra, fructum ferens cucurbitæ rotundæ, interdum verò oblongæ similem. Ex rotundo pateras & alterius generis vasa conficiunt. Materie est robusta, atque

Forma. Theuetus cap. 10. lib. sing. & T. 1. Cosm. lib. 3. cap. 4.

Lib. 8. c. 4.

FOLIVM dictum Higüero.



atque apta sedibus, subselliis, ephippiis, aliísque operibus fabricandis: Mali enim Medicæ, aut Punicæ materiam esse diceres. Cortice facilè delibratur. Folio est oblongo, angusto, in extremo latiore, à quo ad pediculum vsque paulatim angustius fit. Indi nonnunquam in aliorum fructuum penuria hoc vescuntur, id est, eius carne, quæ cucurbitæ carni cùm adhuc viret, similis est. Corticis color & forma cucurbitæ. Vulgaris est hæc arbor in Hispaniola, reliquísque insulis, & huius Indiæ continente. Priori similiorem fructum non tamen eundem memorat Theuetus, qui in insula Zipangu prouenit magno meloni par, cui nomen Chiuef, quod Syriacè ficum significat. Fructus is suauissimus est, cùm manditur mannæ modo in ore liquescens. Semina intus continet qualia in cucumere nostro reperiuntur, cortice cùm maturuit croceo, folio arboris eximiè viridi exquisitè rotundo, aureo numo Gallico pari. *Cosmog. T. I. lib. 12. cap. 10.*

AHOVAI. CAP. LXXVIII.


ARBOR hæc in America etiam prouenit, ea ferè proceritate qua Pyrus nostra, foliis tres quatuórve digitos longis, duos latis, toto anno virentibus. Cortice integitur candicante, succum album, si ramulus abscindatur, & quasi lacteum fundente. Arbor ipsa concisa vehementer tetrum abominandúmque odorem spirat. Quare nullus eius omnino apud Barbaros vsus, ne ad ignem quidem accendendum. *Forma. Theuetus cap. 36. lib. sing.*

AHOVAI.




Fructum profert castaneæ mediocris magnitudine, album, Græcæ literæ Δ figura. Huic, præsertim nucleo, venenata & mortifera vis inest, quo Barbari ex leuissima quaque occasione vxores iis irati necant, & contrà vxores viros suos. Quam ob causam exteri à Barbaris hos fructus recens collectos, nec precibus, nec pretio impetrare possunt, imò filios suos ab illis prorsus abstinere iubent, priusquàm nucleum exemerint, quo exempto ex corticibus tintinabula conficiunt, tibiísque applicant, æquè bene ac nostra tinnientia. *Vires.* *Vsus.* Clusius rei herbariæ peritissimus, & stirpium exoticarum obseruator diligentissimus, cùm de Guanabano disseruisset, fructus eius iconi, quæ paulò pòst expressa est, hæc subiicit. Porrò apud me seruo ex huius fructus, aut huic similis seminibus, quibus exempta est medulla, lora duo filo xylino contexta: alia item bina è fructu quodam anguloso. Constant verò singula lora duplici aut triplici filorum xylinorum ordine reticuli modo contextorum, ex quibus dependent vacui fructus eo quem exprimi iussimus modo. His Canibales ad crura alligatis in suis saltationibus vti solent, quemadmodùm apud Mauritanos atque etiam Hispanos nolarum & tintinabulorum vsus est: mirum enim quantum hi fructus ex mutua collisione sonitum edant. Posterioris meminit The-

FRVCTVS Higuero, ex Clusio.



AHOVAY Theueti, ex Clusio.



uetus cap. 36. singular. Americæ: deinde subiungit eadem de Ahouai, quæ hoc capite retulimus: tum icones duas, priorem sine inscriptione, alteram cum hac Ahouay Theueti. Lobellius priorem inscribit nomine fructus Higüero apud Clusium.

HAIRI. *CAP. LXXIX.*



Forma. Theuetus cap. 38. lib. singul.

HAIRI in America arbor est, folio palmeo, ligno marmori nigro simili, quamobrem multi Ebenum esse existimant: quorum sententiam Theuetus non approbat. Nam Ebeni lignum nitidius splendet. Deinde arbor hæc tota spinosa est, minimè verò Ebenus. Postremò Ebenus in Æthiopia & Calicuto nascitur.

Vsus. Lignum istud ferri modo ad ima aquæ sidit: quare Barbari ex eo enses conficiunt, atque monilia. Adeóque durum ac validum est, vt ex eo sagittæ quasuis ferreas loricas penetrare posint. Fructum edit pilæ lusoriæ magnitudine, altero extremo quodammodo acutum. Intus nucleus est niuei candoris. Huic quadantenus similem fructum nomine Yayama

Lib. 8. c. 13. descripsit Ouiedus, de quo suo loco dicemus.

UHEBE

UHEBEBASOU. CAP. LXXX.



HAec arbor excelsissima est, ramis in sese per transuersum insertis, vt non natura, sed arte id fieri existimare posit, qui arborem contemplatus fuerit. Folio est Brasicæ, fructu in quibusdam ramis pedis vnius longitudine, quo apum examina nutriuntur, quæ in cauum arboris sese recipientia, illic mel cerámque conficiunt. Mel hoc magno apud Barbaros est in pretio, quòd eo ægros alant, cum farina recenti permixto, quam ex siccatis tusisq; radicibus in vsus reponunt. Est animal nomine *Heyrat*, id est, Bestia mellis, fuscum, felis nostri domestici magnitudine, quod vndique ad huiusmodi arbores accurrit, mellis, quod in iis reperitur, auidissimum. Id ea arte ex cauis arborum vnguibus educit, vt apes non lædat, neque ab iis lædatur.

Forma. Theuetus cap.51. lib. singul.

Usus.

COHYNE. CAP. LXXXI.

IN AMERICA regio est *Morpion* nominata, quam hodie incolunt Lusitani. Ea plurimorum & optimorum fructuum ferax est, eius præsertim quem Nana appellari diximus. In iis etiam est fructus eius arboris quam Cohyne vocant, quæ folium habet Lauri, fructum Citrulli mediocris magnitudine, oui sthrutocameli figura qui edulis nõ est, aspectu tamẽ pulcher, præsertim in ipsa arbore ramis eo onustis. Barbari ex ipso pocula faciunt: præterea arcanum quoddam, & planè stupendum mysterium. Excauatum hunc fructum milio, seminibúsve aliis implent. Deinde baculo parte vna in terram defixo, altera in fructum inserto, eum toto ambitu speciosis plumis exornant, singulique in singulis tuguriis binos ternósve huiusmodi fructus seruant, magnóque habent in honore: quod iis miseri idololatræ diuinitatem quandam inesse existiment, nihilq; aliud quod sensu percipiatur adorant quàm hoc instrumentum, quod cùm tangitur, percutitúrve tinnitum reddit: adeóque sunt vecordes, vt cùm tinnit, & percussum resonat summum illum Deum esse putent, quem sua lingua *Toupan* nominant, qui loquatur, quíque ipsis, maximè verò ipsorum prophetis omina præsagiat. Recitatur eadem Historia à Clusio in scholiis cap.11. lib.2. de Aromatib. Indicis, vbi ait fructum huius arboris vocari *Maraka* & *Tamaraka*.

Forma. Theuetus cap.54. lib. sing.

Usus.

COHYNE.




ARBOR BRASILIA. CAP. LXXXII.



Nomina
Forma.
Theuetus cap.59. lib. sing. & T. 2. Cosmo. lib.2. c.116.

QVAE arbor Brasilia, Gallicè *l'Arbre du Bresil* nominatur, ab Americæ incolis *Oroboutan* dicitur. Specie est pulcherrima, procera, recta, tam crassa quàm quæuis alia, foliis Buxo similibus, æquè paruis, sed densis & perpetuò virentibus: cortice cinereo, ligno rubro, maximè eius intima parte, siue corde, quod præstantius est, cuiúsque maior copia à mercatoribus coëmitur, ita vt ex tam crasso caudice, quem vix tres homines amplecti posśint, nõ excindatur matrix hominis coxa crasśior. Arbor hæc neque fructum, neque gummi vllum profert. In Barbarorum regione, qui Canibales appellantur, prouenit: multò præstantior in regione Morpiũ, & promontorio Frie dicto. Inodora est, & infecturis tantùm dicata. In eadem America nascuntur arbores quædam ligno luteo, ex quo enses fiunt, aliæ ligno purpureo, ex quo pulcherrima tinctura fieri posset, aliæ ligno candidisśimo & tenerrimo, nulliúsque apud Americos pretij.

ACAIOV. CAP. LXXXIII.



Forma.
Theuet. c. 61. li.sing.

PARS illa Americæ quã Anthropophagi illi tenent, quos Canibales appellant, maximam copiam fructuum, herbarũ, radicum suauisśimarum, earúmq; arborum producit, quas *Acaiou* vocant. Est autem arbor Acaiou folio Pyri nostræ, paulò magis acuminato, & extremo rubescente. Fructum edit pugni magnitudine, oui anserini figura, ex quo nonnulli potionis genus quoddam parant: quanquam is edulis non sit, sorbo nondum maturitatẽ perfectam adepto gustu simillimus. Huius extremo adnascitur veluti nux, maioris castaneæ magnitudine, leporini renis figura. Nucleus inclusus esui suauisśimus est, modò ignem leuiter attigerit. Cortex oleo totus madet, gustu acerrimo, ex quo Barbari maiorem olei copiam, quàm nos ex nucibus nostris, elicere possent. Illic aliæ reperiuntur arbores quarum fructus perniciosi sunt, in quibus est illa quæ *Haounay* nominatur.

DRACO

DRACO ARBOR. CAP. LXXXIIII.

IN INSVLA à Lusitanis Madera dicta, veteribus incognita, crescit arbor auctore Theueto, ab incolis & Lusitanis Draco dicta, quæ stato Cosm. T. 1.
anni tempore optimum gummi fundit, quod sanguinem Draconis lib. 3. ca. 11.
appellant (rectè ne an secus, dubitat) perforato arboris stipite propè

DRACO. arbor.



radicem satis lato & profundo hiatu. Præterea fructum profert luteum, cerasi nostratis magnitudine, refrigerando corpori, & leuandæ siti, in febre, ac in summis ardoribus vtilissimum. Succus is siue gummi, simile est, inquit, Cinnabari, sed diuersitate nascendi distant: illud enim liquor est, hæc fossilis, & ex Africa solùm defertur, magnoq; constat, quoniam vix reperitur, quæ pictorum intentis coloribus satisfaciat. In ea tamen re statuenda multùm hæsitat. Hoc enim gummi sanguinem Draconis esse haud diffitetur, etsi ratio id admodùm non suadeat, nisi Africæ barbari, vnde primùm deferebatur hic liquor, arborem hunc fundentē, lingua sua Draconem appellarint: non audet tamen affirmare plantam quæ hoc gūmi emittit, eam esse quæ in Africa nascitur, cùm figura differant. Tandem vtrumque idem esse illi persuadent facultates & vires planè eædem, vt ab iis didicit, quos diligenter percontatus est. Sed nemini dubitandum sanguinem Draconis arboris siue gummi, verum esse Cinnabari, quod nos hodie ex insulis Canariis, quæ olim Fortunatæ dictæ sunt, habemus, quódque Officinæ sincerum & minimè adulteratum vocant sanguinem Draconis in lacrymis, à factitio, quod in offas panis modo cogitur, distinguentes.


FOLIVM arboris sanguinis Draconis.



Prius illud etiam Dioscor. sanguinem Draconis Li. 5. c. 109.
à quibusdam existimari dixit, de quo & Plinius Lib. 33, c. 7.
hæc falsò tradidit. Milton vocant Græci minium, quidam Cinnabari: vnde natus error Indico Cinnabaris nomine. Sic enim appellant illi saniem Draconis elisi elephantorum morientium pondere, permisto vtriusque animalis sanguine. At Cinnabari minium non est, sed liquor arboris quē diximus, neque sanguis siue sanies Draconis & elephanti: iam enim priscorū temporibus Arrianus in Periplo nouit Cinnabari lacrymam esse arboris. Et Cadamostus in libro Nauigationum narrat in in- Cap. 4.
sula Portus sancti, vna ex Canariis, colligi sanguinem Draconis, qui lacryma est arboris, quæ stato anni tempore ferro vulneraretur, ex qua plaga anno proximo fluebat gūmi, quod ahenis decoctum & defæcatum, sanguis efficitur,

quem

FOLIVM arboris Draconis ex Indiis delatum.




quem Draconis appellant. Fructum edit Cerasi instar, gustu suauem, coloris cærulei (aliis lutei) Eius insulæ incolæ siluam Draconum vocant, & aduenas eam adeũtes huiusmodi nomine per iocum deterrent. Pena eius arboris folium depinxit, quale hîc intueri licet, ex Occiduis Indiis delatum, coriaceum, cui simile aut par latitudine aut crassitudine vix vllum est. Ex Palmæ congenere arbore euulsum videtur: quin ipsa tota textura asserem bicubitum latum, quaternos, aut quinos cubitos longum refert, tegulæ modo fornicatum, media secũdùm longitudinem costa, semidigitum crassa, carinatum, superna ora quasi præsectum esset, margine digitali, tenuiore, duriore clauditur. Vniuersum folium à summo ad imum in villos quadãtenus similes iis qui obducunt nucem Indicam, aut capillitiũ texendis funibus aptum discerpitur, quemadmodùm totum est tectoriis ædium & storeis accommodum.

Vires. Li.5.ca.109.

Vim habet sanguis Draconis auctore Dioscoride, hæmatite lapillo eandem: conuenit ad oculorum medicamenta, verùm efficaciùs: magis enim adstringit, & sanguinem cohibet: ambustis igni & papularum eruptionibus excepta cerato medetur. His quæ dudum de hac arbore commentati fueramus, adiungere libuit ea, quæ de eadem Clusius obseruauit & nuper edidit.

FRVCTVS Sanguinis Draconis.



Lib.1.stirp. Hispa. c.1.

Hanc arborem primùm Olyssipone se vidisse ait, anno salutis humanæ, 1564. post monasterium D.Virgini sacrum, cui nomen à Gratia, monachis ignotam & neglectam.

Forma.

Est Draco procera arbor, inquit, Pinum procul intuẽtibus referens, adeò æquales sempérque virentes ramos habet. Huic truncus crassus, valde scaber, multis ramis dehiscens, octo aut nouem bicubitales ramos æquales & nudos sustinet, qui rursus in summo finduntur in alios ternos aut quaternos ramos cubitales, aut paulò ampliores, brachialísque crassitudinis, etiam nudos, ex quorũ capitibus folia prodeunt cubitalia, maiusculi pollicis latitudine, in medio densiora, & eminentiore quodammodo costa, veluti Iridis folia, tenuia & rubentia in lateribus, mucronem planè referentia, semper virentia. Fructum profert colore flauescentem, sapore aliquantulùm



acido, magnitudine exigui Cerasi. Ex trunco per Caniculæ æstus humor emanat, qui in rubram lacrymam densatus, sanguis Draconis appellatur, ob ipsam arborem Draconem. Materia trunci firma est, ferrumq; difficilè admittit, quod veluti fibris transuersim & obliquè excurrentibus constet. At rami cùm multo succo prægnãtes sint, facilè cædi possunt. Hæc Clusius, qui folium quale Olyssipone vidit,

vidit, descripsit Pena multò grandius & habitius, ex India delatum. Iis fabulam, opinor, affinxit Nicolaus Monardis, cùm scripsit ex Noui orbis cōtinenti allatum ab Episcopo Carthaginiensi fructū arboris ex qua manat lacryma illa, quàm sanguinem Draconis vocant, cuius fructus sublata cute illico Dracunculus apparet, tanto artificio à natura fabricatus, vt à peritissimo aliquo artifice in marmore sculptus videatur, collo oblongo, ore hiante, spina aculeis horrida, cauda oblonga, & pedibus conspicuis. Id quod in fructu eiusdem arboris se vidisse negat Clusius, qui fructum asserit se habuisse Cerasi magnitudine, rotundum, læuem, tenui pelle contectum, qua sublata nucleus totus osseus conspiciebatur, sine vlla animalis, nedum Dracunculi effigie. Adhæc idem Nicolaus arborem scribit esse corticesatis tenui, & qui facilè incidi posit, cui prorsus repugnat à Clusio tradita descriptio.

Lib. simpl. Occid.

In Schol. in Nucl.

AGNVS SCYTHICA, BORAMETZ. CAP. LXXXV.

SVPERIORA ludum putes, præut est admirabilis Tartaricus frutex, inquit Scaliger. Tartarûm horda primaria Zauolha est, vetustissimæ nobilitatis commendatione. In eo agro serunt semen, seminis melonis similimum, sed minùs oblongum. Ex eo satu planta exit, quam *Borametz*, id est, Agnum vocant. Crescit enim agni figura, ad pedum ferè ternûm altitudinem: quem pedibus, vngulis, auribus, toto capite, præterquàm cornibus repræsentat. Pro cornibus pilos gerit singularis cornu specie. Obducitur corio tenuissimo: cuius detracti vsus ad tegmina capitum incolis. Ferunt internā pulpam gammari referre carnes. Cæterùm è vulnere quoque sanguinem manare. Dulcedine esse admirabili. Radicem humo exertam surrigere ad vmbilicum vsque. Illud miraculi fouet magnitudinem. Quandiu vicinis obsidetur herbulis, tandiu viuere, quasi agnum in læto pascuo. Absumptis illis tabescere, atque interire. Idq; non solùm vel casu, vel tractu temporis, sed etiam experiundi gratia, subtractis, atque ablatis euenire. Quin illud auget admirationem, appeti à lupis eam, non item ab aliis bestiis, quæ carne vescantur. Hoc quasi condimentum, atq; intritum, ad fabulæ & agni allusionem. Illud scire velim, inquit Scaliger, ab vno stipite quatuor dissita crura cum suis pedibus, quî possint prouenire atque produci. Eadē Sigismundus Liber refert in suis cōmentariis De rebus Maschouitarū.

Exer. 181. 29.

Forma.

ARECA PALMA SCRIPTORIA, TAL, *Arbor maximis foliis.* CAP. LXXXVI.

EST Palmæ species gracilior, procera, foliis læuissimis. Inter quæ racematim hærent poma, nucum magnitudine, alba. Fructus is pro bellariis manditur à potentioribus. Areca nomen est. Fertur in mercatus, magna æstimatione recens. Seruatur & in modum palmularum siccata. Vartomanus Areca vocat arborem, fructum Coffol, Ludouicus Romanus lib. Nauigat. 5. cap. 7. Chofolo vocat, Garcias lib. 1. cap. 25. Historiæ Aromatum Indic. Faufel & Arecam, de quo multò plura suprà hoc ipso libro diximus. Sunt & humilia Palmeta, inquit Scaliger, folio tam politæ superficiei, vt eo pro chartis vtantur ad scribendum. In Prouincia Mangi arbor est *Tal* nomine, folio grandi quod chartæ vsum præbet in tota India. Fructus profert magnis Napis similes. Quod cortici subest tenerum est, dulce, esu gratum: cortex tamen melior & suauior à quibusdam Vguetal nominatur. Nicolaus Costinus prodidit haud procul ab vrbe Caël reperiri vniones. Ibidem nasci arborem sine fructu, cuius folia sex brachia sunt longa, totidem lata, adeò tenuia, vt compressa comprehendi manu possint, quibus chartæ vice vtuntur ad scribendum, & ad pluuiam

Exer. 158. 5. 6.

Forma.

Vsus.

Exer. 158. 6.

Nic. Cost. itine.

Forma.

Theuet. T. 1. Cosmog. lib. 11. ca. 23.

In itiner.

Forma.

Vsus.


pluuiam arcendam: folio enim expasso, tres quatuórve in itinere ita operiuntur, vt pluuias non metuant.

GVIABARA, COPEY. CAP. LXXXVII.


Lib.8.ca.13. & 14. *Nomina* *Forma.*

ALIAS duas papyraceas arbores hîc describimus ex Ouiedo, quæ in insula Hispaniola proueniunt. Minor *Guiabara* Barbaris dicitur, Hispanis *Uuero*, ab vua, quòd pro fructu vuas ferat. Materia est rubescente, rotunda, densa, atque ideò optima, præsertim ad carbonem ramis expansis. Vuas edit rariùs sparsas, atque à sese disitas, rosæ aut mori concolores, exigua earum parte esculenta: nam acini sunt auellanæ nucis magnitudine, nucleum tam crassum cócludentes, vt parum carnis supersit. Folij figuram hîc depictam videtis, ab aliarum arborum foliis planè diuersam, atque ideò memoratu dignam: maximum palmæ manus magnitudine par est, dempto pediculo. Id Hispanis in insula Hispaniola & finitimis bellum gerentibus papyri & atramenti vsum præbebat: tota enim hæc regio charta ad scribendum & atramento prorsus caret. Folium istud viride est, aliquando rubrum, crassum & æquè spissum ac duo Hederæ folia simul iuncta. In parte tam prona quàm supina literas pingebant acicula, aut stylo aliquo, modò recens esset, & eodem die decerptum, quæ candidæ apparebant, aut ita diuersi à folio coloris, vt facilè legi possent: neque enim folium literas transmittit, & costa per medium eius excurrens etsi crassiuscula sit, tamen venulæ ab ea deductæ sunt tenues: vt scribentis manum nihil aut parum remorentur. Altera papyracea arbor Copey nuncupata in eadem insula crescit, Guiabara procerior, folio specie quidem simili, sed duplò maiore, crassiore, & ad scribendum aptiore cum acicula, aut stylo aliquo, venulæq; exiliores sunt quàm superioris, & minùs scribenti impedimentum adferũt. Quamobrem cùm Hispaniolam & cæteras insulas Hispani subiugarent, iis foliis chartarum lusoriarum vice vtebantur, quòd in iis Regum, Reginarum, equorũ, & aliorum huiusmodi figuras facilè imprimerent, nec facilè rumpantur.

FOLIVM *Guiabara.*



FOLIVM *Copey.*



ARBOR FOLIIS AMBVLANTIBVS. CAP. LXXXVIII.

Pigafet. in itin. *Forma.* *Vis mira.*

INSVLAE Cimbubon vicina est alia, in qua nascitur arbor, cuius folia, cùm in terram deciderint, gradiuntur perinde ac si viuerẽt. Ea Mori foliis multùm similia sunt, parte vtraque binos pedes breues, & acutos habent, quibus abstractis sanguis minimè manat. Statim atque folium quis attigerit, illud mouetur & abit. M. Anton. Pigafetta octo dies vnum in scutula habuit, quod cùm tangeret, circa scutulam ibat: nulláque alia re quàm aëre viuere existimabat.

ARBOR TRISTIS. CAP. LXXXIX.

IN medicamentis & stirpibus Indicis nobis incognitis non abs re fore duxi, inquit Garcias lib. 2. Arom. Hist. cap. 1. initium facere ab arbore quadam, quæ nō nisi à Solis occasu vsque ad eius ortum floret, interdiu minimè. Arbor est Oleæ magnitudine, foliis Pruno similibus, flore noctu (dum scilicet floret) odoratißimo, nullius quod sciam vsus propter teneritatem, nisi quod florum pediculis, qui lutei sunt, huius vrbis incolæ vtuntur cibis tingendis, siquidem Croci modo inficiunt. Et volūt etiam nonnulli aquam stillatitiam florum, oculis vtilem esse admoto lineo panno hac intincto. Peculiaris est hæc arbor Goæ, quam è Malaca allatam asserūt. Eam sane nusquam alibi per Indiam vidi. Hanc Goæ *Parizataco*, in Malayo *Singadi* vocant. Arboris tristis nomen illi inditum, quòd duntaxat noctu floreat. Fabulantur autem indigenæ, Satrapæ cuidam nomine Parizataco elegantem fuisse filiam, quæ cùm Solem deperiret, eam ille compresserit. Cùm verò posteà illam relinqueret alterius amore irretitus, Parizataci filia præ amoris impatientia sibiipsi mortem consciuerit. Ex cuius crematæ cineribus (nam adhuc vtuntur in hac regione cadauera) hæc nata est arbor, cuius flores adeò Solē exhorrent, vt eum videre non sustineant. Hactenus Garcias. Pretium verò operę fuerit audire quæ de eadē planta Christophorus Acosta Africanus, Medicus, refert. Is igitur libro Aromatum & medicamentorum in Orientali India nascentium, Arboris Tristis natales & qualitates ita describit, & quam damus icone repræsentat. Nonnullis Indiæ locis, præsertim verò in Malabar frequentißima nascitur arbor quædam, magnitudine & forma ferè Pruni, multis prædita ramis tenuibus, & certa per spacia nodulo distinctis, è quo vtrinque singularia folia enascuntur Pruni foliorum magnitudine, mollia & lanuginosa parte auersa, quemadmodùm fere Saluiæ folia, & viridia nonnihilq; aspera parte interiore, nō adeò serrata in circuitu, vt Pruni folia, neque tam multis venis prædita. E singulorum foliorum sede nascitur pediculus quinq; capitula summa sui parte sustinens, quæ quatuor foliolis subrotundis cōstant, è quorū medio quinque flores exiliunt candidi, elegantes, Aureæ mali floribus magnitudine & figura pares, tenuiores tamen, elegantiores, & odoratiores, pediculo magis ad rubrum quàm ad flauum colorem tendēte, quo in illis regionibus edulia tingunt, quemadmodùm apud nos vulgò fit Croco: fructus magnitudine lupini est, virescens, cordis effigie, per medium secundùm longitudinem sectus, continens in vtraque parte quoddam receptaculum, in quo semen occluditur, magnitudine seminis Ceratij siue Siliquæ, cordis effigiem retinens, album, tenerum, membrana subuirente tectum, nonnihil amarum. Vocatur hæc arbor in Canarin *Parizataco*, in Malayo *Singadi*, in Decan *Pul*, ab Arabibus *Guart*, à Persis & Turcis *Gul*. Res est profectò obseruatione dignißima, conspicere hanc elegantißimam arborē nocte pulcherrimis, suauißimeq; olentibus floribus onustam & hilarem, & simul atque à Solis radiis illustratur, non modò flores omnes in terram abiicere, sed totam arborem cum suis foliis quodammodo marcidā apparere. Inter omnes sanè quos vnquam odoratus sum flores nullum meo iudicio memini cum hoc comparandum, præsertim initio dum quis repentè locum ingreditur vbi hæc arbor est consita: nam postquàm manu contacti sunt, exiguus & euanidus est odor. Indigenæ istos flores cor reficere censent, sed amariusculi sunt: nam recenter ex arbore collectos & in cibis degustaui, & nonnullam amaritudinem semper deprehendi. Gentiles etiam medici eius semen inter medicamenta cor reficientia recensent. Multi proreges, tribuni, atque alij priuati hanc arborem in Lusitaniam transferre voluerunt, sed irrito conatu. Noui etiam quosdā qui semē cōmodo tempore collectum

Forma ex Garcia.

Nomina.


Acostæ descriptio.

Nomenclaturæ varia.

Odor.

Florum vires.

ARBOR Tristis, Acostæ.



ARBORIS Tristis rami cum flore & fructu, Clusij.



Mogli.

& maturum, vasculis figulinis vitratis atque bene obturatis, item argenteis, pyxidibúsque ligneis in Lusitaniam detulerunt, ibiq; cum omni cura & diligentia seuerunt, sed nunquam nasci voluit. In Malabar autem & Goa, locísque vicinis cum tanta facilitate nascitur, vt quilibet rami in terram depacti comprehendant. Hæc ille, vt Hispanica eius quidem verba interpretatus est Clusius. Qui & ipse harum rerũ studiosissimus, quæ ab ornatissimo viro multisq; peregrinationibus claro, Dn. Fabritio Mordente Salernitano, qui aliquot annis Goæ viciniśq; in India locis vixit, familiaribus sermonibus acceperat, quia publicè omnibus cõmunicauit, eorum te hîc etiam vsu & voluptate fraudare nolumus, præsertim cùm ex rami cum suis floribus ab ipso expressis collatione cum Acostæ delineatione facta, non parum tota huius plãtæ historia illustretur. Assurgit, inquit, ea arbor interdum ad trium hominum altitudinem, iustámque crassitiem adquirit: ramos habet multis alis concauos, & foliis Myrti foliis quàm similimis onustos: in tenerioribus ramis nascuntur flores pediculis ex foliorum interna sede prodeuntibus inhærentes, copiosi, hoc est, terni, quaterni, aut plures simul ferè congesti, candidi, Iasmini floribus forma magnitudinéque pares, foliísque mucronatis, vt illi, constantes, sed pleniores multiplicíque foliorum textura, odoris fragrãtissimi, & haud multùm à Iasmini florum odore dissimilis, noctu autem solent ij flores explicari, & oriente Sole, simulatque ab ipsis radiis illustrari incipiunt, ilico decidere, vel antipathia quadã, vel præ nimia succi tenuitate, quem solares radij absumunt: nam quos Sol non attingit, diutius in arbore hærere solent. Studiosè verò colliguntur ij flores propter odoris fragrantiam, & vitreis organis odoratissima ex illis aqua elicitur, quæ aqua de Mogli dicitur asserente Fabritio, quoniã Malauarica lingua arborem *Mogli* vocant, florésque idem nomen mutuati sunt. Eius fructum obseruasse negat: quem verò adpingi iussimus, sub finem anni 1579. missus est Viennensi cuidam mercatori pro fructu arboris Indicæ cuius flores odoratissimi aperiuntur, & oriente Sole decidunt; quibus notis maximè ad arboris Tristis historiam accedit.

FICVS

FICVS INDICA. CAP. XC.

ADMIRATIONE prorsus dignum est, quod se ab eodem Fabricio Clusius accepisse ait de arbore, quam Ficum Indicam ipse appellat: quámque nos, vt ab illo depicta est, hîc repræsentari curauimus. Sed quandoquidem, inquit, in Indicarum arborum narrationem incidimus, silentio minimè premendam duxi miraculo verè dignam eam arborem, de qua idem Fabricius apud me verba fecit. In magnam altitudinem vnico trunco eóque admodùm crasso assurgere solet: ramos deinde in omnia circùm latera expandit, qui tenues quasdam fibras siue filamenta (qualia in Cuscuta vulgò nuncupata conspicimus) coloris, dum recentia sunt, cerei siue aurei demittunt. Iis, vbi terram attigerint, firmantur, nouamq; quasi prolem generant: etenim magnam crassitiem paulatim adquirunt, & veluti in nouos arborum caudices transeūt, qui nouos rursus summa sui parte in latera ramos spargentes, nouis denuo fibris deorsum missis sese propagant. Sic alij deinceps rami in infinitum, vt interdum vnica arbor suis propaginibus integrum ferè miliare Italicum in ambitu occupet, sitq; difficile, quæ primaria sit arbor, siue omnium istarum prolium parens diiudicare, præterquàm ex trunci amplitudine, quæ nonnunquam in matre tanta est, vt trium virorum vlmis vix apprehendi queat. Verùm non modò inferiores rami similes fibras spargunt, sed etiā in arbore summi: ideóque vnica arbor densissimam siluam efficit. Sub eas autem arbores aditum sibi paraturi incolæ, fibras iam in truncos conuersas, tenuiores scilicet, excindere solent, atque ea ratione veluti concamerationes & vmbracula facere arcendi caloris gratia: adeò enim densis ramulis reliqui maiores rami luxuriāt, vt Solis radij nulla ratione penetrare queant: imò concaui istarum fornicum multiplicésque sinus scindunt inæqualiter inde resultātem aëra, quæ causa est vt Echo multis in locis ter atq; etiam sæpius humanas voces reddat. Vidit verò, qui mihi referebat, interdum octingentos aut mille viros, quo in numero ipse fuisset, vnius huiuscemodi arboris vmbra tegi: atq; affirmabat terna etiam hominū milia sub tali arbore latêre posse. Folia fert in nouellis ramis Mali cotonei foliis similia, supernè viridia, infernè candicātia, & lanugine, vti illa, pubescentia, quæ mirum in modum ab Elephantis expetuntur, ideóque in eorum pabulum cedere solent. Fructus extremi pollicis articuli magnitudine, ficubus exiguis similis, colore foris & intus sanguineo, granísque, vti vulgares ficus, plenus, dulcis quidem & edulis, verùm saporis minùs grati quàm illæ: nascitur autem inter folia, quemadmodùm vulgares ficus, hoc est in nouellis ramis, qua parte folia illis inhærent. Prouenit in insula Goa, locisque vicinis. Dispiciendum superest an veteribus cognita non fuerit hæc arbor, eiúsve historia literarum monumentis tradita, quandoquidē illam Indiæ partem Alexandri Macedonis victoriæ Europæis etiam hominibus aperuerunt. Q. Curtius lib. 9. Histor. rerum ab Alexandro gestarum, refert, Alexandrum Poro rege, & Hydaspe amne superato, ad interiora Indiæ processisse. Siluas

Forma.

Ficus Indicæ mira amplitudo

FICVS Indica.



Fructus.

An veteribus cognita fuerit.

autem fuiſſe prope immenſum ſpatium diffuſas, proceríſque & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbroſas: pleroſque ramos inſtar ingentium ſtipitum flexos in humum, rurſus qua ſe curuauerant erigi, adeò vt ſpecies eſſet non rami reſurgentis, ſed arboris ex ſua radice generatæ. Plinius verò lib. 12. naturalis Hiſt. cap. 5. de Indicis arboribus agens, in hæc verba ſcribit. Ficus ibi exilia poma habet. Ipſa ſe ſemper ſerens, vaſtis diffunditur ramis: quorum imi adeò in terram incuruantur, vt annuo ſpatio infigantur, nouámque propaginem faciant circa parentē in orbem quodam opere topiario. Intra ſepem eam æſtiuant paſtores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decora ſpecie ſubter intuenti, procúlve, fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelſum emicant ſiluoſa multitudine, vaſto matris corpore, vt ſexaginta pedes pleræq; orbe colligant, vmbra verò bina ſtadia operiant. Foliorum latitudo peltæ effigiem Macedonicæ (quæ à Xenophōte Hederæ folio comparatur) habet: ea cauſa fructum integens creſcere prohibet, rarúſque eſt, nec fabæ magnitudinem excedens, ſed per folia ſolibus coctus prædulci ſapore, dignus miraculo arboris. Gignitur circa Aceſinem maximè amnē. Meminit & lib. 7. cap. 2. Hæc (inquit) facit vbertas ſoli, temperies cæli, aquarum abundantia (ſi libeat credere) vt ſub vna Ficu turmæ condantur equitum. Strabo item Geograph. lib. 5. ſimilem etiam arborem deſcribit, tametſi nullo nomine inſigniat, his verbis. India multas quidem admirabiles arbores fert, è quibus eſt, cuius rami ad terram propendent, foliis non minoribus clypeo. Oneſicritus curioſiùs ea perſequens quæ ſunt in Muſicana terra Indiæ auſtraliſsima, refert arbores quaſdā ingētes eſſe, quarū rami cū ad duodenos cubitos creuerint, reliquū incrementū pronum faciant, deflexi quouſque terram contingant, deinde terram ſubeant, ac radices agant veluti traduces, mox rurſus in truncum exeant, à quo poſtquā aucti fuerint, eodem modo flectantur, & aliam propaginem efficiant, rurſúſque aliam: & ſic deinceps, vt ab vna arbore longum vmbraculum fiat, tabernaculo multis columnis nitenti ſimile. Ex quibus deſcriptionibus facilè cuiuis colligere licet, eam arborem, de qua nobis inſtitutus eſt ſermo, illos auctores intelligere voluiſſe. Sed diligentiùs preſsiúſque Theophraſtus, qui Alexandri coætaneus fuit, quiq; haud dubiè eorum narrationes curioſè excepit, qui ſub Alexandro in Indica expeditione militarunt. Is enim ſimili planè modo, paucis duntaxat notis variátibus, Ficum Indicam deſcribit, qualis illa arbor eſt, cuius hiſtoriam ex Fabritij narratione dedimus. Plantarum igitur hiſtoriæ lib. 4. cap. 5. ſic ait. Indica autem regio arborem Ficum vocatam ſortitur, quæ è ramis radices demittit ſingulis annis, vt primo volumine retulimus: demittit autem nō ex nouellis, ſed ex anniculis, atque etiam vetuſtioribus. Illæ ſe terræ coniungentes, ceu ſepem circum arborem faciunt, ita vt veluti tabernaculum condatur, quo etiā morari homines ſolent. Radices autem naſcentes euidentiſsimè à ramis diſcernuntur: ſunt enim candidiores, hirtæ, (δασεῖαι) tortuoſæq;, bináque fronde foliatæ (δίφυλλοι) Item arbor comam ſupernam laſciuam gerit, (ἔχει δὲ τὴν ἄνω κόμην πολλήν) totáq; fornicato ambitu pulchrè orbiculatur, & magnitudine vehementer excellit: quippe vmbram bino ſtadio facere fertur: & craſsitudine caudicis pleraſque vltra quàm ſexaginta graduum (βημάτων, pedis veſtigiorum) orbem colligere, magna verò ex parte quadraginta. Folium pelta nō minus habet, (potiùs ad ſimilitudinem quàm ad amplitudinem referenda hæc comparatio) fructum admodùm paruum, magnitudine ciceris, ficui ſimilem: quamobrem Græci Ficum eam arborem appellabāt. Paucos verò admodùm fructus fert, non tantùm pro arboris magnitudine, ſed etiam omnibus rebus. Naſcitur arbor hæc circa Aceſinem amnem. Hactenus Theophraſtus. Cūm itaque tam multis notis Ficus Indica à veteribus deſcripta, cum admirandæ huius arboris in India naſcentis (cuius nomē vulgare ſibi excidiſſe ſeriò dolet Fabricius) hiſtoria

Ficus Indica Plinij.

Indica arbor admirabilis.

Ficus Indica Theophraſti. Cap. 12.


historia conueniat, eo audaciùs illi Ficus Indicæ nomen indidi, præsertim cùm illam ipsam esse certò mihi persuadeam. Garciam autem illius nullam mentionem facere inter tot exoticas arbores locis Goanæ insulæ vicinis nascentes, quarum descriptiones in Aromatum historia aspersit, satis mirari nequeo. Nos porrò iconem ex Fabricij narratione, quàm concinnè ex ipsius etiam iudicio fieri potuit, adumbrare iussimus in studiosorum rei herbariæ gratiam. Cæterùm cum hac arbore cognationem habere videtur, quam Ouiedus Indicæ historiæ lib. 9. describit his verbis Latinè ex Italico expressis. Mangle arbor est inter eas quæ in occidentali India vulgò nascuntur selectissima, cùm ad ædificiorum fabricas, tum ad reliqua fabrilia opera. Crescit vliginosis locis, littore maris, & ripis fluminum torrentiumq; qui in mare dilabuntur: folia habet Pyri maioribus foliis similia, crassiora tamen, & aliquantùm longiora: siliquas duorum palmorum longitudinis aut maiores, crassasq;, Cassiæ solutiuę fructui pares, fusci coloris, pulpam medullæ ossium similem continentes, qua Indi aliorum eduliorum penuria vescuntur: etenim satis amara est, salubrem tamen cibum esse ferunt. Ego eius nihilominus esu in morbum incidi, licet adeo delicati palati non sim, nec ab iis cibis abstinere in penuria soleam, quibus alios vesci video: imò etiā nulla vrgente penuria degustare soleo, vt commodiùs describere queam: eaq; ratione hunc fructum degustaui, sed brutorum animantium & siluestrium hominum potius cibus est. Admiranda est eius natura, plurimæ enim simul crescunt, multíve eius rami deorsum vergere & in radices conuerti videntur: nam præter plurimos quos erectos foliisque onustos atq; ab inuicem seiunctos vt reliquæ arbores habet, multis etiam aliis cùm crassioribus tum tenuioribus aphyllis sese ad aquam vsque demittentibus, & sub terra aut arena radices figentibus prædita est, qui vbi apprehenderint, alios ramos sursum vergentes proferunt: non enim minùs firmiter hærent quàm primarius arboris truncus, sic vt arbor multis caudicibus simul connexis constare videatur, egregio sanè spectaculo, & singulari huius arboris natura. Māgle historia.

ARBOR FARINIFERA. CAP. XCI.

ab effectum.

NOTISSIMA est & omnium ore celebrata nobilis illa Francisci Drake Angli recens vniuersi orbis circūnauigatio. Is cùm superioribus annis ab ea expeditione reuersus fœlicibus auspiciis in Angliam omnium stupore, nec minori cùm fauore & gratulatione appulisset, Carolus Clusius, qui ea in insula tunc temporis fortè agebat, & ipse rerum nouarum audiendarum studio & cupiditate incensus, his, qui eundem in illa nauigatione comitati erant, sese vt applicaret operā dedit, adq; ipsum adeò præfectum Drake sibi parauit aditum: à quo exceptus perhumaniter, quorum addiscendorum desiderio tenebatur, omnia ea beneuolè & pleraq; alia scitu dignissima ipsius ex ore accepit, quæ cum eiusdem comitū & grauiū alioquin & fide dignorum relatione omnino consentirent. Horum ego omnium, tum aliorum quorundam exoticorum fructuum, quos in Britannica ista peregrinatione acquisiui, breues descriptiones, & nonnullorum etiam icones in rei herbariæ studiosorum gratiam exhibere, inquit, volui, non minùs gratas eis futuras sperans aliis lucubrationibus priùs in lucem à me editis. Hæc de nouis suis plantarū aliquot descriptionibus Clusius, quas nos pro instituto nostro ex Notis, quas in Garciæ Aromatum historiam post tertiam editionem idem conscripsit, desumptas ipsius Clusij verbis aliquot capitibus hîc apposuimus: quibus Arboris, quā Farin ferā vocat, Fructus Beretini, Caccao, Vvinterani corticis, Drakenæ radicis, Variorū præterea fructuū peregrinarum iucundissima continetur historia. In Tarenate ergo, inquit, insula Beretini fructus historia.

ARBORIS Fariniferæ, Panis fragmenta.




Æquatori proxima ad Arcticũ polum vergente nascitur arborea quædam planta, cuius truncus humanæ coxæ crassitiem æquat, decem pedum altitudinem attingit, summo fastigio in orbiculatum caput Brassicæ capitatæ instar extuberans, in cuius meditullio natura quandam candidam farinam produxit ad illius insulæ homines tenuioris fortunæ sustentandos: eam etenim diligenter colligunt, deinde adfusa, siue inspersa potiùs modica aqua fermentant, pinsunt, & in formulas quasdam coctili latere constantes immittunt longa serie, atque prunis accensis circũquaque admotis & superetiam impositis coquunt. Sunt verò ij panes siue placentæ interdum palmares, vnciali crassitie, quibus illius insulæ incolæ calidis & recenter coctis vescuntur: at vbi induruerunt tepida aqua macerantes pultis modo edunt. Insipidi saporis esse, cùm degustarẽ, hic panis mihi visus est: verũ iniecto Piperis aut Cinnamomi momẽto cum saccharo, nõnullis deliciæ esse queat. Eiusmodi panis bina fragmenta qualia nostri Morgani opera accepi, hac tabella exprimi curauimus.

FRVCTVS BERETINVS. CAP. XCII.

Arboris Beretini Forma.

IN EADEM insula celsissimas inuenerunt arbores Quercu maiores, foliis laurinis, crassis, splendentibus, & minimè in ambitu serratis, quæ oblongiusculum fructum ferũt, exiguis iligneis glandibus similem, nullo tamen calice, vt ipsi referunt, inclusum, cortice tenui cinereo, interdum atro, tectum, nucleum continentem oblongiusculum, candidum, nullo (dum induruit) manifesto sapore præditum, tenui membrana tectum.

FRVCTVS Beretinus.



Similibus arboribus abundat Beretina insula illi vicina, ad quam posteà delati sunt: à cuius incolis illarum arborum fructum, quem priùs non attigerant, edulem esse didicerunt. Eo deinde more leguminum elixo, aut in farinam cõtuso, & pultis modo cocto & inspissato, alterius cibi penuria cum in ea insula, tum in naui famẽ subleuarunt. Eam arborem etiam alunt omnes Moluccæ insulæ. Eum porrò fructum, cuius iconem hac tabella exprimimus, cùm C. V. Dn. Richardus Garth Cancellariæ Londinẽsis Primicerius, vir insigni pietate & doctrina præditus, atque humanissimus, & optimè de me meritus, tum noster Morganus, mihi liberaliter communicarunt. Eorundem munere librum arboris habui, tenuissimæ membranæ instar candidum, quo omnis generis scriptura perinde atque vulgari papyro excipi queat. Eum in Iaua insula aliarum mercium permutatione Drake comites acceperant.

Fructus Vsus.

Papyrus ex Iaua.

CACAO. CAP. XCIII.


CElebrem etiam per vniuersam Americam multiq; vsus fructum, Perüanæ prouinciæ litora legentes, secum detulerunt, *Cacao* appellatum, cuius cùm luculẽta descriptio apud Benzonem extet, qui miles aliquot annis Noui orbis prouincias peragrauit, ipsius verba, vti ab Vrbano Caluetone Latina facta sunt, hic subiicere libuit. In Nicaragua Noui orbis prouincia pomi quoddam genus peculiare est, neque Hispaniolæ, neque vlli alteri Indiæ parti concessum. Pyri nostri specie fermè est, ligno interiore rotundo, nucis crassitudine, & dimidio ampliùs, optimi & iucundissimi saporis: arbor procera, exiguis foliis vestitur. Hispani cùm primùm eam prouinciam subegerunt, propter vberrimam omnium rerum ibi repertam copiam, eam Paradisum Mahumetis nuncuparunt. Duo inter cætera fert hæc tellus nulli præterea Indiæ regioni concessa, excepta Guattimala, Hondurensis prouinciæ & Mexici finibus, totóque nouæ Hispaniæ tractu. Vnum pauonum quoddam genus est, qui in Europam translati vulgò Gallinæ Indicæ vocantur. Alterum, id quod *Cacauatæ* vulgò vocant, quod monetæ vsum illis præbet. Id fert arbor modicæ magnitudinis, nec nisi calido loco & opaco viuit. Simul ac sole tactum est contabescit: itaque ferè in siluis vmbroso & humido loco seritur: neque id satis, sed iuxtà eius generis arborem aliam editiorem plantant: quæ simulac adolescere cœpit, eius cacumen ita concinnant aptántque, vt adulta ea arbor Cacauatem inumbret, defendátque ita ab æstu, vt Solis radiis lædi non possit.

Pomũ Nicaraguæ.

Paradisus Mahumetis.

Cacao historia.

CACAO.



Fructus amygdalarum specimen referens, siliquis quibusdam velut cucurbitis includitur, crassitudine & latitudine Cucumeris, annuo spatio maturescit. Maturas eas vbi legère, excussum folliculis fructum super storeis expassum ad solem exponunt, donec humorem exudauerit. Potum ex eo confecturi, in testa fictili ad focum exsiccant: mox lapidibus, quibus pinsitur panis, contusum & cõmolitum, fusúmque in pateras (quæ cucurbitæ specie è certis arboribus per omnẽ Indiam enascuntur) paulatim aqua temperant, atque interdum paululo pipere, quali vulgò vtuntur, condiunt, eóque in potu vtuntur. Porcorum ea veriùs colluuies quàm hominum potio. Quum eam prouinciam peragrarem, plusquàm integrum annum ab tali lora abhorrui: sed quum mihi vini copia non esset, ne semper aquam bibere cogerer, alios imitari didici. Ea cælia sapore aliquantùm amaro, satiat & refrigerat corpus, minimè tamen inebriat hæc præcipua & carissima merx earum regionum est: neque quicquam aliud Indi maiore in pretio habent, vbi quidem in vsu est. Hactenus Benzo. Amygdalæ planè similis est hic fructus suo putamine exemptæ, membrana tectus tenui, nigra, nucleo, qui in binas aut ternas partes diuidatur, subfusco & cinereis venis distincto, adstringentis & ingrati gustus: quare non mirum est, si qui primùm degustant à potione ex eo confecta abhorreant, ego profectò puram aquam longè prætulerim. Eam tamen claris hominibus propinant, vt nos aromatites vinum solemus, referentibus iis qui pauculos fructus retulerunt, è quibus binos habui.


VVINTERANVS CORTEX. CAP. XCIIII.

Vvinterani corticis historia.

VILHELMVS Vvinterus, qui generoſum Franciſcum Drake ad Magellanicum vſque fretum comitatus eſt, nec vlterius progreſſus, nauim cui præerat in Angliam anno 1579. reduxit, collectum iſtic corticem retulit, viliori Canellæ tum ſubſtantia, tum colore non admodùm diſsimilem, plerumque tamen craſſiorem, & parte externa vel cinereum, vel aliquãdo etiam fuſcum, & vlmei corticis modo ſcabrum, interna nõnunquam diſſectum & multis rimulis hiantem vt Tiliæ cortex, interdum etiam admodùm ſolidum & durum, odore non ingrato, ſed guſtu perquam acri, & linguam faucéſque non leuius vrente quàm piper. Illius facultates nullas exploratas habuit: ſed eo, dum recens eſſet, partim melle condíto, vt acrimoniam deponeret, partim reſiccato & in pollinem trito, vt in eduliis Canellæ aliorúmque aromatum vicem præberet, vſi ſunt qui ea naui vehebantur. Poſteà tamen intellexi aduerſus ſtomachacis ſiue ſcorbuti morbum, quo eorum nonnulli in illa nauigatione affecti fuerant, optimo ſucceſſu vſos eſſe. Plurimùm mihi accedere videtur ad Ligni aromatici corticem, cuius D. Monardes in Simplicium hiſtoria meminit, tametſi ſingularem illam odoris fragrantiam, quam ſuo cortici tribuit, in hoc deprehendere non potuerim.

Forma.

VVINTERANVS *cortex.*




Vires.

DRAKENA RADIX. CAP. XCV.

Drakenæ radicis hiſtoria.

Forma.



SEMVNCIALI plerunque craſſitudine prælongáque hæc radix eſt, ſubinde in nodos & inæqualia capita extuberans, & in ſummis capitibus, veluti è craſſis ſquamis contexta, Dentariæ enneaphylli (quam in Pannonicis deſcribo) modo, foris nigricans, & rugoſa duráque cùm reſiccata eſt, intus alba: fibris tenuibus ſparſim naſcentibus prædita, interdum maiuſculis fractúque contumacibus, è quibus alij nodi depẽdent. Nullo manifeſto odore pollere deprehendi: ſed guſtu nõnihil adſtringente & linguam exſiccante initio eſſe videtur, deinde diutius præmanſa, tenuem ſuauémque acrimoniã in ore relinquit. Magnam affinitatem habere videtur cum Radice S. Helenæ, de qua D. Monardes in lib. Simpliciũ è Nouo orbe delatorum. Sed cùm M. Eliot qui Dn. Drake comes fuit, Hiſpanos in Peru maximo in pretio habere, nec pretio redimi poſſe referat, ab iiſque didiciſſe folia præſens venenum eſſe, ipſam autem

autem non modò illius, sed reliquorum etiam venenorum antidotum esse, atque cor & vitales facultates roborare, si pollinis modo trita, manè ex pauxillo vino albo hauriatur, ex aqua verò febris ardores mitigare. Earum facultatum ratione, valde conueniret cum radicibus venenis aduersantibus, de quibus eodem libro Monardes: in his tamen aromaticum saporem & caloris gradum desidero quem iis radicibus tribuit. Ipse Drake sanè cùm mihi eas, quas hîc exprimo, cum Perüano lapide Bezar donaret, summæ esse æstimationis apud Perüanos asserebat.

VARII FRVCTVS PEREGRINI. CAP. XCVI.


DONATOS sibi ab amicis, cùm Londini esset anno 1581. peregrinos aliquot fructus, refert idem Clusius. Horum, inquit, maior ex eo genere est, quod in annotatiuncula ad caput 26. lib. 1. Historiæ Aromatum secundo loco descripsi, sed longè amplior, vtpote qui ternas vncias longitudine superet, crassitie vnam, altitudine duas ferè æquet, alioqui forma & colore eidem planè similis: nempe crasso cortice seu putamine constans, inferiore parte sessili, rugoso, scabróve & cinereo, superna autem & gibba læui, subrufo, vel potiùs spadiceo, ita vt animalculum duro corio tectum videatur. Prægnans est, & nucleum intus continet duas vncias longum, vnam latum, geminum, extima parte simul cohærentem, tenui cinereáque membrana tectum, materie firma vt amygdalæ aut castaneæ recentes, subfusca, pingui, & oleaginosa, odore satis iucundo prædita, & gustu non ingrato. Eum accepit Lusitanus quidam mercator Petrus de Frias nuncupatus à prouinciæ Peru Prorege, pro fructu illius arboris in Nouo orbe nascentis, ex qua Balsamum elicitur, cum ipso Balsami oleo. Verùm, si D. Monardis descriptioni credendum est, longè minor est Balsami fructus. Consule finem capitis 8. ipsius Hist. Simplic. ex Nouo orbe delatorũ, quam pridem Latinam fecimus. Alter nucis iuglandis ferè magnitudine est, extima parte latiusculus, totus rugosus, atque vt nucis iuglandis putamen inæqualis, niger, sed magna ex parte veluti crusta quadam durissima & cinerea tectus: leuis est & minimè ponderosus, tametsi admodùm solidus sit, & saxea duritie præditus, nec minùs in aqua subsidat quàm lapis: confractus crasso durissimóque cortice constare deprehenditur, & nucleum candidum, succulentum, grati saporis, iucundíque odoris, oleum ferè Macis referentis continere, in binas partes sectum & tenui candidaq; membrana diuisum, alia insuper paulò crassiore firmioréque inclusum. Eiusmodi ante plurimos annos Antuerpiæ inter aromata inuentos memini. Magnam similitudinem habet tertius cum prima nuce in adnotationibus ad 26. cap. 1. lib. Hist. Aromatum descripta, sed paulò minor est, angulosus, niger, crassioribus quibusdam firmísque villis ipsi incumbentibus & firmiter inhærentibus obseptus, altera parte tribus foraminum vestigiis insignitus, quorum tertium maiusculũ est & infrà spectat. Præduro putamine constat, & prægnans

I. (Balsami fructus.) II. III.

BALSAMI fructus.




VARII fructus peregrini, Clusij.



NVX FAVFEL

Alij fructus peregrini Clusij.



prægnans est, nam concussus crepitat & sonitum edit. Quartus, nucis auellanæ magnitudine, & eiusdem colore, putamine duro, veluti in duas partes diuiso, nucleum intus continens. Similes aliquando Granatæ in Hispaniis accepi ab Ill. Dn. Didaco ab Stuniga, recẽs ex Aphrica (*Elpenon de Velez* arce ab Hispanis occupata) delatos, nucleum cõtinentes album, dulcem: quas ad Vnguentariæ nucis genus aliquod referendas

V. existimabam. Quintus, duntaxat nucleus est suo putamine siue cortice exemptus, firmus, tenui membrana fusca & multis venis distincta, firmitérque ipsi nucleo inhærente tectus: ipsa materies firma est, candida, pulpæ nucis Indicæ siue Cocci similis, nullo quidem odore prædita, sed satis grato sapore. Calidum in pri-

VI. mo gradu, aut secundi initio arbitror. Sextus, orbiculari ferè rotunditate & tanquam torno elaboratus est, ouo passerino minor, flauus omni ex parte, nisi in altera extremitate subfusca macula insignitus esset, solidus, lapideáque duritie, & in aqua subsidens. Priores quinque à Iacobo Gareto iuniore Aromatario, viro integerrimo accepi: sextum ab humanissimo doctissimóque viro Dn. Ioanne Rizio Serᵐᵃᵉ. Reginæ Angliæ Elizabethæ pharmacopœo, qui multis beneficiis dum Londini essem me affecit. Eum verò à C. V. Nicolao Rassio accepisse fatebatur. At postquàm Viennam redij, inter multos exoticos fructus, quos, vt alia pleraque rariora, suis capsis inclusos adseruo, alios inueni quos à nemine adhuc descriptos existimo. Rem itaque minimè ingratam studiosis me facturum arbitratus sum, si illorum breues descriptiones, atque icones superioribus adiicerem.

I. Prior, alteri iam memorato non admodùm dissimilis est, sed minor, & Ponticam nucem non excedens (tametsi iuglandi ferè æquales videre meminerim) læuis, splendens, cinerei coloris, & saxea duritie præditus, licet in aquam demersus supernatet, inæqualis aliquãtulùm, & compressus, vti pisa quæ in eadem siliqua nata sese mu-

II. tuò contigerunt. Alter, oualis, Iudaico lapidi magnitudine par, & eius formam exceptis striis pulcherrimè exprimens, ex ruso nigricantis coloris est, vt maiores nonnullæ gallæ leuis, & aquæ impositus supernatans, duro putamine constans, ac nucleũ con-


III. tinens. Tertius, illo minor, & mediocrem nucem auellanam non excedens, orbicularis ferè, nisi infima parte paulò augustior in triangularem veluti cuspidem desineret, colore alteri similis est, &, tametsi leuis, in aqua subsidens & imum petens, duro crassóque putamine constat, & nucleum candidum tenui fusca membranæ

brana tectum continet. Vtrumque hunc anno humanæ salutis 1579. Londini na-
ctus sum à nostro H. Morgano, qui ex ea Nigritarum in Aphrica regione quæ
vulgò Guinea appellatur, & circiter quinque gradus ab æquatore distat, eodem
anno delatos asserebat: eam ob causam initio subsequentis anni, maiorem vnum,


·VIII·

& minores duos, quorum alter suo putamine
exemptus erat, terræ in fictili credidi: sed neu-
ter natus est, quemadmodùm nec sequentium
nonnulli, quos cùm in Belgio, tum hîc terræ
commisi. Quarto sphærica penè est figura, IIII.
magnitudo ferè vncialis, putamen crassum ad-
modùm & durum, perpetuis tuberculis vndi-
que obsitum, coloris flauescentis, linea eminen
tiore transuersum secante, quam, vt in iuglan-
dibus, putaminum coniunctionem & commis-
suram esse arbitor. Quinto planè sphærica est V.
forma, magnitudo vulgaris globuli bombardi-
ci, putamen eiusdem cum superiore coloris, &
perpetuis similiter tuberculis, at non adeò cras-
sis obsitum, nullâque linea cinctum. Sextus, VI.
officinarũ Nuce vomica maior est, planus idem
atque similis coloris, nempe cinereus, superna
parte paulò eminentior, & in ambitu quodam-
modo sinuosus, infima verò, quinque grana in-
ter se disiuncta, & veluti ipsi impressa osten-
dens, mespilorum setaniorum ossiculis non val
de absimilia, quæ exempta, satis alta lacuna-

·IX·



·XI·



·X·



rum vestigia relinquunt. Totus linea duritie præditus est. Septimi forma etiam VII.
plana est, sed à superiore discrepans, rugosa & nonnullis locis intumescens, color
ex cinereo nigricans, qualis in nonnullis *Caious* fructibus, quorum iconem & hi-
storiam libro Aromatum cap. de Anacardio dedi. Is per medium sectus nulla
grana, sed splendentem quendam nigrúmque succũ iam cõcretum & induratum
dũtaxat cõtinere deprehẽditur: itaq; inter fructus potiùs vitia quàm inter fructus
numerandum censeo. Hos omnes cum Acaciæ veræ siliquis & seminibus, paruis
quibusdã cõchyliis, & aliis quisquiliis in Piperis repurgatione & delectu aliquãdo
inuentos memini. Sequẽtes verò olim nouo orbe delatos ex Hispaniis accepimus.
Octauum, Pinei alicuius generis nucleos esse existimo, adeò nostratis pineæ nucis VIII.
siue strobili nucleos referunt, licet plerumque nostris sint & longiores & crassio-
res: durum similiter putamen & idem color. In nono quædam est varietas: nam IX.
alter altero maior & amplior est, licet color & forma propemodùm eadem. Pla-
nus est & oblongiusculus, altera parte latior, altera angustior, glaber & læuis, totus
fusci aut interdum spadicei coloris, nisi linea quædam candicans, qua parte suo
fructui adhæsit (nam altero inclusus fuisse videtur) varium faceret: prægnans est, &
sonitum edit. Hi duo *Pepitas del Peru*, id est, acinorum Perüanorum nomine insi-
gnes missi fuêre. Decimus Casiæ solutiuæ, aut Ceratiorum semen magnitudine X.
æquat, cui etiam forma persimilis est, sed tumidior aliquantùm, & colore diffe-
rens, qui in hoc egregiè rubet vt in Oxyacanthæ fructu, solidus & durus, atque in
aqua subsidens & imum petens: siliqua aut alio fructu inclusum fuisse arbitror.
Eum nomine *Mates* accepi. Postremum locum occupabit Phasiosus ille colore XI.
Macounæ simili, hoc est, ex spadiceo nigricante, sed planiore lõgioréque forma, hi
lo non admodùm magno, cuius ad epistolam Petri de Osma Nicolao Monardes
inscriptam,

inſcriptam poſtrema editione memini, quíque Diuo Maximiliano II. feliciſsimæ memoriæ Cæſari ex Hiſpaniis miſſus fuit, *Haba de India muy larga*, id eſt, Fabæ Indicæ prælongæ nomine. Aqua merſus imum petit.

CORV. *CAP. XCVII.*

Locus. IN prouinciis China, Iapan, Malaca & Bengala, inquit Chriſtophorus
Acoſta, prę̨ter Macer arborem, de qua nos huius libri cap. 14. naſcũtur
duæ aliæ arbores plurimũ inter ſe differẽtes, ſed quæ iiſdẽ facultatibus
Nomina cum Macere ſint præditæ. Harum prior (de qua hoc capite agemus)
vocatur in Malabar *Curodapala*, & *Curo*, in Canarin *Coru*, à Brachmenis *Cura*. Eſt ve-
Forma. rò hæc arbor pumilæ Malo aureæ ſimilis, cui etiã perſimilia habet folia, ſed quæ
medium neruum craſsiorem habeant, aliis octo aut nouem in latera excurrenti-
bus: flos luteus eſt, odoris ferè expers: radicis cortex diluto virore præditus eſt
læuis & tenuis, qui ſi frangatur aut vulneretur, multo lacteo ſucco manat, lentio-
re & magis viſcido quàm qui ex ſuperiore fluit, guſtu inſipido, amaritudinis ta-
men alicuius participe, frigidus & ſiccus, plus tamen ſiccitatis quàm frigiditatis
Temper. poſsidens, in quo ordine Medici illius prouinciæ etiam conſtituunt. Huius vi-
& Vires. rentis corticis ſucco, licet admodùm ingrato, plurimùm vtuntur incolę cùm gen-
tiles tum Chriſtiani ob admirandos quos præbet effectus in omni genere proflu-
uij, cùm in lienteria tum in diarrhœa & dyſenteria è quacunque cauſa prognata.
Luſitani tamen Medici methodum in eo exhibendo ſeruant. Vtuntur etiam eo
ſicco veluti priore: ſed prioris cortex longè præſtat. Diſtillant verò atque vtun-
tur in hunc modum. Corticis in puluerem triti vncias octo, ammeos, apij, co-
riandri ſicci, cumini nigri nonnihil toſtorum & in puluerem redactorum ſingu-
lorum drachmas tres, corticum Myrobalanorum Cepulorum drachmas ſeptem,
butyri vaccini non ſaliti vncias duas, lactis acidi quantùm ſatis eſt ad pulueres
iſtos excipiendum, ſumunt in diſtillatoriam ollam vitream (ſi delicatioribus pa-
ratur) aut vulgarem (vt maxima ex parte fit) imponunt, & ſtillatitium liquo-
rem eliciunt, cuius quatuor vel quinque vncias cum aquæ auellanæ Indicæ, vulgò
Areca nominatæ, aut aquæ è pediculis roſarum vnciis duabus propinant alui
profluuio laborantibus, (interdum, ſi neceſsitas vrgeat, trochiſcos de charabe vel
de Lemnia terra admiſcent) ſemel in die, vel bis ſi opus ſit, illico autem poſt eius
ſumptionem, orizam cum oxygala exhibere ſolent. Clyſteres etiam ex eo confe-
cti præſertim ſub noctem iniiciuntur. Licet verò hic liquor admodùm commen-
dabilis ſit, longè tamen præſtantior eſt Maceris cortex viridis, licet multò ingra-
tior, & ſumptu difficilior. Vtilis etiam hæc eſt radix ſeu cum orizæ decocto ſum-
pta, ſiue inuncta aduerſus hæmorrhoides & ani ſciſſuras. Foliorum eius cum Ta-
marindorum foliis decoctorum vapore crura tumentia vtiliter fouentur: ipſo au-
tem decocto madentes panni commodè in tympanite applicantur.

PAVATE. *CAP. XCVIII.*

Nomina ALTERA iſtarum ſtirpium, tertium videlicet genus earum quæ ad al-
ui profluuia vtiles ſunt, vulgò in Malabar dicitur *Pauate*, à Brachme-
nis & Canarinis *Vaſaueli*, à Luſitanis *Arbol contra las eriſipolas*, hoc eſt,
Arbor eryſipelas curans. Frutex eſt non admodùm ramoſus, octo
aut nouem pedum altitudinis, cui rara ſunt folia, Mali aureæ minoribus foliis ſi-
Forma. milia, excepta appendice qua carent, vtrimque eleganti virore prædita: flos exi-
guus, candidus, quatuor foliolis præditus, è cuius medio exit alba fibra cuſpide
viridi inſignis, odore floris Periclymeni, cui procul aſpicientibus perſimilis vide-
tur, ro

PAVATE, Acostæ.



tur, rotundum semen, lentiscini magnitudine, ex viridi nigricans, & vbi maturuerit nigrum. Caudex & rami cinerei sunt coloris, radix alba & insipida, cum nonnulla tamen amaritudine, odoris propemodùm expers. Tametsi vtilis sit *Vsus.* hæc planta aduersus alui profluuia, quemadmodùm superiores duæ, cum illis tamen minimè comparari potest, quandoquidem imbecillior est: itaq; qui superiores nouit, ea haudquaquam vtetur in alui profluuiis, at in curando duntaxat omnis generis erysipelate, & eo præsertim quod è mera bile ortum est: etenim insigni virtute aduersus hunc morbum pollere deprehensum est Teritur & maceratur huius plãtæ truncus siue radix orizæ decocto (*Canie* vocant) aliquot horis quiescere sinitur vt acescat hęc aqua: erysipelas deinde ea inungitur, bibendáque propinatur sufficiente quantitate bis in die, purgato priùs ventriculo. Eadem ratione præbetur radix orizæ decocto macerata iis qui iecoris inflammatione laborãt, & febrium ardoribus: addito autem succi foliorum Tamarindi momento vulnerum labia circumquaque inungi solent ad inflammationes prohibendas, & humorum defluxus cohibendos. Quoniam verò iis in prouinciis multò maiore quantitate hoc tertium genus quàm secundum *Coru* nuncupatum crescit, incolæ eo vtuntur.

MAMBV, siue arbor Tabaxir. CAP. XCIX.



INVENIVNTVR interdũ hæ arbores siue arundines, vocatæ *Mambu*, in quibus nascitur Tabaxir, tantæ amplitudinis & crassitiei vt ex *Amplitudo.* ea cymbas faciant, quæ binos viros capere possint, non quidem eas excauantes, sed relictis solùm duobus internodiis excidentes. Conscendere verò solent similes cymbas bini Indi, iiq; nudi (nam nudos incedere in iis regionibus moris est) sedereque singuli in eius extremitatibus, iunctis cruribus, tenentésque singulis manibus remos trium aut quatuor palmorum longitudinis, quibus eas cymbas impellunt tanta dexteritate, vt etiam aduerso rapidóque flumine summa celeritate nauigare possint, quẽadmodùm meis oculis conspexi in flumine Crãganor, in *Crãganor flumen.* quo plurimus est vsus cymbarum ex hac arundine confectarum, quoniam qui eis vehuntur securiores sese existimant à Crocodilis, quos illi *Crocodili.* *Caymanes* vocant, magno numero in eo flumine versari solitis. Nam cùm ij ferocissimi sint, sæpenumero in naues maiusculas & minusculas impetum facere solent, vt eos qui illis vehuntur apprehẽdant. Si enim

aut in flumine, aut in litore hominẽ, bouem, bubalum, aprum, porcum, aut quodcumque tandem aliud animal comprehendere poßint, illico deuorant. Indigenæ autem affirmant nunquam compertum esse, vt eos qui cymbis ex Mambu confectis vehuntur appetant, sed sæpenumerò conspectos esse natantes proxime illas, at tamen eas præterire sine noxa.

LIGNVM MOLVCCENSE. CAP. C.

Forma. INVENITVR in Moluccis arbor quædam domestica Mali cotoneæ magnitudine, cuius folia Maluæ vulgaris foliis sunt similia, fructus verò auellanis, sed minor, molliore cortice & nigricante. Seritur colitúrque in hortis diligenter, nec alibi facilè inuenias: tanti enim ab incolis æstimatur, vt peregrinos ne ad eius quidem conspectum admittant. Incolæ *Panaua* appellant. Cùm verò istic Regis nomine gubernaret prudẽtißimus & animosißimus Dominus Ludouicus de Tayde, ipsius nomine hæc arbor dicta *Nomina* fuit, quoniam ille primus nobis eius insignes facultates aperuit. Accidit enim vt nobilis quidam Lusitanus, Henricus de Lima vocatus, dum in Moluccis versaretur, animaduerteret quanta cura & diligentia incolæ hanc arborem colerent, quantíque æstimarent, atque ideò illius facultates apprimè intelligere cupiens, nonnullas tandem edoctus est. Nactus igitur trunci huius arboris partẽ, eam obtulit Proregi, bonarum rerum, & naturæ secretorum studiosißimo, tãquam medicamentum valde necessarium, cognitúque dignum, & nostris hominibus hactenus inauditum. Anno autem sexagesimo primo supra millesimum & quingentesimum interrogans me Prorex, an aliquid de hac arbore inaudissem, aliquot eius facultates retuli quas ab aliis didicissem, conquerẽs arborem nondum licuisse videre: tum ille eius quod habebat fragmento me donauit, imperans vt cum iudicio & ratione experirer, nec vllius vitam periclitarer, deinde rerum successum illi significarem: quod me facturum recepi. Eius itaque ligni periculum feci, cùm in nõnullis ægris quorũ curam habebam in nosocomiis, tum in variis morbis qui in longa nauigatione plerumq; oriri solent dum in Lusitaniam redirem, partim adiutus facultatum relationibus quas intellexerã, & vtendi methodo, partim iis quæ *Vsus.* nobilis ille in Moluccis didicerat. Illius semen iam antè videram mihi donatum ad aues capiendum: etenim eo in aucupiis vtuntur non modò in illa regione, sed etiam in multis Indiæ prouinciis, ad quas eius rei gratia venale defertur. Eius pauxillum cum oriza cocta mixtum auibus siluestribus exponunt: quæ degustãt, illicò decidunt sopitæ & stupidę, quæ verò auidiùs id edũt, moriuntur antequam illis auxilium pręberi possit, quod est, vt frigida caput perfundatur. Graculi omnium ci- *Vires.* tißimè eo degustato extinguuntur. Nunc ad salubrem huius arboris materiem accedamus, cuius pauxillum hodie plurimi facio. Intus sumptum, aut foris appositum, omnibus venenis resistit. Intrò assumitur magno commodo ex aqua rosacea vel vulgari, auiúmque iusculo eius pulueris apta quantitas pro necessitate, & ægri natura, modò decem grana non excedat, sed infra id pondus consistat. Ad viperarum, Regulorum (qui serpentes pileati appellantur, & admodùm noxij sunt) aliorúmque similium aspidum aut serpentum morsus bibitur hic puluis ex aqua, ipsisq; morsibus puluis inspergitur. Eadem ratione præbent in vulneribus quæ à sagittis toxico illitis facta sunt, quibus illius regionis incolæ plurimùm vtuntur. Puluerem verò ex hoc ligno sibi parant lima è pelle marinæ caniculæ confecta, aut tenui aliqua ferrea lima. Robustißimo cuique dimidius eius scrupulus ex aqua limpida tepida aut rosacea, aut gallinarum iusculo tepente, summo mane datur: cœna autem diei præcedentis parca esse debet euacuat enim omnes humores, præsertim crassos, lentos, & melancholicos: conuenit quartanis, diuturnis, febribus con

bus continuis, iliacis, colicísque doloribus, flatibus, hydropisi, arenulis, renum calculis, vrinæ difficultatibus, sæuissimæ colericæ passioni, aliisq; morbis, veluti articulorum & tibiarum inueteratis doloribus, scirrhis & scrofulis. Omnis generis lumbricos necat, & appetentiam deiectam reuocat: & si nimia fiat euacuatio, bibat æger dimidium cyathum *Cania*, hoc est, decocti orizæ, aut auiculam comedat: subito cessabit, quod sanè multa laude dignum est, paucisq; medicamẽtis vulgare, vt in potestate sit medici aut ægri, purgari quantùm cupierit. Huc accedit quòd neque fœtorem, neque tædium, neque metum dum sumitur pariat, posśitque sine diætæ obseruatione, etiam iis qui sua negotia foris peragunt, propinari, vti ex iis deprehendi qui vnà mecum eadem naui vehebantur, nullum sentientes incommodum, tametsi dum purgarentur nulla diæta vterentur, viuerentq; solutissimè. Obseruaui etiam illius præstantiam in inueteratis capitis doloribus, hemicrania, apoplexia, aurium tinnitu, arthritide, ventriculi & vteri affectibus & asthmate. Propterea fidens illi plurimùm, sæpius in diuersis naturis, ætatibus & locis, feliciter vsus sum, & sine vlla molestia, nisi quòd in biliosis naturis, calidisq; ventriculis nonnihil molestiæ pareret donec cibum sumerent, & in nonnullis vomitum excitaret: sed biliosis hunc puluerem nonnunquam dedi syrupo acetoso aut carambola condîta exceptum, aut in catapotia cum saccharo rosato efformatum. Exhibendus est summo mane, neque cibus aut potus concedendus donec purgati sint quantùm necessarium videtur, tum demum cyathus iusculi gallinarum tepidi datur, dimidiaq; aut integra hora pòst conceditur pullus gallinaceus, & paululùm vini aqua bene diluti, deinde toto illo die potu abstinet ad cœnam vsque, quæ parca erit, & facilis concoctionis. Subseqũeti die sumitur saccharum rosatum cum aqua buglosśi, aut borraginis, aut communi, atque iniicitur clyster ad aluum eluendam. Solet verò interdum in nonnullis ani pruritum & excoriationem excitare, atque in aliquibus (sed paucis admodùm) hæmorrhoides. Hæc sunt quæ de hoc ligno Panaua conspexi & intellexi. Nunc verò in illis regionibus magnus est eius vsus, tantaq; æstimatio, vt sine metu in multis morbis suprà enumeratis vsurpent. Ego bis illud sumpsi in coli dolore & hemicrania, mihiq; salutare esse deprehendi. Ceterũ cùm propter eius insignes facultates incolæ plurimi faciant, easq; quantùm in ipsis est, celare nos studeant, quæ proculdubio lõgè plures sunt quàm quas nouimus, sperãdum est temporis (quod omnia reuelat) successu reliquarum, quæ nobis adhuc ignotæ sunt, notitiam nos consequuturos: easq; in libro quem præ manibus habemus fideliter enarrabimus, si, antè quàm in lucem prodeat, intellexerimus.

MORINGA. CAP. CI.

LENTISCI magnitudine est Moringa, cui persimilia habet folia: paucis prædita est ramis, eámque ob causam exiguam præbet vmbram, multis nodis scatet, adeoq; fragilis est, vt facilimè cùm ipse frutex, tũ rami confringantur: folia saturatiùs virent, viuidiq; sunt coloris, saporis verò foliorum napi: fructum fert pedalem, raphani crassitie, octo angulis insignitum, colore dilutiore inter viridem & cinereum, intus candidum, medullosum, & in certa receptacula distinctum, quibus continentur rotunda semina Eruo similia, virentia, & admodùm tenera, sed sapore quàm folia acriore. Editur hic fructus cum carnibus coctus, aut alio modo paratus. Huius arboris radix Vnicornu, & lapidis Bezar vices supplet, veráque theriaca est qua vulgò incolæ vtuntur cùm aduersus omnis generis venena, tum morsus serpentium maximè noxiorum, vulgò *Culebras de Capillo* dictorum, aliorúmque insectorum, & virulentorum animalium, cùm intrò sumpta, tum foris applicata. In colerica quam vocant passio- *Forma.*

MORINGA, Acosta.



ne singularis efficaciæ esse deprehendi. Miscetur remediis melancholicos humores purgantibus: & probè nota est elephantiasi laborantibus, quorum plurimos eius continuo vsu sanari perhibent. *Locus.* Abunde nascitur variis Indiæ locis, sed præsertim tota prouincia Malabar, secundum flumen Mangate, vbi admodùm luxuriat, multósque fructus profert, qui vulgò in foro venduntur perinde atque fabæ in Hispania. *Nomina* Arabes & Turcæ *Morian* appellant, Persæ *Tame*, Guzaratenses *Turiaa*.

NEGVNDO. CAP. CII.

DVAE arbores multis Indiæ locis, præsertim verò prouincia Malabar inueniuntur, in vsu medico adeò commendatæ, vt multis morbis vtiles esse deprehēdantur. *Negundo mas.* Earum prior mas censetur, & à Canarinis *Varalo Nigunda* appellatur, Amygdalæ magnitudine, foliis supernè virentibus, infernè hirsutis, foliorum Saluiæ modo, & in ambitu serratis, quæ procul aspicientibus Sambuci foliis similima videntur. *Negūdo fœmina.* Altera Negundo fœmina nūcupata, aut *Norchila* à Lusitanis, vulgò in Canarin *Nyergundi* dicitur: in Balagate *Sambali*, in Malabar *Noche*: vtraque verò tam mas quàm fœmina Arabibus, Persis & Decan incolis *Bache* vocatur, Turcis *Ait*. Eadem magnitudine qua prior assurgit, folia verò habet ampliora, rotundioráque, neque in ambitu serrata, foliis Populi albæ perquàm similia. *Forma.* Vtriusque generis folia Saluiam odore & sapore referunt: degustata tamen magis amara & acria deprehenduntur: in plurimis foliis parte auersa summo mane inhærens conspicitur spuma quædam candida, quę nocte ex illis emanat. Vtriusque flos cinerei coloris est, plurimumq; ad Rorismarini florem accedit. Vtriusque fructus admodùm similis est Piperi nigro, acris gustus quidem, sed minimè vrentis vti Piper, at Zingiberi propemodùm paris. *Temper. & Vires.* Arborem moderatè calidam faciūt, & semini paulò plus caloris tribuunt. Folia, flores, fructus contusa, aut in aqua decocta, vel in oleo fricta vtiliter imponuntur omnibus doloribus ex quacumque causa prouenientibus: præsertim verò articulorum doloribus ex frigida causa natis, atque in tumoribus & cōtusionibus, mirabiles præbet effectus. Vlceribus etiam vetustis folia trita imponuntur felici successu, quandoquidem eorum materiam digerunt, eaq; emundant & ad cicatricem perducunt, modò corpus non sit impurum. Et sanè in vulneribus, apostematibus

NEGVNDO mas, Acostæ.



NEGVNDO fœmina, Acostæ.



tibus & contusionibus adeò vtilem experiuntur, vt chirurgorum operam minimè requirant. Mulieres horum foliorum decocto omni tempore vniuersum corpus lauant: tantáque inuasit persuasio apud illas, Negundo folia, flores & fructus vtilia esse ad iuuandum conceptum, vt eum qui contrarium persuadere conetur, lapidibus obruturæ sint. Obstetricibus etiã, quas illi *Dayas* vocant, apprimè nota est hæc arbor. Adeò frequens est huius arboris vsus ad medendum in illis regionibus, vt nisi Deus præcisos ramos multiplici fœtura renasci faceret, iam diu fuissent consumptæ arbores, aut certè maximi pretij nunc essent: sed quò magis præciduntur rami, eò feliciùs renascuntur, perpetuáque fronde virent.

NIMBO. CAP. CIII.

NIMBO, Acostæ.



ALIA est arbor medico in vsu admodùm commẽdata à Christianis & Gentilibus, reliquisq; earum Indiæ prouinciarum incolis, rara tamen admodùm: sed qui eam cognoscunt *Nimbo* appellant, Malabarenses *Bepole*. Magnitudine est Fraxini, cui procul aspicientibus persimilis videtur: folia vtrinque viridia sunt, nec ab altera parte incana lanugine pubescũt, in ambitu serrata & mucronata: rami multis foliis luxuriant, floribúsque abundant exiguis, albis, quinque foliolis constantibus, flauis in medio staminulis, Lotiq; siluestris siue Trifolij odorati odorem referentibus: fructus est paruis oliuis similis, subluteus, cortice admodùm tenui præditus, nasciturq; ex ramulorum alis. Huius arboris folia nonnihil amaricant, saluberrimáque sunt trita & cum succo limonũ imposita vulneribus sordidis, cuniculosis, callosisq; cùm hominum tum iumentorum: digerũt enim, emundant, sarcotica sunt, & ad cicatricem perducunt. Foliorum item succus perutilis est siue per os sumptus solus, aut ex vino, aut aqua, aut gallinæ iusculo, siue vmbilico impositus solus, aut cum fellis bubuli momento, aut aceto, aut aloë, ad necãdos & expellendos omnis generis lumbricos: quamobrem familiare admodùm, & perquàm salubre medicamentum est omnibus illius regionis incolis, præsertim Malabar prouinciæ, quoniam lumbricis valde sunt obnoxij. Magnus est etiam eorum vsus tum florum & fructus in articulorum doloribus, tumoribus, membrorum debilitate, & apostematibus. Oleum item ex eius fructu expressum, multo

Nomina.

Forma.

Temper. & Vires

eſt in vſu in neruorum doloribus. Eoq; vulnera, neruorum puncturas, & contractiones curant Malabarenſes.

IACA. CAP. CIIII.

NASCITVR arbor in nonnullis Indiæ inſulis ſecundùm aquas, quæ licet nullum medicum vſum præbeat, propter amplitudinem tamen & fructus elegantiam minimè prætermittenda eſt. Eam Malabarenſes *Iaca*, Guzaratenſes *Panax*, Canarini *Panaſu*, Arabes *Panax* & *Iaca* nuncupant, Perſæ mutato p. in f *Fanax*. Vaſta eſt arbor, foliis palmaris amplitudinis prædita, dilutè virentibus, neruo craſſo & duro per longitudinem excurrente: malum fert non è germinibus aut foliorum ſede, quemadmodùm aliæ arbores, ſed ex ipſo trunco maioribúſque ramis naſcens, longum, craſſum, obſcuriùs virens, craſſo duróque cortice tectum vndique veluti adamantum cuſpidibus ſepto, quæ in ſpinam breuem, viridem, nigróque aculeo præditam deſinunt, admodùm ſimilem Durionis ſpinæ, ſed minimè acutam aut pungentem, tametſi minitari videatur. Horum fructuum minimus eſt maximæ cucurbitæ amplitudine atque etiam maior, præſertim in Malabar, vbi præſtantiores naſcuntur: nam qui in Goa proueniũt, minores & peiores ſunt atque magis inſipidi. Cùm maturus eſt hic fructus, bonum odorem ſpirat, eiúſque duas differẽtias cõſtituunt, vnã *Barca* appellatam, & præſtantiorem, alteram *Papa* aut *Giraſal* dictam, minúſque bonam: deprehenditur poſtrema ex mollitie, quoniam ſi manu apprehendas, digitis cedit. Præſtantiſsimi verò fructus pretium quadraginta marauedis non excedit, hoc eſt, paulò plus regali caſtellano. Per longitudinem ſecti hi fructus, intus candidi, & denſa carne prædititi apparent, ac veluti in capſulas aut receptacula diuiſi, plena caſtaneis longioribus & craſſioribus quàm ſint dactyli ſiue palmulæ, cinerea tunica tectis, & intus albis caſtanearum vulgarium modo, guſtu terreſtri & aſpero, ſi virides edantur, multóſque flatus generantibus: at ſi vti Hiſpanicæ caſtaneæ aſſentur, guſtu ſapido & venerem excitantibus, ob quam ſolam rem plebs frequentiùs vti ſolet. Sunt autem ſingulæ hæ caſtaneæ pulpa flaueſcente & aliquantulum lenta inuolutæ, & pulpam Durionis nonnihil referente, tametſi ab eo differat. Grati ſaporis eſt, præſertim quæ in Iaca *Barca* cognominata continetur, optimi Melonis pulpæ admodùm ſimilis: duræ tamen concoctionis eſt, & admodùm grauat ventriculum: atque, vt illarum prouinciarum medici aiunt, ſi in ventriculo corrumpatur, noxios & venenoſos humores generat: quíque frequentiùs hoc fructu veſcuntur, facilè in peſtilentem illum & peſsimum morbum *Morxi* appellatum incidunt.

Nomina

Forma.

IACA, Acoſta.



Fructus duo genera.

Vires.

DVRIONES. CAP. CV.

FRVCTVS eſt in Malaca adeò grati ſaporis & odoris, vt reliquis qui in ea prouincia gignuntur, tametſi plurimi ſint & boni, præferendi videantur. Cuius præſtantia, & quoniam Doctor ab Orta illius etiam meminit capite de Datura, licet eum non vidiſſet, me impulit vt de eo ſcriberem tanquam oculatus teſtis, tametſi in medicina nullum locum obtineat. Vocatur hic fructus in Malayo (quæ prouincia eſt vbi gignitur) *Duriaon*: ipſius *Nomina* flos *Buaa*: arbor ipſa *Batan*. Prægrandis eſt hæc arbor, materie valida & ſolida,

DVRIONES, Acoſta.



craſſo cinereóque cortice tecta, multis ramis *Forma.* luxurians, & copioſum fructum præbens: flores habet ex albo nonnihil flaueſcentes: folia, dimidij palmi longitudine, duorũ aut ampliùs digitorum latitudine, in ambitu tenuiter ſerrata, parte externa dilutiùs virentia, interna verò ſaturiore virore, & quodammodo ad rufum tendente prædita: fructum Melonis magnitudine, denſo cortice ſeptum, eóque multis breuibus craſsiſq́; & pungentibus aculeis horrente, foris viridi & veluti ſtriis quibuſdam quemadmodũ Melo ſecundùm longitudinem diſtincto: intus verò cõcamerationes quatuor ſecundùm longitudinẽ habet, ſingulas tria aut quatuor receptacula cõtinentes, quibus ſinguli fructus inſunt admodùm cãdidi vti lactis pingue, magnitudine oui gallinacei, guſtu ſuauiore odoratioreq́; quàm ſit cõdimentum illud ab Hiſpanis *Maniar blanco* appellatum, nõ tamen adeò molles aut glutinoſi: nam qui cãdore illo *Fructus* non ſunt præditi ſed flaueſcũt, putridi ſunt, aut *delectus.* aëris iniuria pluuiáve corrupti. Optimi cēſentur qui tres dũtaxat fructus in ſingulis concamerationibus, deinde qui quatuor obtinent: nam qui quinq; habẽt, improbi cenſentur, quemadmodùm & illi qui fiſſuras aliquas habẽt: non ſolẽt verò in ſingulis malis plures quàm viginti fructus cõtineri, iiq́; ſinguli incluſum habẽt nucleum, mali Perſici nucleo ſimilem, non rotundum, ſed oblõ giuſculum, guſtu inſipido, quique guttu exaſperet, veluti meſpila viridia, propterea nõ eduntur. Calidus & *Temper.* humidus eſt hic fructus: & qui edere volunt, pede leuiter comprimere & frangere ſolent propter ſpinas quibus obſitus eſt. *Vſus.* Qui nunquam his fructus ederunt, cùm primùm illos olfaciunt, videntur putridas cepas odorari: ſed poſtquàm deguſtarunt, præ reliquis cibis bene olere & ſapere cenſent. Eſt verò tanta in exiſtimatione, apud eos qui gulæ dediti ſunt hic fructus, vt putent neminem eo poſſe ſaturari, propterea varia dant illi epitheta. Memini videre quædam Epigrammata ab eleganti Poëta in laudem eius conſcripta: quæ (ſi hic locus ferret vt adſcriberentur) non dubito quin lectori plurimùm eſſent placitura. Tanta tamen eſt huius fructus in Malaca abundantia, vt ſinguli non pluris quàm quatuor marauedis *Pretium.* veneant, præſertim menſibus Iunio, Iulio, & Auguſto: nam reliquis pretiũ intenditur pro hominum arbitrio. Admiratione porrò digna eſt Betele cum hoc fructu antipathia quæ profectò tanta eſt, vt ſi quis in nauem Durionibus plenam, ædéſve aut concamerationem, vbi obſeruentur, aliquot Betele folia reponat,

corrumpantur & putrescant omnes. Et, sicut ex Durionum immodico esu ventriculus inflammetur & grauetur, folio Betele supra ventriculum imposito, subitò mitigatur inflammatio, tumorq; tollitur. Et, si à Durionum esu ingerâtur aliquot Betele folia, nullam noxam sentiet, quantumuis multos ederit. Inde fit, tum etiam ob eius gustum suauem, vt vulgò dicatur, neminem eorum esu posse satiari.

MANGAS. CAP. CVI.

Forma. VASTA hæc est arbor & multis ramis prædita, fructúmque fert magna ex parte anserino ouo maiorem, nonnullis interdum Indiæ locis binas libras, aut ampliùs pendentem. In eadem verò arbore persæpe colore differentes isti fructus conspiciuntur: alij enim dilutè virent, alij flauent, quidam etiam ex viridi rubescunt: grati admodùm saporis odorísq; est, & quando non est corruptus, Duracinis Persicis (quæ à carne firmiore flauáque Melocotonea vulgò appellantur) præstat. *Locus.* In multis prouinciis nascitur, vti in Malabar, Goa, Guzarate, Balagate, Bengala, Pegu, Malaca, alíísque Indiæ locis, & in Ormuz vbi reliquis præcellit. *Nomina* Nominatur *Mangas*, in Canarin *Ambo*, à Persis & Turcis *Amba*: permanétque in arbore ab Aprili in Nouembrem vsquè interdum, pro locorum natura & situ. Editur hic fructus in laminas sectus aut sine vino, aut vino maceratus. Condítur etiam saccharo vt commodiùs adseruari posit, atque interdum cultello aperitur, & in eius meditullium zingiber recens, allia, sinapi, sal, cum oleo & aceto insperguntur, vt vel cum oriza edant, vel oliuarum conditarum modo. Saliunt etiam & elixant, atque in forum venalem proferunt. *Temper. & Vires.* Frigidus & humidus est, tametsi vulgus calidum constituat, & multas mordicationes in eorum qui vescuntur vẽtriculo parere affirmet. Quin & indigenæ medici calidum faciunt, & vituperant, dicentes serpiginem, erysipelas, biliosas febres, phlegmonas, & scabiem generare. Quod fortè accidit ab eius in ventriculo corruptione: sed eo tempore quo inuenitur hic fructus, propter immoderatum æstum, in similes morbos incidunt etiam nonnulli qui illo abstinent. Antequàm probè maturus sit, gustu adstringente est, & ea pars quæ osiculo vicinior est, acerbior: sed maturus dulcis & sapidus est. Præduro putamine, vndiquaque tomẽto, aut duris fibris transuersim & obliquè excurrentibus operto tegitur nucleus longiusculus & crasiusculus, magnitudine iligneę glandis, candidus & candida cute tectus, gustu amaro dum crudus est, ideóque aduersus lumbricos & alui profluuia vtilis: tostus verò iligneas glandes sapit. Inuenitur etiam huius genus sine osiculo, palato admodùm gratum. *Mangas siluestre aliud genus.* Aliud eius genus siluestre reperitur *Mangas brauas* nuncupatũ, adeò præsentis veneni, vt indigenæ illo sese mutuò perimant: nam si quis paululum ederit, ilicò moritur: *Vires.* interdum oleum admiscent ad exacuendam eius vim, vtq; celeriorem perniciem adferat: sed quocũque tandem modo sumptum, adeò celeriter perimit, vt hactenus nullum sit repertum antidotum ad eius vim compescendam. Dilutè viret, & aliquantulùm splendet, lacteo succo abundat, paucáque

MANGAS, Acostæ.



paucáque carne præditus eſt, nam craſſo cortice ſolummodo integitur oſsiculum prædurum & cartilagineum, Cotonei tamen mali magnitudine eſt. Per vniuerſam prouinciam Malabar prouenit copioſè hæc arbor, domeſtica ſiue ſatiua minor, breuioribúſque & craſsioribus foliis. Pueri his fructibus, aureorum malorum loco ſeſe mutuò petere conſueuerunt.

ANANAS SILVESTRIS. CAP. CVII.

ALTIVS aſſurgit Nanâ à nobis deſcripta ſuprà huius libri cap. 75. quæ Ananas ſilueſtris nuncupatur: namque truncum habet haſtæ magnitudine læuem admodùm, rotundum & Mali aureæ craſsitie, ſpinis horridum: folia ſpinoſis cuſpidibus prædita, & per ambitum mollibus ſpinis ſepta. Singulæ arbores ſecundũ radicem ſumma tellure magnam foliorum comam fundunt, maiorum quàm quę in arbore ſunt, quæq́; procul intuentibus Aloës foliis ſimilima videantur, tenuiorum tamen, pluribus ſpinis horridorum, & dilutè virentiũ: adnatis ſe propagat, aliæq́; ſtirpes ex aliis enaſcuntur, præſertim in ſepibus & hortorum ambitu quos egregiè muniunt. Rami foliorum ſimul glomeratorum capita proferunt flauentium admodùm, & tenerorum, ſuauiſsimi odoris, quæ nihil aliud ſunt quàm flos ipſe: ex horũ ſingulis ſpica prodit Arundinis ſpicæ non abſimilis, ſed craſsior, cõpactior, & elegantior, odore Cedri. E ramis dependent fructus, *Ananas brauo*, id eſt, Ananas ſilueſtres dicti, quoniã cum domeſticis nonnullam habeant ſimilitudinem, Melonis magnitudine, coloris rubri elegantis & oculos oblectãtis, toti in partes diuiſi quemadmodùm cupreſsini ſtrobili, ſeu nuces exſiccatæ, ſed tuberculis foris obſiti, vt procùl ſpectantibus magni pinei ſtrobili appareant. Capitum teneriora folia ſeu flores crudi eduntur carduóſque ſapiunt, ſed exiguum alimentum præbent. Fructus (quem pauci deguſtant) ſapore vtcumque ſuaui præditus eſt, adſtrictionis tamen auſteræ, & palato parum gratæ particeps. Forma.

ANANAS ſilueſtris, Acoſta.



Succi plena eſt tota planta cum ſuis radicibus. Huius ſex vel octo vnciæ ex ſacchаro ſummo manè ſumptæ præſentiſsimum certiſsimumq́; cenſentur eſſe remediũ aduerſus iecoris & renum calores, renum vlcera, purulentas vrinas, & penis excoriationem: nam magna ex parte poſt tertium diem ſanantur. Vtilem etiam in diabete eſſe ferunt: at non ſum expertus. Arabes admodùm laudant aduerſus eoſdem morbos & eryſipelas: & *Queura* vocant, quemadmodùm in Decan, Perſæ *Ananaſa*, & *Angali* florem (qui caput illud foliorum odoratum eſt) Arabes *Chuxtaid*, Perſæ *Pixcoxbuith* dicunt: Turcis eſt ignota. Habere hanc plantam aliquot notas non diſsimiles Aloï Americanæ, annotat Cluſius. Vir. s. Nomina

CARAMB

CARAMBOLAS ACOSTAE. CAP. CVIII.



Nomina FRVCTVS quem Malabares & Lusitani *Carambolas* appellant, in Decan *Camarix*, in Canara *Camarix* & *Carabeli*, in Malayo *Bolimba*, & à Persis *Chamaroch* dicitur, nascitur in arbore *Forma.* Cotoneæ magnitudine, foliis Mali, paulò longioribus, coloris viridis saturatioris, & gustus amaricantis: floribus paruis quinq; foliolis constantibus ex albo rufescētibus, nullo quidem odore gratis, sed aspectu elegantibus, & gustu oxalidis acetoso. Ipse verò fructus maiusculi oui *Fructus.* gallinacei magnitudinem æquat, oblongus, flauescens, atque veluti in quatuor partes diuisus, sulcis illis paulò altius impressis magnam gratiam addentibus: in meditullio continet semina tenera saporis aciditate palato grata. Multi vsus est in medicina & in cibis: namque maturum *Vsus.* exhibent in biliosis febribus, & saccharo condîtum syrupi acetosi loco præbent. Canarini eius succo, cum aliis medicamentis istic nascentibus, collyria parare solent ad oculorum nubeculas tollendas. Obstetricē (quæ illis *Daya* dicitur) vidi fructu sicco & in puluerem contrito, & foliis Betele vtentem ad secundinas à partu expellendas, fœtumq; mortuum educendum. Eius etiam muria condîti frequens est vsus, cùm gratissimi sit saporis, & appetentiam excitet.

IAMBOS ACOSTAE. CAP. CIX.



ALIVS est in India fructus, qui ob aspectus elegantiam, suauémq; odorem & saporem, tum etiam ob eius in medicina vsum, dignus est cuius historiam hîc apponam. Arbor verò quæ hunc fructum præbet, vasta est, maximam Malum au*Forma.*ream quæ in Hispaniis nascatur æquans, multis ramis in latum expãsis, multamq; vmbram præbentibus prædita, aspectúque pulcherrima, caudex maiorésque rami cinereo cortice integuntur: folia pulcherrima sunt, læuia, palmũ aut ampliùs longa, crassiore neruo per longitudinem, multis autem obliquis venis in latera excurrentibus, parte superna saturatiùs, inferna verò dilutiùs virentia: flores ex rubro purpurascentes, viuidi admodùm coloris, multis staminibus in medio prædite, aspectu pulcherrimi, gustu capreolorum vitis simili. Fructus magnitudine est *Fructus.* Pyri quod à Rege cognomen accepit, eiúsque duo sunt genera: vnus enim adeò obscurè rubet vt niger videatur, magnaq; ex parte ossiculo caret,

caret,& ſucci bonitate præſtat:alter ex candido rubeſcit,& oſsiculum continet album,durum,non admodùm rotundum,oſsiculi quod in Perſico malo eſt magnitudine,læue,& candida hirſutaq; membrana tectum, qui licet ſuperiori bonitate cedat,dignus tamẽ eſt delicatiſsimorum etiam hominum palato. Vtriuſque odor ſuauiſsimam roſam referr, frigidus & humidus eſt, & admodùm tener, cortice adeò tenui & molli tectus,vt cultello auferri non queat. Altè ſuas radices terræ infigit hæc arbor,& poſt quartum annum fit fructifera:fructũ ſæpius eodem anno perficit,& nunquam ſine flore aut fructu conſpicitur, cùm iidem rami floribus, fructu viridi & maturo ſemper ferè onuſti ſint,decidentibúſque quotidie floribus (ſic vt ſolum rubro colore tinctum quandoque videatur) noui ſubnaſcantur, fructúſque alij primùm enaſcantur,alij matureſcant,alij iam maturi colligãtur. Succuſſa arbore maturi facilè decidunt:comprehenſi verò rami ad fructus colligendos,facilimè ab arbore reuelluntur. Ante reliquos cibos initio menſæ edi ſolent atque interdiu. Malabares & Canarini hunc fructũ *Iamboli* vocant,Luſitani iſtic habitantes *Iambos*,Arabes *Tupha*,Indi,Perſæ *Tuphat*,Turci *Alma*: Luſitani arborẽ *Iambeiro* appellant. Flores & fructus ſaccharo condiri ſolent,iiſq; frequenter vtuntur in bilioſis febribus,& extinguendæ ſitis gratia. *Nomina.*

MALA INDICA, ACOSTAE. *CAP. CX.*



MAGNA eſt arbor multis foliis & floribus prædita,& copioſo fructu: folia minùs rotunda ſunt Mali foliis, tametſi ea æmulentur: ſupernè ſaturatè virent, infernè candicant & pubeſcunt vti Saluiæ folia, guſtu adſtringente: flores exigui, candidi, quinque foliolis conſtantes, inodori. Fructus Iuiubis, ſeu Ziziphis ſimiles,alij aliis maiores & ſuauiores,nunquam verò tam probè matureſcentes vt conſeruari queant & in alias regiones transferri vti Zizypha, & perpetuò nonnihil adſtrictionis retinentes : vnde colligitur minimè pectori vtiles eſſe quemadmodùm Zizipha. Huic arbori nomen eſt in Canara *Bor*, in Decan *Ber*, & in Malayo *Vidaras*, apud Luſitanos *Mançanas de la India*, id eſt, Mala Indica. Præferuntur fructus in Malaca nati Malabaricis: ſed iis adhuc præſtantiores quos Balagate profert. Conſpicitur hæc arbor æſtate alatis formicis perpetuò onuſta, quæ in ramis eius Laccam elaborant. *Forma.* *Fructus.* *Nomina.*


IAMBOLOINS. *CAP. CXI.*

HVIVS arboris materies cortice integitur coloris ferè eiuſdem cum Lentiſci cortice:folia Arbuto ſimilia habet,ſed Myrti virentis foliorum ſapore:fructus Cordubẽſibus oliuis maturis ſimiles, adſtringentis guſtus,& fauces contrahentis. Nullum vſum in medicina obtinent,ſed eduntur cum oriza cocta, nam appetentiam excitant. Vulgus *Iamboloins* appellat.

IANGOMAS. CAP. CXII.

ALIVS est fructus, *Iangomas* nuncupatus, Sorbis ferè similis colore, & immaturis prunis sapore: quibus & arborem similem habet. (sed spinis obsitam) & folia & flores. Nascitur cùm sponte in agris, & in hortis etiam colitur. Fructus licet maturus digitis priùs emolliendus est antequàm edi posit: attamen adstrictionem illam haud mediocrem, nequaquàm adhuc deponit: eáque de causa illius vsus est vbi adstrictione opus habent.

AMBARE, Acostæ.



PINEI nuclei Malucani, Acostæ.



AMBARE. CAP. CXIII.

Forma. CRASSA magnaq; est hæc arbor, foliaq; habet Iuglandis foliis magnitudine respondentia, sed non eius formæ, dilutiùs virentia, & multis venis elaborata, quæ illis magnam gratiam addunt: flores exiguos candidos, fructus Iuglandis nucis magnitudine dilutiùs virentes, & cortice quàm illa leuiore: odoris grauis & gustus acerbi dum adhuc virent, coloris verò flaui in maturis, gratioris odoris, & gustus grata aciditate commendabilis, medullam continente, cartilaginosam & duram, è duris neruis obliquè intertextis constantem. *Nomina* Hanc arborē appellant Canarini *Ambare*, fructum *Ambares*, Persæ *Amberetb*, Turci *Harb*, Lusitani *Ambares*, quemadmodùm Canarini. Propter fructus gratam aciditatem eum omphacij, seu agrestæ loco cibis admiscent: maturum ex sale & aceto edunt, excitat enim edendi appetitum. Indi aduersus biliosos humores vtilem esse perhibent. Sale & aceto condîtus, diu conseruari potest.

PINEI NVCLEI MALVCANI. CAP. CXIIII.

Forma. ALITVR in hortis quibusdam Malabar, tum etiam in nonnullis siluis sponte nascitur arbor magnitudine Pyri, cuius folia infernè diluto virore prædita sunt, supernè autem saturo, admodùm tenella & mollia, quæ gustata valde acria deprehēduntur, & linguam diu vellicant: fructus triangularis, auellanæ magnitudine, interiùs in multa receptacula distinctus, in quibus semen est album, solidum, rotundum, Pineo nucleo suo putamine exempto par. *Vsus.* Eo fructu frequenter vtuntur Indi, cùm in curandis quibusdam morbis, tum etiam in suis nequitiis. Binos eiusmodi nucleos tenui membrana quæ illos

contegit

contegit liberatos terunt,& clysteribus vulgaribus admiscēt aduersus schiaticam, & vrinæ difficultatem:seu propinant cum gallinæ iusculo ad educēdos putridos, lentos,crassosq; & frigidos humores,& asthmaticos curandos, aduersus quē morbum plurimùm commendant,& frequenter vtuntur. Ex aqua tritis impetigines inunctæ primùm tamen diligenter confricatæ & abrasæ,probè & breui temporis spatio curantur:sed admodùm vrunt, vt experientia didici. Improbæ etiam mulieres illarum prouinciarum suis maritis parum æquæ,quatuor grana siue nucleos edendos præbent vt eos interimant. Vulgò appellatur hic fructus *Pinones de Maluco*,hoc est,Pinei nuclei Malucani, quòd istic frequentes sint arbores hunc fructum ferentes,multúsque & familiaris admodùm sit illius vsus in purgationibus:à Canarinis *Gepalu*. *Nomina fructus.*

CHARAMEI. CAP. CXV.

Hvivs arboris duo sunt genera. Vnum Mespili amplitudine, foliis Pyro similibus, dilutè virentibus, fructu auellanis simili, admodùm flauo,eleganter in multos angulos desinente, sapore Omphacij, & grata aciditate,quem vel immaturum vel maturum, vel sale condîtum vulgariter edunt. Alterum genus eiusdem est magnitudinis, foliaq; habet Malo minora,fructum verò priore maiorem, cuius decocto cum Santalis aduersus febres vtuntur Canarini Medici. Crescit in siluis & montibus procul à mari dissitis. E primi generis, quod secundùm aquas nascitur, arboribus,seligunt Decanini & Canarini eam quæ longiùs à mari abest:eius radicis corticem (cui lacteus succus inest) quatuor digitorum longitudine sumentes cum drachma sinapi probè terunt,& asthmaticis exhibent: valenter enim purgat per aluum & vomitum. Quod si immodica subsequatur euacuatio, Carambolas fructum vnum viridem edunt,vel aceti Canarini haustū sumunt(quod nihil aliud est quàm aqua decoctionis orizæ vno aut altero die reseruata donec acescat, Canarinis aceti vices præbens,& medicum vsum præstans)&,si profluuium nō cessat,ægris caput frigida abluunt. Magnus est horū Charameis vsus in illis prouinciis, & ad orexim ciendam edere solēt immaturos,maturos,salitos,vel sale & aceto condîtos vt antè dixi,aut aliis eduliis quibus aciditatem conciliare volunt admiscent. Vocantur in Canara,Decan,& vulgò *Charameus*, Arabibus, Persis & Turcis *Ambela*.

Forma. *Locus.* *Vires.* *Vsus.* *Nomina*

CHARAMEI, Acostæ.



ARBORIS CORTEX AD RHEVMATISMOS VTILIS. CAP. XVI.

Nicolavs Monardes lib.3. Historiæ simplicium medicamentorum ex Nouo orbe delatorum,quorum in medicina vsus est, Peruani cuiusdam corticis, quem ad rheumatismos ab Indis efficacissimè adhiberi ait, his verbis meminit. Inter reliqua mihi ex Peru missus est crassus quidam cortex, quem ex vasta arbore Vlmo simili cùm amplitudine tum

Locus. forma detractum ferunt. Naſcitur ad ripas fluminis cuiuſdam vigintiquinque leucis à Lima diſtantis: nec alibi in India facilè reperias. Indi capitis defluxionibus, rheumatiſmis, aut alioqui capitis grauedine laborãtes, huius arboris corticem in tenuiſsimum puluerem comminuunt, & naribus imponunt: humores enim inſigniter educit, qua ratione liberantur: quod verum eſſe nos ipſi experti ſumus. Secundum caloris gradum excedere videtur.

PACAL. CAP. CXVII.

AD EIVSDEM, inquit idem, fluminis ripas naſcitur altera arbor, quam Indi *Pacal* vocant, iam deſcripta multò minor. Huius ligni vſti cineribus cum ſapone mixtis, Indi ad tollendos lichenes etiam fœdiſsimos vtuntur, cùm qui in capite naſcuntur, tum qui reliquas corporis partes occupant: ſed & vetuſtas cicatrices emaculare dicitur. Paululum huius ligni etiam accepi, cuius facultates experiemur.

CACHOS. CXVIII.

MISSVM præterea ſibi idem Monardes fuiſſe ait plantæ ſemen, plurimæ apud Indos æſtimationis, *Cachos* vocatæ. Naſcitur arbuſti modo, inſigni virore prædita eſt, folio rotundo & tenui: fructũ fert

Forma. Malo inſano ſimilem, altera parte ſeſsilem, altera turbinatum, cinerei coloris, grati ſaporis & acrimoniæ expertis, minutum admodùm ſemen continẽs. Inuenitur duntaxat in Perũanis montibus. Magnæ eſt apud Indos, vt dixi, æſtimationis, ob inſignes facultates. Nam vrinas ciet, arenulas & calculum in renibus

Vires. pellit, quódque præſtantius eſt, illius vſu calculum in veſica comminui ferunt, ſi mollis adhuc ſit, vllíſque medicamentis comminui queat: eiúſque rei tam multa proferunt exempla, vt admirationem mihi pariat: nam ea eſt mea opinio, veſicæ calculum haudquaquam expelli poſſe, ſolámque exemptionem illius remedium eſſe, nullum autem medicamentum adeò efficax eſſe, vt eum confringere valeat: aiunt tamen illius ſemen tritum ex aqua aliqua ad eam rem vtili ſumptum, calculum in lutum diſſoluere, quod excretum denuo concreſcat, & in lapideã duritiem conuertatur. Adoleſcentem vidi, cui hoc obtigiſſe ſcio. Is cùm veſicæ calculo torqueretur, idq; à lithotomis qui calculum deprehenderant intellexiſſem, & ex ſymptomatis quæ patiebatur agnoſcerem, hominem veris initio ad fontem qui de petra cognominatur ablegaui, vbi cùm duos menſes hæſiſſet, à calculo liber rediit, & omne lutum, quod paulatim eiecerat, denuo in lapidea fragmenta concretum ſecum in charta detulit. Pauculum ſemen quod habemus terræ committemus, & ſi naſcetur vtemur, vt eius facultates quas in hoc morbo adeò prædicant experiamur.

FRVCTVS SVB TERRA NASCENS. CAP. CXIX.

Forma. MISSVS eidem etiam eſt ex Peru fructus ſub terra natus, pulcher admodùm aſpectu, & grati ſaporis, qui & radice caret, neque aliquam plantam profert, aut ab vlla planta producitur, ſed ſolummodo ſub terra enaſcitur quemadmodũ tubera: dimidij digiti magnitudinem æquat, rotundus eſt & contortus, & affabre elaboratus, coloris ſpadicei, nucleum intus continens, reſonantem dum ſiccus eſt, amygdalæ ſimilem, cortice fuſco, intus album & in duas partes diuiſum vti amygdala. Grati ſaporis eſt, & auellanam

Locus. guſtu refert. Inuenitur apud flumen Maranon, nec vſquam alibi per vniuerſam Indiam

Indiam: editur recens & exiccatus, sed torreri præstat: apponitur secundis mensis bellariorum loco, quoniam ventriculum admodùm exsiccat & roborat: sed si liberaliùs edatur, capitis grauedinem generat. Eum admodùm æstimant cùm Indi tum Hispani, nec immeritò, quoniam eos qui ad me misi sunt degustans, grati esse saporis deprehendi. Temperatus esse videtur.

FRVCTVS LEVCOMA NVNCVPATVS. *CAP. CXX.*

ARBORIS etiam fructum inde accepit, quem Indi *Leucoma* nuncupant: similis est nostrati castaneæ cùm colore, tum magnitudine, tum etiam sessili illa & albicante parte quam castanea obtinet. Prægnans esse videtur, sed quoniam binos duntaxat accepi, confringere nolui, cùm alterum seuerim & non prodierit, alterum in aliud sationis tempus seruem. Arbor in qua prouenit vastæ est magnitudinis, materiæq; firmæ & robustæ, folia Arbuti obtinet. Fructum edulem gratiq;, saporis esse aiunt, & alui profluuia sistere quoniam adstringit: temperatum asserunt. *Forma.* *Arbor.*

SAPONARIAE SPHAERVLAE. CAP. CXXI.

CASSVLA ipsi præterea missa fuit subere contexta, plena sphærulis admodùm rotundis & nigris atque splendentibus, sic vt ex Ebeno confectæ viderentur. Eæ verò constabant ex fructu in pumila arbore nascēte magis incurua quàm recta, veluti Ruscus, cuius folia filici sunt similia. Ferunt ij frutices rotundum fructum nucis magnitudine lenta quadam pulpa tectum, qua sublata relinquitur sphæra quædam maximè rotunda, coloris nigri, adeò dura, vt nisi malleo, aut alia quapiam re solida & dura confringi queat. Saponis vicem præbent hi fructus, quoniam si binis, aut tribus cum calida aqua vestes eluantur, multò nitidiores redduntur, quàm si saponis librali pondere elotæ forent: plurimam etenim spumam excitant, eosdémque effectus præbent quos sapo, paulatim liquescentes, donec solæ sphærulæ supersint, quæ nucleus sunt huius fructus: perforantur deinde hæ sphærulæ, fiúntque ex iis precariæ coronæ adeò elegantes vt ex Ebeno confectas dicas, tum diutini vsus, quoniam difficulter confringuntur. Est verò is fructus adeò amarus, vt nulla quadrupes, aut auis eum degustent. Aliquot ex iis terræ credidi, quæ enatæ sunt, foliáq; gestant admodùm elegantia, & viridia: fructum suo tempore prolaturas existimo, paruulæ enim adhuc sunt plantæ. Describit quoque hunc fructum Ouiedus Indicæ Historiæ lib. 9. quod & ad Monardem annotauit Clusius. Sūt, inquit Ouiedus, in his insulis (Hispaniola videlicet) & cōtinenti quædam arbores, quæ à precariis sphærulis & à sapone cognomen acceperunt, quarum folia Filicis folia nonnihil referunt, licet minora sint. Celsæ sunt & formosæ, fructum ferentes auellanæ, aut cerasij magnitudine, corolla insignitum, minimè edulem, qui sole exsiccatus subflauum colorem retinet, is osiculum intus continet globulo bombardario æqualem, rotundum, nigrum, at si solis radiis opponatur, subrufum, quod semen exiguum & amarum habet. Ex his osiculis perforatis fiunt precatoriæ corollæ, non inelegantiores quàm si ex Ebeno confectæ essent, imò iis præstant, cùm quòd leuiores sint, tum non adeò fragiles. Fructu integro cum aqua calida panni expurgantur perinde atque sapone: at si quis frequentiùs eo vtatur, pannos vrit & corrumpit: semel duntaxat necessitatis causa eluisse sufficiat. Pulpa osiculum ambiens ea est quæ saponis vicem præbet. *Arbor.* *Fructus.*

HERBA PVDICA. HERBA ÆSCHYNOMENE. CAP. CXXII.

Exerc.181. 28. *Forma.* (manu: αἶσχος, turpitudo foeditas, αἰσχύνη pudor)

OCTONVM circiter pedum est arboris proceritas, quæ nascitur in prouincia Pudifetam. Ea rerum accessum videtur sensu percipere. Appropinquante homine, aut animali, ramos constringit: recedentibus pandit. Hoc vero simile est. Idem quoque spongiam facere confessum ac receptum est. Quare nemo nescit, genus hoc à Philosopho zoophytum appellari. At hæc etiam tactum præuenit, tum sensu, vt putant, tum sui, vt palàm videtur, subtractione. Quapropter aut afflatum percipere dicendum est, aut radicis propter soli motum, compreßionem, agitationémve. Hac de caussa nominant incolæ Arborem pudicam. De eadem scribere hæc videtur Garcias (Lib.2.c.27.) in Aromatum Indic. Historia. Nascitur in Malauar planta miræ naturæ: nam si quis manũ admoueat, illico contrahitur. folia Polypodij, flores verò luteos habet. Nullus veterum huius, quod sciam, mentionem fecit. Eam verò intelligere videtur qui Americam descripsit: quoniam in Peru prouincia plantam nasci asserit, cuius folia solo contactu siccantur. Sunt qui putant eandem à Theophrasto descriptam (Lib.4. hist. cap.3.) his verbis: οἴδημα δὲ ἰδιόντι φύεται περὶ μέμφιν (lege ὕλημα, vt & Gaza) ὃ καὶ φύλλα καὶ βλαστοὺς, καὶ τὴν ὅλην μορφὴν ἔχει οὔτι ἴδιον, ἀλλ᾽ εἰς δ᾽ συμβαῖνον περὶ αὐτὸ πάθος. ἡ μὲν γὰρ πρόσοψις ἀκανθώδης ἐστὶν αὐτοῦ, καὶ δ᾽ φύλλον παρόμοιον ταῖς πτερύσι (Gaza legit πτέρισι, id est, Filicibus, Plinius πτέροις, id est, pẽnis) ὅταν δέ τις ἅψηται τῶν κλωνίων, ὥσπερ ἀφαυαινόμενα τὰ φύλλα συμπίπτειν φασὶ (Gaza legit ἐπαμβλυνόμενα, sed legendum ἀφαυαινόμενα, vel φαυλιζόμενα) εἶτα μετά τινα χρόνον ἀναβιώσκεσθαι πάλιν, καὶ θάλλειν. id est, Nascitur peculiaris quædam arbor circa Memphim, non foliis vel ramis, vel tota forma peculiare quid sortita, sed euentu: facies enim eius spinosa, folium Filici simile, vt vertit Gaza, vel pennis, vt Plinius: sed cùm ramulos quispiam contigerit, folia veluti arescentia & languescentia cõtrahi aiunt, deinde paulò pòst ad vitam redire, & virere. Quæ Plinius (Li.13. ca.10.) sic conuertit. Siluestris fuit circa Memphim regio, tam vastis arboribus, vt terni nequirent, vel circumplecti, vnius peculiari miraculo, nec pomum propter, vsúmve aliquem sed euentum. Facies enim spinæ, folia habet ceu pennas, quæ tactis ab homine ramis cadunt protinus, ac posteà renascuntur. Huic arbori affinem herbam prodidit Apollodorus Democriti discipulus, quam iccirco Æschynomenen appellabat, quia admotam manum refugeret foliorum contractione.

PAPYRVS. CAP. CXXIII.

Nomina Lib.1.c.98 Lib.4. hist ca.9. *Locus.* *Forma.* (manu: Vide Phytog. pag 44.) *Vsus.*

ΠΑΠΥΡΟΣ Græcis, Latinis similiter Papyrus, Arabibus **Burdi**, siue **Berdi**. Dioscorides Papyri vt vulgò cognitæ descriptionem prætermisit. Theophrastus & natales & faciem quadãtenus delineauit, & varium eius vsum exposuit. Nascitur Papyrus, inquit, non in altis gurgitibus, sed ad duos circiter cubitos profundo vado, alicubi etiam minore. Radix craßitudine est carpi robusti hominis, longitudine decem cubitos excedente. Crescit super terram ipsam, radices obliquas in imum demittẽs, tenues & densas. Sursum Papyros producit, triangulos, quaternûm ferè cubitorum magnitudine, quos in multas diffundit partes, coma inutili, inualida, fructu prorsus nullo. Radicibus pro ligno vtuntur, non ignis solùm gratia, sed ad diuersi generis vasa ex ipso conficienda: multam enim materiam habent, bonamq;. Papyrus ipse ad multa vtilis est: ex eo enim nauigia fiunt, ex libro vela tegetésque texunt, vestes quasdam, stragula, funes, alia plura. Ac externis quidem notißimæ sunt chartæ (βιβλία dicit scapi tænias, ex quibus chartæ fiunt, scapos ipsos παπύρους, aliquando plantam totam πάπυρον, aliquando caulem) maximè verò suppeditando alimento plurimùm confert: mandunt enim incolæ

incolæ Papyrum & crudũ, & elixum, & assum, succum deuorãt, & quod mansum est expuunt. Talis igitur est Papyrus, & tales vsus præbet. Nascitur & in Syria circa lacum in quo & Calamus odoratus, vnde & Antigonus nauium funes faciebat. Eadem ferè Plinius tradit ex eodem Theophrasto. Papyrum ergo nascitur in Lib.13.c.11. palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, vbi euagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non ampliùs cubitorum longitudine in gracilitatem fastigiatum (legendum videtur ex Theophrasto, Brachiali radicis obliquæ crassitudine, decem non ampliùs cubitorũ longitudine, triangulis lateribus. Theophrastus tamen radicem carpi robusti hominis crassitudine esse ait, longitudine decem cubitis maiore.) thyrsi modo cacumen includens (sic Gaza reddidit quod Theophrastus κόμην dixit, Strabo χαίτην ἔχοντες ἀχρεῖαν, ἀσθενῆ, quod aptiùs conuertisset, Comam siue iubam inutilem habent & inualidam: thyrsus enim à coma differt.) Semine nullo, aut vsu eius alio quàm floris ad deos coronandos. Radicibus pro ligno incolæ vtuntur, non ignis tantùm gratia, sed ad alia quoque vtensilia vasorum. Ex ipso quidem Papyro nauigia texunt, & è libro vela tegetésque, necnon & vestem etiam stragulam, ac funes. (Ex biblo Theophrastus eadem texi scripsit, nimirùm ex Papyro siue Papyri caule, id est, caulis tæniis & philuris, non autem libro siue extimo cortice. Sed omisit Plinius mortalibus maximè necessarium huius plantæ vsum à Theophrasto positũ, nempe ex biblo texi biblia, id est, chartas etiam externis notissimas, cùm Græci longè plura chartis tradiderint, quàm ipsimet Ægyptij, apud quos Papyrus nascitur, memorabilium rerum monumenta saxis, obeliscis & pyramidibus inscribere soliti.) Mandunt quoque crudum decoctumq́; succum tantùm deuorantes (Dioscorides & eum secuti, vt Pierius in Hieroglyphicis, falsò putarunt radicem ἔχειν τρόφιμόν τι, id est, alimenti nonnihil præbere, ideoq́; Ægyptios διαμασωμένους ἀποχυλίζειν, mandere exugereq́; succum, τὸ διαμάσημα ἐπιπτύοντας. Nam præter Theophrasti perspicuam hac de re narrationem, Herodotus in Euterpe apertissimè refert Ægyptios Papyri è palustribus collectæ annua messe partem superiorem præcisam in alios vsus quàm alimentorum vertere, inferiorem autem cubiti longitudine & mandere & comesse, eximia quadam suauitate, cùm in luculento furno torretur. Ante fruges inuentas priscis Ægyptiis vsitatissimum & frequentissimum eum cibum fuisse ex Oro cognoscimus: scribit enim Ægyptios antiquissimam, & omni memoria priorẽ originem suam significantes, Papyri fasciculum pinxisse, quoniam eo primùm vescerentur.) Nascitur & in Syria circa quem odoratus ille Calamus lacum. Neque aliis vsus est quàm inde funibus Rex Antigonus in naualibus rebus, Sparto nondum communicato. Nuper & in Euphrate nasci circa Babylonem Papyrum intellectum est eundem vsum habere chartæ. His subiungit Plinius chartarum genera, earumq́; conficiendarum rationem explicat, oratione quidem satis obscura & perplexa, vt in re antiquissima, & nobis ignota, quam ex doctissimis eruditissimi Dalechampij in Plinium obseruationibus, & ex Guillandino perspicuam reddere & Lib.13.c.11. & 12. enucleare conabimur. Præparantur, inquit Plinius, ex eo (Papyri scapo) chartæ, diuiso (scapo) acu in prætenues, sed quàm latissimas philuras (rectiùs fortasse longissimas, Guillandinus mauult latissimas.) Principatus medio (subaudi Papyro, ex vetusto codice, mediis scilicet philuris) atque inde scissuræ ordine. Hieratica (idest princeps & primaria) appellabatur antiquitus religiosis tantùm voluminibus dicata, quæ ab adulatione Augusti nomen accepit, (ablutione ex vetusto codice & Isidoro, Hieratica, inquit, subcolorata, Augustea facta abluendo candidior,) sicut secũda Liuiæ à coniuge eius. Ita descendit Hieratica in tertium nomen. Proximũ Amphitheatricæ datum fuerat à confecturæ loco (Guilland. Arthribitica, ab

Arthribica præfectura, cuius meminerunt Strabo, Ptolemæus, Stephanus. Arthri-
Lib.5. c.10. bin etiam memorat auctor. Quidam Amphitheatricem dici potuisse suspican-
tur, quòd in Amphitheatris Ægypti, Alexandriæq; potissimùm, à concursu po-
puli vacuis cõficerentur, vt solent mercenarij opifices in locis publicis à vulgi tur-
ba non occupatis artem suam exercere. Fortassis & id Romæ factum in aliquo
Amphitheatro, vnde nomen. Excepit hanc Romæ Fannij sagax officina, tenua-
tamq; curiosa interpolatione principalem fecit è plebeia, & nomen ei dedit. Quæ
non esset ita recurata, in suo (nomine) mansit Amphitheatrica. Post hanc Saitica
ab oppido (Sai) vbi maxima fertilitas (Papyri suba.) ex vilioribus ramẽtis (philuris)
propiorq; etiámnum & cortici Tæniotica à vicino loco (Guillandinus legit Ta-
nica à Tani ciuitate, hodie Damiata) pondere iam hæc nõ bonitate vænalis. Nam
Emporetica inutilis scribendo, inuolucris chartarũ, segestriumq; mercibus vsum
præbet (Quidam legũt stegestrium, ἀπὸ τοῦ στέγειν, σκεπάζειν, καλύπτειν. Varroni tamẽ
segestria dicũtur stramenta è segete, quibus lecticas inuoluebãt, vt ab imbre, pul-
uere, & externis quibusuis iniuriis defenderent. Alij quæuis ἐνειλήματα & inuolucra
sic appellari putant, quòd iis segerantur, seponantur ac separantur quæ occultant.
Sunt etiam segestria vela aut tegumenta cilicia, ex pilis caprarũ aut hircorũ con-
texta Procopio lib.2. belli Persici, & Suidæ. Suetonius in Augusto, segestrio aut
lodicula inuolutus, non vt vulgò sesterio. Cuiacius 13. Obseruat.) ideò à mercato-
ribus cognominata. Post hanc Papyrum est, extremumq; eius scapo simile, ac ne
funibus quidem nisi in humore vtile. Vetusti codices habent extimũ, quod pro-
bat Dalechampius, pro extimo ac supremo cortice. In hoc Plinij loco Guillandi-
nus Turnebum acriter insimulat, tres chartæ species inuehentem, Hieraticã, Au-
gustam, Liuiam, cùm vna eadémq; sit Ægyptiis dicta Hieratica, quoniã religiosis
& sacris tantùm voluminibus dicata esset, Romanis adulatione prima Augusta,
adulatione secunda Liuia, vt obscurius & ignotius, ordinéque tantũ tertium eius
nomen fuerit Hieratica. At qui totum hac de re Plinij sermonem diligentiùs ex-
penderit, Turnebum & Ruellium à Guillandino iniustè reprehẽsos fuisse iudica-
bit. Cùm enim chartarũ genera pro latitudinis differentia recenset perspicuè plu-
Ca.12. li.13. res eius species constituit. Emporeticæ digitos sex esse vult, Saiticæ pauciores no-
uem, Amphitheatricæ nouem, Fannianæ decem, Hieraticæ vndecim, optimis ve-
rò duabus, id est Augustæ & Liuianæ (vt paulò pòst ostendemus) tredecim. Præ-
tereà Augustã & Liuianã eandem nõ esse apertissimè demõstrant hæc Plinij ver-
Ca.12. li.13. ba. Augustæ in Epistolis auctoritas relicta. Liuiana suam tenuit, cui nihil è prima
erat, sed omnia è secunda. Hæc ad Guillandini opinionẽ refellendam, tuendámq;
Turnebi & Ruellij sententiam satis valent, sed multò magis quæ sequũtur, in qui-
bus ex Dalechampij iudicio & deprauata quædã corrigũtur, & obscura declaran-
tur. Verba Plinij sunt. Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua. Turbidus li-
Li.13. ca.12. quor vim glutinis præbet, cùm primo supina tabula scheda adlinitur, longitudine
Papyri, quæ potuit esse resegminibus (aliàs segminibus) vtrinq; amputatis. Trans-
uersa posteà crates peragitur. Premitur (aliàs premuntur) deinde prælis, & siccan-
tur Sole plagulæ, atque inter se iungũtur, proximarum semper bonitatis diminu-
tione ad deterrimas. Nunquam plures (philuræ subaud.) scapo quàm vicenæ. Hic
Guillandinus Turnebum & Ruellium ignorantiæ accusat, quòd locum non intel-
lexerint, nec viderint tabulas hîc dici Papyri schedas, quæ auulsæ compinguntur,
non autem asseres philuris subditos, super quibus glutinantur. At contrà hi rectè,
ille perperàm sensisse vidẽtur. Nam dum charta fiebat, necesse fuit tabulã subiici,
super qua distẽderentur rectæ & trãsuersæ philuræ, quæ glutino, vel aqua Nili tur-
bida cõmitterentur, quod Plinius his verbis indicat. Texuntur omnes tabula ma-
dẽte Nili aqua: sic enim ex manuscripti codicis fide legendũ censet Dalechãpius.

Idem

Idem ex iis verbis perspicuũ fit (cum primo supina tabula scheda adlinitur). Quæ sic accipit Guillandinus, cum primo scheda, id est, philura adlinitur & insternitur tabula supina, auferẽdi casu, id est, exporrecta in longum eadẽ philura. Quod sanè repetitionis genus insulsum minimè cõuenit succinctæ Plinij breuitati, cùm pressiùs dici potuisset & aptiùs (cum primo supina scheda adlinitur) quibus verbis nihil clarius, nec cõgruentius esse potest. Supinam schedã idem exponit recto situ positam, quomodo Liuius supinas manus dixit erectas, matronis in publico dolore ad cœlum & Deos tendẽtibus. Dalechampius verò supinã schedam interpretatur, cuius pars quæ in scapo vergebat introrsum, cùm super tabula distenditur, extrorsum vertitur, nec tabulæ lignum tãgit: sic enim posita, quia mollior, humidior ac tenerior est, faciliùs superiniectã aliam amplexatur & retinet. Idẽ Guillãdinus legẽdum putat (trãsuersa posteà cute peragitur.) At manuscripti codicis integritas vulgatam lectionem nihil immutãdam esse suadet: cõmodiùs enim & cõcinniùs appellari nõ potuit chartarum textus, quàm cratis nomine, ob rectas transuersasq; philuras sibi mutuò superincũbentes, quæ cratis vel clatrorũ figura est. Porrò plagula est chartæ iam cõfectæ, ac suis philuris, siue schedis, siue ramentis textæ velut lamina, quam chartæ nostræ ex linteis tritis cõfectæ folium vulgus vocat. An verò in apricis locis chartæ siccarentur an vmbrosis & perflatis, nõ est indignum scitu quòd id pertineat ad Plinij literam vel emẽdandam vel cõfirmandam. Verum id quidem est, quæ solo aquæ humore glutinãtur dissilire, cùm vapore solis inarescũt. At quæ luto pingui, aut pollinis flore aqua diluto cohærent, solis tepore & æstu, atq; adeò ignis calore tenaciùs cõmittuntur. Itaq; qui chartas densas libris compingendis, aut tegẽdis mercibus cõficiunt, vbi prælo chartæ quadratam plagulam satis presserint, insolatu siccãt, & librarij voluminũ quæ consuuntur posteriora glutine oblita, vel igni admouẽt, vel soli exponunt, vt citiùs resiccẽntur. Quamobrem & olim chartas insolatu durari siccariq; solitas vero absimile nõ est. Deinde Plinius chartarum species ex latitudinis differentia, & earum ordinem exponit. Magna in latitudine eorum differẽtia, tredecim digitorum optimis. Duæ detrahũtur Hieraticæ, Fanniana denos habet. Et vno minùs Amphitheatrica. Pauciores Saitica: nec malleo sufficit. Nam Emporeticæ breuitas sex digitos nõ excedit. Prætereà spectantur in chartis, tenuitas, densitas, cãdor, læuor. Primatum mutauit Claudius Cæsar. Nimia quippe Augustæ tenuitas tolerãdis non sufficiebat calamis. Ad hoc trãsmittens literas lituræ metum adferebat aduersis, & aliàs indecoro visu per trãslucida. Igitur & secundo corio statumina facta sunt è primo subtegmine. Auxit & latitudinem. Pedalis erat mẽsura, & cubitalis macrocolis. Sed ratio deprehendit vitium, vnius schedæ reuulsione plures infestãte paginas. Ob hoc præclara omnibus Claudia: Augustæ, in epistolis auctoritas relicta: Liuiana suam tenuit, cui nihil è prima erat, sed omnia è secũda (cui nihil primum erat, sed omnia secũda, ex vetusto codice.) Scabricia læuigatur dẽte cõchâve, sed caducæ literæ fiunt. Minùs sorbet politura charta, magis splẽdet. Rebellat sæpe humor incuriosè datus, primoq; malleo deprehẽditur, aut etiam odore, cùm fuerit indiligẽtior. Deprehẽditur & lentigo oculis, sed inserta mediis glutinamẽtis tænia, fungo Papyri bibula, vix nisi litera fundente se: tantùm inest fraudis. Alius igitur iterum texendis labor. Glutinum vulgare è pollinis flore temperatur feruente aqua, minimo aceti aspersu. Nam fabrile gummíque fragilia fiunt. Diligentior cura molli panis fermẽtati colato aqua feruente. Minimùm hoc modo intergerij: atque etiam Nili lenitas superatur. Hæ sunt ex Plinio Chartarum species. Prima est latitudinis decem digitorum, quales sunt Augusta & Liuiana: aliæ enim esse nõ potuerunt quàm hæ, ab adulatione Augusti & Liuiæ principem locum nactæ, reiecta in tertium bonitatis & nobilitatis locum Hieratica, quæ secunda est digitorum vndecim. Tertia Fãniana, de-

Lib. 13. c. 12.

cem. Quarta Amphitheatrica, nouem. Quinta Saitica, pauciorum nouem, nempe octo, quę nec malleo sufficit, vel quòd tam angusta sit, vt malleum qua parte ferit, latiorem non admittat, vel tam fragilis sit, vt malleo percussa disrumpatur. Sexta Emporetica, sex digitorum. Taniticam cortici propiorē, & venalem pondere non bonitate in hoc censu nō reposuit. Hæ fuerūt chartarum differētiæ dum vixit Augustus, mutatæ posteà à Claudio. Nimia enim Augustæ tenuitas tolerādis non sufficiebat calamis, quo minùs pertunderent ac perforarēt, & transmittens literas, id est, literarum atramētum, lituræ metum afferebat auersis. Sic enim legēdum ex vetusto codice. Nam aduersa charta est exterior, & oculis nostris obiecta, quam scribētes intuemur, in qua calamus properat. Auersa posterior, & à tergo posita. Litura verò effusi sparsiq; atramēti in bibula charta est macula, ei similis quam penna scripturam delētes inducimus. Apparet certè ea magis in auersa chartæ facie, illuc subeunte atramēto, vt cùm aduersa iam aliquid scriptum est, in auersa maculis nigris fœdata prætereà nihil pingi queat. Igitur & secundo corio statumina facta sunt, è primo subtegmine. Vetustus codex habet, Igitur & secundo corio stamina facta sunt, vt primo subtegmina, sensu nihil discrepāte, etiā si statumina legamus. Stamen id est quod colo obuolutum mulieres nent. Est & in textrinis filum telæ directum, intra quod subtegmē siue trama currit trāsuersim. Statumen verò ridica siue palus quo vitis fulcitur. Auctoris ergo sensus est. In charta Claudij sicut primo corio è rectis philuris cōfecto additum est secundum velut subtegmē siue trama ex schedis trāsuersis textum, sic huic impacta pro tertio corio siue stamina siue statumina sursum è rectis philuris composita, velut in primo corio. Auxit & latitudinem. Pedalis erat mēsura, & cubitalis macrocolis. Sed ratio deprehēdit vitium, vnius schedæ reuulsiōe ampliores infestāte paginas. Sic vetustus codex. Macrocolla ἀπὸ τῶν μακρῶν κολλῶν dicta putat Guillandinus, Dalechampius ἀπὸ τῶν μακρῶν κώλων, à longis velut artubus, & mēbris. Mensura pedalis & cubitalis, id est, sesquicubitalis harum chartarum an in lōgitudinem an in latitudinem exporrigeretur, Plinius non statuit: in latitudinem potiùs existimat Dalechampius, de latitudine enim hîc agitur: & scapi Papyri, vnde schedæ distrahebantur, nota est lōgitudo ex superioribus, circiter quatuor pedum, quæ ad pedis vel cubiti mēsuram contrahi nō potuit: quamuis μακροκώλα nomē longitudinem potiùs indicet quàm latitudinem. Cùm autem vnius schedæ reuulsione ampliores vel plures infestari paginas dixit, docet nos plagulas chartæ confectæ, siccatæ, malleatæ, læuigatæ plicari solitas in paginas, vt fit & in nostris linteis, quæ quo complures essent, magis scriptura conturbaretur ac læderetur, si quis vnam philuram vel improbitate ac malitia, vel corruptam ac vitiosam exemisset. Augustam epistolis laudatam testatur Martialis, salutatricémque vocat.

Lib. 9. *Marcus amat nostras Antonius Attice musas,*
Charta salutatrix si modò vera refert.

Ex his pro æstimationis ac pretij ordine, & latitudinis varietate, quoniam par ferè esset omnium longitudo, chartas numerare, & in suis classibus recēsere possumus. Augusti tempore Macrocolas primas, pedem aut sesquipedem latas, Augustam & Liuianam optimas, digitos tredecim, Hieraticam vndecim, Fannianā decem, Amphitheatricam nouem, Saiticam, & quam omisit auctor Taniticam pauciores, nempe septē vel octo, Emporeticā sex: quas omnes anteiuit & bonitate & dignatione Claudia, principatu Claudij texta, ex duobus staminibus siue statuminibus, & interiecto vno subtegmine optimis, nempe Augusta & Liuiana aliquātò latior, vt suspicari licet, ad digitos quatuordecim vel quindecim. Ex his cuiuis perspicuū esse potest, Guillādinum non rectè affirmasse Augustam & Liuianam, Hieraticam eandē esse chartam. Hîc nō sunt omittēda chartarum vitia quatuor, quæ auctor

auctor ponit, ſcabritiam, rebellem cõtumaciam, lentiginem, tæniam vnã vel plures. Scabritia, inquit, læuigatur dẽte, &c. Id eſt, Scabritiæ remediũ eſt dente vel concha politura, moderatione tamẽ adhibita, ne vehemẽtiùs atteratur. Nam quamuis ex cõplanatione & erugatione ſplẽdeat magis, fulgenteq; nitore oculis placeat, validiore tamẽ attritu nõ ſorbet atramẽtum ſed reſpuit, & ſi quæ literæ appictæ ſint, inſtabilis & fugax eſt ſcriptura, nec permanet. Alterum vitium eſt rebellio. Rebellat humor incurioſè datus, cùm artificis operæ & ſtudio reluctatur pertinaciùs, nec omne corij ſpatiũ ex æquo rigat & oblinit, ſed alicubi ſubſiſtit copioſior, alicubi parcior affunditur, vnde plagularum fit inæqualis & ſuperficies, & reſiccatio. Nam cùm probè curatam, ſubactam, tractatamq; chartam eſſe putat artifex, neq; quicquã aliud operæ ſuæ præterea deſiderare, tum cõtra eius ſpem vitium id detegitur, & tanquã recrudeſcit, quòd eius diligẽtiæ negotiũ faciat. Itaq; retexẽda charta, & eodẽ labore domanda, atq; peruincẽda quo priùs. Malleo deprehẽditur id vitium, aut quòd percuſſam laceret, aut quòd eminentiora tubera, depreſſioreſq; lacunas plagularum inæquali percuſſu tundat, & inuenuſta deformitate tuſas oſtendat. Prodit eam labẽ etiã odor, charta præſertim negligẽtiùs prælo cõpreſſa & ſiccata, mucidus fœtiduſq; putreſcente ac ſitum olente humore, qui nec prælo eſt eliſus, nec inſolatu diſsipatus. Deprehẽditur & lentigo oculis, &c. Lentiginẽ in charta Plinius appellat næuos, ſordes, decolores punctorum notas, & maculoſas velut aſpergines, quæ fiebãt dum cõpingerẽtur coria, ſi quid illaberetur impurius, quod natiuũ colorem inquinaret, aut ſi quid in ſchedis cõtortum & conglobatum chartam infuſcaret. Oculis id cognoſcebatur, vel conſpecta ſtatim charta, ſi maculæ in aperto forẽt, vel ad ſolem explicata, ſi altiùs inſiderẽt (Sed inſerta mediis glutinamentis tænia.) Quartum ac poſtremum vitiũ eſt tænia, non, vt Guillandinus arbitratur, philura vel ſcheda, ſed oblongus & anguſtus in plagulis ductus, nullo glutine, aut pingui humore litus & opertus, in quo ſola Papyri fungoſa & bibula raritas abſque vllo tectorio calamis ſcribẽtium occurrit, & literam ſiue atramẽti picturam dum haurit diffundit. Quod nec ictu mallei, nec oculorũ conſpectu exploratum ſed ſcriptura tantùm, tum picta litera liqueſcẽs vtraq; parte cõbibitur, & tam aduerſam quàm auerſam partem inquinat. Hæc de Papyro & veterum chartis ex Plinio & Dalechampij obſeruationibus ſtudioſo lectori fortaſſe nõ iniucunda exponere voluimus. Papyrum Niloticam ſiue Ægyptiam ex Ægypto delatam, & qualẽ deſcribunt Theophraſtus & Plinius, Pena in horto Piſano florentem ſe legiſſe ait, quam Cypero cõgenerem facit & ſimilimã, verùm elegantiorem multò, iunceo, arundinaceóve triquetro caule, medulla farcto tomẽtitia, ſtipitibus multis, proceris, lænibus, nitidis ſurrectis, ſenũ, interdum ſeptenũ cubitorum altitudine, quibus ad imum tantũ folia inſunt Cyperi aut Sparganij repanda, radicibus arundinaceis, fibroſis, floribus valde ſpecioſis, luculẽtam in ambitu cæſariem referentibus, numeroſis gracilibus thyrſulis, dẽſo & æquali comarum ſtipatu, & apicibus prominentibus, Ferulæ in modum collectis, nõ vt in Cypero ſparſis, quos circa ortum ambiunt radiatim

PAPYRUS Aegyptia, Penæ.



foliola multò minora illis quæ sunt ad imũ, vt in Cypero. Quare veri simile est, inquit Pena, hãc veram esse Theophrasti Papyrũ, cuius descriptio apud Pliniũ neq; mutila, neq; ex duabus diuersi generis cõfusa, nempe hac Ægyptia, & Babylonia, vt cẽset Pena, sed eadẽ planè est quæ apud Theophrastum, vt suprà citatos vtriusq; locos cõferenti facilè innotescet. Præterea cùm scribit Pena Pliniũ vsum tum funium tum chartæ obscuriùs tradẽtem his verbis, Texuntur omnes tabula madẽte Nili aqua, quod de funibus quis fortè interpretetur, inquit: & mox, Turbidus liquor vim glutini præbet, &c. cùm scribit, inquam, medullæ gluten in chartas duci solitum innuere videri. Ad hæc cùm antè dixerit caulis medullam tomẽtitiam tusam, glutinisq; in speciem subactam, ductam olim fuisse in bracteas Papyraceas, quæ mutuò sibi appressæ folia crasiora cõflabant, scribendo apta, quemadmodũ etiam fit ex laciniis linei panni cõtusi, & in candidum redacti, neq; chartarum priscarum, neq; nostrarum conficiendarum rationem intellexisse videtur. Neq; enim medulla vlla Papyri in laminas ducebatur, quæ mutuò appressæ folia cõficerent, sed scapi Papyri philuræ super tabula exporrigebantur rectæ & transuersæ, ex quibus plagulæ & chartæ fierẽt, vt prolixè & dilucidè ex Plinio declarauimus. Neque panni linei in gluten rediguntur, vnde chartæ nostræ fiant, sed ex lineis pannis tritis & aqua dissolutis folia compingũtur, quæ posteà glutine accepto solidescunt.

Vires. Nunc de medico Papyri apud veteres vsu dicamus. Ad aperiendas fistulas, inquit
Lib.1.c.98. Dioscorides, madefacta lino inuoluitur, vsque dum inaruerit: constricta enim atque immissa in hiatum, humore completur, & intumescendo fistulas aperit. Crematæ Papyri cinis nomas cùm omnium partium, tum oris maximè cohibet: verũ id meliùs combusta charta præstat. Quæ verò addit de radice Ægyptiis alimenti nonnihil suppeditante, id iam refutauimus. Galenus de eadem ita scriptum relin-
Lib. 8. sim. quit. Papyrus ipsa quidẽ per se in vsum medicinæ non venit, at macerata aut vsta vtilis efficitur. Igitur oxycrato vinóve macerata recẽtia vulnera glutinat, maximè in circulum circumposita. At vsta medicamentum est exsiccans, velut & chartæ combustæ cinis, nisi quia infirmior est quàm Papyri. Plinius, cognata in Ægy-
Li. 24. c.11. pto res est Arundini Papyrus, præcipuæ vtilitatis cùm inaruit (Dioscorides prius madefacit, & imbuit, mox circundato ligno constringit, quoad compressa exsiccetur) ad laxandas siccandásque fistulas (ad aperiendas siue recludendas fistulas tantùm dixit Dioscorides) & intumescendo ad introitum medicamẽtorum aperiendas. Charta quæ fit ex ea, cremata inter caustica est. Cinis eius ex vino potus somnum facit (de ea re nihil planè Dioscorides) ipsa ex aqua imposita callum sanat.

IVNCVS ODORATVS. CAP. CXXIIII.

Nomina ΣΧΟΙ̃ΝΟΣ & σχοῖνος ἀρωματικὸς Græcis, Latinis Iuncus odoratus, Cornelio Celso Iuncus rotũdus, vt distinguat à Iunco vulgari & Cypero, Iunco triãgulari, Officinis Squinanthum, dictione ex χοῖνυ & ἄνθυς, id est, ex Iunci flore deprauata, quo Schœnanthi nomine olim vocabatur à multis tempore Galeni à præstantia roseáque fragrantia, Serapioni Adher, non Adcher, vt in excusis codicibus legitur, Auicennæ Adhar, non Adchar, Hispanis *Paya de la Mequa*, siue *Paya de Camelhios*, Gallis *Pasture de chameaux*. Dioscorides locos natales, &
Lib.1.c.16. præstantioris notas potiùs, quàm totam eius figuram descripsit his ferè verbis.
Locus. Iuncus odoratus in Africa & Arabia nascitur. Laudatissimus ex Nabathæa, proximus Arabicus, quem aliqui Babylonicum cognominant, alij teuchitin: pessimus ex Africa. Eligendus est rufus, recens, floribus refertus, tenuis, purpurascens,
Præstantia fissilis, qui manibus confricando rosæ odorem emittit, igneæ mordacitatis ad lin-
Lib.21.cap. guam. Breuiùs hæc Plinius dixit. Ob id & odorati Iunci medicinæ dicentur, quoniam

quoniam & in Syria Cœle (vt suo loco retulimus) nascitur. Laudatissimus ex Nabathæa, cognomine teuchites, proximus Babylonius, pessimus ex Africa, ac sine odore. Est autem rotundus, vinosæ mordacitatis ad linguam. Syncerus in confricando odorem rosæ emittit, rubentibus fragmentis. Quæ si cum Dioscoride conferas, quædam manca, alia perperàm notata perspicies. Neque enim ex Dioscoride Iuncus ex Nabathæa teuchites cognominatur, sed Babylonius. Quare sic Plinij locus explendus videtur. Laudatissimus ex Nabathæa, proximus Arabicus, quem aliqui Babylonium cognominant, alij teuchitin, pessimus, &c. Est autem τεῦχος, ἀγγεῖον, vas, vnde τευχίτις σχοῖνος, quod vasis afferretur. Neque vinosam mordacitatem Iunco huic inesse ait Dioscorides, sed linguam mordere μετὰ πολλῆς πυρώσεως, id est, cum multo feruore: neque rubentia fragmenta, sed σχιζομένην καὶ ἐμπόρφυρον, id est, fissilem & purpurascentem. Quod vterque de rosæ odore dixit, id negat Garcias: nam tritum quidem ait iucundum odorem spirare, sed non rosæ: annotátque Dioscoridem in his aromatis sæpe incertis comparationibus vti. Auicenna duo Iunci genera statuit, vnum Arabicum, & boni odoris, alterum in Agiami natum, quo vocabulo Damascum ait intelligi Garcias. Alij Iuncum Agiami accipiunt Iuncum vulgarem, de quo Dioscorides lib. 4. vt eo capite Auicenna duo capita Dioscoridis commisceat, vnum de Iunco odorato, alterum de Iunco vulgari, qui locis humidis nascitur: nam Agiami exponit Bellunẽsis natum in loco humido & palustri. Illud verò æquè absurdum quod subiicit ex Dioscoridis auctoritate, Iuncum odoratum duarum esse specierum, quarum vna est quæ non habet fructum, altera quæ fructum habet nigrum: neque enim Dioscorides ita distinxit, neque fructus Iunci odorati vspiam meminit. Serapio ex Abohanifa tradit Iuncum odoratum radicem habere similem Chulem, latiorem tamen, cum minoribus tuberibus, ramulos tenues, qui fructum ferunt similem floribus Arundinis, sed gratiorem & minorem. Quid autem Serapioni sit Chulem nescio, nisi fortasse sit gramen, aut herba vulgaris Græcis πόα dicta. Pandectarius

Lib. 2. cap. 591.

Cap. 42.

Cap. 158.

IVNCVS odoratus, Matthioli.



SCHOENANTHI flores, Lobellij.



vocat

In cap.16. Lib.1. vocat Chulem herbam capillarem. Recẽtiores accuratiùs & magis signatè Schœnanthi speciem expresserunt. Matthiolus, qui se arculam florum Schœnanthi plenam habere ait, folia ei Caricis vel Zeæ tribuit, robustiora tamẽ, sursum spectantia, ex quibus culmi geniculati, & in horum summitate flores exeunt odorati. Radix subest ima parte villosa odoratáque, sed odor tempore perit. Clusius in scholiis in Garciæ historiam refert natas sibi fuisse Iunci odorati plantas ex semine Italia misso. Is teneris multis culmis assurgit, tenerioribus foliis quàm Gramen, siue πόα, quam plurimùm refert, linguam mordicantibus iucunda & aromatica quadam acrimonia, quæ trita gratum quidem spirant odorem, sed in quo Rosæ odor non appareat: nam manducata potiùs Rosæ præsertim saccharo conditæ odorem æmulari videtur. Nullum protulit florem, quod seriùs prouenerit. Radix fuit numerosa, capillacea, non, vt dixit Serapio, nodosa, gustu feruido & aromatico. Tandem frigoribus periit, vt annua planta esse videatur. Eius iconem ex eodem Clusio hîc proponimus, cui addidit Lobellius flores spicatim è glumis secundum caulem Lilij ritu hærentes, quos etiam hîc appinximus. Nascitur in Mazcate & Calaiate Arabiæ prouinciis maxima copia Garcia teste, non aliter quàm Gramen vulgare in Hispania, quo pascuntur animalia. Ab incolis vocatur *Sachbar*, à nonnullis *Haxis cachule*, id est, herba lotoria, siue lotionibus idonea. Aliis etiam nominibus Arabes Schœnanthum nuncupant, vt Auicenna Adhar, Serapio Adher, vt diximus, quos sequuntur Arabici omnes & Persici Medici. Florem verò vocant Foca, Persæ qui ad supradictas vsque prouincias pertingunt, Alaf, quod herbam significat. Apud Indos Herba Mazcatensis appellatur. Sunt qui Paleam de Mequa vocant, alij Pastum camelorum, nec immeritò. Non sunt tamen istic adeò frequentes cameli, vt totum gramen cum floribus depascantur. Sunt enim etiam asini, muli, equi, boues, capræ & oues, quæ nullum aliud pabulum norunt, quàm hunc Iuncum. Quare non temere scribit Galenus nescire se quomodo Schœni anthos, id est, Iunci odorati florem vocent, cùm floris copiam non admodùm suppeditet. Nam etsi tota adferatur herba, sunt tamen eius superiores partes à camelis sæpe depastæ: vescuntur enim ea, & delectantur maximè, non quòd tantus sit illic camelorum summitates depascentium numerus, vt nullus vnquam flos nobis compareat, sed quòd trunca sæpe adferretur herba, nempe radix, folium, caulis, flores autem ferè nulli, quemadmodùm hodie videas in emporiis magnam plantæ copiam, flores autem perpaucos, tum quia plurimæ illic animantes iis vt cæteris graminibus vescendo summitates absumunt, tum quia flores papposi tenuésque facilè dilabuntur. Huic florum paucitati accedit institorum negligentia, qui nullos adferunt, medicis hos non postulantibus, quòd eorum vsus desierit. Defertur quidem in Indiam in medicum vsum vsurpandus. Maxima tamen copia in fasciculos colligatos nauibus inferunt equarij mercatores, vt equis substernant, ne stercoris & vrinæ pædore offendantur: nam simul atque maduerit in mare abiiciunt, & recentem substernunt. Sed & nautæ fasciculos aliquot secum aduehere solent, quos in India vendunt. Refert idem Garcias se in insula Dio vili emisse multos Iunci fasciculos, quos in Lusitaniam cum aliis aromatibus mitteret, nullum tamen florem se vidisse. Sed nec ab incolis in pretio habebatur, nec eius vllus apud eos vsus nisi in lotionibus: eo enim se & iumenta sua lauant. Arabes verò & Persæ Medici ad medicamenta duntaxat vsurpant. Schœnanthum nostrum ex Alexandria Ægypti ad nos aduehitur, eò importatum ex locis antedictis. Sed in eo deligendo diligentia magna est adhibenda: id enim palearum quarundam & herbarum festucis impostores adulterant. Ad hæc ne vetustate vires amiserit diligenter expendendum. Hæc enim vitia multis persuaserunt Schœnanthum Officinarum spurium & illegitimum esse. Sed falluntur

Marginal notes: Forma. — Lib. 1. c. 34. — Locus. — Lib. 1. c. 34. — Nomina — Lib. 1. Anti.

luntur illi, quoniam tum descriptio, tum vires perspicuè eos refutant. Nam quod radices primùm medico vsui conuenientes illi non inesse contendunt, sed capillorum modo tenues, deinde paleas ipsas nullam gustantibus acrimoniam relinquere, postremò Schœnanthum vulgare Iuncum non proferre, sed calamos geniculatos Tritici vel Hordei modo, in iis vehemẽter errant: siue enim tenues sint radices, siue crassæ, nihil ad historiam attinet, modò iis viribus prǽditæ sint quæ eis tribuuntur, quibus ideò destitutæ non sunt quòd sint capillaceæ, nam Dioscorides eas non descripsit. Quod Schœnanthum nostrum acrimonia careat, id falsum est: id enim quod vetustate euanidum & exoletum non fuerit, linguam mansu vellicat. Quod Iuncum ferat, non calamos quos ferre debeat, apertè Dioscoridi refragatur, scribenti: χρῆσις δὲ τοῦ ἄνθους, καὶ τῶν καλάμων, καὶ τῆς ῥίζης, id est, Vsus est floris, calamorum, & radicis. Illud verò absurdissimum, Galangam Iunci odorati radicem esse, cùm Galanga auctore Garcia in China nascatur, quæ bis mille leucis ab Arabia distat, & plurimùm à Iunco odorato differt tum foliis, tum radice, nec nisi sata proueniat, Iuncus autem sponte nascatur, nec feratur. Alij aliis rationibus nostrum Schœnanthum vt adulterinum improbãt. Primùm quòd caulem Cyperi non habeat, vt Dioscorides in Cypero testatur: deinde quòd radices nostro Phu similes non sint: prætereà quòd antiquis florum, caulis, radicum vsus tantùm fuerit, non foliorum, quibus hodie tantùm vtuntur: adhæc quòd in nostro Schœnanthi tum caule tum radice nullus prorsus calor percipiatur, nec sapor, sed in foliis quibus Dioscorides non vtitur. Quæ facilè refelluntur. Dioscorides enim Cyperi caulem nulla adiectione dixit esse ὅμοιον χοίνῳ, id est, similem esse Iunco, vulgari scilicet. Quare Ruellius perperàm caulem Iunci odorati vertit. Cùm enim Dioscorides Schœnantho calamum tribuat, Cyperi autem caulis calamus non sit, nec rotundus, nec geniculatus calami instar, sed angulosus, vt ad huius discrimen Iuncus ille odoratus rotundus cognominatus sit à veteribus, quonam pacto Dioscorides capite de Cypero ei Iunci odorati rotunditatem assignasset? Idem nuspiam Phu radicem Schænantho similem dixit: sic enim capite de Phu, ῥίζα δὲ ἡ μὲν ἀνωτέρα περὶ δακτύλου μικροῦ τὸ πάχος, πλαγία δὲ ἐπιρριζία ἔχει καθάπερ χοῖνος, ἢ μέλας ἐλλέβορος. Id est, radix Phu superior digiti parui crassitudinem æquat, ex obliquo fibras seu radiculas habens Iunci & Ellebori nigri modo. Hîc fibras radicis Phu fibris radicis Iunci simpliciter comparat, vt hîc quoq; Ruellius malè Iunci odorati verterit. Quod autem Schœnanti nostri caules & radices minimè in medicina vsurpentur, sed folia duntaxat, nõ euenit, quòd partes illæ sapore, odore, viribusque careant, (sunt enim omnes odoratæ & efficaces) sed quia post Dioscoridis tẽpora incuria Medicorum ita inualuerit vsus, procul dubio reuocandus, vniuersâque planta vtendum in posterum, quod testatur Galenus his verbis. Ego quidem mihi testis esse possum, habere me nunc ad manus aliquot Iunci odorati plantas, quarum calami ac radices non minùs sunt acres quàm folia. Quare qui Schœnanthi nostri natales ac facultates diligentiùs examinauerit, id ex Arabia in Alexandriam, inde ad nos importari ex negotiatoribus certò intelliget, ac legitimi facultatibus præditum esse testabuntur Medici omnes, qui id sæpe in medicamenta vsurparunt. Eas autem facultates Dioscorides ita declarat. Iunci odorati floris, calamorum, radicis est vsus. Vim vrinæ ciendæ habet, menses pellit, inflationes discutit, caput aggrauat, modicè adstringit, comminuit, concoquit, & venarum spiracula aperit: flos eius in potu vtilis est sanguinem reiicientibus, doloribus stomachi, pulmonis, iocinoris & renum. Miscetur antidotis. Radix adstringentior est: ideò fastidiis stomachi, hydropicis, conuulsis drachma vna cum pari pondere Piperis per dies aliquot datur. Decoctum vuluæ inflammationibus, ad desidentium fotus vtile est. Plinius aliter de iis

Lib. 1. c. 4. — Lib. 1. c. 10. — Lib. 8. sim. — Lib. 1. c. 16. *Vires & Temper.* — Lib. 21. c. 18.

ſcripſit. Diſcutit inflationes,ob id ſtomacho vtilis, bilémque & ſanguinem reiicientibus. Singultus ſedat, ructus mouet, vrinam ciet, veſicæ medetur. Ad muliebres vſus decoquitur, opiſthotonicis cum reſina arida imponitur. Dioſcorides florem duntaxat ſtomacho vtilem eſſe dixit,& ſanguinem tantùm reiicientibus. Quod Plinius ad muliebres vſus decoqui, ille decoctum ad inflammationes vuluæ fœminis inſidentibus vtile. Vterque vrinam ciere. Reliqua, quæ Plinius habet, Dioſcorides prætermiſit. Galenus de iiſdem hæc prodidit. Schœni anthos modicè calfacit, modicè etiam adſtringit, nec planè à tenuitatis natura alienus eſt. Quare vrinam mouet, menſéſque ciet, adhibitum ſiue in fotum, ſiue in potionem. Prodeſt & ſtomachi, & iecoris, & ventris inflammationibus. Magis adſtringit radix. Flos calidus eſt. Porrò in omnibus ſui partibus, in aliis magis, in aliis minùs guſtantibus apparet adſtrictio. Quare hæmoptoicorum medicinis admiſcetur. Hæc Galenus. Etſi in Officinis verus odoratus Iuncus reperiatur, tamẽ odor & ſapor adeò euanuerunt, viréſque tempore ita imbecilles factæ ſunt, vt putent nonnulli hunc non aliam eſſe plantam, inquit Pena, quàm quæ paſſim in Adriaticis frequens, & nonnunquam in mediterraneis, litoribus, & ſabuletis occurrit, planè ſpecie, magnitudine, culmóque concolori ſimilem Iunco odorato: meminítque ille hanc ſibi obtruſam à pharmacopœis Venetiis & Monſpelij, qui affirmarent veri eſſe congenerem. Verùm ab illius præſtantia longiùs abeſt, quàm Canna vulgaris à Calamo aromatico deinde foliis eſt gramineis, & longè diſſimilem florem profert. Coniicere poſſit quiſpiam Iuncum eſſe odoratum, quem in Campania inueniri memorat Plinius.

Lib. 8. ſim.

Marinus Iuncus gramineus foliis Schœnanthi.

CALAMVS AROMATICVS. CAP. CXXV.

Nomina

Κάλαμος ἀρωματικὸς, Latinè Calamus aromaticus, potiùs quàm odoratus. Auicenna & cæteri Arabes omnes Caſſab & Aldirira vocant. Caſſab enim Calamus eſt, Aldirira ex aromatibus. Dirire enim idem quod aroma. Serapio corrupto vocabulo Haſſabel-derire. De hoc Dioſcorides ſic breuiter. Calamus aromaticus in India naſcitur. Melior eſt fuluus denſè geniculatus, & qui in aſſulas multas frangitur plena araneorum fiſtula, albicans, viſcidus in mandendo, & aſtringens cum aliquãta acrimonia. Et Plinius, Calamus, inquit, in Arabia naſcens, communis Indis atque Syriæ eſt: in qua vincit omnes, à noſtro mari centum quinquaginta ſtadiis. Inter Libanum montem, aliúmque ignobilem, non (vt quidam exiſtimauere) Antilibanum in conualle modica iuxta lacum cuius paluſtria æſtate ſiccantur, tricenis ab eo ſtadiis Calamus & Iuncus odorati gignuntur. Nihil ergo à cæteris ſui generis differunt aſpectu. Sed Calamus pręſtãtior odore ſtatim è longinquo inuitat, mollior tactu, meliórque qui minùs fragilis, & qui aſſuloſè potiùs quàm Raphani modo frangitur. Ineſt fiſtulæ araneum, quod vocant florem (aliàs, araneus, quem vocant florem.) Præſtantior cui numeroſus (aliàs, numeroſior.) Reliqua probatio, vt niger ſit (Dioſcoridi κιῤῥὸς, id eſt, fuluus.) Damnatur alíubi (quidam legunt, alius.) Melior quo breuior & craſsior,

Lib.2.c.157.

Cap. 265. ſimpl.

Lib.1.c.17.

Vide Phytogr. pag. 39.

Li.12. c.22.

CALAMVS aromaticus, Matthioli.



craſſior, lentúſque in frangendo. Quæ ferè ex Theophraſto Plinius tranſcripſit. Sic enim ille. Calamus & Iuncus trans Libanum montem, inter ipſum Libanum & alium quendam montem paruum (ignobilem Plinius dixit) in conualle parua, non, vt quidam dixere, inter Libanum & Antilibanum. Etenim inter hos campus eſt amplus & pulcher, quem Aulonem vocant. Vbi verò Calamus & Iuncus proueniunt, lacus magnus eſt, iuxta quem paluſtribus ſiccatis iſti enaſcũtur. Occupant locum triginta ſtadiis ampliorem. Virides nequaquam eſſe videntur, (Sic legit Gaza, vt & vulgata exemplaria, οὐ δοκοῦσι δὲ χλωροί: Guillandinus legit, οὐκ ὄζουσι δὲ χλωροί, id eſt, virides inodori ſunt) ſed ſiccati facie nihil ab aliis differunt. Locum ingredienti protinus odor ſentitur, non tamen longiùs expirat, vt quidam referunt. Sequitur in Græco, ταῖς προσφερομέναις εἶναι πρὸς τὴν χώραν: quæ omiſit Gaza, & reuera deprauata ſunt, ac ſic reſtituẽda. ταῖς προσφερομέναις ναυσὶν πρὸς τὴν χώραν, id eſt, à nauibus quæ eò curſum tenẽt ſentiri. Hic enim locus à mari pluribus quàm centum quinquaginta ſtadiis abeſt. Sed Arabiæ regionis afflatum odoratum eſſe aiunt. Hæc Theophraſtus, qui quæ de loco illo narrat, ex aliorum ſermonibus & fide narrat. Is campus eſt, auctore Guillandino, vallis quem interſecat Iordanus. Lacus verò Geneſareticus, D. Matthæo mare Galileæ, D. Ioanni mare Tyberiadis. Serapio & Auicenna magnam partem eorum, quæ de calamo tradiderunt, ex Græcis deſcripſere. Quæ omnia quia graphicè Calami aromatici partes omnes non depingunt, dubitandi occaſionem præbuerunt, num radices, quæ paſsim in Officinis proſtant hoc nomine, pro legitimo Calamo habẽdæ ſint. Braſauolus has pro vero calamo habet. Fuchſius eaſdem veri Calami aromatici radices eſſe putat. At plures, iiq; rei herbariæ peritiſsimi, has vulgares radices Acori veri radices eſſe ſtatuerunt, & perperàm in Officinis pro Calamo vſurpatas fuiſſe. Qui non ſolùm odore, cæteriſq; facultatibus, ſed etiam natura & tota effigie ab Acoro diſſidet. Primùm quæ Calami ferũtur eſſe radices, Iridi perſimiles ſunt, geniculatæ, reflexæ, ſubalbidæ, acres, odore præſtantes, &, vt ait Galen. etiam ſubamaræ. Deinde folia quæ nonnunquã cum planta ipſa adferuntur, planè ſunt Iridis. Quæ omnia Acorum planè referunt, quale Dioſcorides depinxit. At Calamus verus eodem auctore fuluus eſt: aſſulatim frangitur, tubum arundinaceum ſeu fiſtulam habet araneorum plenam, lentus eſt in mandendo, adſtringẽs & ſubacris. Ad hæc ex Arundinũ eſt genere Theophraſto & Plinio teſtibus, id quod etiam ipſum nomen demonſtrat, atque etiam ipſius caulem ſeu arundinem non radicem in medicum vſum aſſumi. Sed vulgaris Calami radix, quã Acori eſſe probauimus, neq; aſſulatim frangitur, ſed tranſuerſim Iridis, vel Raphani modo, neq; fiſtulam ſeu arundinem fert, ſed caulem Iridis, graciliorem tamen, & longiorẽ, neq; adſtringit, neque ſubacris eſt, ſed planè acris, neq; amaritudine caret auctore Galeno, quæ Calamo vero deeſt. Garcias Calamum aromaticum quo Officinæ in Luſitania vtuntur, eundẽ eſſe aſſerit cum eo qui in India magno eſt vſui tum viris, tum mulieribus, & iumentis. In Guzarate vocari ait *Vas*, in Decan *Bache*, in Malabar *Vazabu*, in Malayo *Dirimguo*, in Perſia *Heger*. Seritur, inquit, per vniuerſam Indiam, plurimus verò in Guzarate, & Balagnate, Goæ etiam, vbi multus eſt eius vſus, in hortis ſatus prouenit, ſed perpaucus. Sciſcitatus eſt Garcias à multis Coracone incolis & Arabib⁹, num apud eos naſceretur Calamus: item an eſſet eis cognitus, eoq; vteretur. Negarunt omnes apud ſe inueniri, niſi ab Indis aduectum, probeq; ſibi cognitũ, vtpote cuius apud eos plurimus eſſet vſus. Non falli tamen eos ait qui Arabicum vocant. Nam ex India in Arabiam defertur, & inde in alias regiones, neq; qui Alexandrinum appellant, quoniam hinc Alexandriã, deinde Barut & Tripolim Syriç defertur. Is verò quo ſe in India vti Garcias ait, radix non eſt (puſilla enim eſt eius radix) ſed ipſius Calami cum aliquãtula interdum radicis parte fragmentũ. Ex iis perſpicuum

Lib. 9. hiſt. cap. 7.

Lib. 1. c. 17.

Lib. 1. Aro. Ind. cap. 32. Calamus Aromat. Garciæ.

eſt, Calamum, cuius meminit Garcias, lõgè alium eſſe à Calamo Officinarum noſtrarum, quin potiùs eius Calamum legitimum videri à veteribus deſcriptũ. Quare quãplurimi in ea perſeuerant ſẽtẽtia, Calamum noſtrum vulgarem Acori eſſe radices, noſq; legitimo Calamo carere. Quem ſi quis nactus ſit, ſciat has eius vires
Lib.1.c.17. ex Dioſcoride. Calamus aromaticus vrinã potu ciet: quare cũ Graminis aut Apij
Vires & Temper. ſemine coctus & potus, vtilis eſt hydropicis, nephriticis, ſtillicidio vrinæ, ruptiſq;. Menſes & potu & appoſitu pellit: tuſſi ſuffitu medetur per ſe, aut ex reſina terebinthina hauſto per arũdinem fumo: ad muliebres inſeſſus decoquitur, & clyſteribus
Lib.8.ſim. imponitur. Suffitionibus, malagmatiſq; odoris gratia cõmiſcetur. Ex Galeno. Calamus leuiculam quãdam adſtrictionem, ac minimam acrimoniam habet. Magna ex parte eſſentia eius terrena eſt & ærea, in frigiditatis caliditatiſq; cõiugatione tẽperata. Quamobrem moderatè vrinam mouet, & facultatibus, quæ iecori & ſtomacho imponuntur, miſceri poteſt. Tum in fomenta quoque vteri, quę phlegmones gratia, aut irritandis menſibus aſſumuntur, admiſcetur. Habeatur igitur ſecundi ordinis eorum quæ excalfaciunt & deſiccant, valentiùs tamen deſiccent quàm ex calfaciant. Ineſt quoque ei quædam partium tenuitas.

ZINGIBER. CAP. CXXVI.

Nomina GRAECIS voce barbara ζιγγίβερ, & ζιγγίβερι, & γιγγίβερι dicitur, Latinis Zingiber & Gingiber, Arabibus *Zingibel*, Italis *Gengeuo*, Germanis
Lib.2.c.154. *Ingher*, Hiſpanis *Gingiure*, Gallis *Gingenure*. Dioſcorides vſum potiùs quàm plantæ ſpeciem expreſſit his verbis. Gingiber ſui generis planta eſt, in Troglodytica Arabia magna ex parte naſcens, qua virente ad multa perinde atq; nos Ruta vtũtur, & in primis potibus & eduliis admiſcẽt. Huius radices Cyperi modo paruæ ſunt, candicantes & odoratæ, atq; Piper ſapore imitãtur. Eligi debent quæ teredinem nõ ſenſerunt. A' multis tamen ob id cõdiuntur, quòd
Lib.12.c.7. celeriter cariem ſentiant. Breuiùs etiam Plinius de Pipere ſcribens. Nõ eſt, inquit, huius arboris radix, vt aliqui exiſtimauere, quod vocãt Zimpiberi, alij verò Zingiberi, quanquã ſapore ſimile. Id enim in Arabia atq; Troglodytica in villis naſcitur, paruæ herbæ radice candida. Celeriter ea cariem ſentit, quãuis in tanta amaritudine. Dioſcorides omiſſa reliqua delineatione, radiculas tantùm memorat vt Cyperi, cui tamen admodùm ſimiles nõ ſunt, & maiores, nec pendulæ Cyperidis ritu. Plinius dixit tantùm paruæ herbæ radicem eſſe candidam. Quare ampliorem eius deſcriptionem ex Garcia & aliis hîc ponemus. Zingi-

ZINGIBER, Penæ.



Lib.1. Aro. Ind c.41.
Nomina
ber, vt docet Garcias, appellatur Arabibus, Perſis, & Turcis, *Gingibil*, non *Lengibel*, vt corruptè legimus in Serapione: in Guzarate, Decan,
Cap.326. ſimpl. Bengala cùm adhuc recens eſt & viride, *Adrac*, ſiccatũ verò *Sucte*, in Malabar tam viride quã ſiccum, *Imgi*, in Malayo, *Aliaa*. Eſt autẽ Zingi-
Forma. ber foliis Iridi aquaticæ aut Gladiolo (nõ Arundini) ſimilibus, magis tamen nigricantibus: caule cum foliis duorum aut trium palmorum altitudine, radice etiam Iridis, multò minore quã Cyperi, nõ ſerpente, vt volunt quidam, nec admodùm acri, præſertim eius quod in Bacaim natum

natum est, ob nimiam quæ in ea exuperat humiditatem. Ludouicus de Barthema scribit erui radicem quatuor, & octo, & duodecim vnciarum pondo, neque enim omnibus eadem est amplitudo: caulem trium, aut quatuor palmorum longitudine: cùm eruitur Zingiber, relinqui internodium in scrobe, terráque operiri, seu semen eius radicis proximo anno producturæ alium fructum, id est, Zingiber. Et Antonius Pigafetta narrat in insula Thidore nasci Zingiber, idq; recens edi panis modo, quòd recens acre non sit veluti est siccum. Arborem non esse, sed paruam plantam, quę caules ferat palmum altos, Arundini similes, folia item similia, sed angustiora & breuiora, quorum nullus vsus, sed radicis tantùm quæ est Zingiber. Nascitur id in omnibus Indiæ prouinciis cognitis, semine aut radice satum. *Locus.* Nam quod sponte nascitur, exigui est momenti. Optimum & frequentissimum *Electio.* est Maluaricum, Arabibus & Persis maximè expetitum. Secundum locum obtinet, quod in Bengala crescit. Tertium, quod in Dabul, & Bacain, totáque ea ora maritima. In solitudinibus & mediterraneis vix inuenitur, neque inde ad nos adfertur. Prouenit etiam in insulis D. Laurentij, & Comaro, quæ Æthiopiæ sunt conterminæ. Vnde sumpta occasione dixere nonnulli apud Æthiopes & Arabas nasci. Galenus è Barbaria conuehi scripsit. Si per Barbariam Indiam intelligit, inquit Garcias, rectè quidem. At si per Barbariam eam Africæ partem, quæ hodie Barbaria nominatur, malè. *Lib. 6. sim.* Dioscor. in Troglodytica Arabia nasci tradidit. At apud Troglodytas quidem & Æthiopes nascitur, sed adeò exigua quantitate, vt vix incolis sufficiat, in Arabia verò minimè: nam ad Arabes ipsos importatur. Quod idem dixit Zingiber primis eduliis admisceri, id verùm esse confirmat Garcias, quòd idem hodie quoque apud Indos obseruetur. Hæc etiam radix minutim concisa, & aliis herbis admixta, in acetariis additur cum aceto, oleo & sale: ac etiam cum carnibus ac piscibus coquitur. Quare rectè Dioscorides dixit Zingiber cibo conueniens esse, & cum condimento assumi, excalfactoriam vim habere, & concoquentem, aluum leniter mollire, stomacho vtile esse, efficax aduersus ea quæ oculis caliginem offundunt, in antidota addi. *Lib. 2. c. 154. Vires & Temper.* Quod autem aluum mollire ait, id intelligendum si recentes & teneræ adhuc radices edantur, multa adhuc in iis humiditate aluum molliēte, & lubricante: nam vetustiores & exhausta humiditate siccæ aluum potiùs adstringunt. Galenus de iisdem hæc prodidit. *Lib. 6. sim.* Zingiberis radix vtilis est, quam vtique ex Barbaria ad nos conuehunt. Excalfacit potenter, sed non primo statim occursu velut Piper. Vnde sanè & minùs esse subtilium partium quàm Piper existimandum, siquidem in tenues solueretur partes, & celerrimè actu vt illud fieret calidū. Apparet enim adhuc illaboratam, & crassiorem quandam ei inesse substantiam, nec eam siccam & terrestrem, sed humidam potiùs atque aqueam. Quo fit vt facilè perforetur, cùm scilicet excrementitia insit humiditas. Hæc Galenus. Succulentæ adhuc & recens conditæ radices ex Indiæ variis locis adferuntur maximè commendandæ, longè minùs verò hę quas iam siccas, & vi emolliente exoletas, lixiuio maceratas saccharo condiunt Venetiis. Describit paulò aliter Christophorus Acosta Zingiber, qui in Noui orbis regionibus simplicium cognoscendorum studio peregrinatus, oculis multa & ipse subiecit, in quibus non rarò ei cum Garcia & aliis non satis conuenit. *Zingiberis ex Acosta descriptio.* Planta hæc igitur est, vt is vult, ad trium quatuórve cubitorum altitudinem assurgens: folia habet quàm similia foliis Lachrymæ Iob, seu Milij Solis: caulis crassitudine Asphodeli, quam & Hastulam regiam appellant. *Forma.* Tota foliorum quodam quasi congestu velut compacta est, vt humiles Arūdines virides referre illam velle dicas. Radices eædem ferè Lirij Cardeni siue Iridis radicibus. Frequentissima tota India Orientali nascitur, veluti in Bengala, Dabul, Becain. *Locus.* Fert & vniuersa prouincia Malabar, vbi eius longè est maximus prouentus. Zingiber quod boni-

ZINGIBER, *Acosta.*



tate præstat, è semine vel radice, vti iis qui ter-
ræ mandant visum est, prouenit. Sed & pleris-
que locis non satum, sponte nascitur, mediter-
raneis tamen rarum, maritimis copiosius. To-
to anno viret. Id vt asseruent, Decembri & Ia-
nuario mensibus legunt, siccant, terráque pin-
gui & argillacea operiunt, vt obturatis ea poris
& foraminibus quibus id totum ocellatum est,
difficiliùs corrumpatur: recentius enim inge-
sta humo perdurat, conseruátque quod habet
humoris, atq; ita à teredinibus tutiùs defendi-
tur. Etiamnum viride gustatum leuiter adurit,
minusq́; quàm cùm siccum est mordicat: quó-
que vda magis & humecta sunt in quibus na-
scitur loca, eo minùs retinet acrimoniæ, qua vi
ceversa molestius est quo sicciora illa magisq́;
inopia aquarum sitientia. Primis mensis vi-
rens adhuc commendatur, & dapes vice ace-
tarij inchoat. Neq; edendi modò causas affert,
stomachum acuẽs, verùm etiam aluum sollici-
tat, eiúsque idem profluuia ex cruditate orta
sistit. Hæ radices saccharo condiuntur, bene
contusæ priùs, multísque aquis maceratæ & elotæ quo magis magisq; dulcescant.
Quæ verò ex iis tempestiuè lectæ sunt, diligẽter accuratæ, mundatæ, præparatæq́;
antè quàm saccharo incoquantur optimę sunt, gratiorisq́; gustus, & cùm mãdun-
tur, teneriores: vt quæ filamenta in ore relinquunt & amaricant, malæ. Improbat
idem Dioscoridis & Galeni sentẽtiam de Zingiberis locis natalibus, quod & iam
ex aliis antè notauimus. Neque magis illi assentitur, eius radices Cyperi modo
paruas tradenti, cùm planè, inquit, cum nostra icone conueniant. Neq; verò est,
addit, quòd aut minoris faciat, aut reiiciat quisquam Zingiber quod terra obdu-
ctum videat, quasi id eo consilio factum sit, vt praui & carie corrupti vitia ea arte
dissimulentur & obtegantur. Alia longè est eius ratio, quàm vt vel hac de causa,
vel quo inde aliquid ad pondus accedat, ita procurent: nempe ea quam iam retu-
limus, conseruandi gratia. Hæc quidem de Zingibere Acosta. Alia porrò est ra-
dix Zingiberi cognata, quæ Zingiber fuscum &
Mechinum Officinis dicitur. Id nõ solùm à Zin-
gibere differt quòd eo immaturius sit aut impro-
bius, vt etiam declarat Pena, sed potiùs specie &
concretione (caret enim fibris & filamentis) per-
spicuitate, fuscedine, soliditate & acriore gustu,
nec teredine exedi solita. Id etiam condîtur. Ex eo
dem Pena pictam exhibemus raram Mechini spe
ciem, & nuper adferri cœptam. Vulgatum Zingi-
ber aut Mechinum refert, sed elegãtiore aspectu,
colore Mechini, cortice Zingiberis albi, sed squa-
matim geniculato, & ferè articulato veluti Doronicum, aspectu pellucido, gustu
quàm Zingiberis multò acriore & sicciore, carie non exeso.

MECHINVM, *Pena.*



Mechinũ rarius.

GALAN

GALANGA. *CAP. CXXVII.*


QVAE recentioribus Græcis γαλάγγα, vulgò etiam Galanga dicitur, veteribus incognita videtur fuisse, nisi Arabes, vt ait Pena, Galaticum Acorum, quod cæteris Dioscorides præfert, in Galaugę, siue Galangæ nomenclaturam deprauarint, vt qui fortè Galangam Acori speciem esse putarent. Arabes omnes *Caluegiam* vocant. Quare Serapio & Mauritani omnes corruptè *Kalungen* & *Galungen* scribunt. **Nomina** *Vide Phytop. pag 37.*

Est autem Galanga duplex. Vna minor, odorata, quæ ex Chinarum regione in Indiam, inde in Lusitaniam defertur. Eam incolæ *Lauandon* appellant. Altera maior, crassior priore, ignauior tamen, & viribus infirmior. Nascitur in Iaua, & ab incolis *Lancuaz* nominatur. Tamen in India *Lancuaz* vtraq; appellatur. **Genera.**

Serapioni & Auicēnæ, auctore Garcia, non satis perspecta fuit vtriusq; Galangæ historia. (Li.1. Arom. Ind. ca.40.) Nam Serapio nec maioris, nec minoris meminit, & ineptè describit. Est vena, inquit, in crassitudine Cassię ligneę, & cortex eius est ruber, & interius eius est puluerulentum. (Cap.332. simpl.) Auicenna diuersis capitibus de Galanga scripsit. (Li.2. c.314.) Vno nomine Calungiam, dicítque frusta esse inuoluta rubra & nigra, quibus hæsitans subdit. Mesangne dicit esse Casurudar ipsum, de quo Casurudar, siue, vt Garcias vocat, Caserhendar alio capite dixerat, & Galangam ex Mesangne interpretatus est. (Li.2. c.192.) Sed quo nomine Galangam minorem, siue Chinensem, quæ præstantior est, quo item maiorem Iauanensem, quæ ignobilior, intelligat, non exponit, cùm tamen hæc ab illa non solùm facultatibus, sed etiam forma differat, vt ex descriptionibus perspicuum fiet.

Galanga maior binûm ferè cubitorũ altitudine attollitur, foliis mucronatis, cuspidis lanceæ modo, vt ait Garcias, vel, vt Pena, foliis Iridis aut Xyridis, nigricantibus, angustioribus tamẽ, flore candido, radice crassa, nodosa Arũdinis modo, vel Acori palustris vulgaris, vt ait Pena, ex fusco intus forisque rufescente. **Forma.**

GALANGA maior & minor, Pena.



Minor duorum palmorum altitudine fruticat, foliis Myrti, vt ait Garcias, quibus à Galanga maiore plurimùm dissidet, quam alioqui radice nodosa, & similiter colorata (nisi quòd minor est) viribus, odore, sapore, colore & nomine proximè refert. Hæc aliis Cyperi species, aliis Acori videtur. At quamuis radices aspectu, duritie, odore, sapore, & nonnihil figura Cyperum longum repræsentent, certè folia, si Myrti sunt, ab vtroq; illorum plurimùm distant. Non defuere etiam qui Galangam Acorum Dioscoridis esse cõtenderunt. At diligens radicum inspectio & collatio facilè ipsorum sententiam refellet. Nam Acori (quod verum ac genuinum nos habere demonstrauimus) radix est albida, odora, amaricans etiam teste Galeno, fractu facilis, colore & concretione Iridi similis. Galangæ radix ex fusco intus forisque rufescit, frangenti est contumax. Prætereà reclamant vires. Minor enim odorata est, sapore admodùm acri, adeò vt mansa Piperis vel Zingiberis modo linguam & fauces vellicet, aromatico, minimè amaro: crassior viribus est imbecillior, colore etiam dilutiore, minùs odorata, adstringit, quæ vis Acoro non inest. Quare Iridi aduersus vuluarum vitia substitui non potest, quod tamen requirunt Dioscorides & Galenus.

Galanga itaque calfacit & exsiccat ordine tertio. Ventriculum roborat, eius dolores vel à frigore, vel à flatibus ortos sedat. Naribus admota refrigerato cerebro vtilis est: ore retẽta anhelitum commendat. **Temper. & Vires.**

Facit & ad cordis palpitationem. Coli dolores mulcet, si à flatibus proueniant. Prodest flatuosis vteri affectibus: venerem roborat, refrigeratos renes calfacit. Denique frigidis omnibus morbis aduersatur. Multò verò ineptior est eorum opinio, qui Galangam Schœnanthi radicem esse volunt. Nam Schœnanti radix inutilis est, Galanga vtilissima ad ea omnia quæ diximus. Adhæc Schœnanthũ in Mazcate, Calaiate Arabiæ prouinciis nascitur, Galanga in China & Iaua, siue Iaoa regionibus procul ab Arabia remotis. Age verò, quandò vsibus humanis

Galãgæ ex Acosta historia.

hoc medicamentũ apprimè necessariũ est, dignúmque vel eo quod pharmacopolæ in suis officinis perpetuò habeant, cum superiore descriptione nouam Acostæ etiam hîc conferre libet. Habet enim nonnulla quidem illis non dissimilia: sed multò consideratione digniora ea sunt, à quibus, nobis ex illorum auctoritate traditis, omnino dissentit. Indicta & iisdem quædam haud prætermittẽda refert, quæ nos vnà cum ipsius quam vides Galangæ icone eo libentiùs mutuabimur. Verba eius, Aromatum historia, hæc sunt. Duplex est Galanga. Vna minor & odorata,

Genera.

quæ cum Rhabarbaro ex Chinarum regione in Indiam aduehitur, & inde in Lusitaniam defertur, incolis *Lauandou* dicta. Altera maior, plurima nascens in Iaua & Malabar, cuius descriptionem, quòd maiore sit in vsu, hîc damus. Ea duorum cubitorum al-

GALANGA, *Acosta.*



Forma.

titudine crescit, nonnunquam amplior, fœcundiore præsertim solo: folia habet Orchidi Dioscorid. lib. 3. descriptæ similia, longiora tamen & latiora, supernè saturatiùs infernè dilutiùs virentia: caulem ex foliorum inuolucris constantem, vti in Orchidum generibus: florem canditum, inodorum: semẽ exiguum, neglectum, radicem secundum caput crassam & bulbosam, reliqua ex parte Zingiberi similem, sed maiorem, nonnunquam capitula Hastulę regiæ modo proferentem. Seritur radice quæ mirum in modum sese propagat. Appellatur à Canarinis & Brachmenis (quibus maximo est in vsu cùm in hominum tum iumentorum morbis, quíque eam ordinariè cum Oriza, vel piscibus, vel in acetariis edunt) *Caccharu*, ab Arabibus

Nomina

Caluegian, in Iaua *Lancuax*, in Malabar *Cua*. Adeò autem vulgaris est apud Malabarenses huius radicis vsus, vt non modò in medendis morbis eam vsurpent, sed in farinam etiam cõuertant, ex qua Cocci seu nucis Indicæ lacte, nonnunquam Sura, au Iagra excepta, certum quoddam panis genus pinsunt in tenuium placentularum formam: *Apas* vocant. In deliciis est hic panis, præbentq; i s qui ventriculi debilitate, & frigiditate laborant, in alui doloribus, vteri affectibus & vrinæ difficultatibus: quo postremo in morbo miram eius efficaciam experiuntur, siue ob humores crassos & pituitosos, flatúsve, aut arenulas in vreteribus aut collo vesicæ congestas, vrinæ difficultas orta sit, vel etiam ex carnis excrescentia in ipso vesicæ collo aut meatibus nata. Præbent verò edendum hunc panem, deinde haustum Nimpa (quæ veluti aqua ardens est) concedunt, in inguinibus verò supráque pubem & collum vesicæ folia Nymphææ decocta in aqua & macerata atq; adhuc calentia applicant. Clusius tamen, qui illa Acostæ hactenus Latinæ consuetudini tradidit, neque Acostam, neque Garciam ab Orta sibi satisfacere in Galangæ

Vsus.

maioris

maioris deſcriptione, ait: præſertim ſi ea, qua Europæ Officinæ vtuntur, legitima eſt Galanga maior. Etenim eius radices maiorem ſimilitudinem habere cum Iridis (folia duntaxat foliis Iridis ſimilia facere Penam ſuprà retulimus) quàm cum Aſphodeli aut Zingiberis radicibus. Sibiq; omnino perſuadet, Galangam noſtram maiorem Iridis genus eſſe, huic fortè ſimile, quod ipſe in ſua Pannonicarum ſtirpium hiſtoria primum poſuit. Nihil tamen ſtatuit.

PETVM. *CAP. CXXVIII.*

QVEMADMODVM hortis omnibus magno eſt ornamento, ita facultatibus inſignibus celeberrima eſt herba, quam Petum ab Indis vocari refert Theuetus, Nicolaus Monard. *Picielt*, Ouiedus in Hiſpaniola inſula *Petebecenuc*. Hiſpani *Tabaco* nominarunt ab inſula quadam eius nominis, in qua frequentiſsima reperitur. Galli, quòd Ioannes Nicotius, regius aliquando in Luſitania orator, eius ſemen primus ad Reginam Regis Galliæ matrem detulerit, illiúſque facultates docuerit, Nicotianam & Herbã Reginæ nuncuparunt. Alij Herbam ſanctam ob admirandas eius virtutes. Alij Bugloſſum antarcticum. Ad magnam altitudinem aſſurgit, & Limoniam malum æquat: in Gallia, Belgio, Anglia, trium cubitorum eſt proceritate, ſæpiſsime quatuor aut quinque cùm maturè ſemen ſatum fuerit in calidioribus tractibus Aquitaniæ & Linguagothiæ: caule recto, craſſo, multis & grãdibus ramis brachiato, tam pingui, maximè cum adoleuit, vt melle illitus videatur: foliis numeroſis, longis, amplis, Symphyti magni foliis latioribus, & rotundioribus, Perſonatæ vel Hippolapathi ſatiui ſatis ſimilibus, carnoſis, pinguibus, aliquantùm hirſutis, colore viridi dilutiore, iniucundo odore, acri admodùm guſtu cum quodam lentore. Florem fert in ſummis ramis copioſum, oblongum, tubæ modo cauum, extrema parte latum & pentagonũ, ex albo dilutè purpuraſcentem. Huic ſuccedunt caliculi ſiue capitula oblonga, exigua, ſemine plena ex rufo nigricante, puſillo, Papaueris multò minore. Radix eſt ſatis craſſa, multifida, lignoſa, intus crocea & amara, quæ facilè cortice ſuo ſpoliatur. Alterum Tabacum minus pinxit Lobellius, foliis Hyoſcyami lutei mucronatis, anguſtioribus, pediculo hærentibus, floribus minoribus aliquantò, non abſimilibus, ſaturatioribus & purpurantibus. Item aliud minimum. Dodrantalis eſt herba, facie non diuerſa, eodẽ etiam feruido vrentéque guſtu. Floſculi Hyoſcyami lutei multò minores, ex flauo herbacei. Folia Doronici aut Plantaginis anguſtifoliæ, minora & anguſtiora Pulmonariæ. Radix puſilla, fibrata. Naſcitur Petum pleriſque Indiæ locis, humidis & vmbroſis, & exculto læuiq; ſolo. Non multis ab hinc annis ex Heſperiæ Indiæ nouo orbe, Luſitaniæ, Galliæ, Belgij, Angliæ facta fuit inquilina. Seritur illic omni tempore. In frigidioribus regionibus Auguſto aut Septembri ſerenda, quia ſemen exiguũ diutiſsimè ſub terra latet antequàm germinet: deinde à primis frigoribus

Nomina

Forma.

Tempus.

NICOTIANA ſiue Tabacum.



SANA sancta, siue Tabacum minimum, Lobelij.



Temper. & Vires.

frigoribus læditur. Semel autem sata, & semen ad maturitatē cum perduxerit, seipsam deinde serit, nec opus habet alia satione. Floret in calidioribus regionibus Iunio & Iulio mensibus: semen Septembri maturescit. Foliorum duntaxat vsus est, eaq; vt asseruari posint, auctore Nicolao Monard. filo traiecta in vmbra suspēduntur, & siccantur: deinde iis aut integris, aut in puluerem tritis vtuntur. Calidam esse & siccam plantam hanc in secūdo gradu idem Nicolaus Monard. tradit, ideò calfacere, resoluere, abstergere, & aliquantùm adstringere, vt ex sequentibus facultatibus colligere licet. Folia eius, inquit, calfacta & imposita cephalææ & hemicraniæ præsenti sunt remedio, si morbus à causa frigida, aut à flatibus ortus fuerit. Sæpius verò sunt repetenda ad perfectam vsque curationem. Sunt qui caput oleo florum Mali arantiæ priùs inungunt. Idem remedium tetano vtile est, & totius corporis doloribus ab eadem caussa ortis. Dentium dolores à caussa frigida non modò finit dente priùs deterso aliquo linteo eius succo delibuto, & pilula ex eius folio confecta denti indita, sed etiam ne putredo serpat prohibet. Pectoris vitiis, vt tussi veteri, asthmati, & similibus ex frigido humore prouenientibus morbis, foliorum decoctum ex aqua, & eclegma ex eius decocto vtilia sunt. Serapium ex saccharo & foliorum eius decocto paratum, & parua quantitate sumptum, putres humores ex pectore eiicit. Asthmaticis interdum fumus eorū ore exceptus opitulatur: sed necessarias euacuationes præcedere oportet, si morbus inducias dederit. Sub cineribus calfacta folia, & sordida non excussis cineribus, calidáque sæpius imposita dolori ventriculi qui fit à frigida caussa, aut à flatibus in ipso generatis auxilio sunt. Viridia folia alij manibus oleo inunctis confringunt, & sic imponunt. Ventriculi & lienis obstructionibus folia pauxillo aceto intrita, diúq; illita vtilia sunt: quibus deinde folia calefacta aut lineus pannus succo foliorū calenti intinctus superimponuntur. Foliorum inopia puluis communi vnguento obstructiones aperienti excipitur, & pars obstructa, aut tumore affecta diu illinitur. Indicæ mulieres in puerorum, atque etiam grandiorum stomachi cruditatibus valde commendant. Nam ventre priùs inuncto oleo lucernarum, & foliis sub cineribus calefactis, altero regioni ventriculi, altero tergori, quà ventriculum spectat, impositis, eas cruditates cōcoquunt, & aluum emolliunt, si quoties opus erit renouentur. Latas & teretes ventris tineas expellit foliorum succus cum saccharo coctus & depuratus parua quantitate sumptus. Vmbilico tamen etiam folium tritum imponendum, & aluus enemate eluenda. Nephriticis doloribus folia sub cineribus, vt dictum est, calfacta, & quàm calidè fieri potest apposita, magnum adferunt doloris leuamentum, idem remedium quoties opus fuerit repetendo. Commodè etiam clysteribus iniicientur, atque etiam fomentationibus & emplastris admiscētur. In suffocationibus vteri folia probè calfacta, & vmbilico vteriq; regioni imposita præsens adferunt remedium. Quod si animi deliquium subsequatur, eorūdem fumus naribus obiectus illico illas liberat. Quod remedium Indicis mulieribus adeò vulgare est, vt ea de causa huius plantæ folia diligenter asseruent.

afferuent. Articulorum doloribus(si ab humoribus frigidis, vel non nimiùm calidis fiant)efficacissimè folia calida adhibentur, aut eorum succo pannus lineus intinctus:humores enim digerunt & resoluunt, ideoq; tumoribus etiam œdematodis, foliorum succo calido priùs elotis, vtilissimè imponuntur Perniones sanare, si ter aut quater huius plantæ foliis fricentur, deinde pedes aqua calida cum sale abluantur, experientia docuit. Venenis & toxico perniciosissimo, quo Cannibales sagittas inficiunt, hac ratione resistere didicerunt Hispani (nam ante sublimatum vulneribus inspergebant.)Cùm Cannibales ad D.Ioannem de portu diuite nauigassent, Indos & Hispanos nonnullos qui illic erant, telis suis venenatis conficiebant, plerosq; vulnerabant, qui cùm sublimato carerent, à quodam Indo edocti sunt Tabaci succum expressum vulneribus imponere, deinde folio ipsius trita. Illico sedati dolores, & ea symptomata quæ huiusmodi venena subsequi solent: tandem veneno superato vulnera curata. Eadem de causa venenatis pestiferísque carbunculis imposita crustas inducunt, deinde curationem adferunt: & ad ictus morsúsque venenatorum animalium plurimùm conferunt. Recentibus vulneribus imposita sanguinem sistunt, eáque glutinant. Quod si maiuscula sint, vino priùs eluantur, & labiis vulnerum coniunctis succus foliorum inspergendus, & ipsa folia trita supra vulnus alliganda:postridie reliquisq; diebus sequentibus eadem facienda:victúsque ratio necessaria obseruanda. Vetera vlcera gangrænásque succus instillatus, & folia trita imposita detergunt, curant, & ad cicatricem perducunt, purgato videlicet priùs corpore, & missione sanguinis, si necessaria fuerit, facta, obseruata etiam conueniente victus ratione. Porrò non modò in hominibus eiusmodi vlcera curare, sed etiam in animalibus experientia ipsa docuit. Nam per vniuersam Indiam frequentia vlcera vaccas, boues, & alia animalia infestant, quæ facilè ob summam regionis humiditatē putrescunt & vermibus scatent, quibus solebant inspergere sublimatum, melioribus remediis destituti. Sed cùm magno illic væneat, plerumq; quod vulneribus inspergebatur, pluris cōstabat, quàm animal quod curabatur æstimari potuisset. Quare Tabaci facultates in hominibus experti, illius etiam vsum ad putrida, fœtida, vermibúsque scatentia animalium vlcera transtulerunt, atque adeò compererunt succum eius instillatum non modò vermes necare, sed etiam vlcera mundare, deinde ad cicatricem perducere:prodest etiam iumentorum exulcerationibus, ideóque Indi Tabaci folia semper circunferunt. Scribit Nicol.Monard.se quendam nouisse narium vlcere laborātem, è quo sanies manabat non sine contagij suspicione, consuluisséque foliorum huius plantæ succum instillari, à secunda instillatione vermes multos excidisse, deinde pauciores, & post aliquot dies sanatum fuisse vlcus, sed quæ erosa erant non restituta. Illius etiam foliis impetigines & capitis scabies confricantur. Fuit ista planta ab Indicis sacerdotibus celebrata ad responsa danda. Etenim moris erat apud Indos sacerdotes de bellorum euentu, aliísque magni momēti negotiis consulere. Sacerdos consultus istius plantæ folia sicca vrebat, & eorum fumum tubulo quodam in os excipiebat, deinde quasi in ecstasin quandam raptus cadebat omni motu priuatus, & sic aliquandiu permanebat. Discussa eius fumi facultate ad se redibat, referebátque negotium cum dæmone contulisse, responsáq; dabat ambigua, vt, vtcunque euentus succederet, illis facilè persuaderet, sic se prædixisse, eóque modo Barbaros illos miserè decipiebat. Vulgus etiam Indorum eundem fumum per os & nares excipit animi gratia, cùm somnia videre, & extra se quasi rapi volunt, atq; etiam de suorum negotiorum euentu ex insomniis quæ illis apparuerint pronunciaturi. Prætereà Indi oneribus ferendis, aut aliis laboribus defatigati eiusdem plantæ fumum hauriunt, & illico quasi mente alienati corruunt, excitati verò refocillatos eo somno, & vires recuperatas sentiunt. Eadem vtuntur sitis famísque

sedandæ


ſedandæ gratia hoc modo. Teſtas cochlearum quarundam vrunt,& terunt calcis modo:huius & foliorum æquas partes mandunt diu,donec ex vtriſque maſſa fiat, quam in pilulas piſo maiores conformant,in vmbra ſiccant,& in vſum reponunt. Facturi iter per deſerta,in quibus neque cibum,neque potum inuecturos ſe putant, eas pilulas ſecum deferunt,ex quibus vnam inter labrum inferius & dentes reponentes, eius liquorem aſsiduè ſorbent: ea abſumpta aliam reponunt, atque item aliam,donec peregrinationem abſoluerint triduanam interdum, aut etiam quatriduanam:quo tempore neque famem ſibi moleſtam eſſe, neque ſitim aſſerunt. Horum exemplo naucleri pleríque iſtinc redeuntes geſtant puſilla infundibula ex folio Palmæ,aut ſtorea confecta,quorum vni extremo inſerta ſunt conuoluta & comminuta huius plantæ folia ſiccata:iſtud igni accendunt,atque altero extremo hianti ore quantùm plurimùm poſſunt, inſpirando fumum hauriunt, vnde ſibi famē ſitímque ſedari,vires inſtaurari, ſpiritus exhilarari aſſerunt:ſopiriq; iucunda ebrietate cerebrum dictitant,incredibilem pituitæ copiam plerumq; educi. Sunt qui eius folia ſingulis diebus manè à ieiunis mandi iubent,vt podagra liberentur, quoniam multam pituitam in os attrahunt,eámque in partes inferiores defluere prohibent. Carolus Stephanus in Prædio ruſtico experientia comprobatum eſſe ſcribit,folia ſtrumis vtiliter illini,eiuſq; ſtillatitium liquorem aſthmaticis auxilio eſſe. In ſumma,Panacea quædam eſt ad omnis generis morbos. Quidam Nicotianæ ſpeciem eſſe putant plantam,quam Hyoſcyamum luteum vocant, quia viderunt non paucos huius fumo hauſto temulentos fieri. At non rectè ſentiunt, quia Nicotianæ fumus,vt ſe expertum fuiſſe ait Pena,non citò inebriat, nec frigore dementat, vt Hyoſcyamus, ſed quodam aromatico vapore ventriculos cerebri imbuit.

ZARZA PARILLA. *CAP. CXXIX.*


EX NOVI orbis, ſiue Americæ prouinciis etiam prodiit Zarza parilla,& Chinæ radici ſucceſsit: eíque laudem eripuit, quòd non niſi carioſa & longa vectura euanida,atque marcida ad nos peruenire ſoleat Zarzam parillam Hiſpani, qui primi eius vſum in Europam ex Peru inuexere,breuiore itinere,atque ideò integrioribus viribus ad nos tranſmittant,ad multos varioſq; morbos præſtantiſsimum medicamentum. Qui primi illic viderunt, Zarzæ parillæ nomen indiderunt propter magnam ſimilitudinem quàm habet cum Zarza parilla Hiſpanica,id eſt,Smilace aſpera, quaſi dicas Rubū viticulā,nec Hiſpanis,inquit Matthiolus,Zarza parilla aliud eſt, quàm Rubus viticuloſus:*Parra* enim Hiſpanis vitis dicitur, *Parilla* viticula, & *Zarza* rubus. Eius apud indigenas nomen ſpinoſam vitem Latinis ſignificare,Lopius Luſitanus auctor eſt. Planta eſt,vt deſcribit Nicolaus Monardes,quæ multis radicibus nititur, duos cubitos,aut eo ampliùs longis,colore cinereo dilutiore, tam altè interdum demiſsis, vt qui integras eruere velit, ei profundè admodùm fodere opus ſit, ramis nodoſis & lignoſis, qui facilè deſiccantur: floréſne an fructum proferat, ignorat. Hac quæ in Hiſpania noua prouenit,multò meliorem & efficaciorem poſteà protulit prouincia Honduras,à ſuperiore differentem,quòd illa candidior eſt ad pallorem accedens, & gracilior, hæc verò cinerea, nigrior atque craſsior. Deligitur nigrior,recens,non carioſa,fractu contumax,quęq; aſſulatim frangitur, & ponderoſa:nam quæ cariem ſenſit, & dum frangitur pulueruIenta eſt, inutilis exiſtimatur. Guſtu inſipidam eſſe ait,& ſine acrimonia, nec eius aquam hordeacea ſapidiorem. Hanc credunt multi nihil aliud eſſe quàm Smilacem aſperā Dioſcoridis: quibus aſſentitur Matthiolus eiúſque ſententiæ auctorem citat Lucam Ghinum,qui ſe vidiſſe affirmauit apud Florentiæ Ducem Zarzæ parillæ integram plantam

Nomina. *Forma.* *Electio.*

ZARZA parilla, Matthioli.



ZARZA parilla, America.



plantam ex Hispania delatam, quæ omnibus suis partibus ac notis nihil ab aspera Smilace differebat, imò nihil aliud esse censuit, quàm genuinam Smilacem asperã. Id quod paulò pòst experientia deprehendit, quia asperæ Smilacis radicum decocto multos curauit lue venerea affectos. Idem quoque ab aliis factitatum fuisse, præsertim Romæ. Alij diuersas plantas esse contendunt, maximè Pena, de harum differentia disserens his penè verbis. Smilacis radices geniculatæ sunt, articulatis segmentis, candidæ, foris nitentes, Graminis aut Arũdinis vallatoriæ modo. At in Zarza parilla ab vno radicis trunco magno, præduro, strumoso, rugosisq; capitibus hinc inde, subtus, vt in Asparago, vel Rusco oriuntur numerosa eiusdẽ coloris flagella, æquabilia, & sine geniculis, vel nodis recta, flexilia, cortice duriusculo, pullo, magis striato in longitudine, interdum vicenûm pedum, farinacea intus medulla, non ita ingrata, sed viscida, nonnihil emplastica, amaricante, nec tamen calorem prodente. Quare perspicuum est non magis esse radices Smilacis, Rubi, Clematidis alterius Viornæ dictæ, quã sint Cinnamomi, vti nec arbores quædam tum Indiæ Orientalis, tum Occidentalis sunt nostra Laurus, tametsi hæc eadem quæ illæ præstent. Neque si Colutea simillima est Sennæ, ideò statim eadẽ astruenda. Idem de Zarza & Rubo dicendum. Nam stipites Zarzæ ex eodem radicis grandi & capitato nodo, lignoso, intus flauescente, Aristolochiæ rotundæ tuberosæ magnitudine & colore exeuntes, pollicem aut maximum Rubum crassitie superant: sed præduri lignosiq; crebros nodos admodùm extantes circa articulatas commissuras crebriorum vncialium, frequentiumq; interuallorum, atque aculeos aduncos deorsum versus nonnihil depressos & rigidos habent, & Rubo valde similes sunt aspectu potiùs quàm Smilaci. Verùm gustu non sunt adstringente, sed fermè insipido, nec vt radicis emplastico, eóque minùs efficaci. Folia intellexit ille ab amicis qui viderunt non multùm abesse à Smilaceis. Hæc sunt Zarzæ parillæ à nostratibus aliquatenus similibus discrimina. Nicolaus Monard. illam ca- *Temper. & Vires.*

lidam & siccam esse in secundo gradu tradit. Primùm circiter viginti ab hinc annis nobis innotuit. Hodie in multis morborum generibus frequēs eius est vsus, videlicet in defluxionibus, flatibus, frigidis vteri morbis, & aliis plurimis, modò acuti non sint, aut iis febris accesserit. Certum est tamen iis qui calida præsertim hepatis intemperie laborant, non conuenire: nimiùm etenim excalfacit: sed ventriculos frigidos fouet, & flatus mirificè discutit. Vis illi excalfaciens, & extenuās, inquit Matthiolus, & quæ valenter sudorem prouocet. Valet autem non solùm ad luem veneream curandam, sed ad quosuis articulorum dolores, ad omnia cutis vitia, vlcera contumacia, lichenas. Auxiliatur iis qui œdemate laborant. Peculiariter verò frigidis capitis & cerebri affectibus medetur. Hac Indos sic vti solitos refert Nicolaus Monard. Zarzæ parillæ selibram minutim concisam aqua macerant, dein in mortario tandiu tundunt, donec in muccaginem quandam resoluatur, quam deinde colant & exprimunt. Eius liquoris ita expresſi satis capacem cyathum calidum manè hauriunt, deinde stragulis sese operiunt, & duarum horarum spatio sudant. Quod si interdum sitis vrgeat, idem liquor illis est potus. Sub noctem alium eiusdem calentis cyathum hauriunt, & tantūdem temporis quantum manè sudant. Hic ordo triduo integro obseruatur, vt nihil aliud edant, aut bibant, præter eum humorem expressæ Zarzæ parillæ. Eadem ratione præparatam ait Nicolaus Monard. se plerumque initio propinasse, multóque meliùs sic morbos curasse quàm nunc, cùm ob seculi nostri delicias eodem quo Guyacum modo propinetur. Videlicet duæ eius vnciæ lotæ, confractæ, & minutim concisæ in nouum fictile cum tribus aquæ sextariis iniiciuntur, 24. horas macerantur, obturato fictili coquuntur lento igne è prunis accēso, quoad sextarij duo fuerint consumpti, refrigerantur, colantur, & fictili vitrato, aut vase vitreo reconduntur. Eadem deinde Zarza parilla fictili aqua pleno maceratur, aliquantulùm feruet, frigida colatur, & fictili vitrato asseruatur. Purgatus æger vt decet, manè decem vncias prioris decocti hauriet, sudabit duas horas: deinde omnia ea perficiet, quæ in sumendo Guyaci aut Chinæ decocto facienda præcipere solent. Similiter etiam tenui victu vtetur, habita semper virium ratione. Nam post sudores vuas passas, pruna cocta, amygdala, & panem biscoctum edet. Si vires imbecilles fuerint, conceditur vsus carnium pulli asſi, aut auicularum montanarum, & de secunda aqua bibet. Quindecim dies, aliquando viginti, nonnunquam triginta, interdum quadraginta huius medicamenti vsum continuabit pro morbi magnitudine & virium robore. Matthiolus eius vncias quatuor in libris quindecim aquæ (in quibus 24. horas maceratæ priùs fuerint) decoquit ad dimidias. Pena non minoris quantitatis instituenda esse decocta censet, quàm decem aquæ librarum ad vncias duas, vel tres, vel quatuor radicis: nam citiùs, ait, difflarit aqua (nisi in diplomate decoctum faciendum præceperint) quàm radicum vires bulliendo eductæ fuerint: radicis enim corculum lori instar durum tam citò vires non deponit. Nicolaus Monard. cùm vncias duas in tribus aquæ sextariis, id est, in libris quinque delaus coquendas decernit, de recentiore, opinor, intelligit, & quæ, quòd succulenta satis & tenera adhuc sit, faciliùs aquæ vires suas impertiat, quàm quæ ad nos longiore itinere defertur, & ob id magis arida & exsucca cùm sit, longiore tempore, atque ideò in copiosiore aqua decoquenda: paucior enim aqua longiore decoctione exhalaret.

In cap. III. lib. I.

PEREBE

PEREBECENVC. CAP. CXXX.

IN tertio volumine nauigationum, libro vndecimo generalis Historiæ Indiarum, legimus in insulæ Hispaniolæ locis multis copiosissimam nasci herbam, quam Perebecenuc vocant, mirabilis aduersus vlcera efficaciæ. Multa folia fert, in extremo acuminata, lanceolæ ferro similima, vt natura nobis indicare voluisse videatur herbas curandis vulneribus ferro factis perutiles. Folia ista satis tenuia sunt, viridia, & in summo cæsia, petioli quibus sustinentur similiter cæsij coloris. Quædam folia sunt non acuminata, sed rotunda, sed & hæc & illa coloris sunt ex cinereo cæsij. Flores edit rubros & lōgos in vmbella Fœniculi modo, sed magis dispersos, tenues. Ad hominis proceritatem tota planta assurgit, admirandi effectus: facilè enim & citra dolorem vlceribus omnibus medetur, etiam si cacoëthe sint & admodùm contumacia. Huius manipulum in aquæ sextario decoquunt, quoad tertia pars supersit. In eo decocto penè refrigerato lineum pannum intingunt, quo vlcus abluunt, exsiccato herbæ crudæ succum infundunt, aut linamenta succo intincta admouent. Id bis die repetentes facilè vlcera quantumuis maligna curant, non autem vulnera recentia manu illata. Forma.

PEREBECENVC.




MECHIOACAN. CAP. CXXXI.

IN Indiis maris Oceani prouincia est quadraginta miliaribus supra Mexicum, Mechioachā dicta, cuius præcipua & fœcundior pars vernacula Indorum lingua *Chincicila* nominatur, ab Hispanis totius regni nomine *Mechioacan*. Omnium harum Indiarum auri & præsertim argenti fertilissima regio est: prætereà temperato & salubri fruitur aëre, multarum & salubrium plantarum feracissima, adeò vt has ob causas vicini Indi ægri eò se transportandos curent, morborum remedia quæsituri, & sanitatem recuperaturi. Ad hæc frumento, fructibus, siluestribus animalibus abundat: multi in ea aquæ dulcis fontes scaturiunt, quorum nonnulli optimorum piscium copiam alunt. Quare incolæ cæteris Indis vegetiores, alacriores, meliùs colorati degunt. Hanc subiugauit Ferdinandus Cortesius anno salutis humanæ 1524. quò statim appulerūt Franciscani, & monasterium condiderunt: cuius primâs cùm longo & periculoso morbo affligeretur, & Gazoucin Cacique, id est, dominus totius regionis medico suo Indo curandum tradidisset, quòd iam summam cum Franciscano illo amicitiam contraxisset, cōsiderato morbo dixit medicus curatum iri ægrum, si radicis cuiusdam farinam vellet sumere, quàm recuperandæ sanitatis auidissimus Franciscanus perlibenter cum modico vino sumpsit, qua ita purgatus sine dolore & molestia vlla fuit, vt eadem die meliùs habuerit, atque tandem sanitati pristinæ restitutus fuerit. Huius exemplo cæteri Frāciscani, atque Hispani quidam cùm in morbos incidissent, eodem remedio sæpius vsi sunt, tam felici successu, vt iis visum fuerit cæteris fratribus qui in Mexico erant tam excellens remedium communicare: vnde rursus ob mirabiles effectus, eius fama per nouam Hispaniam & omnes Indias ita peruagata est, vt spretis Rhabarbaro, atque aliis vsitatis remediis, hac sola radice in purgandis ægris vterentur. Hinc in Hispaniam, inde in

Vide Phytog. pag. 590

MECHIOACAN, Penæ.



MECHIOACAN, Dodonæi.



Galliam, Germaniam, Italiam delata est.

Nomina Nomine totius ptouinciæ, in qua prouenit, Mechioacā nominatur, ab Indis vulgò Rhabarbarum Indicum. Nicolaus Monard. plantam vidit Hispali apud Franciscanos ex ipsa

Forma. prouincia Mechioacan delatam, multis ramis luxuriantem, supra terram expansis, colore cinereo, qui vicinas perticas, aut pergulas scandunt, & multiplici nexu amplectuntur, foliis rotundis in mucronem desinentibus, secundū pediculum amplis, fibrosis, adeò verò delicatis, vt humore carere videātur: fructu Coriādri sicci magnitudine, racematim cohærente, qui Septembri maturescit: radice crassa, Bryoniæ modo, vt non defuerint qui eandem plantam esse putarent, aut saltem ei congenerē. Sed multùm differunt: nam Bryoniæ radix & viridis & sicca admodùm acris est, Mechioacan verò insipida, & sine acrimonia vlla. Pena quoque eos qui sunt in ea opinione perinde falli censet, atque illos qui Laurum, Cinnamomū, & Smilacem asperam Zarzam parillam, aliásque multas exoticas eadem specie cum nostratibus faciunt. Eam radicem ab Hispanis acceptam sic ille pingendam curauit. Ea integra ad nos rarò defertur, sed in laminas grādes & taleolas consecta, ex quo magnam esse radicem, solidam, & sine matrice. Hanc, inquit Pena, non visam qui nosse cupit, intueatur Bryoniæ radicem: sunt enim cortice eiusdem coloris, rugis & ferè magnitudine iisdem. Sed huius taleolæ transuersim sectæ siccandi caussa, intus multis circulis à centro ad ambitum parallelis distinguntur, mādendo sapore farinaceo, nec acri: odore non ingrato est, cæterū albida & friabilis vt Bryonia. Optima recens, non cariosa, intus candi-

Electio. da: vetustior enim nigrescit, foraminulenta, cariosa & leuior euadit. Milij semine obruta seruatur, aut lino picato siue resinato inuoluta.

Temper. Calida videtur esse primo gradu, sicca secundo, constaréque partibus subtilibus aëreis cum quadam adstrictione. Pituitam maximè &

Vires. aquas euacuat: icterum, cephalæam, strumas & epilepsiam curat: veteres defluxiones sistit, articulorum, coli, & renum doloribus vtilis est. Conuenit etiam vteri doloribus, asthmati, tussi veteri, & lue venerea vexatis. In febribus diuturnis, compositis, phlegmaticis, quotidianis, erraticis, iis quæ ex viscerum obstructione pendent commodissimè datur, in ardentibus & acutis minimè. His assentitur Pena, qui huius radicis puluisculo solo drachmæ pondere, ex vino albo aut iusculo propinato commodissimè qualibet die, hora & ætate,

nulla

nulla molestia, aut incommodo, quinquies, sexies, aut septies flauas hydropicorum aquas eductas, pituitásve quasuis se comperisse affirmat. Molestus non est huius radicis vsus, quia nullius ingrati saporis particeps est: ideò pueris, senibus, & iis qui cætera medicamenta auersantur vtilis. Eius autem sumendæ ratio talis est. Præparatis humoribus qui euacuandi fuerint, purgato etiam corpore enematis & sanguinis missione ex medici consilio, huius radicis leuiter contusæ puluis vino albo maceratus, aut aqua Anisi, Fœniculi, aut Cinnamomi (si quis à vino abhorret) summo manè propinatur, dimidiæ drachmæ pondere pueris, vnius drachmæ iuuenibus & adolescentibus, duarum verò drachmarum viris & mulieribus. Nec inutiliter datur ex syrupo rosato cathartico. Post sumptum hoc medicamentum breuis somnus conceditur, iis præsertim qui vomitibus obnoxij sunt. Facta purgatione datur iusculum, ac paulò pòst cibus, qualis dari solet iis qui purgantur. Fiunt nonnunquam ex eodem puluere catapotia Coriandri sicci magnitudine cum syrupo aliquo, vel electario. Auctor est Nicolaus Monard. in potestate esse medici, aut eius qui Mechioacan sumpserit, eam quàm velit humoris quantitatem purgare: sumpto enim iusculo, vel quouis alio cibo, eius vim purgatricem illico sisti atque infringi, id quod negant alij, quoniam ei opinioni quotidiana experientia refragatur. Alia nunc ex continenti adfertur radix Mechioacan, quæ circa Nicaragna & Quito nascitur, vbi diligenter colitur, & magno in vsu est ob admirandas eius vires, longè præstantior ea quæ ex noua Hispania deferri consueuit, cuius, flos semen, & ramuli etiam delati sunt. Erat verò is flos quasi Mali aureæ, quinque foliis constans maioribus, è cuius vmbilico protuberat calix, siue vesicula quædam auellanæ magnitudine, membrana tenui operta, albicante, quæ in duas cellulas tenuissima pellicula secretas diuiditur, & in singulis bina grana Ciceris magnitudine, colore per maturitatem nigro, gustu insipido continebantur, quæ molli & spongiosa terra commodè nascuntur. *Genera.*

FLOS Mechioacan, Monardis.



Mittit etiam Promontorium D. Helenæ, quod in eodem quo Nicaragna tractu est, aliud Mechioacan genus siluestrius, quod grauia symptomata excitat, vt vomitus immodicos, tormina, alui profluuia. Quam ob causam Scammonea nuncupatur, sed nemo periculo semel facto vtitur. Simile est alteri cùm folio tum sarmentis, tum radice, sed per omnia minoribus: ipsa etiam radix acrimoniæ nonnihil habet. Memorat Petrus Cieca in prima parte Peruanæ Historiæ in prouincia Quimbaya, cuius metropolis Carthago magna, nasci tenues quasdam radices digiti crassitudine inter arbores, quarum si fragmentum brachiali longitudine aquæ sextario per noctem maceretur in vase aliquo, maiorem aquæ partem ea nocte absumi. Ex ea quæ supererit aqua, qui tres vncias sumpserit, adeò benignè purgatur, ac si Rhabarbaro purgaretur, & aliquoties periculum se fecisse scribit, magno purgatorum commodo. Radix Quimbaya.

ACHANACA THEVETI. CAP. CXXXII.



T.1.Cosm. lib.3.ca.2.

REfert Theuetus in vtraque ora fluuij Senega multa esse Regna, præsertim in ea quæ meridiẽ spectat, Regnum Mely, in ea quæ Septentrionem, Regnum Tombotu. In his periti sunt Medici multi, quos *Bisrains* appellant: morbus qui illic frequentiùs grassatur *Borozail* nominatur, aut *Zail* Æthiopum lingua, qui ex immodica venere, cui multùm obnoxij sunt, ortum habet. Genitales partes potissimùm is occupat, in homine Asab, in fœmina Assabatas nominatas. Ad huius morbi curationem decoctis multis vtuntur, sed potissimùm decocto herbæ, quæ *Achanaca* dicitur. Huius folia bifurcata & acuminata sunt, Brassicæ amplioris foliis similima, sed non ita crassa, & tenuiore costa. In horum medio fructus nascitur, oui magnitudine, colore luteo, quẽ *Alfard* nuncupant, alij *Lefach* nomine serpentis cõcoloris. Fructus is magno apud eos est in pretio. Tota planta tibiæ hominis crassitudine. Ea in morbis curandis vtuntur, perinde ac nos Guayaco.

Forma.


FABAE PVRGATRICES. CAP. CXXXIII.

IN NOMINE Dei & Carthagine continentis prouinciis Fabæ purgatrices nascuntur, vt narrat Nicolaus Monard. quæ nostris similes sunt, sed minores, eiusdem cum nostris formæ & coloris, pellicula quadam tenui, qualis est Ceparum tunicula exterior, illas per mediũ intersecante, quæ cum cortice abiicienda est, alioqui tanta vehemẽtia supernè & infernè purgans, vt in vitæ discrimen sumentem coniiciat. Assandæ verò sunt, vt illarum acrimonia infringatur, deinde in puluerem comminuẽdæ. Datur hic puluis vino, aut saccharo exceptus ad cochleare vnum, deinde haustus vini sumitur. Apud Indos hoc medicamentum celebre est, ob sumendi facilitatem: nam sine molestia bilem, pituitam, & serosos humores multò leuiùs & faciliùs quàm superiora medicamenta purgat. Dantur hæ Fabæ in febribus diuturnis, in coli doloribus, & articulorum morbis. Dosis assatarum esto à quaternario numero ad senarium, pluriúmve aut pauciorum pro ęgri viribus. Clusius aliquot peregrinos fructus se accepisse scripsit Fabæ purgatricis nomine, sed nullum habuit qui Fabæ purgatrici à Nicol. Monard. descriptæ conueniret. Quare potiùs inter Phaseolos recensendos putauit. Prioris iconem hanc exhibuit. Orbiculari fermè est forma, sed planus vtrinque & quodammodò puluinatus, digiti vnius crassitudine, duorum verò latitudine aut ampliore, vno latiore aliquantulùm cauo, quo videlicet hilus esse solet, & siliquæ in qua continetur adhæret: cortex durus & lignosus, læuis, ex rubro

Forma.

Vires.

FABAE Purgatrices, Monard.



Phaseolus Ind. Clus.

ex rubro nigricans: quod intus continetur album, firmum, & in duas partes natura sectile, vt sunt omnia Phaseolacea, sapore primũ quali sunt omnia ferè legumina, sed illico linguam mordicante & acri: quo fit vt purgandi facultate præditus esse possit. Nascitur in insula D. Thomæ dicta, & cordis effigiem quale vulgò pingi solet imitatur: idcircò à quibusdã Cor D. Thomæ nuncupatur. Eius obiter meminit Petrus Cieca prima parte Chronici. Alter Phaseolus vulgari haud dissimilis est, sed minor, densior, nigricans, hilo prominente, & renis formam minimè referente. Idẽ Clusius cùm Vlyssipone esset, habuisse se scribit aliud Phaseoli genus ex Brasilia Americæ prouinciæ delatũ, admodùm recens, pollicari latitudine, crassum, colore rufescente, magno hilo, & parte extrema veluti sessili. Eiusmodi quatuor aut quinque siliquis prægrandibus continentur, qui recentes & virentes adhuc tusi & impositi bubones venereos curare dicuntur. Flore traditur ex rubro pallescente. Clusius iuniorẽ duntaxat plantam vidit è semine natam, quæ foliis Phaseolo vulgari ferè similis erat, nisi quòd minora erãt, & auersa parte hirsuta, præsertim teneriora folia, & extremi caules tenui mollique lanugine fuluescente obsiti. Brasiliani *Maconna* vocant. Similes planè, & colore, qui ex cinereo candicans est, duntaxat differentes ex Africæ Mauritania delatos se vidisse Clusius ait. Lobellius se **Locus.**


PHASEOLVS alter Indicus, Clusij.



PHASEOLVS Brasilianus, Clusij.



SILIQVA Phaseoli Brasiliani, Lobel.



vidisse & habuisse scribit purgatrices Fabas, & Phaseolos, quales expressit Clusius. Siliquam etiam pictam dedit, quæ dodrantalis est, admodùm elegans, duas vncias lata, quaternis & quinis loculis ventricosa, carnosa, corticosa & coriacea, siliquæ Carobiæ vulgò dictæ concolor, innumeris rugis exarata, qualis icone delineatur.

PHASEOLI parui ex America.



Idem Clusius vidit nō procul Olyssipone in monasterio quodam Phaseoli genus vulgari nostrati adeò simile, vt nostrum putares. Pergulas istic vestiebat opere topiario, flore purpureo: at siliquæ scabræ sunt, breuiores, & duplò latiores quàm nostri vulgaris: fructus exiguus, pisi vulgaris magnitudine, intus niger, nisi qua parte siliquæ adhæret, quæ candida est. Brasilianis frequentem esse aiunt, & Lusitanis istic habitantibus Faba braua, id est, Fabam siluestrem nuncupari. His appinxit Lobellius Phaseolos paruos ex America delatos.

HERBA IOANNIS INFANTIS, GVACATANE, Hordeolum. CAP. CXXXIIII.

QVI in Hispania Noua primi militarunt, eámque subiugarunt, herba quadam vsi sunt in curandis vulneribus, vt refert Nicolaus Monard. quam primus ostendit Indus quidam Hispani famulus nomine Ioannis infantis, à quo illa nomen accepit. *Forma.* Exigua est planta, foliis exalidis, aliquantulùm villosis. *Vires.* Viridis præmansa aut trita, vulneribúsque imposita sanguinem sistit atque conglutinat. Neruorum aliorúmque partium vulnera digerit & mundat, tandem ad cicatricem perducit. Iisdem viribus pollet sicca in puluerem redacta. Idem Nicola. Monard. refert ad se missam fuisse ex Hispania Noua plantulam quandam sine radice (Indi Guacatane nuncupant) *Forma.* nostro Polio montano haud absimilem, sed inodoram. An florem, an fructum proferat, ignorat. *Vires.* Ad hæmorrhoides commendatur hac ratione. Eius plantæ decocto ex vino (si calor absit) alioqui ex aqua hæmorrhoides abluuntur, deinde blandè siccantur, postmodùm eiusdem plantæ puluere insperguntur. Dolores ex frigore & flatibus ortos in quacunque corporis parte sedat, si locus resina priùs inunctus, tenuissimo eius puluere inspergatur, & pannus lineus superimponatur: nam illico adhærebit cerati modo, nec inde amouebitur nisi dolore sedato. Eius puluis leuibus vulneribus impositus præsertim inguinum, ea mundat, & ad cicatricem perducit.

GVACATANE, Monardis.



Prætereà narrat Nicola. Monard. ad se perlata esse cum aliquot aliis plantis ex Hispania Noua, semina cuiusdam plantæ, quæ *Ceuadilla* istic vocatur, id est, Hordeolum, à similitudine quam cum Hordeo nostrate habet, in spica & vaginulis quibus semen includitur, sed minus, & Lini semine neutiquam maius, verùm longè aliis facultatibus præditum. Etenim nunquam auditum est aliquam aliam plantam adeò vrente & caustica vi præditam, ita vt vbi cauterium necessarium est in gangrænis, & impuris putridísque vlceribus, eosdem præbeat effectus, quos non modò sublimatum, sed etiam ignis præstare posset. Etenim vermes in vlceribus necat, putridáque vlcera expurgat puluis eius sensim inspersus, maiore minoréve quantitate

HORDEOLVM. Monard.



quantitate pro vlceris magnitudine, adhibitis preseruatibus quæ in huiusmodi remediis vsurpari solent. Itaque cùm eius facultates infringere volunt, puluerem stillatitio liquore rosarum aut plantaginis excipiunt, linúmque aut ellychnium eo intinctum vlceribus & gangránis imponunt: deinde sarcotica medicamenta adhibentur pro periti chirurgi iudicio. Eadem ratione vsurpatur in animalium malignis vlceribus, quibus plerumque infestantur. Missas item fuisse ad se aliquot alias plantas idem auctor refert sine nomine, quarum vnius ex aqua decoctum calidè sumptum pectoris vitiis auxilio est. Altera partus mortuos secundásque morantes trahit. Tertia, si, cùm maximè viget, quispiam colligere volens duntaxat contingat, illico flaccescit & procumbit. Quarta per solum diffusa est & expansa, si quis tamen eam attingat, statim contrahitur vt Brassica Murciana. Helleborus etiam niger Hispanico similis, & iisdem facultatibus præditus. Multa præterea alia medicamenta in Indiis occidentalibus inueniuntur, insignibus facultatibus donata, quæ cum tempore σὺν θεῷ innotescent, diligentia & industria illorum, qui non sibi se, sed in commune natos meminerunt.

HETICH AMERICVM. *CAP. CXXXV.*



EXTERNAS etiam quasdam hortenses plantas adscribamus atque in primis Hetich, quæ radix est Rapis magnis, quales apud Lemouices nascuntur, similes, cuius duæ reperiuntur species eiusdem crassitudinis. Vna quæ coctura flauescit, altera quæ albescit. Vtraque folium habet Maluæ, semen nullum. Quare barbari Americi ipsam radicem in taleolas concisam pangunt, quæ sic copiosissima prouenit. Hanc magno cuidam prophetæ (Chariabe prophetam vocant) acceptam referunt, qui puellæ cuidam obuius dono dedit, eámque serendi, vtendíque modum docuit, itáque successit, vt ad posteros continuato eius vsu, nullo ferè alio nunc vescantur cibo, sitq; iis adeò vsitatus, ac nobis panis, cùm anteà, vt narrant, herbas, radicésque siluestres beluarum more depascerentur. Hetich Oetum esse Plinij putat Dalechampius, pro quo apud Theophrastum mendosè legimus Vingum. Sic Plinius. Mandunt & Oetum, cui pauca folia minimáque, verùm radix magna. Theoph. verò. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ἐν αἰγύπτῳ καλούμενον οὔιγγον, (aliàs οὔιτον) τὰ μὲν γὰρ φύλλα μεγάλα, καὶ ὁ βλαστὸς αὐτοῦ βραχὺς, ἡ δὲ ῥίζα μακρὰ, καὶ ἔστιν ὥσπερ καρπὸς, διαφέρει τε, τὸ ἐσθίεται, καὶ συλλέγουσι δὲ ὅταν ὁ ποταμὸς

Nomina.
Genera.
Forma.
Lib. 21. c. 15. Lib. 1. hist. cap. 11.

ποταμὸς ἀποβῇ, στέφοντες βωμούς. Id eſt, Similiter & quod in Ægypto Oetum appellant. Folia eius magna, germen breue, (non, vt Gaza, puſillum) radix longa, ſapore præſtanti, cibo idonea, quæ pro fructu colligitur, cùm amnis in alueum redierit, eóque deorum aras coronant. Quæ Theophraſtus folia ampla, Plinius pauca & minima dixit.

MANIHOT. CAP. CXXXVI.

Forma. ALIA radix hæc eſt, brachij craſsitudine, pedis vnius & dimidij, aut pedum duorum longitudine, ſæpius tortuoſa, & obliqua. Hanc emittit frutex paruus, quatuor pedes circitérve altus. folia habet ei plátæ quæ vulgò ab herbariis Pata leonis dicitur ſimilia, in ramuſculorum vertice ſena ſeptenáve, quorum ſingula dimidium pedem longa ſunt, tres digitos lata. *Vſus.* Barbari ex radice, quam Manihot appellant, hoc modo farinam conficiunt. Radices ſiccas ſiue recentes tundunt, ſiue radunt lato arboris cortice plurimis duriſsimiſq; lapillis conſerto. Dein incerniculo cribratas in vaſe cum aqua igni impoſita commouent, ita vt hæc farina in grumulos coëat, mannæ granatæ ſimilis, quæ recens optima eſt, & plurimùm ſucci corpori ſuppeditat. Huius parandæ negotium totum mulieribus committitur, perinde ac viris indignum. Scire autem licet à regione quæ Peru dicitur, Canada, & Florida inſulis, tota continente inter Oceanum & Magellanicum, ſcilicet in America, & eorum regione qui Canibales appellantur, vſque ad fretum Magellanicum, id eſt, quater mille miliariorum ſpatio, nullum cibum vſitatiorem frequentiorémque eſſe, eáque farina cum carne & piſcibus omnes veſci, non aliter quàm nos pane, admirando quodam modo, nunquam admouentes manum ori, ſed procul longioréque quàm pedis vnius ſpatio, magnáque dexteritate in os coniientes, ac Chriſtianos irridentes, *Lib. 1. hiſt. cap. 11.* ſi aliter comedant. Quidam Arachidnam Theophraſti, Manihot eſſe putant, Igname verò, de quo proximo capite agitur, eiuſdẽ τὸ ἀρακοειδὲς ſiue ἀράκῳ ὅμοιον,

MANIHOT.



YVCA.



non

non, vt apud Plinium legitur, Aracidnam, & Aracum. De quibus hæc Theophrastus. οἷον αἵ τε τῆς ἀραχίδνης καὶ τοῦ ὁμοίου τῷ ἀράκῳ. φέρουσι γὰρ ἀμφότερα καρπὸν οὐκ ἐλάττω τοῦ ἄνω. καὶ μίαν μὲν ῥίζαν τὸ σαρκῶδες τοῦτο παχεῖαν ἔχει, τὴν κατὰ βάθους. τὰς δὲ ἄλλας, ἐφ' ὧν ὁ καρπὸς, λεπτοτέρας, καὶ ἐπ' ἄκρῳ, καὶ σχιζομένας πολλαχῇ. φιλεῖ δὲ μάλιστα χωρία τὰ ὕφαμμα. φύλλον δὲ οὐδέτερον ἔχει τούτων, οὐδ' ὅμοια τοῖς φύλλοις, ἀλλ' ὥσπερ ἀμφίκαρπα μᾶλλόν ἐστι. καὶ φαίνεται θαυμάσιον. Id eſt, veluti Arachidnæ radix, eiuſq; quod Araco ſimile eſt. Vtrumque enim fructum fert non minorem eo qui in ſupernis plantæ partibus naſcitur. Et radicem quidem vnam carnoſam & craſſam, quæ in altum demittitur, cæteras, in quibus fructus, tenuiores, & ſummo ceſpite & quaquauerſum diffuſas. Locis gaudet arenoſis. Neutrum folium habet, neque foliis quicquam ſimile, ſed potiùs quaſi vtrinque fructum edant, quod mirum videtur. Plinius. Aracidna quidem & Aracos cùm habeant radices ramoſas ac multiplices, nec folium, nec herbam vllam, aut quicquam aliud ſupra terram habent. Satis igitur conuenit hiſtoria radicis, niſi Theophraſtus ſcriberet neutrum folium habere, neque foliis quicquam ſimile. Nam vtrumque radicem vnam habet craſſam & carnoſam, quæ in profundum recta deſcendit, alias prætereà tenuiores, in ſumma terra, multifariam diuiſas, quibus fructus, id eſt, noua ſoboles, inhæret ac innaſcitur, vt in herba quam Dodon. Chamæbalanon vocat. Auctores huius ſentētiæ aiunt peregrinæ vtriuſque plantæ hiſtoriam Theophraſto ſua commentanti parum integra fide recitatam fuiſſe. Lib. 5. c. 35.

IGNAME, BATAT, AGIS. CAP. CXXXVII.

IN Braſilia, & Hiſpaniola inſula vocata, *Batat* dicitur quod in terra Themiſtitam *Agis*, in Sancti Thomæ inſula, *Igname*. Radix eſt Napi figura aut Rapi, nigro cortice, infernè ſparſa quaſi in brachia. Ei caſtaneæ ſapor, ſed ſuauior ac tenerior. Sub cineribus aſſa atque elixa veſcuntur. Medullæ color haud vnus omnibus. Itaque in ſpecies varias digeſſerunt. Prima eſt quæ ab Hiſpanis *Igname cicorero* dicitur. Sola hæc annum durat incorrupta: quocirca in naues imponunt pro commeatu. Tres præterea ſpecies, temporis omnes impatientes. Excellentiſſimo ſapore illa quæ naſcitur in agro Benim. Quæ à Manicongo minùs nobilis. Vltimo in pretio lutea eſt, colore quaſi Carotæ dictæ. Eius ſatio mira, quippe non radice ſeritur, ſed talea ſicut Olea. Sarmenti fructum fiſſum in partes aliquot, modò quidpiam corticis ſeruatum ſit, deponūt, ridicam propter pangunt. Eius namque ſtipes aduoluitur Lupuli more. Folium vt Citrio, æquè nitidum, ſed minus ac tenuius. Quinto mēſe meſsis tempeſtiua. indicium vbi folia ſiccātur. Radix vt Arundinis, aut Dracontij, quaternas quináſve ſoboles edit. Siccatam ſeruant. Hæc Scaliger. Eadem planè reperies apud auctorem nauigationis ad Inſulam S. Thomæ. Primus opifex qui ad panis vicem accedere iuſsit hanc radicem, eiúſque vſum ſupplere famelicæ regioni, cauit & id, vt non in futuram meſſem radix auulſa ſereretur, ſed in annonam potiùs ſeruata, cederet pactorum ſarmentorum fructificationi: vnde ſoboles ſuccreſceret in futurum prouentum.

Forma. — *Genera.* — Exerc. 181. 17. Scalig. ibi.

BATATAS Cluſij. CAP. CXXXVIII.

SCRIBIT Pena ad Siſarum non parum accedre radices illas quæ in inſulis Nouo orbe non procul diſsitis ſuapte ſponte oriuntur. *Batades* vernaculè tum indigenæ tum Hiſpani illic vocāt, Angli *Potades*, quibus illi tum vt cibo, tum vt veneris irritamento frequenter vtuntur. Singuli bulbi teretes, oblongi Napum vtrinque obtuſum æquant, color pullus illis foris, albidus intus, ſapor gratus valde & tener quaſi Milij delicatioris, aut Fabæ freſæ, eóque guſtu inſulſæ ſint niſi condiantur: cum ſale, aceto, & oleo

Batades. — *Forma.*

Ignames. oleo interdum eduntur,& vino perfunduntur,nonnunquam coctæ prunis.Hisce congeneres sunt & persimiles quæ ab Hesperia, Æthiopia,& Guinea afferuntur, Ignames vocatæ : folia vtrisque hederacea & maluacea esse dicuntur.De his plura Cap.60. in horto diximus. Integram tamen plantæ iconem & historiam ex Clusio adscribere operæpretium fuerit.Veteribus plāta hæc ignota fuit, ideò nullum nomē Græcum aut Latinum proditum. Hispani & indigenæ, vt diximus, vocant Battades, atq; etiam Camotes, & Amotes, quidam etiam Aies, tametsi nonnihil, vt aiunt, inter se differant, sitq; Battatas radix longè & suauior & tenerior. Tria plantæ huius genera in Betica se obseruasse ait Clusius, colore externo inter se differentia, atque etiam gustus suauitate. Nam aut cortex externus rubescit siue purpurascit (& hoc genus præstantissimum censetur) aut pallet, aut candidus est:omnes verò radices intus albæ. Producit autem Cucumeris satiui modo sarmenta, per humum sparsa, satis crassa, & succulēta,& læuia, in quibus folia vtcumq; carnosa, ex viridi cādicantia, Ari foliis, seu potiùs Spinachij haud dissimilia:radix dodrantalis est, Raphani prægrandis nōnunquam amplitudine, vtrinq; obtusa. Sponte nascitur in Nouo orbe vicinisque insulis, vnde primùm in Hispaniam delata est: nunc verò multis Bæticæ maritimis locis seritur in taleolas dissecta: principatum autem obtinet Malacæ nata. Editur ab ipsis incolis aut cruda, aut cocta : nunc Hispanis etiam in deliciis, ob saporis iucunditatem & teneritatē, præsertim si in cineribus cocta, & exteriore pelle repurgata,& in talleolas secta ex pauxillo vino, stillatitiiq; rosarum liquoris & sacchari momento edatur.

BATATAS, Clusij.



FAALIM, Theueti.



FAALIM *Theueti.* CAP. CXXXIX.

HELENIO, vt narrat Theuetus, foliis præsertim similis est herba quę Faalim vernacula lingua nūcupatur in Mombaze insula, olerum optimorum & simplicium medicamentorū omnis generis feracissima, atq; eorum potissimū quæ venenis serpētium omnium, quibus regio hæc abundat, aduersantur. Huius herbæ experimentum se vidisse ait in duobus cōmorsis à serpente partim in aquis, partim in terra degente, quam illic *Alefah* vocāt: cuius morsus adeò lethalis est, vt nisi statim succus huius herbæ admoueatur, necesse sit hominem interire.

Cosmo.T. l.lib.4.c.7.

LIGNO

LIGNVM COLVBRINVM. CAP. CXL.

BINAE stirpes tradente Acosta in Malabar inueniuntur plurimùm dissimiles cùm forma, tum nascendi modo, vno tamen eodemq; nomine nuncupatę Lignum Colubrinum, quòd singulæ mirum, in modum vtiles sint aduersus colubrorum morsus. Prior nascitur Hederæ modo, colore Dracunculi maioris, siue Serpentariæ: folia illi sunt Bryoniæ ferè similia, integra tamen initio, neruoq; prædita per longitudinem excurrente, & quinque aut sex venis in latera vergentibus: successu temporis accedunt exigua foramina, quæ paulatim cum foliis incrementum sumunt donec tandem omnino folia scindant, eaq; vitis foliis similia reddant: conspiciuntur enim interdum in eadem stirpe folia integra, alia exiguis, nōnulla maioribus foraminibus prædita, omniaq; adeò inter se dissimilia, vt minimè eiusdem plantæ folia esse videantur. Tantam verò habet hoc lignum cum colubro similitudinem, vt qui non norit, aut de die viderit, si ad Lunæ splendorem noctu conspiciat, viuum colubrum esse existimet. Vulgò censetur præstantissimum remedium aduersus colubrorum & viperarum morsus: incolæ sanè, dum in agros tendunt, magna ex parte circumferre solēt hoc lignum (sunt enim in ea prouincia multę viperæ, variáque serpentū genera) aiúntque solo eius odore serpentes fugari: &, si dum colubros venantur, eos attingere hoc ligno queant, ilicò rumpi & extingui. Altera admodùm breuis est & tenuis,

LIGNVM Colubrinum I. Acostæ.




LIGNVM Colubrinum II. Acostæ.



triaq; solummodò folia habet mollia, lęuia, saturatiùs virentia: florem aut fructum non conspexi, nec quenquam inueni qui se vidisse assereret: radix oblonga & tenuis est, minimo digito minor, hinc inde nonnunquam extuberans, & summa tellure serpens: exterior eius cortex valde tenuis est & cinereus, nullo, dum gustatur, manifesto sapore præditus, deinde tamen gustum in ore relinquens suauem, & vti Moschus odoratum. Fissus est vndiq; hic cortex, & sponte sese expedit ab alio crassiore flauoq; cortice subtus nascente, qui odorem Loti siluestris siue Trifolij odo-

LIGNVM Colubrinum, Acosta.



rati vulgaris refert, & saporem Glycyrrhizæ dulciorem: præmansus autem odore admodùm suaui, nec iniucunda mordicatione, momentanea tamen præditus esse deprehenditur. Ipsa materies lignosa est, candida, dura & insipida: folia Napi saporem referunt: germen producit hæc radix supra terrã circiter quatuor vncias longum, in caput extuberans. Nomen huius plantæ apud Canarinos est *Duda Sali.* Trita radix cum aqua rosacea aut vulgari, vel cum vino (indifferenter enim vtuntur) præsens certumq; asserunt remediũ aduersus omnis generis serpentũ morsus. Plurimus etiã eius est vsus in febribus continuis, tertianisq;, syncope, ventriculi debilitate, & cordis tremore: daturq; aduersus omnis generis venena. Multi mihi sanctè affirmarunt dummodò manu hanc radicem tenerent, nullos serpentes, vel alia similia virulenta insecta formidare, & certissimum esse serpẽtes & viperas eius aspectum minimè ferre posse, sed fugere, celerriméque in aliam partem sese proripere, si quis ante serpentes eam proiiceret. Perutilis etiam censetur iis quibus anhelitus ab ore vitiato aut dentibus corruptis fœtet, modò eam continuò mandant, dentiumq; cauis gestent. Prouenit locis humidis, & inter arbores, præsertim verò secundum eas quæ *Angelins* nuncupãtur, nec procul à mari. Inuenitur & tertium Colubrini ligni genus in eadem prouincia, vastæ arboris magnitudine, de quo in alio libro agemus. Neutrum verò, inquit Clusius ad superiora Acostæ, horũ ligni Colubrini generum cum Garciæ ligno colubrino cõuenire facilè animaduertet, qui vtriusque descriptiones diligenter conferet. Secundi verò generis Garciæ descripti fragmentum quinque vnciarum longitudinis, quódque, vt coniicere licebat, duarum vnciarum crassitudinem æquarat, mihi nõ modò ostendit Londini anno 1581. C.V.D. Hector Nunez Medicus Lusitanus, sed etiam dimidia eius parte liberaliter donauit. Eius porrò materies firma est, candida, venis quibusdam distincta, nõ dissimilis Fraxini ligno, cortex autem qui eam integit candicans, & quasi cinereus. Vtraque verò, si quis degustet, amaro sapore prædita esse deprehenditur. Eius fragmenti iconem lectoris oculis subiecimus.

Vires.

DATVRA. *CAP. CXLI.*

Genera.

TRIA sunt huius plantæ genera, quorum quo frequentiùs vtuntur, primo loco describemus: eius enim adeò vulgaris est vsus, vt paucæ sint meretrices, quæ inter sua κειμήλια illud non recondant, ob eas quas posteà subnectemus causas.
I. Primùm Altheæ magnitudine caulem habet, nec admodùm illi dissimilem, in plures tamẽ ramos diuisum: folia cùm magnitudine tum forma Stramoniæ foliis simillima, verùm magis in circuitu serrata, vti ferè Xanthij folia: flores albos, Smilacis læuis (quam Hispani *Correguela mayor,* hoc est, Conuoluulum maiorem appellant) floribus omninò respondentes: fructum Stramoniæ, rotundum, nucem Iuglandem magnitudine æquantem, viridi colore præditum, & spinis mollibus, minimeq; pungentibus vndique septum, plenum semine Lenticulæ simili, eiusdemq; coloris, cordis humani effigie, gustus amari: radicem albam, Raphani odore, quæq; si diu naribus admoueatur, sternutamenta ciet, cuius cortex nonnihil amaricat, minùs tamen eo qui caulem & ramos ambit.

DATVRA, Acosta.



ambit. Nascitur vmbrosis locis, & secundum aquas. Nomen huic plantæ in Malabar est *Vnmata caya*, in Canara *Datiro*, apud Arabes *Marana*, apud Persas & Turcos *Datula*, apud Lusitanos *Datura* & *la Burladora*, hoc est, faceta. Literati pleriq;, atq; etiam maxima pars Medicorum istic degẽtium, legitimam Nucem Methel Arabum esse censent, frigidamq; excessu tertio, & siccam secundi fine constituunt. Mala inualuit cõsuetudo apud impudicas mulieres, vt huius seminis in puluerem triti dimidiam drachmã ex vino, aut alia quæ magis arridet materia præbeãt: miser qui eum hausit diu velut mente alienatus remanet, aut ridens, aut eiulans, aut dormiens, plerumq; etiam alteri colloquens & respondens, vt interdum etiam sana mente prædi tum esse credas, tametsi mentis non sit compos, neque eum agnoscat cum quo sermones cõfert, & colloquij habiti planè sit immemor, postquã ad se rediit. Sunt verò nõnullæ adeò exercitatæ in hoc medicamento exhibẽdo, idq; sic temperare norunt, vt ad certas, easq; quot velint horas, quibus id propinant, mentem adimant. Multa sanè eius rei exempla, quæ vel ego ipse vidi, vel ab aliis audiui, huc adducere possem, sed cùm ad rem nihil faciãt prætermittenda esse duxi: illud solùm addam, neminem qui simile sumpsisset, necatum vnquam comperisse, tametsi nonnullos conspexerim per aliquot dies perturbatos ferri, quod fortè acciderat ob immodicam quantitatem exhibitam: quæ si fuerit nimia, interimit, quoniam hoc semen perniciosa qualitate non caret, licet Gentiles ad prouocandas vrinas cum Pipere & foliis Betele id exhibere soleãt, & perutile esse dicant. Ego verò nunquam obseruaui, nec experiri volui, cùm alia medicamenta ad eam rem vtilia non desint. Porrò si ad eorum qui hoc semẽ hauserunt curam euocentur Hispani Medici, medicamẽta vomitum cientia exhibẽt, vt quidquid in ventriculo hæsit reiiciant, acres deinde clysteres iniiciunt ad euacuandum, fortesq; ligaturas adhibent ad diuertẽdum, tum etiam cucurbitulas adponunt & venam secant. Gentiles verò Medici & Christiani indigenæ cùm à cucurbitulis & venæ sectione abhorreant, nihil aliud quàm vomitum prouocant, fortesq; ligaturas & fricationes adhibent, quæ si non sufficiant, balnea ex aqua calida præscribunt ad eliciendum sudorem: porrò à vomitu vinum propinant, cui Piper & Cinamomum admiscent. In cibis verò audaciores sunt Hispanis: namque euacuata materia gallinas edendas prębent, & vinum dulce, aut passum exhibent. Radicis Daturę drachma ex vino pota somnum profundum inducit, in quo varia insomnia, & miræ rerum facies obuersantur. Semine verò per noctem in aceto macerato, deinde exactè trito, vtiliter illinuntur herpetes miliares & erysipelata serpentia: nam breui sanantur. Quantùm ex superiore Daturæ primæ descriptione colligere licet, eandem esse cum Turcorum, qui Constantinopoli viuunt, *Tatula*, cuius vsus illis perquàm familiaris est, existimat Clusius. Reliqua duo genera facie & fructu superiori ferè respondent, sed flores colore variant: etenim secundi flores, licet forma priori sint similes, colore tamen flauo sunt, & secundùm pediculum nonnihil rubent: tertij flores Hyoscyami floribus magis accedunt. Cæterùm neutro ex postremis duobus vtuntur, nisi ad necem inferendã. Nihilominus

Locus. *Nomina* *Temper. & Vires.* *Tatula.*

tamen Brachmenes Medici ex ſecundi ſemine (quod floribus eſt flauis) catapotia faciunt, granorum Piperis magnitudine, magnæ ſanè efficaciæ ad ſiſtenda alui profluuia, quibus adiuncta ſit febris ardens, atque etiam in dyſenteriis. Fiunt verò hunc in modum catapotia. ℞. ſeminis ſecundi generis drachmam vnam, Piperis nigri & longi, Sandali albi, Atincar, radicum *Biſa* (adfertur ea ex Bengala & Patanne montibus) foliorum Bangue, ſingulorum dimidiam drachmam: omnia iſta diligenter cum aqua terunt in marmore, quo pictores ſuos colores terere ſolent, deinde catapotia efformant, è quibus exhibent quantùm commodum videtur. Mea eſt cum aliis pleriſque opinio, vt nucem Methellam Stramoniæ fructum eſſe credam, qui per omnia ſimilis eſt fructui Daturæ: atque ſi nonnihil ab eo differt, id locorum varietati adſcribendum cenſeo.

BANGVE. *CAP. CXLII.*

BANGVE ſimile ferè eſt Cannabi, cuius Dioſcorid. lib. 3. meminit. Caulem habet quinque palmorum longitudine, quadrangulum, colore dilutiùs virente, fractu contumacem, nec adeò concauum, vt cannabinus caulis, cuius cortex non minùs quàm illius in fila diduci poteſt: folia cannabina ſupernè virentia, infernè incana lanugine pubeſcẽtia, guſtu terreſtri & inſipido: ſemen cannabino minus, neque adeò candidum. Indi ſemine & foliis veſcuntur, cùm vt validiores in re venerea fiant, tum ad excitandam cibi appetentiam. Fit ex hoc Bangue compoſitio vulgaris admodùm vſus in iis regionibus, ad varios effectus: etenim magnates & militiæ præfecti, vt laborum obliti ſecuriùs & liberiùs dormiant, ſeminis & foliorum in puluerem redactorum quantùm videtur ſumunt, illíque addunt Arecam ſiue auellanam Indicam viridem, opij nonnihil pro arbitrio: omnia ſaccharo excepta deuorant: ſi verò in ſomno varias rerum ſpecies ſibi obuerſari cupiunt, addunt prætereà ſelectiſſimam camphoram, caryophyllos, nucem moſchatam & macis: ſi verò hilares eſſe volunt & faceti, & præſertim in venerem procliuiores, ambaro & moſcho additis ſaccharo excipiunt, & electarium faciunt. Multi mihi affirmarunt huius ſemen & folia ad libidinem ciendam miræ eſſe efficaciæ: vnde colligere licet, nihil affinitatis habere cum Cannabi, licet illi admodùm ſimilis ſit, quandoquidem auctore Dioſcoride loco ſuprà dicto Cannabis calida & ſicca eſt, & genituram extinguit. Dicitur Arabibus *Axis*, Perſis, Decan & plurimarum aliarum regionum incolis *Bangue*, Turcis *Aſarath*. Sed & hoc Bangue, vt ſcribit Cluſius, plurimam affinitatem habere videtur cum Turcorum Conſtantinopoli degentium *Maſlac*, quo ad varios effectus vtuntur: nonnulli etiam veſcuntur excitandæ veneris gratia.

BANGVE.



Nomina

HERBA

HERBA VIVA. CAP. CXLIII.

NONNVLLIS Asiæ locis planta quædam inuenitur, vulgò *Herba viua* nuncupata, à circumforaneis illis *Iogues* appellatis *Herba amoris*, ab Arabibus & Turcis *Suluc*, & à Persis *Suluque*. Exiguam habet radicem, è qua supra terram exiliunt octo ramuli duos digitos longi, foliis vtrinq; in ordinem digestis & inter se respondentibus onustis, quæ plurimùm ad Erui tenella folia accedunt, nec dissimilia sunt foliis prioris Polypodij, cuius iconem Lacuna exhibet lib. 4. cap. 187. sed longè tenuiora, & vtrinque læuia, & grato virore oculos pascentia, vti Tamarindorum folia: è medio radicis capite exiliunt pedunculi (nam caule caret) quatuor, singuli suum florē sustinentes flauum, aspectu pulcherrimum, minoribus Caryophylleis similem, sed sine odore. Nascitur calidis & humidis locis. Adeò mira est huius plantulæ natura, vt eam humana ratio assequi nequeat. Nam cùm maximè viret, gratissimáque est aspectu, si quis illā apprehendere cupiat, illicò folia contrahit, atque sub tenues ramulos recondit: si verò apprehendat, subitò adeò marcida conspicitur, vt exsiccari putet: sed quod maiore admiratione dignū est, si manum retrahat, illicò nitorem recuperat, & toties marcescit aut reuirescit quoties comprehenditur, aut manus ab ea retrahitur. Mihi autem relatum est Philosophum quendam in Malabar, dum nimis curiosè huius plantæ naturam obseruare cupit, amentem esse redditum. Plantam ego conspexi, eámque cum suo cespite, ipsam minimè contingens, erui, & in hortum quendam transtuli, vbi permansit, at fatuum minimè vidi. Interrogati à me nonnulli indigenæ Medici, an aliquas huius plantæ facultates perspectas haberent, illámque in vsum medicum adhiberent, affirmarunt vtilem esse ad virgines corruptas in integrum (si credere fas est) restituendas & ad reconciliandum amorem miræ esse efficaciæ. Gentilis Medicus, & pro ea regione satis doctus, cùm adeò cupidum cognoscendi huius herbæ facultates conspiceret, ait, vnam se edocturum adeò compertam & certam, vt ceruicem pro pignore deponeret, nisi eam sic se habere comperirem. Nempe vt illi cuiuspiam mulieris, qualiscunque etiam status, nomē modò indicarem, se effecturum vt illa in omnibus mihi obsequeretur, dummodò ex ipsius præscripto herba vterer. Sed conditionem respui quādoquidem res adeò illicita esset. Nihil igitur aliud post diligentem inquisitionem de hac planta intelligere potui, quàm apud Gentiles, præsertim verò Brachmenes Canarinos & Iogues in magna æstimatione esse. Quodam die mihi accidit plantas conquirenti non procul à flumine Mangate, vt Gentilem quendam humi sedentem, & verba quædam obmurmurantem, tanquam oraret, fortè conspicerem, quem cùm compellassem, nihil respondit, sed meo interpreti, quem comitem duxeram, manu duntaxat innuit: is hominem intelligens, celeriter sese inde proripuit, méque secedere iussit, inquiens Gentilem illum incantatorem esse cuiusdam illius regionis Capitanei quem *Caymal* appellant, & istic sortes iacere supra Herbam viuam, id

Nomina.

Forma.

HERBA VIVA, Acostæ.



Locus.

fieri solere repurgato priùs circa ipsam plantã solo ad hominis longitudinẽ, recitariq; quædã concepta verba, & expectari primã auẽ aut rem animatam quæ istã plantã prætergrederetur dum verba obmurmuraret, cuius sanguine (si cõprehendi posset) perluenda esset, sin minùs alterius eiusdem speciei, idq; cum multis ceremoniis, quas prætermitto, cùm indignæ sint vt scriptis mandentur. Conspexi deinde istam plantam siccam inter supellectilem mulieris prostitutæ pudicitiæ.

HERBA MIMOSA. CAP. CXLIIII.



Locus. ALia planta inuenitur in quibusdam hortis, quinque palmorum longitudinis, & vicinis arbustis aut parietibus incumbens, tenui *Forma.* caule, eleganti virore prædito nec admodùm rotundo, per interualla exiguis & pungentibus spinis obsito, foliis superioribus haud absimilibus, Filicis fœminæ foliis minoribus. Gaudet humidis & petrosis: & *Herba mimo-* *Nomen.* *sa* nuncupatur, quoniam manu admota senescit & marcescit, manu verò remota pristinum virorẽ recipit, sed non adeò celeriter vti prior. Naturam habet plurimùm ab Arbore tristi differentem: nam singulis noctibus Sole occidente senescit & siccatur quodammodò, sic vt contabuisse videatur: oriente verò Sole vigorem denuò recipit, quantóque Sol magis feruet, eò magis viret, totóque die folia ad Solem conuertit. Odore & sapore est Glycyrrhizæ: vulgoq; ab indigenis folia manduntur aduersus tussim, ad pectus repurgandũ, & vocem clariorẽ: renum etiam doloribus vtilis esse censetur, & recentia vulnera glutinat. Multis notis (annotat Clusius) hæc planta cõuenit cum Fœnogræco siluestri Tragi, siue Polygalo Cordi & Glycyrrhiza siluestri Gesneri, cuius folia & radices degustata Glycyrrhizã sapiunt: nam eius folia noctu interdũ contrahuntur (quod in multis leguminaceis plãtis vsu venit) at spinis caret caulis, nisi pro spinis sumere libeat tenues illas & mucronatas appendices sedi foliorum alatorum inhærentes.

HERBA MALVCANA. CAP. CXLV.

DVORVM aut trium cubitorum longitudinem adquirit hæc planta, nonnunquam etiam locis vberioribus & humidis, quinque cubitos superans, eleganti virore prædita, caule tenui, tenero, nonnihil cauo, imbecillo, & nisi vti Iasminum pergulis sustineatur, humi sese *Forma.* diffundente, quemadmodùm Hedera, & multos ramos spargente, qui subinde radices agunt vt Mentha & Melissophyllon, adeóque serpunt, vt planta sola vel ramus transpositus breui temporis spatio magnum locum occupet: folia habet tenella & mollia, in ambitu serrata, magnitudine & forma Sambuci foliis respon- *Nomina* dentia: florem croceum Chamæmeli flori admodùm similem, paulò tamen maiorem. Toto anno viret & luxuriat. Vulgò nuncupatur Remedium pauperum, & Destructio Chirurgorum, Canarini *Brungara aradua* appellãt, id est, quæ flore est croceo. Frequenter vtuntur cùm in Maluco (vnde primam originem traxisse creditur, quod istic abundè nascatur, & plurima admisceatur chirurgicis remediis) tum in omnibus Indiæ prouinciis, in quibus diligenter colitur, & in pretio habetur, nec iniuria. Coquuntur huius plantæ folia in oleo, & cum cera inspissan-

tur vnguenti modo. Mirificè curat id vnguentum omnis generis vlcera cùm recentia tum antiqua, etiam si sanguinolenta, sordida, cuniculosa, maligna & putrida sint: miræ esse efficaciæ deprehendi in tibiarum vulneribus inueteratis, & recentibus vulneribus. Alia est præterea huius stirpis vtendæ ratio. Eius enim caulem & ramos superiore cortice denudant, & sumunt membranam illã tenuem quæ media est inter exteriorem corticem & caulem, quæq; facilè, vti in Cannabi, reuellitur: eam oleo nucis Indicæ madentem, ipsius plantæ foliis inuoluunt, & sub

MALVCANA, Acostæ.



cineribus calidis recondunt: vbi incaluerit & emollita fuerit, conterunt, & recentibus cruentísque vulneribus imponunt seu grandia sint, seu minora: & paucis diebus non sine admiratione conglutinant absque vlla inflammatione aut apostemate: lenit enim dolorẽ, sanguinísq; fluxũ cohibet, breuiter, nullo alio medicamento adhibito omnino ad cicatricem perducit: singulare etiam perhibent esse remedium aduersus neruorum punctiones, & vulnera. Eodẽ prætereà modo adhibetur in apostemate aperto ad emundandum, carnem generandum, & ad cicatricem perducendum: item in inueteratis vlceribus & cuniculosis, in quibus ea solummodò trita interdum apponitur. Porrò quoniam ista remedia huius plãtæ certissima sunt, vulgariter iis vtuntur in vniuersis illis prouinciis, & magna habent in æstimatione: multi prętereà alij qui inde nauigãt vnguentũ ex hac herba cum oleo & cera cõfectũ, secũ efferre solent, tantã fiduciã in eo collocantes, quasi omnia chirurgica remedia, apud se haberent: itaq; quacunq; occasione in qua chirurgorum opera requiri posset, subitò ad vnguentum ex herba Malucana confectũ confugiunt, tanquam indubitatum remedium.


SARGAÇO. CAP. CXLVI.

IN CELEBRI illa nec minùs metuenda nauigatione *del Sargaço* (sic enim totum illud Oceani spatium à decimo octauo gradu ad trigesimum quartum ab æquinoctiali ad Septentrionem tendens, qui in Indias nauigant, appellant) cõspicitur profundũ & spatiosum æquor tectum herba quadam *Sarguaço* nuncupata, palmum longa, tenuibus ramulis in glomos conuoluta, foliis angustis, tenuibus, & dimidiam vnciam longis, in ambitu admodùm serratis, colore subrufo, gustu insipido, siue insensibili mordicatione prædito, qui potiùs ex aquæ salsugine contractus, quàm ipsi plantæ innatus videatur. Ad singulorum foliorum exortus inhæret semen rotundum vti granum Piperis vani & vacui, tenui corallio albo, interdum autem corallio rubro & albo omnino elaboratum, tenerum admodùm dum primùm ex aqua educitur, & durum si exsiccari sinatur, sed propter tenuitatem admodùm fragile, salsa aqua plenum. Nulla radix in hac planta conspicitur, sed sola rupturæ vestigia apparent, atque in profundo arenosoq; maris alueo nasci, tenuésque radices obtinere credibile est, tametsi nonnulli opinentur rapido aquarum, quæ ex multis insulis in Oceanum influũt, cursu istam herbam euelli & simul trahi. Cùm eam opinionem pertinaciter tueretur nauclerus illius nauis qua vehebat, subortáque esset inter nauigandum hoc mare malacia, quantùm acies oculorum extẽdi potuit, id vndiq;

Locus.

Forma.

SARGAÇO, *Acostæ.*



ista planta contectum vidimus, demissisq́; nonnullis iunioribus nautis qui eam herbam à naui propellerent, aquámque repurgarent, apertè conspeximus eius herbæ glomos simul implexos ex alto mari emergentes, vbi demissa bolide nullus fundus tentari potuit. Hæc planta aceto & sale condîta eiusdem saporis est cum Crithmo, siue Fœniculo marino, & in eius penuria sumi posset, tum etiam Capparum loco à nauigantibus edi. Iussi illam recenter è mari sumptam capris quas in naui vehebamus obiici, & auidè sanè vescebantur. Nullas eius facultates comperi, sed quidam è nostris nautis vrinæ difficultate laborans, & arenulas crassósque humores eiiciens, crudam eam & coctam fortè edit, quoniam illi bene saperet paucos post dies affirmauit mihi, magnum ex illius esu se sentire commodum, secúmque detulit, vt peracta nauigatione in continenti vteretur. Considerandum Clusius admonet, an non sit Lenticula marina serratis foliis Lobellij, cuius iconem inter marinas stirpes ad Obseruationum calcem exhibet.

Vires.

GRANADILLA. CAP. CXLVII.

Nomen.

Allatvs mihi ex continenti herbæ fructus est (ait idem) quæ in Peruanis montibus, vbi sponte nascitur, *Granadilla* appellatur, quod nomen illi imposuerunt Hispani ob similitudinem quam cum nostris Malis granatis habet, nam eiusdem ferè est amplitudinis, atque etiam coloris, quando maturus est, nisi quòd corona careat: nunc in siccato, si agitetur, sonitum edit semen intus occlusum, quod Pyri semini simile est, aliquantò maius, tuberculis quibusdam eleganter elaboratum, & aspectu iucundum: pulpa candida est & saporis expers. Planta hunc fructum ferens Hederæ similis est, eodemque modo repit & scandit quocunque loco ponatur. Elegans est cùm fructu onusta cõspicitur, propter eius amplitudinem: florem habet albæ Rosæ persimilem, in cuius foliis aliquæ veluti pasionis Christi figuræ delineatæ conspiciuntur, quas magna diligentia istic pictas existimes: eam ob causam elegantissimus est flos. Fructus ipse sunt Granatula iam dicta, quæ matura acidulo liquore abundant, & semine plena sunt: aperiuntur vt oua, & liquor ille cum magna voluptate sorbetur cùm ab Indis, tum ab Hispanis: nec etiam si multos sorbeas vllam ventriculi grauedinem sentis, sed potiùs aluum emolliri. Herba rara est, quæ duntaxat vno in loco inuenitur. Fructus temperatus esse videtur, & aliquantulùm humidus.

Forma plantæ.

FLOS SANGVINEVS. CAP. CXLVIII.

Semen ex Peru delatum terræ commisisse, vt eius elegantiam potiùs conspiceret, quàm quòd vlla medica facultate præditus esset, scribit Monardes. Ipsa planta duos circiter palmos assurgit, ramis rectis, quos ambiunt rotunda & tenuia folia admodùm virentia: flores in summis ramis nascũtur aureo admodũ colore fulgentes, quinque foliis cõstantes,

in quo

in quorum singulis sanguinea & maximè rutilans macula impressa est, oblongo cucullo extremos flores occupante & longè prominente. Elegans est flos, ad pensiles hortos exornandos aptissimus: nam & semine & surculis facilimè nascitur. Gustatus eodem sapore & odore quo Nasturtium esse deprehenditur: insigniter calidus est.

PAYCO. CAP. CXLIX.

SED & herba quædã ipsi ex Peru missa est, istic *Payco* nũcupata, cuius folia Plantaginis foliis cùm forma, tum colore sunt simillima, quæ siccata, admodùm tenuia sunt, & gustata valde acria calidáque deprehenduntur. Eius puluis ex vino sumptus, nephreticum dolorem è flatibus, aut frigida causa prouenientem tollit: ipsa verò planta cocta, & emplastri in modum dolenti loco imposita, eundem effectum præbet: quod certissimum esse ipsa experientia didicisse testatur. *Vires.*

HERBA AD RENVM MORBOS VTILIS. CAP. CL.

ALIA item, inquit, missa est, admodùm vtilis ad renum affectus è calida causa natos, illito parti dolenti eius succo cum rosaceo vnguento mixto, & foliis ipsius plantæ superimpositis: in erysipelate & inflammationibus succus impositus valde confert: nam inflammationem tollit, & dolorem mitigat. Sunt verò ea folia quasi Lactucæ primùm enatæ & tenerioris, similiq; virore præditæ, quæ gustata insipida deprehenduntur, sic vt herba perfrigida videatur.

LACTVCA SILVESTRIS PVMILA. CAP. CLI.

ALIAM præterea herbam attulerunt, Lactucam siluestrem vocatam: cuius folia Lactucæ foliis sunt similia, ex atro virentia. Vires idem subiungit. Dentium enim, ait, dolorem tollit foliorum decoctum, & diutiùs in ore, qua parte dentes dolent, retentum. Idem præstat foliorum succus dentium cauis instillatus, herba trita superimposita. Sapore admodùm amaro est: calidiorem existimo, quàm in primo gradu.

HERBA AD RVPTVRAS VTILIS. CAP. CLII.

PAVLVLVM cuiusdam plantæ sibi idem missum fuisse narrat, cuius formam, quòd ob siccitatem omnino confracta & comminuta esset, obseruare non potuit. Hanc, inquit, scribunt miram habere facultatem in rupturis cùm puerorum tum adultorum, & rem ita se habere asserunt. Ea vtitur Indus quidam recenti contusa & rupturæ imposita, adhibito deinde miro quodam ligaturæ genere: quoniam etiam sine braccis non minùs firmiter ligati incedunt, quàm si braccati essent, vt mihi retulit quidam qui simili morbo liberatus erat eius plantæ & ligaturæ vsu. Talem ligaturam (si adeò firma sit vt ille referebat) solam sufficere posse existimo, nulla herba aliáve re imposita: quoniam hîc quendam Cordubensem conspexi, qui omnes herniosos sola ligatura curabat, nullis adhibitis braccis: quod verissimum est, & hîc adhuc viuunt qui ab eo curati fuêre.

VERBENA PERVANA. CAP. CLIII.

Locus. SCripsit mihi (verba sunt Monardis) nobilis ille vir ex Peru, secundum flumina è montibus eorum regnorum delabentia plurimam *Forma.* Verbenam crescere, illi quæ in Hispania nascitur similem, perpetuò virentem, qua Indi in multis morbis curandis vtuntur præsertim ad-*Vires.* uersus omnis generis venena, & in his qui in cibis toxicum aut simile aliquid hauserunt. Nobilis quædam matrona ex Peru rediens mihi asseruit se multis annis ægram fuisse, cúmque plurimorum medicorum opera vsa fuisset, Indum tandem quendam accessisse, qui in plantarum scientia celebris habebatur, quíque inter Indos Medicum agebat, Verbenæ succum depuratum illi propinasse, à cuius vsu post paucos dies lumbricum eiecisset (colubrum ipsa nuncupabat) hirsutum, pede longiorem, crassum, cauda bifida, deinde omnino conualuisset. Ipsam porrò nobili cuidam viro in Peru, qui continuè ægrotabat, singulis diebus manè eundem succum saccharo permistum sumere persuasisse, (ita enim ipsa hauserat ob amarorem) illum deinde plurimos lumbricos reiecisse longos, tenues, atque inter cæteros vnum albi cinguli instar longissimum, & tum demum integram valetudinem recepisse. Id posteà consilium plurimis aliis qui malè affecti erant, & lumbricos habere suspicio erat, dedit, qui omnes sumpto Verbenæ succo, multas ventris tineas eiecerunt, & sanati sunt. Illud remedium adeò certum affirmabat, vt vnum è suis famulis ostenderet, qui ob morbi grauitatem philtrum, aut medicata pocula hausisse diceretur, quiq; epoto Verbenæ succo, vomitu multa variis coloribus distincta ex ventriculo reiecisset, quæ medicata pharmaca esse asserebant, deinde conualuisse. Quod verò ad incantationes & medicata pocula attinet, quod ego vidi hîc subiiciam. Ioannis de Quintana Dueñas primarij ciuis famulus vomitu reiecit me præsente magnum tenuium & spadiceorum capillorum glomum, adseruabátque in papyro inuolutos plures alios quos binis horis antè euomuerat: quibus reiectis nulla ampliùs molestia torquebatur, præter eam quam vehementer vomitus induxerat. Ioannes Langius Medicus Germanus vir doctissimus refert mulierem se vidisse plurimùm de ventriculi dolore conquerentem, reiectis multis vitri & murrhinorum vasorum fragmentis atque piscium spinis, sanitatem esse adsequutam. Aliud simile exemplum refert Beniuenius, libro de Morbis mirandis. Sed quod maiorem mihi admirationem parit, est: Agricolā, grauissimis ventris doloribus afflictum, cùm nullis medicamentis mitigari dolor posset, sibi cultro guttur præcidisse: eius deinde cadauer cùm secuissent & aperuissent, inuentam in ventre fuisse magnam similium capillorum, quales superiorem vomitu reiecisse dixi, quantitatem, & ferrea fragmenta. Has ego res dæmonis præstigiis tribuo: nam ad naturalium classem referri minimè possunt. Clusius tamen non dissimilia superioribus, nec minùs mira, duo exempla affert, ne quis tantum illa Monardi credat. Accepisse verò primùm se ait à Francisco Zinnig Serenis. Principis Matthiæ Archiducis Austriæ, &c. pharmacopœo cùm in sua arte peritissimo, tum diligentissimo: alterius ipse est testis. Lucas Farel, inquit, eiusdem Principis coquus, qui primùm apud D. Mariam Hungariæ reginam, deinde apud Margaretam Parmensem ducem in simili ministerio fuerat, singulis interdum annis, nonnunquam semestribus, vel trimestribus interuallis, per annum eiicit tenuem quandam lentámque materiam, angusti cinguli instar oblongam, candidam & crispam, non eam quidē continuam & integram, sed quam per fragmenta sex, duodecim, atque etiam quindecim vlnas longa eximere cogitur. Solet verò ante symptomata plerumque grauem in pectore sub dextra mamilla dolorem perpeti, quem vt leuet, aggregatiuis catapotiis corpus purgat, eámque, quam dixi, materiam

materiam excernit, tum demum morbo liberatur. Is verò, quoniam plerumque tanta capitis grauedine afficitur, vt domo egredi, aut quoquam prodire nequeat, ex quorundam consilio Verbenæ radicem collo appensam gestat. Et mox de capillorum eiectis glomis. Simile, inquit, exemplum ante multos annos accidere memini Iureconsulto N. Vlierden celebri apud Antuerpianos causarum patrono, qui certis anni temporibus materiam in multos veluti muliebrium capillorum glomos congestam per aluum excernere solebat, qua reiecta meliùs habebat: nam alioqui macilentus pallénsque semper cùm esset, aduersa valetudine ante ista symptomata plerumque corripiebatur.

HERBA MORTEM AVT VITAM IN MORBIS PRAENVNTIANS. CAP. CLIIII.

ANNO 1562. Comite de Nieua in Peru commorante, in eius familia mulier quædam illi inseruiens maritum habuit graui morbo decumbentem, cuius causa cùm ipsam admodùm tristem Indus quidam primarius conspiceret, interrogauit an scire cuperet, vtrum ex eo morbo periturus esset, an superstes futurus maritus, herbæ ramum se illi missurum, quem in mariti sinistra manu poneret, eámque deinde diutius comprimeret: nam si superstes futurus esset, quamdiu eam herbam manu teneret, alacrem & lætum, sin moriturus, mœstum & anxium fore. Missum ab Indo ramum marito in manum dat, comprimeréque iubet: sed illicò tanta mœstitia & anxietas ipsum oppresit, vt illa, metuens ne subitò extingueretur, ramum ex manu tolleret & abiiceret: is deinde paucos post dies extinctus est. Cupienti mihi, inquit Monardes, an ista vera essent perscrutari, nobilis quidam, qui multis annis in Peru vixerat, certum esse affirmabat, & vsitatum esse apud Indos in ægritudinibus id facere, quod sanè magnam mihi admirationem attulit.

COCA. CAP. CLV.

SCRIBIT idem, cùm tam multis annis celebrem illam apud Indos plantam, quam *Coca* nuncupant, & tanta cura & diligentia serunt, atque colunt, quoniam omnes eam in quotidianos suos vsus & oblectationes conuertunt, videre cuperet, ad se perlatam esse. Est verò *Forma.* ea, vt tradit vlnæ magnitudine, foliis Myrti paulò maioribus (quæ veluti aliud folium simili forma in meditullio delineatum habent) mollibus, dilutiùs virentibus: fructu racematim cohærente, vti Myrti fructus rubente quando maturescit, eiusdémque magnitudinis, quando verò plenam maturitatem adeptus est, nigricante: tum verò herbæ est messis, quæ collecta in canistris, aliísque rebus, ad exsiccandum reponitur vt meliùs conseruari & in alias partes transferri queat: nam è montibus in alios montes defertur mercimonij gratia, próque aliis mercibus commutatur, vestibus, gregibus, sale, & aliis rebus, quia illis pro pecunia est. Reconditur semen in Mastiche, atque inde exemptum alibi seritur in terra bene culta, per suos ordines & series, vti apud nos Fabæ, aut Pisa. Vulgaris est eius vsus *Vsus.* inter Indos ad multas res, tum ad eas quæ ad iter necessariæ sunt, tum quæ ad voluptatem in suis ædibus seruiunt, hoc modo. Conchylia, aut ostreorum conchas vrunt, & calcis modo comminuunt: folia deinde Cocæ dentibus atterunt, & subinde puluerem illum Conchyliorum vstorum admiscent, & simul quasi fermentant, vt tamen minor sit calcis quàm foliorum quantitas: ex hac massa trochiscos,

ſeu orbiculos conficiunt, & ſiccandos exponunt. Quando iis vti volunt, vnum orbiculum in ore ſumunt, eúmque exugunt, ſubinde in ore nunc hac, nunc illac verſantes, & quamdiu poſſunt retinentes, vno abſumpto alium ſumunt, deinde tertium, ſic pergentes toto tempore quo iis in longis itineribus conficiendis opus habent, præſertim ſi per loca fiant, vbi nulla, aut cibi, aut aquæ copia eſt, quoniam horum orbiculorum ſorbitione, famē, ſitímque ſibi leuari, & vires ſuſtentari aſſerunt. Si duntaxat voluptatis gratia vti volunt, ſolam Cocam mandunt, eámque in ore verſant, donec omnis facultas abſumpta ſit, deinde aliam ſumunt. At ſi inebriari, aut aliquantulùm extra ſe rapi, & veluti mente alienari, Cocæ Tabaci folia admiſcent, atque ſimul mandunt & ſorbent: ea ratione extra ſe feruntur veluti homines ebrij, magnam voluptatem inde capientes. Et profectò res admiratione nō caret, inquit, conſpicere quàm iſti Indi oblectentur mente & ſenſu quaſi priuari, quandoquidem eius rei gratia Cocam cum Tabaco ſumant, aut ſolum Tabacum, vt in ſecundo huius Hiſtoriæ libro de Tabaco diximus. Hæc Monardes. Sed & Benzo lib.3.cap.20. Cocæ in hanc ſententiā meminit, Peregrè profecturi (de Peruanis loquitur) rubro quodam bitumine faciem oblinunt, herbámque ore clauſam (*Cocam* ipſi appellant) velut panchreſtum quoddam pharmacum circunferunt. Quippe eius præſidio freti, integrum diem, nullius nec cibi, nec potus egentes iter faciunt. Atque hoc quidem herbæ genus, earum rerum, quibus mercaturam exercent, præcipuum eſt.

TVBVLI AD ASTHMA VTILES.

CAP. CLVI.

QVAE DE Tubulis quoque ad aſthma vtilibus, qui ex Hiſpaniola adferuntur, narrat eodem lib.ſimpl.medic.3.Monardes, nullius meliùs quàm ipſius verbis, vt ea Cluſius interpretatus eſt, intelligere potes. Aduehuntur è noua, inquit, Hiſpania Tubuli quidam Cannarum, interiore & exteriore parte quodam gummi illiti, quod meo iudicio Tabaci ſucco infectum eſt, & caput tentat: eo, ni fallor, cannam inungunt, vtq; tenax eſt, firmiter inhæret, coloríſque nigri eſt, induratum autem non eſt tenax: incenditur Tubulus ea parte qua bitumen eſt, altera verò in ore ſumitur, fumúſque excipitur, qui omnem pituitatem & purulentos humores è pectore educit: eo verò vtuntur cùm aſthmate ſe premi & veluti ſuffocari ſentiunt. Primatem quendam, qui ſæpius aſthmate laborabat, eius vſu plurimùm vtilitatis conſequutum obſeruaui: ſimile commodum ante ex Tabaci fumo percipere ſolebat: propterea aio Tabaci ſuccum admixtum eſſe oportere: tutum autem vtriuſque eſſe vſum ipſa experientia in multis docet. Nōnullos ægros & aſthmate vexatos ex India redeūtes obſeruaui Tabaci folia viridia mandentes, & ſuccum inde promanantem ſorbentes ad purulentas materias expellendas, qui licet inebriarentur, plurimam tamen vtilitatem ſenſiſſe apparebat cùm ad pus, tum ad pituitam pectori inhærentem propellendam. Mirum eſt quàm inſignes & variæ Tabaci facultates ſingulis adhuc diebus deteguntur: nam præter eas, quas ſecundo libro deſcripſi, tantumdem adhuc proferre poſſem, quas poſteà & referentibus aliis intellexi, & ipſe obſeruaui.

APPENDIX

HISTORIÆ GENERALIS PLANTARVM: CONTINENS IMAGINES QVARVMDAM RARIORVM,

& paucis cognitarum, quæ è longinquis regionibus missæ fuerunt.

G. R. LECTORI.

QVVM iam hæc Plantarum generalis historia excusa propemodum tota esset, hinc inde aliæ quædam raræ & paucissimis notæ, vel earum imagines, missæ ad me fuerunt: quas nullo modo antè, quamuis nulli nec labori nec sumptui parcens, nancisci potueram. Huius etiam boni quum te participem facere in hac ipsa editione, potius quàm alij reseruare vellem (etiamsi hoc plerique mihi suaderent, vt isti mora longior non afferretur) eas quoque plantas, quàm fidelissimè & exactissimè fieri potuit expressas, in hanc Appendicem redegi: quum in sua quæque classe locum vnà cum cæteris habere non possent, vtpote iam excusis. Quamobrem non est quòd dubites quin omnium plantarũ, siue stirpium (id est, herbarum, arborum, & aliorum quæ illis nominibus comprehenduntur) veras iconas liber hic tibi sit exhibiturus: non solùm quarum ab vllo scriptore facta mentio fuit, sed & quarum insuper notitia ad plurimos qui diuersas regiones incolunt, peruenire potuit: quũ antea incognitæ fuissent. Siquæ tamen præter has omnes in manus meas venerint, ne iis quidem te priuabo, simúlque sumptu te non grauabo. Neque enim eas in alia totius operis editione, sed seorsum in secunda Appendice tibi dare decreui.

DE CANELLA.

CANELLÆ arbor mali aureæ amplitudine est, nonnunquam maior, interdum minor, ramosa admodum, cuius teneriores rami recti sunt: folium Laurino simile, latius tamen, colore dilutiore, & minus siccum, tribus neruis insignitum: flos candidus, odoris propemodum expers: fructus siluestris oleæ baccis par, virescens initio, deinde ruffescens, & vbi plenam maturitatem consequutus est, niger atque splendescens (quo tempore colligi debet) ossiculum intus continens siluestribus oliuis simile, similíque carne præditus, ex qua exstillat oleaginosus quidam liquor subuirescẽs, odore baccarum Lauri, sapore acri cum pauxillo amarore coniuncto. Præditus verò est hic fructus sessili parte paruo calyce, læuiore minúsque crispo quàm sint ilicis calyces.

Forma.

Tempus.

CANELLA A Costæ.



Harum arborum magna est frequentia in siluis prouinciæ Malabar: sed præstantia & odore longè sunt inferiores iis quæ in Zeylan insula nascuntur. Stillatitius Canellæ liquor vitreis aut plumbeis organis extractus is præfertur, qui è viridi cortice, præsertim radicum, minutim inciso eductus est: etenim non modò corroborat & stomachi imbecillitatem, colíve dolores ex frigida causa prouenientes lenit: sed vrinam cit, & oris anhelitum commendat: vtilis est præterea iecoris, splenis, cerebri & neruorum ægritudinibus, atque in syncope cardiacísque affectibus confert: venenis resistit & virulentorum animalium morsibus, menses mouet, & vteri affectibus prodest, vomitiones cohibet, & appetentiam excitat: valet item ad spasmos, & comitiales morbos: atque vt summatim dicam, aperit, incidit, digerit, calefacit & corroborat. Elicitur etiam liquor ex Canellæ floribus, sed longè minore quantitate, minúsque præstans superiore.

Locus. Vires.

DE MACERE.

NAscitvr quibusdam Orientalibus insulis, præsertim verò in prouincia Malabar, in insula S. Crucis regni Cochin, tum in ripis fluminis Mangate & apud Cranganor vasta quædam, & multis ramis prædita arbor Vlmo multò maior, cuius folia in longitudinem sex aut septem vncias longa sunt, duas lata, exteriore parte dilutius virentia, interiore satura. Ea non alium florem, non alium fructum habere creditur præter semen quoddam denarij magnitudine, tenue, cordis effigie, colore flauo, sapore verò amygdalæ, aut nuclei persicorum malorum, tenui & candida tunica tectum, quod vesica quadam ex tenuissimis duabus simul iunctis & transparentibus membranis constante includitur: ea autem vesica in medio folio nascitur aliis magnitudine non dissimili, sed cuspide obtusiore, & circa pediculum angustiore, colore medio inter rubrũ & fuluũ, inæquali, & multis fibris à pediculo ad extremitatem recta linea ductis, crispo & rugoso, haud absimilis illi quæ in Vlmo nascitur, paulò tamen latior & planior. Succo lacteo prædita est hæc arbor vti Morus, radicésq; habet Ilici persimiles, magnas, crassas, in latum & profundum diffusas & cortice tectas crasso, aspero, scabro, duróque, cinereo foris colore, interius albo & lacteo succo prægnante dum recens est, flauescente autem dum sicca est, & admodum adstringente: & licet succus ille cum adstrictione nonnihil mordicet, breui tamen euanescit hæc veluti insensibilis mordicatio. Arenosa & humida loca amat, & reliquas ferè plantas circũnascentes enecat. Nomen vulgare huius arboris apud Lusitanos est *Arbore de las camaras*, & *Arbore sancto*, hoc est, Arbor dysenteriæ, & Arbor sancta: ab indigenis Christianis *Arbore de sancto Thome*, id est arbor D. Thomæ, & *Macruyre*: à Medicis Brachmenis *Macre*, apud quos summo in pretio est arboris cortex. Radicis cortice recẽti trito, & cum oxygala seu lacte acido mixto, omnis generis dysenterias & alui profluuia mirabili successu curant omnes Medici, cùm Brachmenes tum Canarini & Malabarici. Aliqui huius corticis sicci & in

Locus. Forma. Nomina. Tẽperam. & Vires.

in puluerem redacti ſemunciam per noctem macerant in quatuor vnciis ſeri lactis, eúmque bis in die propinant manè & veſperi, deinde medicamento ſumpto orizam ſine ſale & butyro coctam, atque pullos gallinaceos coctos, maceratos & tritos in orizæ decoctione ſtatim ægro exhibent: interdum ſi neceſsitas vrgeat, opium admiſcent roborandi medicamenti cauſa: ſolent verò etiam Arabes cuiuſcunq; generis alui profluuia opio nuce moſchata admixta curare. Huius item radicis vſus ſalutaris creditur ad vomitus cõpeſcendos, & ventriculum roborandũ cum aqua Menthæ & maſtices puluere. Rogatus Brachmenes quidam medicus mihi familiaris, víŕq; probus, boni iudicij & magnæ exiſtimationis apud omnes ciuitatis S. Crucis regni Cochin incolas cùm gentiles tum Luſitanos, quòd illius fideli opera ſæpius vſi eſſent, vt bona fide exponeret iſtius corticis quem *Macre* vocant facultates, in hæc verba reſpondit: Si vos Luſitani hunc corticem probè noſſetis, multò pluris illum faceretis quàm Piper: Sed quoniam iſtic in Luſitania eius facultates ignoratis, idcirco contemnitis. Puluis quem in omnis generis alui profluuio ex oxygala propinare ſoleo, ex hoc cortice de quo percontaris conflatus eſt. Eius magnam quantitatem tibi oſtendere domi poſſem, quam in Bengala & Iapan ſum miſſurus. Sítne verò inutile medicamentum, tu ipſe qui illius effectus plerumque conſpexiſti, iudicare potes. Hunc corticem etiam oſtendi rhizotomo cuidam *Ioque* (genus quoddam hominum eſt circumforaneorum qui peregrinando pœnitentiam agere ſeſe profitentur in illis regionibus) petiíque vt quid eſſet (tametſi probè noſſem) ſignificaret: reſpondit ille, eum ſequerer, cuius arboris cortex eſſet ſe demonſtraturum, oſtendítque arborem quam antè ſciueram & addidit, Apud noſtros homines appellatur *Cura ſantea macré niſtuſa garul*, hoc eſt, Macre ab Angelis oſtenſum hominibus ad ipſorum ſalutem. Subiunxit inſuper iſtius corticis apud ipſos vſum eſſe in compeſcendis vomitibus, aluíſque profluuiis ſiſtendis, plúſque pollere huius radicis portiunculam, quàm magnam quantitatem corticis Myrobalanorum aut Arecæ, eámque præſtantiorem eſſe Coru Malabarico de quo proximè dicemus. Referebat præterea Macre fructum omnis generis lumbricos in humano corpore natos necare & expellere, & calculum in renibus frangere: tum etiam eos qui ſingulis diebus manè eo vterentur, liberos fore à calculo & à coli doloribus, nec inebriari poſſe. Magna diſceptatio eſt inter Neotericos, an Græci Macin & Arabes Macerem nouerint. Negari non poteſt quin multo plura medicamenta nunc nouerimus quàm veteres: inficiari etiam non poſſumus, pleraque illis cognita fuiſſe, de quibus dubitamus. Nam certiſsimum eſt, Græcis probè notum fuiſſe Macer de quo dubitamus, & quod plerique adhuc ignorant: neſciuiſſe autem Macim & nucem moſchatam nobis adprimè nota, vt ex eorum ſcriptis conſtat. Galenus ſimplicium lib. ſeptimo Macerem aduehi ait ex India, conſtare eſſentia pleraque frigida & terreſtri, pauca verò frigida: conferre ſua adſtrictione aduerſus dyſenterias & cruentas excreationes. Dioſcorides verò, Macer qui ex Barbaria aduehitur, eſt cortex flaueſcens, craſſus, & guſtu perquam adſtringens, qui contra cruentas excreationes

MACER A Coſtæ.



Diosc.lib.1. cap.94. bibitur, dysenterias & alui fluxiones. Quæ facultates inueniuntur in cortice iam descriptæ arboris, non in Maci odorato nucis moschatæ operculo, quod calidum siccúmque est in fine secundi gradus, aut initio tertij, tenuiúmque partium & leuissimi amaroris, pauculæq; adstrictionis particeps: itaque certum est vtrumque loqui de cortice nostræ arboris, non de Maci quod illis ignotum fuit. Admonuit me præterea medicus quidam Regis Cochin, ne dubitarem quin hic cortex Auicennæ Macer esset: magnæque inscitiæ esse de re tam aperta disceptare: huius etenim *Macre* facultates, eis, quas suo Maceri veteres tribuunt, persimiles, facile id demonstrare. Plin.li.12. cap.8. Plinius etiam Macer, inquit, ex India aduehitur, cortex rubeus radicis magnæ, nomine arboris suæ. Minimè verò nos mouere debet quòd Dioscorides ex Barbaria Macerem aduehi asserat, quem Plinius & Galenus ex India deferri scribunt: idem enim illis accidisse potest in hoc medicamento, quod in Cinnamomo & Casia, vt (quoniam ex peregrinis & longinquis regionibus ad eos adueherentur) eorum natales non fuerint probè cogniti. Ait tamen Ptolemæus: Quædam in Indo fluuio insula vel vrbs sita est, quæ Barbaria dicitur, ex qua facilè comportabatur Macer: vel quòd afferretur ex Arabia eo maris sinu qui à Barbaria insula Barbaricus appellatur. Cui suffragatur Strabo, Omnia, inquit, quæ in India proueniunt, ea scilicet parte, quæ ad Austrum vergit, similiter in Arabia nascuntur. Macis & Maceris differentia Auicennæ probè fuit cognita, quippe qui Macim odoratæ nucis inuolucrum cap. 456. & Macerem radicis corticem capit. 694. sub titulo Talisfar descripsit. Non igitur etiam fuit Serapioni, qui ex auctoritate Isach, Macim esse nucis odoratæ operimentum dixit, diuersum ab eo cuius Dioscorides meminit, quippe qui scriptum reliquerit, Macerem esse ligni corticem siue corium. Liquet itaque Macim & Macerem differre inter se qualitate, substantia, figura, planta & regione, quandoquidem Macer radicum arboris cortex in Malabar nascitur: Macis verò nucis Moschatæ operimentum, in Banda, longissimè inter se dissitis. Tametsi Monachi qui in Mesuen commentarios scripserunt, asserant non differre, suam negligentiam ista ratione prodentes. Vulgaris admodum huius corticis Maceris est vsus in omnibus nosocomiis prouinciarum Chinæ, Iapan, Malacæ & Bengala, in dysenteriis, alui profluuiis, & sanguinis reiectionibus, cuius causa ex Malabar vsque petunt.

DE NVCE MOSCATA.

Locus. IN insula Banda nascitur arbor quæ Nucem moschatam fert, colligi mittíque ad externos solitam. Alunt & quasdam generis eius arbores Moluccæ, & Zeilan insulæ, verùm humiles, fructúque tam pauco & pusillo vt nihili sit. Bandenses Pala vocant, Macin verò à Macere diuersum, Buna Palla: Decanenses Iapatri, *Macin Iayfol*: Arabes *Seygar*, & *Nomina* *Iauziband*, id est, Nucem Bandensem, Macim vero *Thalisphar bisbese*, vel *Besbaça*, id est Nucis corticem: Persæ arborem ipsam, *Drach*: Turcæ, *Agache*: oleum Macerinum Arabes *Geuzisami*, Turcæ *Geuziiat*: Persæ, *Geuzi erugaant*. Assurgit in Pyri vel Persicæ magnitudinem hæc arbor, rotundiore folio quam Pyri, in extremo acuto: fructu Pyris simili, aliquanto rotundiore: cortice foris cornoso, subduro, quem pro nihilo ducunt Bandenses, tametsi quidam eo vescantur ob astringentis saporis incunditatem, condito sale & aceto, Lusitani verò Nucem adhuc immaturam integram condiunt saccharo. Nuce iam matura cortex ille carnosus ac externus in multas partes dehiscit, ac tum sub eo videtur Macis, colore perquam eleganti rubescens: acuti odoris, ac saporis, membrana reticulatim texta,

NVX MOSCATA, A Costa.



texta, interioris Nucis proximè calycem ambiens, & sic agglutinata, vt tubercula in solido Nucis putamine elata repræsentet. Macis color à siccata & purgata Nuce reuulsi, minus rubet, quam in ipsa prius arbore. Abditur Maci Nucis interioris putamen, quo rupto Nux detegitur, nunc amplior, nunc otrigosa, quam recentem si dispertiantur, apparet intus candida medulla, languidioris acrimoniæ, quam Nucis reliquum corpus. Vertitur autem spatio temporis in Nucem ea medulla, & eadem cum Nuce fit. Grandiores India longe pluris facit quam nos, & charius emit. Ex hac Nuce paratur oleum Brachmanibus, & Indorum medicis valde laudatum, ad vteri & neruorum frigidos morbos, quemadmodum & ex Maci. Eligenda Nux moschata recens, grauis, pinguis, humore plena, minime pertusa. Emendat illa & tollit fœtorem anhelitus: visum acuit: roborat ventriculum, & hepar: adiuuat cibi coctionem: flatus dissipat: aluum cohibet: vrinam prouocat: maculas faciei delet: vteri morbis prodest: splenis duros tumores lenit, & emollit, itémque hepatis: impetigini medetur. *Vires.*

CARYOPHYLLVS, A COSTAE.




ARBOR Caryophyllos proferens magnitudine & forma Lauri est, sed superiore parte magis ramosa, minore & angustiore folio: copiosos fert flores, initio candidos, deinde virides, cùm nunc in fructum efformati sunt, at vbi maturuerunt, rubros, qui deinde collecti & siccati nigrum colorem contrahunt: nascuntur ficus modo sparsim per ramos ad foliorum basim bini, terni aut quaterni simul iuncti, vel vnicus interdum. Dicitur Arabibus, Persis & Turcis *Caranful*, ipsa arbor *Siger*, foliũ *Varaqua*. Paulus Ægineta acres illos constituit, calidos & siccos ordine tertio: alij duntaxat secundo. Ventriculum, iecur & cor roborant, concoctionem iuuant, vrinas cient, aluum cohibent, oculis instillati eorum aciem exacuunt, nubésq; extergunt: & quatuor drachmarum pondere ex lacte sumpti venerem extimulant. *Forma.* *Nomina.* *Vires.*

DE PIPERE.

Genera. PIPER aliud domesticum, cuius vsus est, aliud siluestre, quod ob amarorem negligitur. Domestici planta sarmentosa est, scanditque hederæ modo, arboribus quas nancisci potest sese circumuoluendo: *Forma.* nodis per interualla prædita, ad quos folia nascuntur Betele foliis similia, parte interiore saturè virentia, exteriore dilutiora, cuspide mucronata, & gustu linguam vellicante. Horum foliorum alia aliis nigriora sunt: quæ dilutiora sunt fibrásque æqualiter nascentes habent, feminas censent (nam vtrumque sexum in foliis eiusdem plantæ constituunt) nigriora verò, inæqualibus fibris, mares. Ad singula internodia, vnde folia dependent, ex ipsa foliorum sede nascuntur vuæ, quarum maximæ circiter quinquaginta grana obtinent, minores verò triginta. Radix pusilla est, & summa tellure fibras agit. Summa autem similitudo est plantarum quæ nigrum Piper proferunt & album: albi tamen folia tenuiora & molliora videntur: eius etiam fructus magis aromaticus, meliorísque saporis quàm nigri. Huius verò foliorum nullus est vsus apud eius regionis incolas: sed nigri Piperis folia duntaxat expetuntur in coli doloribus, aliísque omnibus alui ægritudinibus è frigida causa prouenientibus: ea oleo Cocci siue Nucis Indicæ *Temper. & Vires.* prius inuncta, deinde calefacta supra aluum adhibentur magno effectu. Porro seritur Piperis planta hoc modo: sarmentum eius seu ramus iuxta prægrandem qualemcumque arborem aut palum defoditur, atque bubulcum stercus & cineres cum aqua insperguntur: infra annum deinde fructifera est, quóque vetustior est planta, eò feracior, quippe quæ ad ipsius arboris, cui maritata est, fastigium sese circumuoluendo scandere soleat.

PIPER NIGRVM, *A Costa.*




DE AVELLANA INDICA.

Forma. ADMODVM procera est hæc arbor rectáque, tenuis, rotunda, & fungosa materia: folia habet longiora latioráque quàm Palma quæ Coccos seu Indicas Nuces fert, ex summa arbore nascentia, inter quæ prodeunt tenues virgæ paruis floribus onustæ, albis & ferè inodoris, quæ deinde in fructum *Areca* nuncupatum efformantur, Nucis iuglandis magnitudine, minimè tamen rotundum, sed oblongum oui gallinacei exigui modo, exteriore cortice admodum virente, dum recens est, &, vbi maturuit, admodum flauo, vt longè spectantibus veluti dactyli siue palmulæ maturæ appareant: materia molli & tomentosa constat hic cortex, continétque inclusum fructum Castaneæ grandioris magnitudine, altera parte similiter fessilem, candidum, durum, rubris venis plenum, quem incolæ edunt. Eum adhuc virentem

sub are

AVELLANA INDICA, A Costa.



sub arena condere solent, vt melior gratiórque esui fiat: vulgo autem edunt cum foliis *Betele:* confringunt etiam, solíque exponunt & siccãt, (tum *Checani* appellant) eóque plurimum vtuntur tum in cibo, tum in lotionibus adstringentibus: & cortice, seu inuolucro dentes repurgant. Cùm verò adeò fungosa huius arboris sit materia, frangitur difficulter: idcirco virga duorum digitorum crassitudine ex hac arbore parata Crocodilum cùm in aqua, tum in terra facilè retinere potest, si per eius fauces transmittatur (ea etenim ratione illos venari solent) vt sæpe conspexi. *Vsus.*

DE PALMA INDICA, quæ & Elephantis.

PRAEALTA est hæc arbor, & recta, nec admodum crassa, præsertim in fastigio: nam ab infimo ad summum paulatim gracilescit, & colore cinereo est: truncum à radicibus ad fastigium vsque paruis quasi gradibus circumdant, qui ascensuris scalarum vicem præbeant: flos Castaneæ similis: fructus verò integer capite humano maior, forma oblongiore, triangulari, & colore viridi admodum diluto. *Forma.* Tametsi *Narel* huius arboris nucem vulgo appellent cùm Persæ tum Arabes, negant tamen Persæ legitimum esse nomen sed *Nargel* dicendum: ipsam arborem *Darach* Persæ vocant, Arabes *Siger Indi*, Turci autem arborem *Agach*, fructum *Cox Indi*: Brachmanes arborem nuncupant *Maro*, nucem *Naralu.* *Nomina* Ex hac arbore ex insulis de Nalediua fabricantur naues, atque clauis, malis, velis, rudentibus aliísque armamentis necessariis instruuntur: instructæ iam, mercibus ex eadem arbore conflatis onerantur, oleo, vino, aceto, saccharo nigro, fructibus aqua, & ardente aqua vulgo vocata. Ex eadem arbore extruuntur ædes cum suis tabulatis satis firmæ: atque eiusdem ramis, (quos *Ola* dicunt) contegunt imbricum vice, nam imbres commodè arcent. Ex iisdem ramis tecta comparant ad tegendas hieme naues, quæ in portum deductæ, remulco deinde in terram trahuntur. *Vsus.* Istarum porro Palmarum duo genera constituunt: Vnum enim *Surae* cogendæ gratia deligunt, ea est veluti vinum mustum, quæ ignibus decocta in licorem transit vino similem, incolis *Orraca* appellatum, alterum fructuum gerendorum causa adseruant. *Genera.* Colligitur verò *Sura* in hunc modum: Aliquem è ramis cerebro viciniorem præcidunt, duorum pedum longitudinem relinquentes, ad quem vascula ampla, oris tamen angusti, illis *Caloins* nuncupata, colligant: per hunc ramum præcisum exstillat arbor *Suram* iam memoratam, qua organis distillatoriis imposita, ignis vi aquam eliciunt ardentem, purior, illis *Fula* dicta, hoc est, flos, facilius igne incenditur quàm nostra aqua ardens, siue vinum adustum: altera *Orraca* nuncupata non item: sed huic purioris aliquantulum admiscere solent. E *Sura* antequam ignibus decoquatur, soli exposita, fit acetum satis interdum acre, tametsi neque Mentha, neque cortex arboris Myrobalani iniiciantur, quæ medicamenta plerumque admisceri solent vt acetum acrius reddant. Exempto primo vase *Suræ*, exstillat alia, quæ ignis vel solis caloribus inspissata, Saccha-

PALMA Elephantis A Costæ.



CVCIOPHERA Matth.





rum fit, incolis *Iagra*, appellatum: præstantior censetur, quæ in Nalediua colligitur, quàm
Locus. quæ in Malabar. Fructus recens sub primo illo crasso viridiq; operimento, alio cortice nigro præditus est, medullam tegente, qui recens antequam nigrum colorem contrahat, tener & candicans est, editúrque cum sale, vel sine sale, vel cum aceto & pipere interdum, atque gustu est Cinaræ: cùm verò iam nonnihil indurari cœpit, Cardui caput sapit. Medulla cortici adhærens tenera & dulcis est, continétque multam aquam limpidam, suauem, nec fastidium aut nauseam sua dulcedine parientem quæ vulgo in solis ardoribus bibitur. Frequens est huius
Vires. aquæ sub dio refrigeratæ, atque etiam Iagræ vsus aduersus iecoris renúmque nimios calores, purulentæq; materiæ per virgam excretionem: refrigeratur verò hæc aqua in sua nuce viridi *Laña* appellata: diu conseruatur, nam toto anno inueniũtur istæ nuces virides, quarum nonnullæ interdum tres aut quatuor libras siue pintas aquæ cõtinent. Postquam iam indurata est hæc nux, dnrioremque medullam contraxit, remanet in cõcauitate limpida quidem aqua, at non adeò dulcis vt prior: nucem tum vocant Malabares *Eleui*. In annotinis nucibus mutatur hæc aqua in rotundam quãdam substantiam mali instar, candidam, spongiosã
Temper. & leuem, sapore dulci. Medulla nucis recentis tenera alba & dulcis, sola editur ab incolis aut cum *Iagre*, hoc est, Saccharo è *Sura* confecto, vel cum *Auela*, pulmento ex Oriza in aqua cocta, deinde trita & probè sole exsiccata: editur item cum piscis quodam genere siccato ex insulis de Nalediua aduecto, simili ferè bubulis carnibus fumo induratis, *Comalamasa* appellãt, bonúmque condimentum est ad bibẽdi appetentiam prouocandam. Ea verò mixtura non modò incolis in vsu est, sed ab ipsis etiam Lusitanis expetitur. Ex eadem medulla lac conficitur Amygdalino simile, ad edulia parãda vtile. Solibus exsiccata hæc medulla vocatur *Copra*, suauis est, reconditur, illísque perinde in vsu est, atque nostris Europæis castaneæ siccæ.

Vulgo creditur, & experientia comprobatum est, frequentiorem huius nucis vsum, lumbricos generare: cui morbo totius prouinciæ Malabar incolæ admodum obnoxij sunt. Externo illo primóque cortice
Vsus. siue operimento crasso, foris læui, intus verò tomentoso dum resiccatus est, fiunt rudentes & alij funes nautici, vti in Hispaniis ex sparto. Tomentum illud Malabares *Cayro* vocant, magni apud eos vsus, nam quoniam aqua marina non corrumpitur,

pitur, ſtipantur eo omnis generis naues: itaque illis populis vſum præbet lanæ, xyli, ſtuparum, lini, & ſparti. E ſecundo nigróque & duro cortice, qui à noſtris *Cocco* dicitur, ab incolis verò *Xareta*, fiunt ſcutellæ & alia vaſa potoria in tenuiorum vſum. Fiunt etiam ex eo vſtulato carbones auri fabris vtiles, qui in iis prouinciis periti & induſtrij, nec admodum ſumptuoſi reperiuntur. Solent enim ſuum opificium proclamantes compita circuire, ſecum deferentes vrceolum, malleolum, & duo cæla, cannæq; tubulum palmari longitudine manu tenentes quo focum incendunt. Ij in ædes admiſsi, vaſa ex auro & argento conficiunt, pro eorũ qui ipſos euocarunt arbitrio. Fiunt ex huius Palmæ foliis petaſi maiores & minores ad Solis ardores & imbres arcendos idonei: texuntur etiam ſtoreæ & alia pleráque. Coccus porrò de Nalediua cognominatus adeò commendatur ab ipſis incolis, & à Malabarẽſibus, non modò à plebe, ſed à Regibus & Principibus viris, vt in omni fere morborum genere ad eum confugiant tanquam ad ſacram anchoram. Fiunt in eam gratiam ex illo pocula quæ auro vel argento excipiuntur, & in nauium triremiumq; figuram efformantur, ad aquam bibendam, in quam ex catenula medullæ ipſius Cocci fragmentum pendere ſinunt: ſibíque certo perſuadent, illis, qui aquam ex ſimilibus poculis hauriunt, nullum venenum nocere poſſe, futuróſque immunes à multis morbis, in quos memini multos incidere, qui ex iis poculis bibere ſoliti erant. Et licet omnem diligentiam adhibuerim, nunquam tamen obſeruare potui, ſimilia pocula aliquem ex morbis curare, ad quos vtilia eſſe creduntur: potius igitur arbitror tantam laudem obtinuiſſe à vulgi opinione. Nonnulli ex huiuſmodi vaſculis bibere ſoliti, mihi affirmarunt ſeſe experientia didiciſſe iecur incendi, renes noxam contrahere, & calculum generari: nihilominus tamen magnũ eſt eorum pretium, longéq; pluris æſtimantur iis locis vbi inueniuntur, quàm aliis procul inde diſſitis: nam interdum eiuſmodi Nuces nudæ, neque auro aut argento exornatæ quinquaginta aut amplius aureis nummis æſtimantur. Nigrior autem, nitidior, longior, maiórque eſt hic *Coccus* quàm aliæ nuces *Cocci* communis.

TAMARINDVS, A COSTAE.



SVNT Tamarindi fructus elegantis & aſpectu pulchrę arboris, Caſtaneæ aut Ceratiorum arboris magnitudine, multis ramis præditæ, & foliis latam vmbram præbentibus, materie ſolida admodum: folia filicis feminę (quam Hiſpani *Helecho*, Cantabri *Ariſtora* appellant) foliis perſimilia, dilutè virentia, valde elegãtia, guſtu acido, gratóque, è quibus condimentum fit (*Salſam* vocant) perinde atque è petroſelino: flores candidi, Aureæ mali floribus admodum ſimiles forma exteriore, & odore: attamen octonis foliis conſtant, quorum quatuor interiora alba ſunt & craſsiora velut Mali aureæ florum folia, quatuor verò exteriora tenuiora, & bina ex his eleganti neruo radiata: è medio flore quatuor enaſcuntur ſtamina corniculorũ modo inflexa, candida & tenuia. Fructus admodum ſimilis eſt Ceratiis foris vireſcens initio, deinde per ſiccitatem cinereus, continens oſsicula *Forma.*

cula

cula rotunda Cassiæ solutiuæ modo aut paruis Lupinis similia, dura admodum, & colore nitido terreo, haud quaquam flauo, quemadmodum nonnulli referunt: his non vtimur, sed sola pulpa quæ nonnihil lenta & viscida est, iucunda tamen aciditate grata, tametsi nõnulli indigenæ asserant ossicula assata & in pollinem redacta ex oxygala in alui profluuiis vtiliter exhiberi: facilè auellitur hic fructus, & etiam sponte decidit. Folia sub noctem sese contrahunt, suúmque fructum amplecti solent, qui si desit, sua virgulta & ramos complectuntur: summa verò aurora sese explicare incipiunt grato spectaculo: hæc trita partibus erysipelate infectis imponunt, atque etiam circa phlegmonas ad arcendum qui influit humorem: iisdem cum sale Ormuziano phlegmonas resoluũt, & cum cineribus ex Cambaya pituitosos & melancholicos tumores. Vocatur hic fructus in Canarin *Chincha*, ossicula verò *Chincharo*, in Malabar *Puli*, & in Guzarate *Ambili*: Arabes, Persæ, Turci *Tamarindi* vocant, ossicula *Abes*, arborem *Siger Tamarindi*. Præferuntur qui in locis montanis iísque Septẽtrioni obuersis nascuntur: vsu verò compertum est, huius arboris vmbram sub ea dormientibus non minus noxiam esse, quàm arboris iuglandis.

Temper. & Vires. — *Nomina*

DE RADICE CHINAE.

Nomina — *Locus.* — *Forma.*

VOcatur hoc excellens medicamentum in Chinarum regione *Lampatan*, in Decam *Lampaos*, in Canarin *Bonti*, ab Arabibus, Persis & Turcis *Chophchina*. Nascitur abundantissimè in Chinarum regione: inuenitur tamen etiam in Malabar, Cochin, Cranganor, Coulan, Tanor, & aliis locis. Planta est multis tenuibus spinosisq; sarmentis prædita, smilaci asperæ non absimilibus, quorum maxima minimum manus digitum crassitie non superant, foliis plantaginis latifoliæ magnitudine: radices pugnum nõnumquam æquant, interdum minores sunt, solidæ, graues, candidæ, interdum etiam rubescentes, & multæ sæpenumerò simul cohęrẽtes.

RADIX CHINAE, A Costa.



Vires. — *Temper.*

Plurimus est huius radicis vsus in omnibus Orientalis Indiæ prouinciis ad varios morbos: quin adeò innoxia censetur, vt eam sumẽtibus, tametsi nullam victus rationem obseruent, sed liberè carnibus & piscibus vescantur, nihil incommodi adferre credatur. Vulgaris tamẽ quæ in Chinarum Indiæ prouinciis obseruatur, sumendi huius radicis decocti consuetudo est, vt radicis vncia vna, additis radicum Apij duabus drachmis decoquatur lento igne & sine fumo, in decem & sex aquæ libris ad sex librarum consumptionem reliquos decem in fictili vitriato adseruant, sumuntq; singulis diebus recens decoctum, quoniam facilè corrumpitur, nec vltra diem obseruari potest. Eius verò tepidi manè sumit æger plenum haustum, duabúsq; horis in lecto remanet, postea surgit, duabus autem horis ante cœnam totidem haurit, interdiu de eodem frigido bibit. Plerique tamen etiam dum sua negotia exercent & nauigãt singulis diebus manè & vesperi duas eius radicis in puluerem redactæ drachmas ex vino, aut ipsius radicis decocto

CROCVS INDICVS, *A Costa.*




decocto felici successu bibere solent. Organis etiam ex hac radice recenti, aqua elicitur, delicatioribus admodum familiaris: attamen & ab aliis magna quantitas absumitur, quoniam illi plurimum fidunt nō modò in morbis à D. Orta enumeratis, sed etiam in hemicrania, in herniis humoralibus, & vētosis, in colli, vesicæ & penis callis, eorúmque vlceribus, venerem etiam admodum excitare creditur: decoctum tamē ipsa stillatitia aqua præstantius est. Optimè conseruatur radix, si Pipere confracto inuoluatur.

DE CROCO INDICO.

MAIORA latioráq; habet Crocum Indicum folia quàm Orchis Serapias dicta, colore foliorum Scillę, dilutiora tamen & tenuiora, caulē habet è foliis simul implicatis, & sese mutuo amplexantibus constantem: radicem foris Zingiberi similem, intus croceam. Præter nomina ab Orta enumerata, apud Arabes etiam *Curcum* dicitur, apud Turcos *Saroth*. *Forma.* *Nomina*

DE MVSA, SEV FICV INDICA, *A Costa.*



DECEM & octo aut viginti Palmorum magnitudine hæc pulchra & elegans arbor, cuius truncus ex multorum corticū sibi mutuò incumbentium coniunctione constat, & humani crucis crassitiem adipiscitur, radice rotunda & crassa, Elephantorū grato pabulo: foliis nouem palmorum longitudine, duorum cum semisse latitudine, neruo satis crasso per longitudinem excurrente, & transuersis fibris in latera sparsis, parte superiore saturis, inferiore dilutioribus: ex huius arboris fastigio nascitur veluti thyrsus quidam florum simul congestorum in modum pinei strobili coloris rufi: deinde vnicū ramum fert humani brachij crassitie in multos nodos diuisum, è quorum singulis decem aut quatuor decim dependent Ficus, ita vt nonnunquam ramus centenis aut ducentenis ficubus onustus conspiciatur. Hos in diuersas species distingunt Lusitani prouinciam incolentes: nam *Cenorins* appellant qui admodum flauent, læues, longiusculi, gratíque saporis sunt, & odoratiores: *Chincapanoes* verò qui virescunt nonnihil, longioresque sunt, iique etiam grati saporis. Laudantur præterea qui in Cofula nascuntur, Æthiopibus *Inninga* dicti. Legitimum autem nomen apud Arabes & Persas *Forma.* *Locus.*

& Persas (vt è præstante medico Persa in Ormuz nato intellexi) est *Mous*, non autem *Musa* aut *Amusa*: arboris verò *Daracht Mous.* Reliqua nomina ex Garcia petenda. Semel dumtaxat seritur hæc arbor, nam ex eius radice aliæ enascuntur: singulæ verò vnicum (quemadmodum retuli) fructuum ramum gestant, qui, dum maturi sunt, rescinditur, plantámque ipsam sponte exsiccari sinunt, tanquam in posterum inutilem, aut amputant, in domesticorum Elephantorum pabulum. Nonnulli interiora tenerioráque, antequam explicentur, folia, florúmque thyrsum Pipere, Zingibere recenti, allio, sale & aceto condiunt, & capparum modo edunt. Folia verò quoniam amplissima, mollia frigidáque sunt, substernere ad accumbendum in æstu solent: & ambustis nonnunquam imponunt. Ruellius huius fructus meminit ex auctoritate Theophrasti & Strabonis.

Nomina — *Vsus.*

DE ANANAS.

Locus. *Forma.*

PEREGRINVS est hic fructus, & ex prouincia S. Crucis in Brasilia primùm in Indiam Occidentalem, deinde etiam in Orientalem Indiam delatus, in quibus nunc vberrimè prouenit. Citrij verò mali minoris magnitudine est, admodum flauus & odoratus cùm probè maturus est, adeò vt prætereuntes ex odore dignoscere queant ædes in quibus sit: succulentus & gratissimi saporis, procul intuentibus cinara videtur, sed pungentibus aculeis caret. Singulæ stirpes Cardui edulis magnitudinem æquant, vnicúmque malum gestant in medio quasi caule, & circa eum multas alias proles, quarum nonnullæ etiam suo fructu præditæ sunt. Qui itaque fructus maturos colligunt, proles ilicò terræ mandare solent: è quibus singulæ deinde stirpes proueniunt suo malo onustæ, vti mater, quæ intra annuum spatium colliguntur. Eius radix carduo eduli perquam similis est, sed & folia non sunt disparia, tametsi ad *Ananas* siluestris folia magis accedant. Vulgo *Ananas* vocant: Canarini verò *Ananasa*. Cùm primùm in Indiam illatus est hic fructus, singuli decem ducatis, aut paulò amplius æstimati sunt: nunc verò propter abundantiam (tametsi neque sapore neque odore primis cedant) vix duobus regalibus Castellanis veneunt. Hactenus in medicum vsum non est receptus, sed solummodo ob saporis gratiam commendatur. Calidus & humidus est, editúrque maceratus in vino vti Persicum malocotoneum, & facilis est concoctionis, nimius tamen eius vsus inflãmationes parit quemadmodum Duriones Malacenses. Si medius secetur, & partes denuo coniungantur, vniuntur vti cucumeres: perfossus verò cultello, si in vulnere vnius diei aut noctis spatio cultellus relinquatur, inuenietur tota ea pars quæ in vulnere hæsit absumpta.

Nomina — *Vsus.*

ANANAS A Costa.



DE CARCA

DE CARCAPVLI.

CArcapvli Malabaribus, *Garcapuli* Canarinis, vastæ magnitudinis arbor est, fructum ferens malo aureo cui cortex exemptus sit, magnitudine & forma similem, ex grumis omnino constantem, (sed non separabilibus ab inuicem vt in malo aureo) tenui, læuíque & splendenti cortice tectum, non admodum sicco, colore pallido, at vbi maturuit aureo: gustu admodum austero, sed quadam adstrictione grato. Eo vtuntur in cibis, magnáque apud incolas eius est laus in curationibus: sed inter omnes quæ experientia comprobatæ sunt primas obtinet profluuij alui cuiusq; generis constrictio, in iis præsertim qui nimio veneris vsu hoc malum contraxerunt: editur verò aut ipse fructus maturus, aut eius succus cum oxygala sumitur, aut illius exsiccati puluis: cum oxygala autem mixtus & cocta oriza, mirificè appetitũ deiectum reuocat. Vtilis etiam est eius succus, & exsiccati puluis in oculorum caliginibus & suffusionibus. Familiaris est eius fructus puluis obstetricibus, eum enim puerperis exhibere solent ad pellendas secundas, & ad purgationes, atque lactis vbertatem præstandam, tum etiam ad facilitandum partum magna, vt aiunt, efficacia. Succus eius cum aliis plantis mixtus vngui maioris digiti pedis imponitur eodem latere quo quis aut caliginem, aut suffusionis initium in oculo habet, vtilémq; esse perhibent. Transfertur hic fructus siccus ex Malabar in alias prouincias.

Forma. *Vires.* *Tẽperam.*

CARCAPVLI A *Costa.*



DE BETRE.

FRequentissimo in vsu est apud Indos Betre: ab instituto igitur alienum non erit, si hoc loco eius mentionem fecero. Betre masticatum, amarum inuenitur: eam ob causam ei Arecam admiscent, & calcis momentum, sicque præparatum suauissimi esse saporis affirmant. Mihi sanè cùm primum degustaui, propter amarorem ita displicuit, vt ab eo tempore semper abhorruerim, nec vnquam degustare potuerim. Sunt qui addant Lycium: potentiores verò & opulentiores Caphuram de Burneo, nonnulli lignum aloës & Moscum aut Ambarum. Sic autem paratum adeò suauis est saporis, orísque halitum adeò commendat sua fragrantia, vt perpetuo ferè illud masticent opulentiores, tum etiam alij pro facultatum ratione, tametsi non desint, qui Arecam cum Cardamomo aut Garyophyllis masticent. In solitudinibus autem & remotioribus à mari locis caro venditur. Ideo fertur Nizamoxa singulis annis in id impendere trigesies mille aureos Lusitanicos. Hæc sunt eorum tragemata, hoc abeuntem donant: atque Rex ipse interdum propria manu potentioribus elargitur, aliis verò per manus famuli sui quem *Xarabdar*, aut *Tambuldar* vocant. Sed quia Betre venas habet aut costas secundum folij longitudinem excurrentes, vngue pollicis (quem ea de causa in acutum præsecant, non, veluti nos,

Temper.

in rotundum) eas eximunt, deinde admisto calcis momento (quæ ob exiguam quantitatem & materiam vnde conflata est, fit enim ex ostreorum testis concrematis, nullum nocumentum adferre potest) & Areca contusa aut confracta, folium Betre complicant, atque in os iniectum masticant, priorem illum succum expuentes (quod tamen nonnulli non faciunt) qui cruentus videtur, deinde alia atque alia folia simili modo præparata subsequenter sumunt. Solent aliquem dimissuri, aut ipsi ab adstantibus discedentes his foliis præparatis plena bursula sericea abeuntem honorare. Nemo discedere sustinet, donec Betre sit donatus, id enim dimisionis est indicium.

BETRE, Garciæ ab horto.



Vsus. Ceterùm opulentiores aliquos adituri, hoc Betre masticare pro more habent, vt odore os commendent. Siquidem apud eos summæ inciuilitatis est odoratum non habere anhelitum: ita vt si tenuioris fortunæ aliquem cum potentiori fabulari necesse sit, manu ori opposita id faciet, ne teter aliquis odor alterius nares feriat. Sic etiam mulieres viris congressuræ, Betre masticant antequàm colloquãtur, existimántq; ad lasciuiam summum esse illectamentum. Omnes huius regiones incolæ id, sumpto cibo, mandere solent, alioqui cibos nauseam quodammodo mouere aiunt: & masticare assuetis, oris halitum tetrum olere, si quando abstineant. Solent ab eius vsu per aliquot dies abstinere, quibus obierunt sanguine iuncti, & in quibusdam ieiuniis. Ab huius etiam esu abstinent, & humi se abiiciunt Arabes & *Moalis*, hoc est, Ali sectatores dicti, decem diebus quibus ieiunant. Fabulantur autem isti Ali sectatores, siti se morituros conclusos in quadam arce, multásque præterea fabulas addunt.

Locus. Nascitur Betre in omnibus Indiæ regionibus maritimis Lusitanis cognitis: nam in continenti non reperitur, nisi è maritimis allatum. Verum quidem est in Dultabado, vrbe opulenta in Decan, & Basnagua inueniri, sed minori certè quantitate, quàm vt ad Persas & Arabes deferatur. Supra Calaiate, quod octoginta leucis ab Ormuz distat, inuenire haud erit facile. Nam neque regionem frigidam amat, vt est China, neque solibus nimium adustam, vt Mosambique & Sofala.

Nomina In Malauar vocatur *Betre*, in Decan, Guzarate, & Canam *Pam*, in Malaio *Siri*. Hallucinantur qui Betre folium Indum esse putant: in quo errore etiam versatus sum, cùm primùm in Indiam appuli. Sed sententiam mutare coactus sum postea, à Nizamoxa, quem Nizamaluquo vocant, euocatus: cui medicamentum ingre roborando stomacho iussus componere, ea simplicia quæ medicamentum ingrederentur enumeraui, addens, id folium quod masticaret, Folium Indum esse. Ad quam vocem, risit ille (siquidem hoc vocabulum intelligebat) & Auicennam mihi ostendit Arabica lingua conscriptum, qui diuersis capitibus de folio & Betre agebat. Ducẽtesimo enim quinquagesimo nono capite, lib.2. de Folio Indo, *Cadegi Indi* illi nuncupato scribit, & septingentesimo septimo capite lib.2. de Betre, quod ille *Tembul* vocat corrupto, vt mihi videtur, aliquantulum vocabulo, quod ab omnibus *Tambul*, non *Tembul* dicatur. Huc adde, quod si quem Arabem Æthiopem perconteris, quî vocetur Betre, statim *Tambul* dicet. Auicenna lib.2. cap.709.

cap.709. gingiuas confirmare est auctor, in quem etiam vsum semper ab Indis masticatur, & paulò post subiicit, stomachum roborare, ob quam facultatem etiam ab Indis expetitur. Quod autem frigidam illi facultatem tribuat in primo gradu, & exsiccantem in secundo, putauerim exemplar vitiosum esse, aut (quod eruditi Arabes arbitrantur) Auicennæ, in temperamenti descriptione, impositum esse, fit enim plerumque vt vulgus erret in temperamenti dignotione, vtpote cui Piper, Cardamomum, Cepa sint frigida. Calidum autem & siccum esse Betre ad finem secundi excessus, ipse expertus sum, & sic ex sapore & odore coniicio. Est autem Betre folium simile ferè Mali medicæ folio, oblongius tamen & per extremum arctius venas, siue costas, vt diximus, per longitudinem excurrentes habens. Optimum censetur bene maturum, colore fuluescente, tametsi nonnullæ mulieres præferant quod immaturum est, quippe quod maiorem sonum edat in ore dum masticatur. Corrumpitur, si recens à planta collectum diutius manibus tractetur. Fert Betre in Maluccis fructum quendam contortum, Lacerti caudæ similem, quem istic edunt, quod bene illis sapiat. Fuit id semen delatum Malacam, atque degustatum optimi saporis inuentum est. Seritur autem Vitis modo, adduntúrque stipites & pedaméta per quæ repens se sustineat nostratis Hederæ modo. Quidam maioris quæstus gratia Piperis aut Arecæ arboribus id maritant, atque ita pulcherrima vmbracula conficiunt. Multam verò curam, & assiduam rigationem desiderat.

Forma.

DE NARDO INDICA.

ILLVD affirmare possum, multò plura aromata, maioríque quantitate, & minus adulterata ad nos adferri, viliorísque emi, quàm antiquitus fiebat: quod nunc Lusitanorum nauigationibus Indiæ nobis apertæ sint, ipsæq; regiones, quæ aromata gignunt, longè cultiores nunc sint, quàm Veterum tempore fuerunt. In eorum numero Nardum repono quæ legitima & sine mangonio ad nos importatur, licet interdum aut maris humore sibi ascito situm contrahat, aut senio suaueolentiam illam amittat, qua initio prædita erat. Vocatur autem Nardus incolis (nam Græcum & Latinum nomen notum est) *Cahzcara:* Auicennæ lib.2.cap.646. & omnibus huius tempestatis Arabibus *Çembul*, quod est Spica, & *Çembul indi*, id est, Spica Indica: eadem ratione, quam nos Spicam Celticam vocamus, illi *Çembul rumim* appellant. Quod autem corruptè Matthæus Syluaticus cap.640. *Simibel* & *Sumbel* protulerit, mirum non est, cùm is linguam Arabicam ignorarit: nisi malimus tempore paulatim corrupta fuisse vocabula. Ceterum nascitur Nardus in Mandou & Chitor prouinciis, Regni Delli, Bengala, & Decan vicinis, iuxta flu. Gangem, quem incolæ *Ganga* appellant, & sacrosanctum existimant, ita vt morituri regni Bengala incolæ hoc flumine mergi se iubeant, sed pedibus duntaxat. Sunt in eo flumine certa idolorum delubra, ad quorum cultum cateruatim confluunt Mercatores è Guzarate & regno Decam, magnáque donaria in hæc idola conferunt, inde redeuntes sanctificati, vt ipsi sibi persuadent, imò potius à cacodæmone obsessi. Porro non sunt diuersa Nardi genera: sed vnicum duntaxat mihi notum genus, id scilicet quod ex iam memoratis locis adferri diximus. Prouenit quidem in monte quodam, qui altera parte Orientem spectat, altera Occidentem, ad quem scilicet Occidentem sita est Syria multis regionibus ab India discreta. Sed tamen multis aliis eius regionis locis sata prouenit, non facilè enim sponte nascitur. Neque vna præstantior est altera: Spicámve habet alia altera multò longiorem. Certè radix est, spargens supra solum breuem virgulam seu caulem circiter tres palmos longum, cum longissimus, atque alias insuper virgulas multò breuiores: in summa


Nomina. *Locus.* *Genus.* *Forma.*

NARDVS INDICA,
Garciæ ab horto.



radice spicæ producuntur, item aliæ per vir-
gulas. Tali enim modo venditur in Cambaye-
te, Asurate & Gogua, alijsque portubus mari-
nis, vnde mercatores Arabes & Persæ petunt:
potissimã tamen partem ab indigenis absumi
ferunt. Inuenitur interdum sordida & pulueru
lenta, villis ipsius plantæ in pollinem redactis.
Emitur tamẽ ab iis quos dixi mercatoribus, &
eo puluere manus eluere intelligo. Hac vnica
Nardo quæ iuxta Gãgem oritur, quamq; in Oc
cidentẽ exportãt, vtuntur medici cũ Indici tũ
Turci, Persæ & Arabes. Nã quod ex ingẽti pre-
Li.12.c.12. tio quo antiquitus, teste Plin. emebatur, inferre
volũt, nostram Nardũ non esse legitimã: obie-
ctioni me satis respõdisse arbitror, cùm dixi In-
dias nunc magis apertas & cognitas esse, quàm
tẽpore Pl. fuerint, & ipsa aromata maiori copia
ad nos adferri. Ceterũ fabulosũ omnino iudico
Lib.1.ca.6. quod And. La. suis in Diosc. cõmẽtariis scribit,
Nardi vsũ apud Indos esse periculosũ, quoniã
ex ea fiat veneni quoddã genꝰ mortiferũ, quod
nõ modò haustũ, sed etiã cuti in sudoribus in-
spersum, hominẽ illico iugulet, idq; toxicum
Pisum vocari. Nam cùm multis in India annis Medicinã exercuerim, & non mo-
dò versatus sim cũ omnis generis medicis Asiaticis, sed etiã Regibus & Princi-
bus familiaris fuerim, nunquã tamẽ hoc Pisũ videre mihi cõtigit, aut eius nomen
audire. Id genus quod Sepulueda *Satiech* & *Satiach* appellat, id esse puto, quod ex
Satiguã adfertur, celeberrimo regni Bẽgala portu & Emporio ad fluuij Gãgis ostia.

ACONITVM PARDALIANCHES PRIMVM.



PRÆCESSIT inter Aconitorum
genera Pardaliãchis figura, qualẽ
Matth. exhibuit, verissima, & cer-
tissima, quamuis falsã ac cõmenti-
tiam esse quidã existimarint, sed mutila, radice
tantũ picta cum foliis. Ego integrã nactus à se-
plasiario Treuorensi, in cuius horto plantæ ali-
quot multis iam annis viuũt, & vigent, contro-
uersiam pertinaciorem de hoc Aconito, quod
his oculis conspexi, iactatam inter Gesnerum
ac Matthiolum viros præstantissimos, clarissi-
mos, doctissimos, vt dirimã, Matthiolo fidem
suam, quæ labare videbatur, asserui, & plantam
ostendi, minimè decurtatam, adiectis pauculis
quæ totam historiam reddant locupletiorem,
Locus. ac illustriorem. Nascitur copiosè in Allobrogi-
bus, haud procul à primario cœnobio Carthu-
sianorum, in confragoso & arduo mõte, quem
ideo Scalas nominant, vulgò, *les Eschelles*, ob an-
gustos tramites in saxo velut gradibus excisos,
per quos

per quos in cacuminis fastigium conscenditur. Primo veris clementioris accessu caulis exit, antequam folia prodeant, vt in petasite officinarum, & Bechio, palmũ altus, opertus candicante lanugine. Foliola quatuor, bina ex aduerso ferè sibi opposita, extant in caule, quorum alterum altero paulò demisiius est. Flos densus, ac velut congestus in globum, gracilibus peciolis insidet, caulis verticem ambientibus, ex subluteo pallescens, arrectis in cuiusque flosculi medio complusculis apicibus, subluteis. Diuanescente ac dilapso flore, emergunt folia, hirsuta, ferè quatuor, huc illuc diducta, tenui pediculo subnixa, venosa, supernè virentia, infernè abdicantia, & tomentosa, punctis quamplurimis notata, rotunda ferè margine. Subest radix, nodis articulatim siue geniculatim multis compacta, similis caudæ Scorpionis, prorsus ea specie quam Matthiolus delineauit, ac expresit. Quo sapore linguã feriat, taceo, non ausus illius mortiferæ venenatæq; herbæ gustum explorare. *Tempus.* *Forma.*

DE GVAYAVAS.

ARBOR cuius fructus est Guayauas, apud Indos & Hispanos celebratisimus est, mediocris magnitudinis, ramis sparsis, folio laurino, flore candido aureæ mali floribus simili, aliquanto tamen maiore, odorato: facilè nascitur quocunque loco seratur, adeóque luxuriat & serpit, vt in terræ vitiorum nomine habeatur, nam plurimorum agrorum gramen quod depasturi essent greges corrumpit nimio vti rubi implexu: fructus nostris malis similis est, eorum magnitudine quæ ab Hispanis *Camuesas* vocantur, viridis initio, & per maturitatem aureus, pulpa interiore alba, interdum etiam rosea: diuisus quatuor concamerationes aut vascula habere conspicitur, in quibus semina reconduntur, mespilorum seminibus similia, durisima, colore fusco, omnino ossea, medullæ & saporis expertia. Fructus edi solet prius dempto cortice, palato gratus est, sanus & facilis concoctionis: viridis in alui profluuiis vtilis est, nam valde adstringit: præmaturus aluum soluit: at medius, hoc est neque immaturus neque præmaturus, si assetur, valentibus & ægris confert, nam ea ratione paratus, sanior est gratioríque saporis: præstantior autem is est quem domesticæ & cultæ arbores ferunt. Foliorum decocto Indi vtiliter tumentia crura lauant, eodẽ lienis obstructiones tolluntur. Fructus frigidus esse videtur, propterea febricitantibus assatus datur. Vulgaris est per vniuersam Indiam. *Forma.* *Vires.* *Locus.*

BALSAMVM TOLVTANVM.

ADVEHITVR ex Continentis quadam prouincia inter Carthaginem & Nomen Dei sita, Tolu ab Indis appellata, Balsami quidam liquor, maximarum virium, & præstantisimum omnium quæ hactenus ex iis regionibus attulerunt, medicamentum. Arbores è quibus colligitur pumilis Pinis sunt similes, multos ramos quaquauersum spargentes, foliáque Ceratiæ similia obtinentes perpetuò virentia: præferuntur domesticæ & in cultis natæ. Colligunt verò hunc liquorem Indi vulnerato & inciso arborum cortice qui tenuis & tenellus est, suppositísque, & arbori adnexis veluti quibusdam cochlearibus è cera nigra in illis regionibus nata confectis, quæ emanantem è vulneribus liquorem excipiant, quem deinde in alia vascula ad eam rem parata effundũt: id verò feruentisimo sole fieri necesse est, vt liquor facilius emanet, nam noctus ob frigiditatem nihil effluit: erumpit etiam interdum ex ipsis arboris nodis & alis nonnihil liquoris, qui cum exiguus sit, & in solem decidat, perit. Porro apes quæ ceram istam conficiunt, nigræ sunt, eámque in terræ hiatibus & cauernis subterraneis elaborant. Plurimam autem huiusmodi ceram in Hispaniam deferri vidi, *Locus.* *Forma.*


qua ad paranda funalia vtebantur: sed ob tetrum quem eius fumus spirabat odorem vetitus fuit eius vsus, postea tamen in medicamenta receptus. Etenim perutilia ex hac fiunt cerata ad mitigandos dolores è quauis causa frigida prouenientes: nam tumores resoluit, & plurima alia commoda præstat. Ceterũ Balsamæus hic liquor apud Indos maximè celebris est, ob insignes eius facultates, à quibus edocti deinde Hispani, cùm miros eius effectus animaduerterent: pro re maximi pretij inde in Hispaniam detulerunt, magno illum istic redimentes, nec abs re, quandoquidem mihi præstantius esse maioribúsque facultatibus pollere videtur eo qui è noua Hispania aduehitur. Colore rubro ad aureum tendente est, mediæ inter liquidum & densum consistentiæ, glutinosus admodum, & vbicunque reponatur firmiter inhærens, sapore dulci & grato, nec si sumatur nauseam mouente quemadmodũ reliqua Balsama, odore excellẽtissimo, & limonum fragrantiam quodammodo referente, sic vt vbicunque reponatur, abscondi non possit, sed suo odore locum gratiorem reddat: etiam pauxillum in vola manus attritum, suauissimum spirat odorem vti Iasmini ferè. Eius facultates insignes sunt, quoniam incisione elicitur, quemadmodum olim Balsamum in Ægypto, ad eadem omnia ad quæ illud celebrabatur, efficax. Omnia recentia vulnera, curat consolidat, glutinátque labra, nec materiam purulentam in iis exoriri sinit: quódque maius est, nullum cicatricis vestigium curatis vulneribus relinquit, si eorum labra probè iuncta fuerint, quapropter in faciei vulneribus singularis est, quandoquidem ea sine purulentæ materiæ generatione curat, nec vestigium vllum relinquit. Primùm autem emundandum est vulnus ab omni spurcitie, & vino eluendum, deinde eius labra probè vnienda, Balsamúmque subtepidum illinẽdum, & lineus pannus duplicatus eodem Balsamo intinctus superimponẽdus, atque ita colligandus, vt labra hiare nequeant: postmodum victus ratio sit tenuis, secetúrque vena si necesse sit: quarto demum die soluatur ligatura (nisi symptoma aliquod ante soluere cogat) & vulnus consolidatum inuenietur. Quod si singulis diebus vulnus curare necesse sit, lineum pannum Balsami liquori intinctum subinde adponendo glutinabitur: etenim eius facultas est prohibere, ne materia in vulnere generetur. Præsertim verò vtile est in vulneribus in quibus confracta sint ossa, exemptis prius iis quæ separata sint fragmentis, & reliquis intactis, quoniam Balsami facultas ea expellet, vulnúsque sensim consolidabit. Miræ etiam virtutis est in articulorum vulneribus, & neruorum sectionibus, omnibúsque puncturis, etenim ea curat, atque à contractione liberat, ne partes inutiles fiant & motu priuentur. Altè penetrantia & cuniculosa vulnera curantur huius Balsami albo vino mixti per syringam iniectione, & post ternas deinde horas eius eductione: idem fit in vulneribus punctim inflictis, semel in die mediocriter calidum iniiciendo. Vtile præterea est in contusionibus, reliquísque chirurgi operam requirentibus, modò nulla insignis inflãmatio adsit: ea verò conuenientibus medicamentis sublata, balsami est vsus. In morbis chirurgi operã minimè requirentibus plurimum prodest, veluti in asthmate, haustis eius aliquot ex albo vino guttis: capitis dolorẽ è frigida causa prognatũ lenit, lineo panno eius liquori intincto, capiti circumligato: & temporibus adpositum, omnem defluxionem cohibet, in oculos præsertim, eorúmque dolores leuat, calidum admodum cerebro impositum dolorem tollit, roborat, & paralysi remedio est. Vsi sunt eo nonnulli phthisici, manè aliquot guttas è manu lambendo, magnúmque senserunt commodum, quoniam pectus egregiè expurgat. Aliquot eius guttæ ex aqua vitæ calida initio rigoris in quartanis, aut tertianis diuturnis & importunis sumptæ, vtiles sunt, sed etiam ante frigus eodem balsamo feruenti oleo rutaceo permixto ceruices inungendæ. Si quis ab orificio vẽtriculi ad vmbilicũ vsque inungatur, ventriculus

Vires.

triculus roboratur, & dolore liberatur, languens cibi appetentia excitatur, concoctio iuuatur, flatus discutiuntur: at longè maiore efficacia istud molitur, si æquales balsami & olei nardini compositi vel simplicis partes misceantur, & facilius etiam illinitur. Longa experiētia apud Indos probatum est, eos qui Hydropicorum in morem tument, si hoc balsamo æquis partibus cum vnguento aperitiuo mixto ventrem illinant, lienis regionem præsertim, magnum leuamen sentire: quoslibet tumores & œdemata cuiuscunque partis corporis resoluit: omnes dolores à frigida causa promanantes etiam diuturnos tollit emplastri modo applicatum, & continuè delatum donec sponte decidat. Eosdem effectus præbet calidè adpositum, lineóque panno, qui aqua vitæ selectissima & calefacta madeat superimposito, vbi sunt flatus siue in ventre, siue in alia corporis parte, magnæ est etiam efficaciæ in nephritico dolore, si feruēs cum aliis oleis ad eum morbum vtilibus mixtum illinatur: contractorum neruorum dolorem lenit, & si per sūmos æstus illo illinantur & fricentur, eos relaxat: parotides seu scrophulas tum cæcas tum apertas curat. Alias præterea multas facultates obtinet hic mirabilis liquor, quæ me latent, sed quas intelligere potui, vniuerso orbi notas facio, vt adeo præclaro medicamento & tam insignibus viribus prædito (quibúsque lōgè plures & maiores tempus deteget) quilibet vti queat. Donatum se ait Clusius pauxillo simili Balsamo à suo Morgano sub suum è Londino discessum anno 1581.

PLANTARVM AEGYPTIARVM ET Syriacarum eiconicæ figuræ, & historiæ summa diligentia & cura descriptæ à Leonardo Ravvolf Medecinæ doctore Augustano.

KALI ARABVM PRIMVM GENVS.



PRIMVM genus Kali Arabum ab illis *Vsnen*, ab incolis verò regionis, quæ hanc Plantam fert *Schinan*, nominatum: ex cuius cinere Sapo fit, & vitri liquandæ inflandæq; materiæ nitrosa massa: (quam Galli vocant *Soude.*) Hæc Planta surculosa est, multísque veluti ramulis tenuibus venustè dispersa, in summis virgis hinc, illinc, nodulos multos edit, sub quibus folia emergunt angusta, tenuia, acuminata, (quæ forma, & facultate, minori Kali respondent,) infernè candida, supernè cinerea. Hæc non de foliis tantum, sed tota Planta intelligenda.


KALI ARABVM secundum genus.

Forma. ALterum genus Kali, multos quoque ramulos ſpargit, & genicula plurima: Radicem habens craſſam, lignoſam, cinerei coloris.

CONYZA SYRIAE.

Locus. CIrca ciuitatem Tripolin, in Prouincia Syriæ, in multis locis gignitur, creſcítque planta, quam Dioſcorides, Græci & Latini Conyzam nominant. Ex cuius radice cauliculi multi gignuntur ad longitudinem pedis, quorum alij ſeſe erigunt, alij verò, & maior copia, in terram ſe humiliant, & proſternunt: ex quibus poſtea, nouæ radiculæ ſuccreſcunt, quæ rurſum alios caules recentes producunt, vt poſsint tranſponi. Folia huius Plantæ ſunt longa, Oliuæ ſimilia, pinguia, aliquantulum hirſuta. Odoris non exigui, ſuauis tamen, quæ ſicut & flores Conyzæ maioris ſunt ſimiles.

KALI ARABVM secundum genus.



CONYZA SYRIAE.



BRASSICAE MARINAE GENVS.

Nomina IN Hortis, & locis incultis, & deſertis, prouenit, Braſsicæ marinæ genus, ſeu Soldanellæ, quod ab incolis Meudheudi à Rhaſe, libro ad Almanſorem, Corigiola nominatur, Germani Braſsicam marinam, ſua lingua, in vniuerſum *Mierkoil* appellant. Planta hæc creſcit in

Locus. arida & ſicca terra, & locis arenoſis, habétque radicem tenuem, huc illúcque per

Forma. terram diffuſam. Folia eius ſunt oblonga & parua, non vt in vulgari, rotunda, ſed euntibus in latera venis, tanquam virgata, ad pediculum cui inſident, latiora, & quadrata, in ſummo veluti crenata. Flores ex turbinatis capitulis emergunt, qui cum adoleſcunt, in quinque foliola ſeſe expandunt.

BRASSI

BRASSICAE *Marinæ genus.*



FICVS CYPRIA.



FICVS CYPRIA.

EXTRA Ciuitatem Tripolin, conſpiciuntur variæ arbores, & inter alias, multæ à Græcis Sycomori, ab Arabibus verò Mumeitz nominatæ, harũ Dioſcor. & Theophraſtus, duo ponunt genera, quorum alterum Ficus Ægyptia dicitur, alterum verò Cypria dicitur, à loco denominatæ, vbi hæ copioſę proueniunt. Huius Cypriæ nempe, quæ & in Syria frequens, arbores ſunt magnæ, proceræ, vt etiam nonnullæ altitudinem Mori candidæ aſſequantur. Cuius folia & iis ſimilia ſunt, niſi quod paulo ſint rotundiora, & in ambitu minimè ſerrata, quater in anno fert fructus ſuos non in caudice ipſo & ramis grãdioribus, ſicut Ægyptia, ſed grominibus, ex hiſce naſcentibus. Ficubus ſimiles, minores tamen, Pruni magnitudine, dulcioréſque. Qua de cauſa, cum minus eſui apti, viliores habentur. Inopi tamen plebeculæ venales exponuntur. Amant valles, & loca plana.

Locus. *Genera.* *Forma.*

PLANTA RARA
Plantagini longè ſimilis.



PLANTA *rara Plantagini ſimilis.*

DEſcriptionem Plantę addere nolui, ne ob vires occultas, quas attribuit Dioſc. Veneficis innoteſcat, & in abuſum veniat, quæ non tantum hac præcipua nota, quod eiuſdẽ primæ ſpeciei folia areſcẽtia, ad formam vnguiũ Milui exanimati, ſeſe cõtrahunt cognoſcenda, ſed & reliquis omnibus, quas attribuit Dioſco. Eam ob cauſam, illam tantam nomine, Græcis characterib⁹ impreſſo, inſcribere volui.

CYPRVS GRAECORVM.



Nomina VIDIMVS quoque arborem nostræ in Germania *Beynholtz* seu *Mundholtz* nominatæ similem: à Latinis Ligustrum, ab Arabibus & Mauris *Alcanna* seu *Henne*, à Græcis nunc publico & communi vocabulo *Schenna* nominatur. Ex Locus. Ægypto, & præcipuè ex Cayro, vbi copiosa prouenit, eò defertur. Hanc Turci & Mauritani, propter gratum & suauem odorē Muscho similem, quē flores exhalant, diligenter in vasis custodiunt, & Hyeme, ne frigore pereant, in cubiculis, & subterraneis locis, seruant. Flores Forma. eius sunt pallidi, subflaui, duobus digitis lōgiores & tenelli, quatuor foliolis paruis constant. Ramuli flori concolores extant, quibus acuminatis lęuigatis dentes purgant, & in eum vsum, vendunt. Folia tota Hyeme durant, ex quibus, Succo Citriorum madefactis, liquorem eliciūt & recondunt, quo vngues digitorum, & capil-Vsus. los infantium, festis diebus, rubro colore, vt etiam equorum iubas & caudas, Turcarum more, tingunt. Ex radice huius arboris trita, vel vsta, Arabes Spodium parant, cuius Auicenna capite 17. meminit.

PLANTA LACTARIA.



Forma. HAVD procul ab Horto quodam, oblata nobis est incognita Planta Lacte turgida, cuius flores & folia, deciderant: Alta illa fuit cubitos duos, extrinsecus à summo ad radicem vsque scabra, nō quidem tota, sed hinc inde scabrities illa apparet quam pictura ostendit. Sicca & intus concaua, Sambuci modo: coloris è flauo virentis, multos habuit ramulos, recta sursum se attollentes veluti arundinaceos tubulos, compactos, non geniculis, sed scissura aliqua manifesta, ac si studio cultello esset facta, in interiore parte apparente, quæ ramis grandioribus inseruntur minores, separatim fusos, intus Lacteo succo plenos, qui succus acrius pungit, quàm Tithymali lac, aut Esulæ. Ab Tucolis, nomen eius, quamuis sæpe percuntatus sim, scire non potui. Tandem, vt ex multis signis & coniecturis cognoscere licuit, iudicaui, hanc Plantam Nomina esse Xabra, & Camarronum Rhasis, *Tanaghut*, & *Sabeam*, ab Arabibus vocatam, cuius, Rhasis, sæpius mentionem fecit.

MELANTZANA ARABVM.

VIDIMVS quoque Plantam, Melantzanam, ab Arabibus *Melongena*, seu *Bedengia*, nominatam, trium generum, colore distinctorum, nempè Cinereo, Flauo, & ferè Purpureo. Fructus oblongos, curuos, longæ cucurbitæ similes, procreat, & cuiuscunque generis sunt, inter se forma non discrepant. *Nomina.* *Forma.*

MELANTZANA NIGRA.

MELANTZANAE nigræ, duo genera, Mauri vocant *Bathleschain*. Fructus longus, altus, aliàs rotundus, colore nunc atro, nunc subnigro, cortice læui, & procul intuenti, splendido, qui, vt Auerrhoes inquit, salubrior est coctus, quàm crudus. *Forma.*

MELANTZANA, *Arabum Melongena.*



MELANTZANA *Nigra.*



SECACVL ARABVM, PASTINACA SYRIACA:
Germanis Gerelen, siue Siseris Species.

EXTRA Halepi hortos gignuntur duæ raræ plantæ, quæ quia, in vulgaribus cibis commendantur, inter Hortenses poni, numeraríque debent. Harum altera quam Arabes nominant *Secacul*, extra vrbem Halepi, in locis opacis & sub arboribus, & in segetibus, reperitur. *Locus.* Radice læui, fragili & tenera, foris coloris cinerei, & intus albi. Carne lenta, molli, & tenera. Ei crassities, digiti, sesquidigiti longitudo, pro fibris sunt, quædam tubercula, *Forma.*

cula, parua rotunda, instar verrucarum, grati, & dulcis saporis, qualis est nostræ Pastinacæ flauæ, cui carne, caule & vmbella valdè similis est, sed floris colore flauo, qui in Pastinaca nostra, candidus est. Radices, circumferanei seplasiarij, vêre, filo connexas, & asseruatas, publicè, multas magnaq; quantitate vendunt, & distrahũt.

PLANTA SPINOSA, MAVRORVM ALHAGI.

Nomina PLANTA rara Spinosa, Maurorum, *Alhagi*, *Agul*, & *Algul*. In eius fronde, præcipuè apud Persas, colligitur Manna, quam illi *Trunschibin*, Arabes verò *Tereniabin* & *Trungibin* vocant, multis spinulis rubris ea

Locus. liquata manum tractantis, pungentibus. Circa ciuitatem Halepi, Plantæ spinosæ multæ, nascuntur cubito altiores, ramulis teretibus, & rotundis


Forma. quamplurimis, multis tenuibus & molliusculis hinc, inde, spinis rigentibus. Spinæ quibus riget Planta hæc, sunt subcinericei coloris quemadmodum & folia, quæ Polygono sunt simillima sed siliquulas habet rubras, quæ & semina eiusdẽ coloris continent, quibus etiam hæc Manna scatet. Flore purpureo, ex capitulis paruis & rubris, quibus oriuntur siliquulæ, scorpiodi, vel Coluteæ Scorpiodes simillimæ. Intus eiusdem coloris semina concluduntur. Radix mediocriter longa, fusca. Folia longiuscula, Gramini vel potius Polygono similia, cinerei coloris, circa spinularum radicem exeunt. Sicut Cuscuta variis sese implicat plantis, ita hac spinam illam fere totam circumuolutam reperi. Temperamento, calida & sicca, incolæ,

Temper. decocto horum foliorum, corpus purgaturi vnius manipuli decoctum, in aqua fontana, pauca paratum, bibunt. Manna, quæ his arboribus illabitur, Tiriamiabin à Costa vocat, cap. 66. & Carduis insidere, scribit.

SECACVL ARABVM,
Pastinaca Syriaca.



PLANTA SPINOSA,
Maurorum Alhagi.



SAFSAF

SAFSAF SYRORVM.



Hoc rarum genus Salicis, extra ciuitatem Halepi nascens Incolis Saffaf nominatur. Multæ hæ arbores ibi crescunt, magnitudine inæquales, sed trunco, ligno, ramis similes Betulæ, & præsertim virgis, quæ lõgæ, prætenues, flexiles, pallentis, subflaui, aut sublutei sunt coloris, quibus insunt folia oleagina, supernè virentia, infernè candicantia, Vitias similia, & in caudice, ramisq; grandioribus germina, instar Ficus Cypriæ. At non sunt illa sine foliis, è quibus in Vere prodeunt, flosculi tenues, molles, & lanuginosi, populi albi, pallidi, & iucundi odoris. Incolæ hos flosculos, eo quòd nullum ferãt fructum, auellunt & colligunt, aquamq; ex illis igne eliciunt, cordi roborando conuenientissimam & valentissimam. Has arbores Arabes vocant *Zarneb*, & *Zarnabum*, vt Rases cap. 353. & Auicenna ca. 749. Serapio verò cap. 26. cõmuni nomine *Zurumbeth*, prout ex eorum scriptis cognoscimus. Arbor hæc non videtur esse Ziziphus Cappadocia, quam etiam eodem ferè loco sub nomine Seisefun describo. Siquidem hæc quæ & in Syria frequens, fructifera, illa verò cuius suprà mentionẽ facio, sterilis est. Præterea memini me & Ziziphi speciem aliam describere, folio 461. Hœdœporici mei, quam & in finibus Tyri & Sidonis reperi, quæ videtur omnino respondere Paliuro Theoph. Ibi, qui præterea quid cupiet plura inueniet.

Forma. *Nomina*

MORGSANI SYRORVM.



Plantam hanc raram, Syri Morgsani vocant, aspectu pulchram, ac elegantem, valde virentem, mediocriter crassam, & frondosam, radice longa, minimè succulenta, sed sicca ligniferæ modo, ex qua cauliculi aliquot erumpunt. Foliis rotundis Cappari similibus, vtrinque binis semper, & eodem ortu, vt in Faba. Inter hæc prodeunt flores, intus rubri, extrinsecus albi, quibus succedunt siliquæ oblongæ, quales Sesami. Plantæ toti ingratus inest sapor odórque grauis, incolæ illa vtuntur lumbricis necandis, & depellendis. Quo autem nomine Veteres illam appellarint, dubitant, imò nesciunt. At ego, ex descriptione, & facultate illius suspicor esse Ardifrigi Auicennæ, & Andirian Rhasis.

Forma. *Vsus.*

ANEMONES GENERA.

Forma.



ANEMONES genera, floris rosei, lutei, purpurei varietate, distincta, aspectu pulchra, quæ Arabes Sakaick vocant. Iisdem locis nascuntur genera aliquot Anemones venusta ac insignia, vario floris colore, aliâs rubro, aliâs purpureo, nonnunquam luteo, quæ incolæ communi nomine Sakaick appellant cognomen addentes è floris colore sumptum, Sakaick achmar, Sakaick alfar, Sakaick aserach, id est, Anemone, rubra, purpurea & lutea.

ASTRAGALVS DIOSCORIDIS, vulgo Christiana radix.

Genera.

REPERIVNTVR iis in locis, Astragali genera duo, alterum foliis paruis Hedysari, siue Securidacæ, aut quomodo quidam pronuntiant Securidatæ: alterum, quod descriptioni Dioscoridis omnino respondet, ac ideo mihi verus Astragalus esse videtur. Frutex est exiguus, radice fusca, longa, magnitudine Raphani grandioris ex qua prodeunt cauliculi nigri, ipsa radice duriores, alij in terram inclinantes, alij in altum assurgentes, fastigio, velut in cornua diuiso, gustu dulci, cum mediocri siccitate & adstrictione. Cauliculorum qui è radice nascuntur, & in terram flectuntur, idem est color, longitudo verò digitalis. Ex iis spissi veluti ramuli diffunduntur, in quibus folia Lentis aut Orobi, ex aduerso, bina semper, nouem ferè aut vndecim. Flos, purpureo, fusco & cæruleo, distinguitur. Semen, in folliculis densis & carnosis, flatu distentis, Coluteæ modo, continetur. Depictæ radici non dedit proportionem, quamuis enim exigua sit Planta, minor tamen longè apparet in eicone, quàm in viua.

ASTRAGALVS DIOSC. vulgo Christiana radix.

Forma.



CHON

CHONDRILLAE, ALTERVM GENVS DIOSCORIDIS.

IN Agris cultis, & terræ aggeribus naſcitur ſecundum genus Chondrillæ Dioſcoridis, radice rotunda, ſatis craſſa, læui, nigra, aut fuſca, cum in altum excreuit, forma & craſsitie vnius digiti. Longitudine digitorum quinque, ac interdum octo, tanquam bulboſo, infernè tuberculo, Caſtaneæ ſimili, quod Lacteum ſuccum fundit. Ex ſumma radice, cauliculi ferè tres oriuntur, folia Graminis, longa, tenuia, multa in terram flexa, flos luteus, ac flauus, auriculæ Muris ſimilis, inter illa prodit: florum cuique ſuus eſt pediculus. *Locus.* *Forma.*

CONDRILLAE ALIVD GENVS DIOSCORIDIS.

NON procul ab iis locis quæ memoraui, in Agris lapidoſis & aridioribus, prouenit alterum genus Chondrillæ Dioſcoridis, ſuperiori, quam deſcripſimus, radice & flore ſimilis. Foliis vero, quæ ſola differentia eſt, latioribus & craſsioribus, colore cinereis, & ferè talibus, qualia nos in Holoſtio Mompelij vidimus. *Locus.* *Forma.*

CHONDRILLAE, *alterum genus Dioſcor.*



CHONDRILLAE, *aliud genus Dioſcor.*



CHRYSOGONVM DIOSCORIDIS



Forma.

CHRYSOGONVM Planta rara, inter Segetes, ad cubiti altitudinem consurgit, quam flore, caule, & tuberosa radice, quæ intus rubea, Leontopetalo valde similem comperi, differunt tamen inter se, eo quòd Chrysogoni caulis, exilior & tenuior est, in plures veluti surculos diuisus, à se inuicem separatos, in quorum vertice aureus flos emicat, coronis aptus, formosior, & copiosior, Verbasci quàm in Leontopetalo maiores. Exeunt ex radicis superiore parte, qua è terra prosilit, tres aut quatuor ferè surculi. Plerumque quatuor apparent, nec memini me tres reperisse: fili modo tenues, in quibus folia sunt ex aduerso vtrinque bina, obscurius virentia, humi strata, in summo & extremo, qua parte latiora sunt, Quercus modo dissecta.

LYCOPSIS DIOSCORIDIS.



Locus.

Forma.

IN eodem agro, vidi plantam raram, Cynoglossi genus, & vt arbitror veram Lycopsin Dioscoridis, radice rubra, caule recto, bicubitali. Foliis multis, asperis, duris, Rubi modo, aut Syluestris Cynoglossi scabris, propè radicem in orbem circumiectis & distentis, superiori parte caulis, non sic dispositis, sed hinc inde è caule prodeuntibus, & in summo & vertice acuminatis, surculis paruis, tenuibus, numerosis viginti, aut pluribus, nudis, folioq; nullo vestitis, vt in Echio. In horum summo, flores purpurei micant, exiles, extrinsecus minimè diuisi, intrinsecus verò in sex foliola dispertiti, vt in Syluestri Bethonica.

MAVRO


MAVRORVM RHASVT, ET RVMIGI.



DESCRIPTAE Lycopsidi, vicina fuit planta rara, & nobis incognita, quam Incolæ Rhaſut & Rumigi nominant, odoris exigui, ſed haud quaquam grati. Ramulos habet *Forma.* albicantes, plerunque quatuor, aliquando plures, prope radicem, fili modo, valdè tenues. Folia circiter ſeptem, vel octo, tenuia, mollia, cinerei coloris, ex aduerſo bina, ab vtraque parte ſita & inuicem ſibi obiecta, magnitudine, longitudine, & inciſuris, florenti Filici ſimilia, niſi quòd adnatas habent, ad exortum ſuum, Lacinias duas, velut auriculas quaſdam rotundas, omnino folij principio cohærentes & coniunctas, vt in Saluia minori. Qua parte, folia cauliculo adnexa ſunt, exeunt flores Ariſtolochiæ ſimiles, aliquanto maiores, colore magis fuſco, & longiore pediculo ſubnixi. Radix longa, ſatis profundè demiſſa, guſtu amara, vnde cognoſcimus, eam ſiccare, & nonnihil calfacere. Plantam hanc non incommodè ad Ariſtolochias referri poſſe exiſtimo.

TRAGIVM ALTERVM DIOSCORIDIS,

Secudes & Sucudus Auicennæ.



CIRCA riuulos & aquoſa loca, nõnunquam & in Montoſis, frequẽs *Locus.* naſcitur Tragium alterum Dioſcoridis. Radice longa, tenui, candi- *Forma.* da, ex qua prodeunt lignoſi tanquam ſurculi graciles, digito non longiores, à quibus conſurgunt folia multa ſimul longa, quæ rurſum multis foliolis à latere vtrinque diſpoſitis cinguntur, Saxifragiæ rubræ, Trichomanis modo, paulò longioribus. Cuiuſmodi in Aſpleno apparent, quæ lanuginoſa, præſertim minora, quæ inter alia oriuntur. Flores huius Plantę iam primum tum temporis incipiebant apparere, ita vt nondum potuerim illos exactè cognoſcere. Flos violaceus & fuſcus, oui figura ſtipatus, ſui & peculiaris pediculi faſtigio, euehitur. Incolæ hanc plantam Secudes appellant, quo nomine & Arabibus fuit cognita præſertim Auicennæ, *Vſus.* cap. 679. qui facultatem illi aſtringentem attribuit, & Dyſentericis vtilem eſſe tradit. Aliam tamen Plantam ſuprà deſcriptam, Secudes Arabum eſſe, quidam potius exiſtimãt.

LILIVM ALBVM SYRIACVM.



Forma.

ADIVNGENDAM his Plantis duxi raram Lilij albi speciem, & imaginem, pingendam, quam Pharmacopolæ ciuitatis Halepi, narrant in locis aquosis prouenire. Caulis procerus est, crassitie & colore Lilio nostro similis, sed latior, præcipuè circa verticem, qua in parte, latitudinem, trium digitorum excedit. Vndique quantum porrigitur emergunt, folia tenuia, longiuscula, tenella, & quæ facilè decidant. In eius summo fastigio aliquot flores candidi, nostratibus, similes visuntur. Hanc Plantam, quidam esse volunt Lilium à Theophrasto memoratum, lib. 4. cap. 9. Cæterum de Stratiote aquatico Theophrasti, verba intelligenda sunt, cuius meminere, Athenæus lib. 14. & Plinius cap. 15. lib. 24.

GARAB MAVRORVM.



Forma.

GARAB Maurorum, rarum & peregrinum Salicis genus, è quo Aphronitrum, Salem Petræ vocant optimum fit igniario puluerí parando, quo in bellicis tormentis, pilis excutiendis vtuntur. Appicta Plāta rarum & exoticum genus est Salicis. Incolæ apud quos nascitur, etiam nunc veteri Arabum nomine Garab vocant. Hæ Arbores non multum se in altum attollunt, sed humiliores huc illúcque diffundunt virgas crassiores, & firmiores, quàm nostrarum Salicum, ideóque minus vegetas, & ad ligaturas aptas, cortice luteo vtcumque pallescente, quem & folia habent, quæ ad Palmum longa, duos digitos lata, in ambitu serrata. Attriplicis modo duos digitos longis, qua nota ab aliis Salicibus differunt: modicè quod obseruare potui, siccant & adstringunt folia. De fructibus & floribus, (quorum Auicenna cap. 326. & cap. 686. meminit) quoniam ego, tum temporis nec vidi, nec quicquam aliunde cognoui, nil certi scribere possum.

Vires.

TRIONON

TRIONVM THEOPHRASTI.



IN agris Planta rara gignitur, ob altitudinem facile ſpectabilis Seſamo non diſsimilis, ſed caule longiore & craſsiore. Foliis aſperioribus circa extremum, in tres partes à ſe diſtantes & ſeparatas, fiſsis, quod in Seſami foliis Salici, longitudine & colore ſimilibus, non conſpicitur. Ex imo foliorum, eo quòd certis interuallis prodeunt, emergunt Flores, aſpectu pulchri, foris, lutei coloris, cum rubentibus viuulis, intus verò, purpurei ad fuſcum vergẽtes, in quorum medio extant parui torulei, quibus poſt florum lapſum, vaſcula ſuccedunt in modum ſiliquarum, longitudine ferè & craſsitie digiti, extrinſecus aſpera, & in ſummo acuminata, intrinſecus in quinque veluti loculos diuiſa: quibus continetur digeſtum ſemen omnino Piſis ſimile ſeminibus Maluæ, vel Ibiſci, quod pro Abutilo Auicennæ habetur. Planta hæc ab illis, *Lubie Endigi* id eſt, Indicus Phaſeolus vocatur: ni fallor, puto eſſe Trionum Theophraſti, cuius ille ſæpe mentionem facit.

Forma.
Nomina

TEREBINTHVS INDICA, *prior Theophraſti.*



IN officina pharmacopolarum, Terebinthi fructus paſſim venduntur guſtu piſtaciis ſimili. Incolæ iis veſcuntur vbique, vt noſtri Germani Auellanis. Ego cùm manderem, lenẽ ſalſedinem in iis cum mediocri ſiccitate, deprehendi. Arabes *Botin*, Perſæ *Therbaick*, nominant. Horum duo ſunt genera, magnitudine diſtincta, maiores quidem Arabes, vt differentiam indicent, *Botin quibir*, id eſt, magnos, minores, *Botin Sougier*, id eſt, paruos, appellant. Maiores, figura ſimiles ſunt noſtris Piſtaciis, mediocri magnitudine, non tamen ſic longi vt Piſtachia, ſed globoſi magis. Minorum ea eſt magnitudo, vt quæ Piſi habitioris, forma turbinata, vt Cordis, ſiue Milij Indici, quorum magnus eſt in Perſide, Meſopotamia, & Armenia prouentus. Quæ hos fructus proferunt Terebinthi, vbiuis hîc naſcuntur, folio, aliàs longo, vt in Terebintho noſtrate, aliàs maiore & rotundiore, quale eſt Piſtaciorum ſequentis arboris depictæ, quibus folia ſunt ſublonga, vt in Terebintho noſtrate, non vt in Piſtachiis rotunda: ita vt hæ primo intuitu, dignoſci hiſce poſsint.

Nomina
Genera.
Locus.
Forma.


RIBES ARABVM, *cum suis Capreolis.*

Locus. IN editißimis locis montis Libani, præter Scortzoneram, luteo flore & Tulipam, sub flauis Ribes veram, ego quoque reperi, sed Autumno incommoda Plantis inuestigandis anni parte, sine flore, ac semine, duobus tantum foliis recenter enatis, asperis, rotundis, Peta-*Forma.* siti similibus, pediculo quidem breui, subnixis, sed craßiusculo: radice satis longa, magna, dura, incurua, rugosa, colore fusca, saporis, odorísque ingrati. Gaudet humidis & opacis locis. E iunceis huius plantæ Capreolis, extrinsecus scabris, & ruuidis, supernè virentibus, infernè rubris, quod etiam tradit Serapio. Caulibus fructu & foliorum pediculis, succus acidulus exprimitur, vt ex nostratis Ribes vua & acinis, quo Rob Arabes parant, viris primariis, ac ditioribus, quod in magno pretio habetur.

TRAGACANTHAE ALTERVM GENVS.

Locus. DIGRESSIS à monte Libano in descensu occurrerunt tria Tragacan-*Genera.* thæ genera. Quorum primum, cuius doctißimus vir Carolus Clu-*Forma.* sius meminit, veræ videtur esse simillimũ. Alterum illo quidem humilius, forma tamen, aspectu & habitu, haud dißimile, nisi quòd flores flauescunt, ex rotundis & subflauis, tanquam vasculis exeuntes, & per tenues surculos, vtrinque impari exortu, sint dispositi. Tertium est altitudine & statura simile secundo, ramos habet densos, oblongos colore, fusco in quorum vertice, capita multa subalba visuntur, qualia sunt Poterij cũ floribus, purpureis & speciosis.

RIBES ARABVM, *cum suis Capreolis.*



TRAGACANTHAE *alterum genus.*



MEDIVM

MEDIVM DIOSCORIDIS, VEL MINDIVM RHASIS.

VLterivs progrediendo, in locis obſcuris, vmbroſis & opacis, *Locus.* inter arbuſta, vidimus Medium Dioſcoridis, ſeu Mindium Rhaſis, inſigni proceritate, Violæ Marianæ, Dodonæi, ſimile, foliis Plantaginis minoris, valdè Laciniatis, à ſe inuicem multum ſeparatis, flore *Forma.* lato & amplo, purpureo, nonnihil albicante, foliolis octo recluſum & apertum, cingentibus. Maturum ſemen videre & colligere, non licuit. Hiſtoriæ Dioſcoridis prorſus hæc planta, conuenire videtur.

BACCHARIS DIOSCORIDIS.

PLanta hæc, quam pro Bacchari Dioſcoridis nos oſtendimus, fruticoſa eſt, altitudine cubitali, foliis lanuginoſis & albicantibus, Verbaſci modo, eo minoribus, quæ veluti exculta, ſima ſui parte, ſine pediculo, caulem amplectuntur, vt in Nicotiana ſiue Tabaca. Flos in ima parte, & ſummis virgis nitet, purpureus, ſubalbicans, denſus & valde *Forma.* ſtipatus, qualis Elichriſi, vel auriculæ muris, ſeu Piloſellæ Fuchſij. Radicem effodere non potui. Ea ſi Veratro ſimilis eſt, & odorata, vt videtur eſſe, prout ex paucis fibris in illa relictis apparet, veram Dioſcoridis Baccharim eſſe iudicarem.

MEDIVM DIOSCOR. *vel Mindium Rhaſis.*



BACCHARIS *Dioſcoridis.*



GINGIDIVM DIOSCORIDIS.

Forma. GINGIDIVM illud nostrati haud absimile est, sed folio fœniculi tenuiore, gustúque amariore, quàm syluestris Pastinacæ nostratis, cui in cacumine vmbella alba, & in medio purpureũ quiddam apparet è quibus semen prodit, quod altera parte inter squamulas, quibus, quasi corolla circumdatum, extuberat forma rotunda Coriandri, minori tantum, quo maturescente, tota sese contrahit vmbella, radix parua, candida. Ex his scilicet notis Gingidium Dioscor. esse ego censui.

MAVRORVM BELLAN, FORTASSE
Sanguisorba Spinosa.

Locus. FRVTEX in decliui montis Libani parte nascens, surculis compluribus cubitalibus, foliis tenellis, longiusculis, in pediculis ordine ex aduerso positis, supernis vtcunq; virentibus, infernè cinereis, nostræ *Forma.* Pimpinellæ, Sanguisorbæ similibus, cui hæc Planta, tam forma, quàm viribus, astringente námque & exsiccante, videtur admodum respondere. In summis ramulis eminent spinæ, è quibus aliæ deorsum, aliæ ad latus, quamplurimum autem sursum spectant. Ex iis tempore Veris præsertim eminentioribus, flosculi prodeunt, è viridi pallentes, stellati, quibus succedunt baccæ albicantes, magnitudine Piperis, cum rubore nonnihil conspersæ, racematim coherentes, vt in vuis *Nomina* Ribes nostratis, quibus similes sunt. Bellan Incolæ nominant, quidã Hippophaën Dioscor. esse existimant, sed, quod in multis descriptioni non respondet, inter Pimpinellæ, Sanguisorbæ species videtur recensenda.

GINGIDIVM, *Dioscoridis.*



MAVRORVM BELLA *fortasse Sanguisorba spinosa.*



BEHMEN ABIAD ARABVM, Id est, BEHEN ALBVM.



ELEGANS genus Limonij.



AD radices Libani, vmbroso solo & aquoso, gignitur verũ Behen album Arabũ, quod etiam hodie incolæ, Behmen Abiad vocant, vt Behen rubrum, Behmen Ackmar: ea planta, instante iam Hyeme, ferè interierat, multis ramulis & foliis exsiccatis & arefactis, verùm alio loco, noui ramuli & surculi extiterunt, vt Veris tempore germinare solent. Folia, magna, longa, spissa, qualia Oxylapathi. In horum ima parte, folij Laciniæ quatuor, ex aduerso binæ: at quæ ex caule superiori nascuntur, longitudine cubitali amplectuntur illum sine pediculo, vt in Perfoliata vulgari, & Smyrnio Cretico. In caulis fastigio, surculi prominent, cum foliis minoribus, oblonga, flaua, squamosa capitula sustinentes, è quibus prodit flauus quoque flos. Radix longa, geniculata nullis capillata fibris, serpit instar Glycyrrhizæ, quã æmulatur & forma & crassitie, sed intus alba potius, quàm flaua. Quod autem scribit Auicenna huius Plantæ radices contrahi & corrugari, conspicitur id quidem, in crassis & inueteratis, non in gracilioribus, & nuper enatis.

Locus. *Tempus.* *Forma.*

ELEGANS GENVS LIMONII.

IN opacis & humidis locis nascitur elegans genus Limonij, decem aut duodecim foliis, Spleno similibus. Radice oblonga, extrinsecus fusca, intus rubra, duobus aut tribus ramulis, inter folia exorientibus, cubitum altis, in quorum vertice multi surculi emicant, cum tribus foliis longis & tenuibus, quæ illos circumdant, flore purpureo aspectu pulcherrimo, flores & surculi siccandi vim habent. Eos mensis apponunt, incolæ pro acetariis, folia tantum.

Locus. *Forma.* *Vires.*

SCHEHA

SCHEHA ARABVM, ABSINTHII GENVS.



Locus. CIRCA Bethlehem prouenit, copiosum Absinthij genus, foliis cinereis, quale est nostratis: ramulis tenellis multis, in quorum

Forma. vertice, semen copiosissimum est grauis odoris, qui nauseam moueat, etiam valde molestam, gustu acre, salsum, amarum. Hanc Plantam Arabes *Scheha* vocant. Semen huius minutissimum est, semen Zina, lumbricis necandis vtilissima: quamobrem semen contra vermes Mercatores, qui vendunt & emunt, nuncupant.

FINIS APPENDICIS.

INDEX APPENDICIS
HISTORIÆ GENERALIS PLANTARVM.

FINIS.

LECTORI.

Nonnulli negligentiæ crimen pertimescentes sub librorum finem Errata subiicere dubitant: ego autem aliam sequutus viam, malo delicta paßim in his impreßis admissa, Erratis ipsis ad calcem adnexis & repræsentatis, liberè ingenuéque profiteri, quàm hæsitantem, suspensum, & in erroribus perquirendis solicitum tenere Lectorem, vtq; facilius exactiúsque, suo loco & tempore, menda quæque emendare & corrigere poßit. Vale.

ERRATA PRIMAE PARTIS.

Prior numerus paginam, posterior lineam indicat.

Repone, procul. pag. 30. lin. 4
Gallis. 32.48
corbésq; ex ea, ac. 35.30
Serbin vocãt, Galliç. 36.9
Cedria itaque. 38.9
ἔχει alterum redundat. ibid.45
repullulat. 43.32
Boëmis. ibid. 42
κώνυς. 44. 2
Boëmia. 45.12
ἡμέραν εἶναι. 47.1
ἤ. ibid. 3
fissile rimis. 49. 41
ἀρκαδίαν. 50.29
ὅτι bis. ibid. 30
εἶναι. ἔχειν. παχύτερον. ὑψηλότερον εἶναι. ὀλίγα τι μᾶλλον ἧττον. κυώδη. πόνηλω. ibid. 31.32.33.34.35. 36. & 41.
γένυς καὶ ἡ. 51.44
καταπλασσόμενος. ibid.47
καταπατήμενος. τὰ αὐτὰ. & φλοιὸς. ibid. ead. & 49
στρόβιλυς πρόσφατυς. στροβίλων. πιτυίδες ἢ καλοῦνται ὁ καρπὸς. καρπὸν. λιγμὸς μετ' ἄνδρ. 52.22.26. 40.43.45.
frigiditatémque aëreæ. 53. 10. & 11.
ἔχει. 54.9
κωνέας. ibid. 12
compactilibus foliatísque. 56.20
Vitruuio & Vitruuij, atque ita semper. ibidem. 28. & 36.
exsiccat. 58. 40
vtpote. ibid. 41
mordere. ibid. 43
sæpe bis. 59.1. & vlt.
harum rerum peritis, à Cupresso. 60.40
plerũque, bis. ibi. 33. & 44
codicibus. 62.46
Terebinthina. ibi pen.
æmula. 63. 18
Mastix. ibid. 41
codices. 64. 18
αὐτὶ. 65. 5
αὐτῶν. 67.50
συρίσκεσθαι. ibid. 31
ῥίνημα. 68. 34
pletique ibid. 40
Colocinthidis. ibid. 42
coërcet. 69 24
ἡ ῥητίνη. ibid. 39
condîta. 73.16
ac bis facta Pix. 75.7
vtrumque. ibid. 37
συναλείφειν. ibid. 38
ἡ μίλος. 78.16
σμίλος. ibid. 17
æreus. 79. 10
nostrâs bis. 80.28. & 29
nostrâs. 81 2
κάταγμα πωροῖ τάχ. ib. 41
ἡ, ter. ibid. 46
vt malagmati. 82 10
ἡ. ibid. 26
πτελέας ὑγρὸν. ibid. 27
ἐκβλάστησιν. ibid. 31
& iülum. 84 9
πάσχειν. ibid. 37
πωλοῦντας πᾶν γοῦ εἶναι. 85.2
Scillæ. ibid. 26
κερὰτς nõ siliquata. 86.7
iülos. ibid. 14
Acheronte. ibid. 16
iüli, bis. ibid. 23. & 28
Ruellij. 87. vlt.
Porrò semen tum Resina. 88.43
αἰγείρινον. 89. 4
φίλυρα. ibid. 11
φύλλα. 90. 39
ἐσθίει. ibid. ead.
Phillyrea cõfudisse quã Phillyream, atque ita semper. ibid. 43
φίλυρα. ibid. 48
tẽperamẽti. Foliorũ. 91.3
quæ de Phillyrea. ibi. 11
fasciis tiliaceis. ibid. 39
Cinesiam. ibid. 40
iülos. 92. 18
bitumine. ibid. 38
pædagog. ibid. 44
baculos. ibid. ead.
σφένδαμνος. 94. 21
ῥίζαν. 96. 14
quamobrẽ baculũ. 98. 9
nec maturus. ibid. pen.
οὐκ ἔχων, ὥσπερ. 100. 3
οἷον. ibid. 6
ἂν εἶναι. ibid. 10
Pyri. ibid. 22
ex illo genere. ibid. 26
nucleúsque. 101. 4
plantarum. ibid. 38
Laburnum. 104. 4
æmula. ibid. 31
ὁλοσχερὲς. 107. 12
Labrusca. ibid. 29
quibusdã canaliculati. 109. vlt.
μάλιστα. 113. 14
condîta. 114. 44
Canis ortum. 115. 16
atque præst. 116 11
segestribus. ibid. 23
deceptus, idest, ver. ib. 30
ἐν αὐτῷ ἱερώδυς (κα. &c. 121. 44
absque interna illa lanugine: hæc. ib 45 & 46
folia digitis trita. ibi. 47
eiusdémq; fructũ 122.33
μεταξὺ. ibid. 36
nõ alibi nascatur. 123 16
haud æquè. ibid 48
quina in flore folia, sine parenthesi. 124.35
ῥόδων ter. 126.3.5. & 6
Seri nec pro serineæ. 127 lin. 24
Scribit & is. 130. 18
herpetas. 142. 37
incolæ. 150. vlt.
φιλαιλαῖαν bis. 153. 29
geminum. 154. 18
Peruuianis. 164 3
secundam. ibid. 35
εἶναι. 165. 12
Cratægon. ibid. 23
plaustrorũ axes. 166 19
λῶτον. ibid. 47
spartium. 168. 3
angustioráque. 169. 2
dolentia sanat. ibid. 47
ἀδράσιννι. 170. 11
coqui debet. ibid. 26
spartij modo striatos. 171. 14
Cientibus. 172. 37
Camæspartium. 175. 16
Hispanico sparto. 177. 38
flore, semine. ibid. 44
ἁλμυρὸν & ἁλὸς. 179. 13
nascens. ibid. 27
maioris, delendũ. 183. 41
procumbens. 189. 15
ψευδόμ. 197. 1
οἴνῳ. 199. 17
δάφνη. 203. 17
ῥαχίας. 208. 40
solùm. 222. 2
οἴνῳ. 246. 14
τημιώτατον. 253. 18
Conuoluuli. ibid. 47
Alarders. 257. 43
genus ex his priores plãtas. ibid. 45
δυσονώτατον. ibi. ead.
pag. 258. lemmata ita reponenda: primũ, *Philyrea maior Penæ tertia Clusij, Philyca prima:* alterum, *Philyrea minor Penæ, quarta Clusij Philyca secunda:* tertiũ, *Philyca tertia Dalechãpij.* initio.
censet quomodo. 265. 31
ἀπὸ τῆ. 271. 12
rotundis. 272. 36
densiores. 274. 26
aptissimæ. 275. 19
Segusiani. 276. 17
αὐτὴν. 279. 27
corpori. 282. 32
exiguæ, breuésque siliquæ. 283. 36. & 37
Miluana. 290. 41
quantum. 296 39
ἐσθίεται. 297. 48
putridos. 302. 24
pyrus. 306. 28. & 29. 307. 16. 308. 10. atque ita semper.
ἀνθέων. 313. 41
nisi iuuantur. 314. 43
perticis. 322. 15
Putamen. ibid. 27
μίγνυται. ibid. 37
subducendi. 323. 22
γσύσεως. 341. 26
corruptos. 346. 21
αὐτὴ. 347. 12
zizyphis vtuntur ad tussim. 357. 38
macie. 362. 11
Caryotarum. 364 42
insignis. ibid. ead.
Caryotæ. 367 pen.
excruciare. 369. 2
πολὺν. 372. 14
βοιῶτις. ibid. 27
ὄγχνη. ibid. 28
ἀέρι. ibid. 29
quidem. 373. 41
αὐτόπυρον. 375. 9
τροφὴν, & ἐνθρύπτειν. ibi. 34
factilia. 381. 39
Robus. 395. 33
τυρῷ. 400 2
ὄρυζα & ὄρυζον. 407. 21
scrutarius & improbus. 408. 37. & 38
Phœnix folia. 416. 18
μᾶλλον. 474. 12
ἴσως. 484. 14
Aphace. ibid. 35
Chrysitin. 485. 31
plantas. ibid. vlt.
Secatur. 489. 22
fruticans. 494. 14
Palladius. 495. 15
dissolutiones. 496. 18
ἐρεβινθώδης, καὶ οὐκ ἀλιανθώδης. 512. 41
φύεται περὶ τὰς. ibid. 42
sunt folia, quæ. 523. 20
prodire. 533. penult.
ὁ προσθεῖην. 539. 48
qua cauli. 547. 34
cornea mẽbrana. 550. 21
Asphodeli. 559. 42
dissecantibus. 637. 37
αὐτὸν. 639. 26
ferunt. ibid. vlt.
τοῦς. 642. 28
elicit. 649. 11
& muris aranei. 650. 4
nascitur. 653. 24
Cratenæ Erucæ folio. 658. 43. & 44
cardamine, redundat. pag. 659. lin. 9.
exiliora ibid. 13
positu alterno: oxeos. ibid. 21
procumbentibus. ibi 22
Dioscoridis redundat. 663. penult.
ἀφέψημα. 689. 27
vi præditum. 690. 10
Germanis. 692 6
amarescente. 709. 29
multorum Cherephillũ, & Matthioli. 711. in lemmate secundo.
Sisari. 719. 46
rubentem. 721 26
subrecta. 726. 46
καθαίρειν. 727. 45
αὐτὸς. 731 20
ærugine. ibid. 45
Laserpitium. 732. 22
frustulis. 733. 10
Colembergio. 741. 27
eíque illud tutò. 745. 18
Pini. ibid. 26
peucedani. 752. 15
Gargano. 757. 33
παρόμοιον. 762. 32
à myriophyllo. 768 46
gonorrhœam. 771 11
Historia stirpiũ. 773 21
ἐπιπόλαιον. 775. 38
Pena nascitur maior. 786. 41
nominata. 789. 19
nũc tota: vel recta ibi. 21
præfixis. ibid. 23
genuino. 790. 13
virus exhalat. ibid. 18
chondrylla, hypochœride. 791. 19. & 20
item gladiolus. 793. 16
τοῦτο καὶ. ibid. 38
quàm illam. 801. 18
sunt bulbosæ. 805. 37
alas. 816. 45
& multis. 821. 1
constant. 827. 1
aut Delphinium. 866 9
Heliãthes. 869. in lẽm. 2.
Erythrodano. 870. 8
στεφανώτιδας. 877. 4
ἡμεροκαλλὶς. ibid. 9
polline. 883. 14
Maris nomine. 889. 19
Alnagen seu. 890. 28
Flos. 893. 6
solo reditu. 899. antep.
Mentham hanc Cattariam. 909. 3
odor & vulgari grauior. ibid. 7
μελίφυλλα. 913. 30
roborat. 918 penult.
ab indig. 922. 27
lecti pedum. 930. 41
δυσπνοῦν. 936. antepen.
ἀπέχεσθαι, 940. penult.
λεπτόκαρφος. 949. 36
vbi de. ibid. 43
Feldandorn. 963. 21
Cneorum. 967. penult.
Ruta Harmala. 973. in lemmate secundo.
λουέσθαι. 977. 6
certiorem. ibid. 34
cum grauit. 979. 19
quædam. 983. 20
παχύτεροι. 984. 17
decliuibus. 985. 34
συμπεφυκυῖα. 987. 35
Heildebergensis. 993. 6
εἶναι. 995. penult.
ἰσχυρὸν ibid. vlt.
τοῦτο ἢ. 997. 26
sphærulæ. 1001. 18
πλυγὴν. 1010. 7
αὐλητικὸς. 1011. 24
ἴπνον. ibid. 25
λουλοὶ. ibid. 31
κέγχρι. ibid 35
Theophr. 1014. in lẽmate.
φαλὸς. ibid. 21
ἠπίει. 1017. 42
κάππαρις. ibid. 43
Tanaceti bis. 1022. 11. 13
& quod scitè Plinius ait aquarum. ibid. 42
albus, Dalechãpij. 1030. in lemmate.
Anemone. Ranunculus phœniceus Nyconij frequens est. 1035. 31
totum ab. 1037 41
ξυνεστιλὸς, 1044. 4
fructifera. ibid. 12
Alij Camepeucẽ. 1049. 15
quòd βῆκας. 1051. 452
Petasites. 1052. 4
πορφυρῶν 1059. 19
inuisam equis etiam. 1073. penult.
esse volunt. 1075. 38
Handacocha. 1077. 11
Handacocham & Handacochæ. 1078. 11. & 13
βραχὺν. ibid. 23
recentiorum. 1081. 19
Vmbilicum. 1091. 25
pota. 1095. 31

Finis primæ partis.

ERRATA SECVNDAE PARTIS.

Prior numerus paginam, posterior lineam indicat.

χειλιάδα. pag. 1100 lin 23
occidat. 1103 15
procidente. ibid.19
Calzolario. 1112.16
Saxifraga.ibid. in lẽmatibus duobus. & 1113.in lemmate item
Achilleon. 1117.42
Salui. 1119.8
ἐπιτιθεμένας. 1120.14
euidenter. 1123 31
Lithontripon, 1 26.2
Chamæpityn. ibid pen.
confertíque. 1.33 vlt.
Sesamum. 1137.9
Athanasia Leucanthemos Dalechampij. 1147.in lemmate.
Α᾽μβροσία. ibid.37
alias. 1149.25
Moschatam. ibid.26
ὑπολαμία, ter. 1153. 36. 40. & 43.
Moschatam. 1159.17
χαμαίδρυψ. 1162.14
Camæcyparissũ. 1164.3
longum. 1167.36
proficiendo ibid. 45
Pyrethrum, bis. 1170. in lemmatibus.
deesse. 1171.7
semine. 1172.34
Elleborum. 1186.5
Monspeliensi. 1187.14
Luteam. 1194.19
μορφὴν. 119:.31
ὅταν. ibid.33
οὐδὲ νότεμον ἐπίδηλον ἐστὶν τί ἐπιμένων. 1208 18.& 19
τρίχα. 1211.35
Polytrichum. 1212. 3
πολλὰς. 1222.23
μέλαιναν. 1223.16
πᾶν. 1230.vlt.
siue. 1233.45
fruticat. 1239.35.& sic deinceps.
illita 1241.3
alio. 1242.penult.
dentium. ibid.vlt.
gangrænas. 124 .5
φλεγμαίνουσαν. ibid.16
quia. 1246.24
Quinquefolij. 1251.17
πλανῶνται. ibid.35
πράσον. 1252.45

ἐπιπλάσσομεν. 1254.22
phthisim. 1257.17.
collutionibus. ibid.37.
cum. ibid.45
μέσῳ. 1258.10
fueille. 1260.40
saligna. 1262.17
comitiales. 1267.12
singilatim. 1271.19
feliciter. 1272.20.atque ita semper.
ceu. 128 .39
πῶς. 1282.28
Psycotrophum. ibid.39
lethale. 1283.25
reconduntur. ibid.36
μέλαιναν. 1285.17
τριάρχην. 1287.6
ὁμοίως. ibid.26
Peloponneso. ibid.40
πανάκειαν. 1288.24
πάντα. ibid.ead.
τὰ. ibid ead.
ἐν. ibid.29
exterit. 1290.28
vermiculosus. ibid.19
æmulantur. 1293.3.atque ita deinceps.
ἀνδρώδης. 1299.16
tenesmum. 1302.penult.
Senecionis. 1305.14
αἰθυῖας. ibid.43
λευκωπῶν. 1307.4
dicitur. ibid.12.
caballinam. ibid.28
Græcis. ibid.ead.
Arction. ibid.ead.
discriminis. ibid.29
stranguriam. ibid.34
Glycyrrhiza. 1308.40
Leontice. ibid.41
quadantenus. 1310. antepenul.
terrestris. 1311.10
cortice. 1312.34
præditam. 1316.31.atque ita semper.
Persefueille. 1321.3
longis. 1323.12
oxymelite. 1330.3
floret. 1331.12
Viperæ. ibid.23
glutinat. ibid.30
κορήματα. 1332.vlt.
ictericis. 1333.24
Solanum. 1338.32

Myrteis. 1339. 14
Anagallidem.ibid. pen.
ranæ. 1340. 26
pediculo. ibid.27
in canis. 1343.30
nigræ. 1347.41
variè. ibid.43
adstringentes. 1348.3
ἀλεξιφάρμακα. 1349.20.
excipitur. 1351.19
enteroce'en. 1355.24
Terebinthinæ. 1356.35
detergenda. 1357.2
πρόμηκες. 1363.7
ὁμοιόσχημον. ibid.ead.
γλισχρὸν. ibid. 0
ὀίσῳ. ibid.11
γλισχρὸς. ibid.25
quarum Matthiolus meminit. 1364. 12. & 13.
obseruauit. ibid.30
arrodi.ibid. 31.& 32
Coniza marina Dalechampij.1366. in lemmate primo.
Tribulus Marinus Dalechampij.1367. in lemmate primo.
angulosas. ibid.22
ἅπαντα. 1370.9
παντίας. ibid.12
ὃ. ibid.19
δυσανάδιστον. ibid.20
σχεδὸν. ibid.22
Prason. 1371.15
arescit. ibid.29
ὀσμὴν. 1372.31
πολυφλοίσβοιο. ibid.32
βαπτόμενον. 1374.18
vatésque. 1375.14
colligunt. 1377.32
conficitur. 1378.24
Nitiobrigum. 1381.9
exsuccus. 1382.2
insectis. 1384.20
solitis. 1388.32
Maritima. 1391. in lemmate primo.
subrectis. ibid.19
exsuccæ. 1401.9
arbustiuas. ibid.26
vitro. 1401..36
σύμφυλον. 1403 7
ἃ καὶ αὐτὰ. ibid.8
πηλούσιος.ἐγὼ.Tosti.ibid. 9.10.& 30.

proxima. 1404.23
σύμφυλα. ibid.29
arteriis. 1405.2
Nouum accedendi. ibidem 36.& 43.
homonymia. 1406.16
Dulcamaram. 1407.25.
alterum esse redundat. ibid.26.
granorum. 1408.28
Ampelos. 1409.7
ἐφήλιδας κ᾽. ibid.13
syluestris. ibid.23.& sic deinceps.
κιννάβαρι 1405.36.
ἄνω. ἐρυθρότερα. κατὰ. ibidem antepen. & pen.
λαβεῖν. μείζω. αὐτοῖς. 1416. 6. 13.& 23.
xerampelino. 1418.27
lugubris. 1421.penult.
Conuoluulum minorem. 1424.12
μαλακόκισσος. ibid.35
inefficáxque. 1428.27
copiosius. ibid.46
ἴκτω. 1440.36
Carduus, bis.ibid.44.& 46.
squamosum. 1441.18
opipara. ibid.41
Hîc. ibid.43
παίδερως. 1443.1
διονεὶ. ibid.25
καλὸν. 1452.43
suspicione. 1458.28
Eryngium pusillũ. 1461. in lemmate.
pulcherrimo. 1462.22
Leucacantha. 1463.44
Acorna. 1467.45
ære. 1481.8
breuioribus. 1491.16
Cæpacea. 1495.17
mẽsibus ferentem. 1525.1
tritus. 1526.6
κρομμύου. 1537. & 1547.3.& 36.
Triorchis serapias,&c.1555. in lemmate primo.
ac humectis. 1564.17
κρομμύῳ. 1592.28
monte à. 1597.22
habent. 1613.antepen.
hoc inuenitur. 1619.34

Ανέξυσις καὶ ἄρξιν. 1628.13
Charbech. 1631.45
κρομμύου. 1632.21
constant. 1648.1
è *Lio*. 1655.in lemmate secundo.
σκαμμώνια. 1661.18
& σκαμμώνιον. 20
vel hydromelite tritũ. 1671.18
vellitur Autumno.1673. 26.
ἀντιρρίνη. 1678.31
cephalalgiæ. 1679.17
ad ionthos. 1686.11
Chepulorum. 1688.3
ceu. 1694.27
Rhabarbarum, Chagi, Memet.1699. & 1701. in lemmate secundo.
κεράτινος. 1707.penult. & 1708.15.
quásque. 1712.3
incognitæ. pretiosissimæ. 1718.29
cedúntque. 1733.40
Armeniæ.ana. 1746.44.
de especie. 1760.5
Gangem fluu. 1768.22.
Ganga. ibid.ead.
Charamandel nascitur. & Brasilio ligno. ibi. 26.
βόλχον. 1782.18
multò præstãtius. 1791.8
diffunditur. 1792.40
τοῦτο, & φύλλον. 1795.30.
Sorbi minora. 1796 19
notæ nobis. 1820.4
væneunt. ibid.vlt.
Guayaci. 1824.43
Agnus Scythicus. 1849. in lemmate primo.
Moschouitarum. ibid.31
palmæ. 1850.13
noluimus. 1852.16
vlnis. 1853.17
lignea. 1861.27
Phasiolus. ibi.antepen.
ex Macere fluit. 1862.34
gustu. 1869.35
formam. 1905.10
gangrænis. 1907.6
coniicientes. 1908.24
μάλιστα. 1909.4
Bætica. 1910.19

F I N I S.

INDEX HISTORIÆ
PLANTARVM LOCVPLETISSIMVS,
LATINVS, GRÆCVS, ARABICVS, GALLICVS, ITALICVS, HISPANICVS, GERMANICVS, BELGICVS, BOEMICVS, ANGLICVS:

Quo non arborum modò & fruticum, ſubfruticum, herbarum, radicum, corticúmque, verùm etiam fructuum, ſuccorum, lacrymarum, oleorum, aliorúmque id genus nomenclaturæ ordine alphabetico diligentiſsimè recenſentur, appoſitis fideliter ſuo quoq; loco paginarum arithmeticis numeris: vt nullo labore ſumma eorũ omnium capita, quæ fusè libris his totis XVIII. explicantur inueniri poſſit.

Alſine

Aſplenum

Bulbus

Bulbus setanius 1539

Cicer

Condex

Cruciata

D

Dentaria

F

Ficus

G

Gramen

I

Lauandula

Lingua

M

Melones

Myriophyllum

γ

Peruinca

Polyneu

Sisymbrium

T

Trago

V

FINIS INDICIS LATINI.

INDEX GRÆCVS.

B

Γ

Δ

κύημα

Μηλέα

σπλή

T

Υ

Φ

X

FINIS INDICIS GRÆCI.

INDEX ARABICVS.

Bache

FINIS INDICIS ARABICI.

INDEX

INDEX GALLICVS.

D

E

F

Fouteau

G

H

I

L

Mandra

M

N

O

P

Sanicle.

FIN DE LA TABLE FRANCOISE.

INDEX ITALICVS.

FINIS INDICIS ITALICI.

INDEX HISPANICVS.

Pyras

FINIS INDICIS HISPANICI.

INDEX GERMANICVS.

Feldnege

Mayer

Stickwurtz

FINIS INDICIS GERMANICI.

INDEX BELGICVS.

Pinap

FINIS INDICIS BELGICI.

INDEX BOEMICVS.

FINIS INDICIS BOEMICI.

INDEX ANGLICVS.

FINIS INDICIS ANGLICI.